
# TRACTATUS
## *DE*
# MATERIA MEDICA
## *SIVE DE*
## MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM
### Hiſtoria, virtute, delectu, & uſu;

Auctore STEPHANO-FRANCISCO GEOFFROY,
Doctore Medico Pariſienſi &c. &c.

Editio noviſſima locupletior, aliiſque emendatior, Supplemento PARTIS SECUNDÆ SECTIONIS SECUNDÆ Anonymi Profeſſoris nunc primum aucta, ex Gallica in Linguam Latinam eleganter redacto.

### TOMUS SECUNDUS.
### DE VEGETABILIBUS INDIGENIS.




VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

M DCC LVI.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*



# MATERIÆ MEDICÆ
## PARS SECUNDA.
## DE
## VEGETABILIBUS INDIGENIS.

## SECTIO SECUNDA.
## DE PLANTIS INDIGENIS.
### *Quæ in Usum Medicum veniunt.*



Ndigenæ Plantæ, seu quæ nostro sub cœlo nascuntur, vel hominum saluti, tum restituendæ, tum conservandæ, aliquid conferunt; vel Medicinæ prorsus inutiles sunt; aut saltem earum vires salutares hactenus ignotæ fuerunt. Has silentio prætermittimus; de illis vero hic agemus.

In earum historia, & virtutibus recensendis alphabeticum servabimus ordinem, quo facilius unusquisque plantas, quarum historiam inquiret, reperire possit. Officinalia vulgatioraque nomina cœteris denominationibus ex Auctoribus desumptis, præponemus utpote magis cognita. Deinde nomen genericum ex Institutionibus rei herbariæ depromptum, cœteraque synonima a Clarioribus Botanicis scriptoribus assignata, recensebimus, Denominationi plantæ, descriptionem subjungemus, analysim ac virtutes, & utendi rationem, eodem ordine, quem in exoticorum medicamentorum expositione secuti sumus.

At vero stirpium harumce cum illis, quæ sub eadem denominatione, a veteribus recensitæ fuerunt, comparationem inutilem censemus, disquirendo

rendo nempe, utrum eædem sint, necne. Quandoquidem plantæ ipsis cognitæ, & usitatæ nobis desunt, & difficile est ex parum accuratis earum descriptionibus decernere, utrum eædem sint plantæ quæ apud nos nascuntur, an diversæ? Præterquamquod plurimas plantas veteribus notas, & in Græciæ solo natas, ab iisdem speciebus nostro sub cœlo nascentibus, viribus multum discrepare, veritati sit maxime consentaneum. Eamdem ob causam de viribus ab antiquis, tum Græcis, tum Arabibus, illis stirpibus attributis, parum solliciti erimus; sed tantum assiduo, & quotidiano usu comprobatas apud nos virtutes, tum salutiferas, tum noxias, quam poterimus diligentissime, pervestigabimus.

## ABROTANUM.

Abrotanum vel Abrotonum. Duæ sunt plantæ hujus nominis in officinis usitatæ, Abrotanum mas, & Abrotanum fœmina.

Abrotanum mas *Officinarum*. Abrotanum mas angustifolium majus, *C. B. P.* 136. *Institut. Rei Herbar.* 459. Abrotanum vulgare, *J. B.* 3. 193. Abrotanum mas *Dodon. Pemptad.* 21. vulgo, *Aurone male*. Ex radice lignosa, fibris aliquot donata, crebris frutescit sarmentis, tres, quatuorve cubitos altis, duris, fragilibus, medulla alba plenis, subrubentibus, striatis, ramosis: folia per alas nascuntur multa, tenuiter dissecta, fœniculaceis paulo majora, inferiora quidem multifida, superiora uno tantum aut altero segmento divisa, canescentia, odore vehementi, sapore amaro acri: flores secundum ramulos conferti, sublutei, floribus Absynthii similes sunt; flosculosi nempe, sed exigui, compositi ex plurimis flosculis minutissimis, tubulosis, in summitate quinquefariam divisis, quorum singuli singulo insident semini, & omnes squammoso flores calyce comprehenduntur. Floribus succedunt semina exigua, oblongiuscula, nuda, pappo carentia, Absynthii similia, sed minora. Ab Absynthio differt sola facie externa, & optime ad ejusdem genus reduci posset. Ratione culturæ, & loci, necnon pro anni tempore multo amarior videtur. In montosis Italiæ & Galliæ provinciis, sponte nascitur. Hic in hortis colitur, ubi avulsis ramulis, alii ex radicibus de novo progerminant. In usum medicum folia, & comæ floridæ veniunt.

Analysi chymica, ex hujus plantæ foliorum ac summitatum recentium & succulentarum ℔v. per retortam distillatis, prodierunt, primo phlegmatis limpidi plantæ odore, & sapore imbuti ℥xij. humoris odorati, acidi, & sale alcali aliquantisper turgidi ℔iij. ℥vj. ʒvj. gr. xij. humoris rufescentis, odoris empyreumatici, tum acidi, tum urinosi, & volatili sale impraegnati ℥ij. ʒj. gr. v. olei tum fluidioris, & essentialis, tum crassioris, & empyreumatici ℥ij. ʒij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ʒij. quæ igne reverberii tamdiu calcinata, donec nullam amplius flammam ederet, reliquit cinerum ex fusco leucophæorum ℥j. ʒvij. gr. xxxvj. ex quibus lixivio, salis alcali fixi ℥j. ʒij. extractæ fuerunt. Partium deperditio in distillatione fuit ℥ij. ʒiiij. gr. lv. in calcinatione ℥iij. ʒij. gr. xxxvj. Ex hac analysi concludendum est, Abrotanum mas ex multo oleo essentiali amaro aromatico, & sale ammoniacali constare.

Ra-

Rarius Abrotano intrinsecus utimur, quod Etmullero mirandum, & dolendum videtur. Revera ejus odor vehemens ac sapor aromaticus; acris, amarus, innuunt, partibus volatilibus tenujbus salino-oleosis donari, quibus fermentativus sanguinis motus augetur, crassiores humores dividuntur, solidarum partium tonus imminutus restituitur, debilior augetur: quamobrem medici vim calefaciendi, incidendi, aperiendi ipsi tribuerunt. Actuosis iisdem particulis putredini resistit, vermes necat, non solum oleo suo essentiali amaro vermibus infenso, sed etiam propter tenues & actuosas ejus particulas, quæ nimis glutinosum ventriculi, & intestinorum mucum, in quo vermes nidulantur, dividunt ac resolvunt. Eadem ratione flatus discutit, urinas & menses movet, renum, & uteri obstructiones reserando. Illud tamen ventriculo infensum esse nonnulli existimant, quod de omnibus ægrotantibus pronuntiari nequit, sed tantum de illis, quorum ventriculi temperies calidior est, seu quorum ventriculus in inflammationem pronus est, præ nimio sanguinis, & spirituum ad hanc partem affluxus. In quamplurimis autem ventriculus ab his acribus, & aromaticis medicamentis læditur. Neque adeo sors nostra lugenda est, ob parcum Abrotani usum, dum frequentior est usus Absinthii quod iisdem viribus donatur, & quidem valentioribus: quapropter a nonnullis ut Absynthii succedaneum tantummodo proponitur.

Abrotani tamen coma pulverata ad ʒj. cum tantillo Nitri, a S. Pauli in Quadripartito Botanico, iis quibus, ob calculum, urina supprimitur, proponitur & velut specificum commendatur: sed Nitro potissimum hæc virtus fortasse debetur, aut saltem ab illo plurimum augetur. Nonnulli decoctum ejus, pro lotione capitis, contra capillorum defectum aut defluvium laudant. Basim constituit unguenti Bucrelii Vvratislaviensis, secreti & experti contra capillorum defectum, cujus hæc est descriptio ab Etmullero prolata.

℞. Folior. Abrotan. maris & Capillor. vener. ana m. j. Favi mellis, Ladani ana ℥j. Myrtillor. ℥j. Semin. Fœnugræc. Lini ana ℥iij. Olei Amygdalar. dulc. vini albi generosi ana ℥iij. Facta infusione per 24. horas, bulliant ad humiditatis consumptionem: postea fiat colatura cum expressione. Cum hoc unguento, crescente Luna, inunctio fieri debet.

Oleum essentiale Abrotani, maris, ex herba florida & exsiccata, cum magna aquæ copia distillatur. Eo membra paralytica illinuntur. Commendatur quoque ad pilorum generationem promovendam, præsertim si cum Ladano & adipe Ursino, misceatur.

℞. Olei Abrotani mar. stillatitii ℥ß. Ladani ʒvj. Axungiæ Ursi ʒij. Misce, fiat unguentum.

Abrotanum mas usurpatur in unguento Martiato.

Abrotanum Fœmina, Santolina, Chamæcyparissus *Officinarum*, Crespolina, *Quorumdam*. Santolina foliis teretibus, *Inst. R. H.* 460. Abrotanum fœmina foliis teretibus *C. B. P.* 136. Chamæcyparissus *J. B.* 3. 136. Polium Theophrasti & Dioscoridis & Arabum, Vermiculatæ, folio, *Column. P.* 1. 4. Abrotanum fœmina, *Lobel. Icon.* 768. vulgo, *petit Cyprees & Garderobe.*

Ex radice crassa, dura, lignosa, & subinde in brachia fissa, virgulta cubito altiora emittit, lignosa, gracilia, tenera lanugine incana & in plures ramos divisa, quos ambiunt tenuja folia, longitudine circiter unciali, minutim denticulata, aut potius tuberculis exiguis onusta, ita ut quatuor fere tubercula in eadem phalange agminatim circumposita conspiciantur, incana omnino, odore medicamentoso & cum quadam suavitate gravi, sapore partim acri, partim amaro aromatico. Singulis ramulis singuli insident flores lutei, perfecti, flosculosi, compositi nempe ex plurimis flosculis tubulosis in summitate quinquifidis, foliis intermediis imbricatis, & calyce communi squammoso quasi hemisphærico comprehensis: singulorum flosculorum calyx seu embryo abit in semen oblongiusculum striatum, fuscum, pappis nequaquam instructum. Majores sunt hujus plantæ flores quam Abrotani maris & Absynthii, quibus ab illis plantis distingui potest, sicut & tota plantæ facie. Sponte luxuriat in campestribus Italiæ locis & vinetis. In Gallo Provincia quoque a Garidello observata fuit. Hic in hortis colitur. Folia, summitates floridæ, & semina in usum medicum veniunt.

Analysi chimica, foliorum & summitatum Santolinæ recentium ℔v. præbuerunt phlegmatis limpidi odorem plantæ saporemque referentis ℥xj. ʒij. humoris limpidi adhuc odorati & acidi ℔ij. ℥xj. ʒiij. gr. xxxvj. humoris rufescentis acidi & subsalsi, qui tum acidi, tum alcali urinosi salis notas præbuit, ℥ix. ʒvj. gr. xxx. salis volatilis urinosi concreti, gr. xl. olei adiposæ crassitudinis ℥iiij. ʒiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥viij. ʒvj. quæ igne reverberii calcinata cinerum leucophœorum ℥ij. ʒiij. gr. xij. reliquit; ex quibus salis fixi mere alcalini ℥j. gr. viij. lixivio extracta sunt. Partium deperditio in distillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. xxxviij. in calcinatione ℥vi. ʒij. gr. lx. Per hanc analysim patet, Santolinam constare ex sale ammoniacali, & oleo crasso copioso.

Santolinæ eædem quæ Abrotano mari, tribuuntur virtutes. Attamen paulo plus salis volatilis urinosi, majorem olei crassioris quantitatem, minorem vero olei tenujoris seu essentialis suppeditat: unde ad hystericos affectus compescendos, hæc præstare videretur.

Rarioris est usus apud nos in Medicina. Ad ventris lumbricos interimendos, in primis commendatur ejus semen, solum vel saccharo obductum: infantibus comedendum porrigitur, vel herbæ decoctum in lacte aut in aqua conveniente propinatur. Andreas Matthiolus Santolinæ folia sicca & in pulverem trita, dari perquam utiliter ex aqua Matricariæ, semi-drachmæ pondere, asserit, ad sistenda alba fœminarum profluvia, si continuis decem diebus sumantur a jejunis, & deinde interpolatis diebus. Costeus quidam Aquisextiensis Medicus, teste Garidello, Santolinæ foliorum pulveratorum drachmam unam felici cum successu in pleuritide, & peripneumonia exhibere solebat.

Ejus folia inter laneas vestes sparguntur, ad tineas ab illis arcendas.

Usurpatur cum Abrotano mare, in unguento Martiato.

# ABSINTHIUM.

Absinthii species duæ in officinis usitatæ sunt, scilicet, Absinthium latifolium, seu majus, & Absinthium tenuifolium, seu minus.

Absinthium latifolium, Absinthium vulgare, Absinthium majus, *Officinarum*. Absinthium Ponticum, seu Romanum officinarum, seu Dioscoridis *C. B. P.* 138. *Inst. R. H.* 457. Absinthium vulgare majus *J. B.* 3. 168. Absinthium latifolium. *Dodon. Pempt.* 23. vulgo, *Absinte, Alvine ordinaire, grande Absinte.*

Radice est crassiuscula, lignosa & fibrosa, saporis aromatici grati absque amarore, caulibus cubitalibus & bicubitalibus, striatis, firmis, lignosis, medullosis, canescentibus, ramosis & surculosis, in quibus folia plurima alternatim oriuntur, pediculis oblongis, canaliculatis innixa, profunde dissecta iterum atque iterum incisa, candicantia, mollia, intense amara & odoris aromatici vehementis: flores longa serie in summis ramulis nascuntur, pediculis brevibus, tenuibus, & ex quorumdam foliorum alis egressis hærentes ac penduli, globosi, exigui, completi, & flosculosi, seu compositi ex plurimis flosculis tubulosis, brevioribus, in summitate quinquefariam divisis, luteis, e communi calyce squammulato prodeuntibus, singulis singulo insidentibus embryoni, qui deinde abit in semen nudum, non papposum. A cœteris Absinthii speciebus differt foliis, & laciniis amplioribus, & insigni odore cum amarore conjuncto. Colitur in hortis. Ejus folia, & summitates in primis usurpantur.

Analysi chymica, ex foliorum Absinthii latifolii nondum floridi ℔v. prodierunt phlegmatis limpidi, plantæ odore & sapore imbuti, quod neque alcali, neque acidi notas præbuit ℥x. ʒvj. gr. xlviij. cum oleo essentiali permixto: deinde humoris limpidi, odorati, qui debilis acidi & alcali valentioris notas præbuit, ℔ij. ℥xij. ʒvj. gr. lx. tandem humoris mere alcali, & sale volatili imprægnati, ℥j. ʒv. gr. xlviij. salis volatilis urinosi concreti ʒv. olei, tum tenuis, tum crassi ℥j. ʒij. Massa nigra in retorta superstes, pendebat ℥vj. ʒij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiiij. ex quibus lixivio, salis fixi mere alcali ℥j. extracta fuit. Partium jactura in distillatione fuit ℥xiiij. ʒiij. gr. lx. in calcinatione vero ℥iij. ʒvj.

Ex Absinthii, latifolii foliorum, & summitatum floribus, & seminibus onustarum ℔v. prodierunt phlegmatis limpidi odore plantæ saporeque perfusi quod primum subacidi, deinde intense acidi, ac tandem acidi, & alcali urinosi notas præbuit, ℔iij. ℥xj. ʒvj. gr. lx. cum non mediocri olei essentialis portione: humoris rufescentis empyreumatici, alcalini, & sale urinoso turgidi ℥iij. ʒj. gr. xij. salis volatilis concreti gr. xxiiij. olei tum essentialis, & tenuioris tum fœtidi & spissioris consistentiæ ℥iij. ʒvj. gran. xviij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vij. ʒvij. gr. xij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiij. gran. xxxvj. ex quibus, lixivio salis fixi mere alcali ℥j. ʒiij. gran.

xlij. prodierunt : jactura in distillatione fuit ℥v. ʒij. gran. xviij. calcinatione in fumum, & flammam abierunt ℥v. ʒiij. gran. xlviij.

His ambabus foliorum, & summitatum Absynthii majoris analysibus inter se comparatis, liquet, folia majori partium tenujum, & volatilium copia turgere quam flores, & semina; cum triplo major sit partium deperditio in foliorum distillatione, quam in summitatum analysi. Cum unaquæque foliorum libra salis volatilis drachmam unam præbeat, summitates vero vix grana quinque pro singulis libris : eadem folia multo minus acidi salis, & olei exhibuere. Unde concludere possumus, folia sale ammoniacali, & oleo copioso ac tenui donari; in summitatibus autem salem tartareum cum ammoniacali conjunctum reperiri; at verisimile est omnem Absynthii energiam pendere potissimum ab ejus oleo essentiali, amaro, & aromatico, quod licet in foliis, & summitatibus, natura idem semper videatur, in foliis tamen ob intimum salium volatilium consortium tenujus fit, magis expansum ac magis volatile.

Absynthium vulgare quasi polychrestum medicamentum prædicatur; calefacit & exsiccat, ut ajunt, seu potius tenujbus, & actuosis suis particulis salino-oleosis quæ massam sanguineam subeunt, fermentativum sanguinis motum auget, partium quoque fibras sollicitat ad motum & ad oscillationem; sic calor in corpore accenditur : restituta vel aucta fibrarum oscillationem, succi inter partium fibras hærentes, & otiosi, si crassiores sint, attenuantur; si tenaces inciduntur, & canales solitos repelluntur, vel per transpirationem foras expelluntur : sic quoque viscerum functiones debilitatæ restituuntur, obstructiones referantur; hinc stomachicum dicitur, hepaticum, splenicum, uterinum, anticachecticum insigne, febrifugum, vulnerarium detergens, bilis succedaneum, & anthelminticum : ventriculum debiliorem roborat ac firmat, ciborumque appetentiam excitat, tum fibras ventriculi laxiores constringendo ac firmando, tum etiam mucaginem spissam ejusdem parietibus inhærentem dissolvendo : eisdem rationibus diarrhæas sistit, superpugationes compescit, & colicos dolores flatulentos sedat. Viscerum obstructiones resolvit quæ pendent, vel a fibrarum laxitate, vel ab humorum spissitudine. Sic ictero, hydropi, chlorosi, cachexiis & febribus medetur. Vermes interimit, tum amaritie summa vermibus infesta, tum mucilaginosos humores, in quibus eorum ovula retinentur, foventur, excluduntur, resolvendo.

Verum cavendum ab illis affectibus, qui a fibrarum rigiditate, crispatura, erethismo, vel convulsiva aut inflammatoria tensione, oriuntur, quos Absynthium non modo non sedat, quin imo auget, & nonnunquam insanabiles reddit. Sic in ciborum concoctione læsa præ nimio ventriculi ardore adeo intendit, & auget, ut renes in consensensum per nervos trahantur, & ardorem contrahant, quem breviter sequuntur urinarum color intensus, & rutilans, cum crasso, & rubro sedimento, earumdem imminutio, supressio, hydrops; si vero renes ob laxiorem texturam illæsi serventur, cœterorum viscerum

rum fibræ paulatim convelluntur, rigescunt, & tabes sensim adducitur. Hinc fit ut maxima pars helluonum, ad prostratum appetitum sollicitandum, aut ciborum nimia copia ingestorum coctionem perficiendam, quotidie vinum Absynthites, aut tincturas stomachicas & spirituosas ingurgitantium, plerumque ante obitum lente veluti liquefiat, tabefacta vero ante annos moriatur, observante Simone Paulli. Sic etiam muliebribus evacuationibus menstruis, a sanguine nimis æstuoso, vel ab uteri ardore aut inflammatione suppressis, Absynthium ægrotantem in viscerum inflammationem, & febrem ardentem inducit. Idem de cœteris visceribus præfervidis & ad inflammationem pronis dici potest.

Præterea Absynthium sicut amara pleraque, nervis est infensum, ut intelligere est ex animalibus plurimis, tum quadrupedibus, tum volatilibus, tum insectis, quæ ab amaris devoratis, spasmis afficiuntur, & convulsa sæpe moriuntur, quod ex Vvepferi observationibus satis liquet. Insuper multi ab experientia edocti tradunt, usum Absynthii caput gravare, oculis noxium esse, & appetitum venereum extinguere. Caute igitur in morbis, quorum anceps est & dubia causa, Absynthium & amara medicamenta acria & aromatica sunt usurpanda, ne pro remedio, venenum exhibeatur.

Comæ floridæ & folia exsiccata & pulverata exhiberi possunt a ℈j. ad ʒj. rarius tamen usurpantur. Ex his cum saccharo condita parantur. Flores conditi obstructiones valentius reserant, folia vero magis adstringunt, inquit Cl. Hoffmannus. Exhibetur a ʒj. ad ℥ß. succus ex foliis expressus, deinde parva coctione purgatus, ab ℥ß. ad ℥ij. nonnunquam propinatur, rarissime tamen ob intensum amarorem. A quibusdam vis cholagoga illi tribuitur, de qua tamen non plane constat.

Infusum cum aqua, vino, vel cerevisia præparatur, & ad ℥iiij. vel ℥vj. propinatur. Aquosum Absynthii infusum a multis, cerevisiæ aut vino Absynthiti anteponitur, quia caput minus gravat.

Fit vinum Absynthites extemporaneum, macerando nempe per noctem, comas Absynthii siccatas, in vino. Est autem vinum Absynthites quod ex herba sicca infusa paratur, palato gratius, aut potius minus ingratum, quam quod ex herba recenti. Hoc enim herbaceum & terreum quid resipit. Paratur quoque vindemiarum tempore, vinum Absynthites fermentatum, Absynthii exsiccati & minutim concisi fasciculum, in dolium conjiciendo & musti ℔c. aut circiter affundendo & fermentando simul. Vinum Absynthites quocumque modo paratum sit, exhibetur ad ℥iij. iv. vel vj. mane jejuno ventriculo, vel etiam ante, aut post pastum. Ex Absynthio præparari solent in officinis tinctura, seu, ut vocant, essentia Absynthii, aqua distillata, oleum essentiale, extractum & sal fixus.

Tinctura Absynthii fit ex foliis aut summitatibus, cum spiritu vini in amphora vitrea, rite maceratis, donec spiritus intense amarus evadat. Si folia fuerint recentia, tinctura viridis erit; si exsiccata, rufa vel fusca: sumitur ad ʒß. vel ʒj. pro dosi. Quidam hanc tincturam parant cum spiritu ardente ex ipso Absynthio fermentato extracto, & adhuc præstantiorem tincturam esse existimant.

Aqua

Aqua Absynthii distillata sic conficitur.

♃. Foliorum virentium Absynthii nondum floridi, ℔xv. Incidantur & contundantur. Indantur vesicæ aheneæ & affundantur decocti fortis ejusdem plantæ ℔x. aut q. s. digerantur vase clauso per quatriduum; deinde apposito capitello cum refrigeratorio, & adjuncto recipiente, fiat distillatio, ut artis est. Aqua spirituosa & magis odorata servetur ad usum. Dosis ab ℥j. ad ℥vj.

Spiritus Absynthii urinosus flavescens, a nonnullis plurimum laudatus, sic extrahitur. Absynthium viride cum floribus & seminibus minutim concisum, congeritur in vasculum rite obturatum, ut sponte incalescat, & nonnihil putrescat. Incipiente putrefactione, antequam fœteat, igne aperto, per retortam terream amplam, distillatur, & sic copiosissimus liquor urinosus obtinetur, per alambicem, igne arenæ, rectificandus. Prodit spiritus urinosus, volatilis, & valde amarus. In scorbuticis affectionibus utiliter exhibetur. Sed idem spiritus salino-oleosus & quidem præstantior, ex spiritu volatili urinoso quocumque, & oleo Absynthii essentiali simul mixtis & circulatis, ut ajunt, obtineri potest.

Oleum essentiale ex herba florida, seminibus jam turgida & exsiccata extrahitur, distillando nempe plantæ partem unam, cum aquæ limpidæ partibus viginti, ex alambice aheneo, igne forti. Aqua & oleum in recipiens vas promiscue profluunt. Oleum supernatans ab aqua rite separatur. Intus sumptum, iisdem viribus donatur ac Absynthium. Externe gossypio exceptum, & umbilico admotum, intestinorum vermes necat. Dosis a gutt. ij. ad x. Ex eo paratur oleo saccharum Absynthites quod facilius aquosis menstruis admiscetur, quam oleum.

Extractum Absynthii fit ex succo folior. Absynthii expresso, & ad mellaginem aut ad extracti consistentiam, evaporato. Extractum magis adstringit quam Absynthium, aut cæteræ ejus præparationes. Exhibetur a ℈j. ad ʒß. aut ʒj.

Sal fixus Absynthii fit ex lixivio cinerum plantæ combustæ, quod rite percolatum, evaporatur ad siccitatem usque. Sic remanet sal rufescens, qui, si non satis purgatus videatur, igne reverberii calcinatur, aqua solvitur; solutio autem percolatur & exhalatur, ita ut sal candidus & purus remaneat. Quidam salem hunc non summe purgatum expetunt, sed qualis extrahitur ex cineribus Absynthii in vase clauso calcinati: tunc enim sal ille neque candidus, sed rufescens, neque mere alcalinus, sed salsus adhuc remanet, & multo sulphure imprægnatus, ac proinde plantæ virtutibus adhuc imbutus. Sed tunc aut plantam ipsam pulveratam, aut ejus succum, aut extractum, aut salem essentialem, anteponenda censerem.

Sali Absynthii fixo virtus febrifuga tribuitur, & in primis adversus tertianam, a Sim. Paulli commendatur. Dosis a ℈j. a ʒß. Observandum est salem illum admodum acrem esse, ac proinde, non majori copia exhibendum, nec nisi multo liquore dilutum, ne acrimonia sua gulam, & ventriculum lædat. Ad obstructiones removendas utiliter exhibetur. Usitatissimus est apud Medicos Londinenses, & a Riverio, Sidenhamioque, commen-

mendatur ad vomitum compescendum, in febribus biliosis, iliaca passione aliisque affectibus.

℞. Summitatum Absynthii siccatar. pug. j. Infunde in aquæ servidæ ℥vj. Macerentur paululum. Infusum, cum tantillulo Sacchari, calens hauriatur, ad appetitum excitandum, concoctionem adjuvandam, ventriculum & viscera roboranda, menstruas purgationes mulierum promovendas, &c.

℞. Absynthii exsiccati & pulverati ℥ß. Croci Martis sub rore majali præparati ʒiij. Gumm. Ammoniac. ʒj. Croci ℈j. syrup. de Absynthio vel Menthæ q. s. Misce, fiat opiata. Dosis ʒß. bis in die, servatis servandis, ad menses suppressos, cachexiam, icterum, hydropem, obstructiones, & quoscumque, id genus, morbos, qui a sanguinis lentore & crassitudine, aut a fibrarum tono nimis laxo pendent.

℞. Tincturæ Absynthii ℥ij. Spir. carminativ. Sylvii ℥ß. Syrup. Menthæ ℥j. Fiat mixtura. Cochlear unum exhibeatur in colicis & flatulentis affectionibus, ciborum inappetentia, aut difficili coctione, ventriculi imbecillitate & frigiditate, alvi profluvio, &c.

℞. Vini Absynthitis ℥xij. Pulpæ Colocyntidos minutim concisæ ʒß. Macerentur per xxiiij. horas. Fiat colatura. Fit vinum catarthicum quod phlegma crassum & viscidum, ventriculi & intestinorum parietibus inhærens, dissolvit & vacuat, & mesenterii obstructiones resolvit. Exhibeantur ℥iiij. singulis diebus mane, jejuno ventriculo.

℞. Salis Absynthii ℈j. succi Limon. ℥j. Aq. Menthæ ℥j. Fiat mixtura, bis, terve, die iteranda. Vel:

℞. Sal. Absynth. ʒij. Aq. Puleg. vel Menth. crisp. ℥vj. Fat mixtura, cujus cochlear unum in singulis jusculis permiscendum est contra vomitionem.

℞. Salis Absynth. & Nitri purificati, ana q. l. Solve in aq. Cichor. q. s. Solutio percolata ad siccitatem evaporetur. Exhibetur adversus tertianam ad ʒß. aut ʒj. in vino, cerevisia, aut alio liquore idoneo, cum tantillulo Sacchari edulcorato, paulo ante paroxysmum, & sudorem provocare solet.

Externe adhibitum, ventriculum & intestina roborat, vermes necat, putredini resistit, tumores resolvit, dolores & inflammationes incipientes discutit. In cataplasmatibus resolventibus recipitur, & in vino aromatico, seu defensivo contra putredinem.

℞. Folior. Absynth. virentium partes duas. Axungiæ Porcinæ, p. unam. Contundantur simul, & fiat cataplasma collo calide admovendum in angina.

℞. Folior. Absynth. & Parietar. part. æqual. Contundantur, & calide parti dolenti applicentur sub forma cataplasmatis, aut decocto earumdem herbarum pars affecta foveatur ad dolores externos sedandos, incipientes inflammationes compescendas, & contusiones resolvendas.

℞. Folior. Absynth. & Senecionis, ana M. ij. Flor. Chamæmeli & Melilot. ana M. j. Rad. Ireos & Bryon minutim incisarum, ana ℥ij.

℥ij. Coquantur ex arte in aq. com. q. ſ. ad putrilaginem : Contundantur in mortar. marmor. & per cribrum pultis trajiciatur : Cui affund. vini albi ℔ij. Pulver. Abſynthii, Cumini, ana ℥j. Quatuor Farinar. reſolventium ℥iiij. Olei Chamæmeli ℥iiij. Coquantur lento igne ad debitam ſpiſſitudinem, & fiat cataplaſma reſolvens.

℞. Folior. & ſummitatum Abſynth. majoris, radic. Cucumeris ſylveſt. ana q. ſ. Decoquantur in aq. partibus ij. & olei part. iij. Hydrolæo mediocriter calente pars dolens foveatur. Radices & Abſynthium contuſa in modum linimenti capiti apponantur, ad hemicraniam curandam.

℞. Folior. Abſynthii majoris, Abrotani, Tanaceti, ſummitatum Sabinæ ana M. j. Radic. Ariſtoloch. rotund. ℥j. Helleboraſtri M. ß. Pulpæ Colocynthid. Aloes ana ʒj. Fiat decoctum in aquæ ℔iij. ad ℔ij. Coletur pro fotu abdominis regioni calide admovendo, ad verminoſos affectus.

℞. Olei eſſentialis Abſynthii, gutt. viij. Aloes pulverat. ʒij. Fellis bovin. q. ſ. Miſce, fiat emplaſtrum quod ſuper alutam ductum umbilico applicetur. Contra vermes.

In officinis ſervantur Oleum Abſynthii per infuſionem paratum; Syrupus de Abſynthio, tum ſimplex, tum compoſitus. Præterea Abſynthium uſurpatur in Pulvere contra rabiem Palmarii, Syrupo cachectico, & Syrupo lienterico, *Charas*, Confectione Hamech, Pilulis ſine quibus, aggregativis, de Rhabarbaro, pro morbo colico, *Charas*, ſtomachicis *Ejuſdem*, Unguento martiato, Unguento mundificativo de Apio, Emplaſtro de Meliloro, Balſamo tranquillante Franciſcanor. Regior. & Aqua vulneraria.

Abſynthium Tenuifolium ſeu minus ſeu Ponticum *Officinar.* Abſynthium Ponticum, tenuifolium, incanum *C. B. P.* 128. *Inſt. R. H.* 457. Abſynthium Ponticum, vulgare, folio inferius albo. *J. B.* 3. 175. Abſynthium tenuifolium *Dodonæi Pemptad.* 24. vulgo, *Petite Abſynthe, Abſynthe, Pontique.*

Numeroſas ſpargit radices parvas, crebris fibris intertextas, lignoſas & ſapore aromatico præditas : caules vero ex eadem radice plures erigit cubitales & ſeſquicubitales, teretes, glabros, vireſcentes, aut ex virore rubeſcentes, purpuraſcenteſve, frequentibus adnatis ab initio ad ſummum uſque ramoſos; folia non minus tenuiter inciſa quam Abrotani, ſed brevioribus, concinnioribuſque ſegmentis, brevi & incana lanugine pubeſcunt, potiſſimum inferna parte, odore ſuavi, ſapore ſubamaro. Flores quales in latifolio Abſynthio, ſed minores & oblongi, vehementiorem ſpirant odorem quam folia. Colitur in hortis, ubi, repente ſub terris radice, mirum in modum multiplicatur.

Analyſi Chymica, Abſynthii tenuifolii foliorum & ſummitatum nondum floridarum ℔v. exhibuerunt phlegmatis limpidi, odorati & ſapidi obſcure ſubacidi ℔j. ℥x. ʒiij. gr. xxxvj. cum aliqua olei eſſentialis portione: humoris limpidi, adhuc odorati & ſapidi, manifeſte acidi & auſteri, cum olei

eſſen-

essentialis tantillulo, ℥xv. ʒj. gr. lxiij. humoris rufescentis turbidi, sale volatili urinoso impraegnati ℥ij. ʒvj. gr. xxxvj. olei tum tenuioris & essentialis, tum adiposi ℥iij. ʒj. gr. xv. salis volatilis urinosi, concreti gr. xix. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥viij. ʒj. gr. xxx. quae igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophaeorum ℥ij. ʒiiij. gr. xv. ex quibus lixivio, salis fixi mere alcali ℥j. ʒv. gr. xvj. prodierunt. Partium jactura in distillatione fuit ℔j. ℥viij. ʒj. gr. xvij. In calcinatione ℥v. ʒv. gr. xv.

Haec analysis in Absinthio tenuifolio, maximam partium tenuium, tum salinarum, tum sulphurearum copiam nobis commonstrat, tam ratione jacturae in distillatione, quam ratione olei essentialis & salis volatilis: quod quidem plantae odore & sapore vehementi confirmatur. Verum ejus oleum essentiale minus amarum est, quam in Absinthio latifolio.

Absinthio minori seu tenuifolio eaedem tribuuntur virtutes, quae in majori dignoscuntur. Minus tamen amarum est & magis aromaticum: unde palato quidem magis gratum, sed tamen idcirco minus efficax censemus. Ejus Conditum a Matthiolo ad aquam intercutim commendatur tanquam expertum remedium, si ejus Conditi ℥ß. quotidie assumatur tribus horis ante cibum: quod de hydrope qui a nimia fibrarum flacciditate & laxitate pendet, aut a sanguinis vel seri crassitudine & tenacitate, intelligendum.

Eaedem ex hoc Absinthio fieri possunt praeparationes quae ex majore fieri solent, sed in officinis minus usitatae sunt.

## ACANTHUS.

Acanthus sive Branca ursina *Officinarum*. Acanthus sativus vel mollis Vergilii *C. B. P.* 383. *Inst. R. H.* 176. Carduus Acanthus sive Branca ursina *J. B.* 3. 75. Acanthus sativus *Dod. Pempt.* 719. Paederota, Melamphillum, Marmoraria quorumdam, vulgo *Acanthe* ou *Branche Ursine*.

Radicibus est crassis, carnosis, hac illac diffusis, foris nigricantibus, intus candidis, & capillitio stipatis. Folia humifusa cubitum aequant, & quandoque superant longitudine, spithamam amplitudine, mollia, obscure virentia, glabra, nitida, sinuosa, & quodammodo crispa. Caulis ad duos cubitos erigitur rectus, firmus, longa serie donatus florum eleganter thyrsi modo dispositorum: singuli autem perfecti sunt, monopetali, anomali, carnei quodammodo coloris: anterius trifariam dividuntur, & rictum imitantur, qui labio superiori caret, inferius vero amplum & convexum obtinet; posterius in annulum desinunt, staminibusque donantur labii superioris locum occupantibus, apicesque scoparum aemulos sustinentibus; calycibus foliosis coercentur, viridibus, per extremum laciniatis, nonnihil spinosis, & veluti nucamenta quaedam oblonga referentibus. E calyce surgit pistillum posticae floris parti seu annulo ad instar clavi infixum, quod abit in fructum glandiformem, calyce obvolutum, septo intermedio in loculamenta duo distinctum, in quibus singulis semen unicum continetur subrufum, compressum, duriusculum, duas tresve lineas latum.

Tota

Tota planta ſucco turget glutinoſo & mucilaginoſo. In Italia & Sicilia copioſe naſcitur. Hic in hortis colitur. Multiplicatur autem facile germinibus a matre avulſis, & pinguiori terræ commiſſis.

Diſtinguendum autem eſt inter Brancam urſinam Italorum, quæ eſt noſter Acanthus, & Brancam urſinam Germanorum, quæ eſt Sphondilium vulgare.

Analyſi chymica, ex folior. Acanthi recentium ℔v. prodierunt phegmatis limpidi, odoris & ſaporis expertis, ſale ſalſo aliquantiſper & obſcure imbuti, quod nempe ſalis Saturni ſolutionem turbidam efficit, ℥ix. ʒiij. gr. xxxvj. humoris obſcure ſubacidi, deinde manifeſte acidi, tum etiam aliquantiſper alcalini, ℔iij. ℥xiij. gr. xxiiij. humoris ruſeſcentis empyreumatici, tum leviter acidi, tum alcali urinoſi, & multo ſale volatili imprægnati ℥j. ʒiij. olei tum fluidi, tum ſpiſſioris ʒvj. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iij. ʒj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ſubalbidorum ℥j. ʒiiij. gran. xij. ex quibus lixivio, fuerunt extracta ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gran. lx. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒj. gran. xlviij. in calcinatione ℥j. ʒiii. gran. lx.

Ex hac analyſi & lentore glutinoſi hujus plantæ ſucci, concludere licet, eam conſtare ex ſale Ammoniacali copioſo & mediocri olei portione, multo phlegmate dilutis.

Acanthus inter emollientes numeratur herbas quæ ſunt Malva, Mercurialis, Parietaria, Beta, & Acanthus. Folia tantum uſurpari ſolent, in clyſteribus, fomentis & cataplaſmatis emollientibus, & paregoricis, ſeu dolorem ſedantibus. Dolorem lenit & alvum emollit.

♃. Folior. Acanth. Malv. Parietar. Mercurial. Betæ, Viol. Atripl. & Senecionis ana M. j. Coquantur in aq. commun. quant. ſufficit. In colaturæ ℔j. diſſolve Mellis Nenuphar. ℥iij. Cryſtall. mineral. ʒj. Fiat enema emolliens.

♃. Rad. Althææ, Nenuphar. & bulbor. Lilior. albor. ana ℥j. Folior. Acanthi, Malv. Parietar. ana M. j. Flor. Chamæmeli & Meliloti ana P. iij. Coq. in aq. q. ſ. deinde colentur. Liquor ſervetur pro fotu emolliente inſtituendo calide cum linteis quadruplicatis, vel pannis laneis molliuſculis dicto liquore imbutis, leviter expreſſis & mutatis quoties refrixerint.

♃. Rad. Alth. mundatar. & minutim inciſar. ℥iiij. Coquantur in aq. comm. quant. ſuffic. donec inſigniter molleſcant. Deinde adde folior. Branc. urſin. Malvæ, Parietar. Violar. & Mercurial. ana M. j. Caricar. pingu. n. xij. Coquantur omnia ad putrilaginem uſque. Contundantur in mortar. marmor. & per cribrum ſetac. trajiciantur. Pulpa ſecreta cum farinæ Lini & Fenugræci ana ℥ij. Olei Lilior. ℥iij. Coquantur lento igne ſæpius agitando ad debitam ſpiſſitudinem. Et fiat cataplaſma emolliens.

Dodonæus refert Acanthi radices prodeſſe tabidis ſanguinem ſpuentibus, tum ex alto delapſis, ab ictu aut conatu aliquo ſupra vires læſis, non minus quam Symphiti majoris radices, quas ſubſtantia, lento ſucco, & qualitatibus proxime referunt. Rariſſime tamen in uſum medicum veniunt, quoniam Symphiti radices anteponuntur.

Acan-

Acanthi folia Veteres ob figuræ venustatem, & elegantiam epistyliis, seu columnarum capitulis insculpere solebant. Vestibus etiam pretiosis figuram Acanthi foliorum circumtexebant: unde Virgilius:

*Et circumtextum croceo velamen Acantho.*

## ACETOSA seu OXALIS.

Ex pluribus Acetosæ speciebus duæ potissimum in usum Medicum, & culinarium veniunt, scilicet Acetosa vulgaris vel pratensis folio longo, & Acetosa rotundifolia.

Acetosa vulgaris, Acetosa pratensis, Oxalis pratensis *Officinarum*. Acetosa pratensis, *C. B. P.* 114. *Inst. R. H.* 502. Oxalis vulgaris folio longo *J. B.* 2. 989. Oxalis, *Dod. Pempt.* 648. *Ozeille longue* ou *Vinette*.

Radice est fibrosa, longa, sublutea, amara, & stiptica: foliis alternis palmam superantibus acutis, qua pediculo adhærent falcatis, & auritis, atrovirentibus, acidis, & succulentis. Caulis striatus, cubitalis, & ramosus flores sustinet apetalos, plurimis scilicet constante staminibus cum apicibus luteis surgentibus ex calice hexaphyllo. Joannes Rajus observat in hac plantæ specie, nonnullas flores steriles seu incompletos dumtaxat proferre, alias completos. Floribus sterilibus nullum succedit semen: floribus completis seu perfectis pistillum abit in semen triquetrum, spadiceum ac nitidum, obvolutum capsula foliacea triangulari, quæ conficitur ex tribus calycis foliis, cæteris tribus marcescentibus. Occurrit vulgo in pratis, & sylvis agri Parisiensis, & in hortis colitur ad usum culinarium.

In usum Medicum veniunt folia, radix, semen, quæ seorsim consideranda sunt. Analysi chymica, recentium, & succulentorum Acetosæ pratensis foliorum ℔v. per balneum vaporosum distillatæ, præbuerunt humoris limpidi, herbam virentem sapore, & odore referentis, acidi primum obscuri, deinde manifesti, ac tandem intensi ℔iij. ℥j. ʒv. deinde massa exsiccata, per retortam distillata fudit humoris rufescentis empyreumatici, tum acidi, tum alcali urinosi ℥ij. ʒvij. gr. xiiij. cum salis volatilis urinosi granis aliquot: olei spissioris, & adiposæ consistentiæ ℥j. ʒj. gr. lviij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ per decem horas calcinata reliquit cinerum albicantium ℥j. ʒij. ex quibus lixivio, salis mere alcali fixi ʒij. gr. xxiiij. extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥vj. ʒiij. gr. xxxvj. in calcinatione ℥ij. ʒiiij. gr. xxxvj.

Præterea succus Acetosæ saporis est acidi manifesti, & chartam subcœruleam, purpuream efficit. Sal essentialis Acetosæ in carbones injectus eodem fere modo ac Nitrum fulminando deflagrat. Si vero cum sale Tartari permisceatur, odorem urinosum exhalat, haud dissimili ratione ac sal Ammoniacus. Adeo ut Acetosa videatur constare sale essentiali Ammoniacali, simili sali qui exsurgeret ex acido Nitri spiritu, & sale urinoso, olei portione mediocri, & pauca terra, multo phlegmate dilutis.

Ex

Ex recentium Acetoſæ pratenſis radicum ℔v. balneo vaporoſo diſtillatis; prodierunt phlegmatis limpidi, ſaporis herbidi ſubacidi ℔iij. ℥j. jam exſiccatæ radices per retortam diſtillatæ, præbuerunt humoris empyreumatici rufeſcentis, tum acidi, tum alcali urinoſi ℥vij. ʒij. gr. liiij. olei ſpiſſioris conſiſtentiæ ℥iij. ʒij. gr. xviij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥xij. ʒij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥iij. ʒj. gr. xlviij. ex quibus ſalis fixi ſubſalſi ʒij. gr. vj. fuerunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥viiij. ʒj. in calcinatione ℥ix. gr. xxiiij.

Succus radicum cœruleam chartam, purpuream efficit: ſed color ille purpureus paulo poſt evaneſcit, maculam fuſcam relinquendo ob magnam copiam olei conjuncti, quod paulatim ſuper partes ab acido evolutas diffunditur.

Radices majorem olei, & terræ quantitatem continent quam folia; triplum fere: quibus ſal eſſentialis Ammoniacalis, Nitroſus, qualis in foliis deprehenditur, involvitur. Hinc ſapor ſtipticus, & amarus radicum; hinc etiam vis aperiendi aut obſtructiones viſcerum reſerandi qua donantur. Econtra in foliis in quibus acidum magis explicitum eſt, & evolutum, vis refrigerandi ſeu ſanguinis, & bilis motum fermentatitium compeſcendi deprehenditur.

Ex ſeminum Acetoſæ recentium ℔v. prodierunt humoris fere inodori, & inſipidi, qui tamen ſalis alcali notas præbuit ℥vij. ʒvj. humoris nonnihil turbidi, manifeſte acidi, & aliquantiſper urinoſi ℥v. ʒv. humoris rufeſcentis empyreumatici, tum acidi, tum urinoſi, & ſale volatili impregnati ℥vj. ʒvj. gr. xlviij. olei ℥ix. ʒj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℔j. ℥vj. ʒvij. gr. xxxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥iij. ʒvij. gran. lx. ex quibus lixivio, extracta fuerunt ſalis ſalſi foliati, & quaſi talcoſi, ʒj. gr. xvj. Jactura partium in diſtillatione fuit ℔j. ℥j. ʒv. gran. lx. in calcinatione ℔j. ℥ij. ʒvij. gr. xlviij.

Semina Acetoſæ pratenſis multo plus ſalis volatilis, tum acidi, tum urinoſi continent, quam folia vel radices. Hæc autem principia non ſolum in aqueis liquoribus continentur, ſed etiam partim avolant in diſtillatione, (jactura enim partium in ſeminum analyſi longe major eſt,) partim cum oleoſis partibus concreſcunt, & irretiuntur in capite mortuo vel carbone, cujus maſſa carbonariam foliorum, & radicum maſſam longe ſuperat. Olei quantitas non ſolum triplo major eſt olei quantitate in radicibus reperta, ſed eam multo magis ſuperat: quandoquidem major pars maſſæ nigræ in retorta reſiduæ ex oleo producitur, ut ex hujus maſſæ deflagratione ſatis liquet. Hinc ſeminis virtus a foliis, & radicibus prorſus diverſa eſt. Conſtat nempe ex oleo copioſo cum ſalis Ammoniacalis portione non mediocri, a qua cardiaca ejus virtus pendet. Ab oleoſis quoque partibus ſemen obtinet vim humores acres demulcendi, tenuiores inſpiſſandi, æſtuantes compeſcendi, partium fibras molliendi, & flexiliores efficiendi.

Acetoſa, & Oxalis rotundifolia ſeu hortenſis *Officinar.* Acetoſa rotundifolia hortenſis *C. B. P.* 144. *Inſt. R. H.* 503. Oxalis folio rotundiore repens *J. B.* 2. 990. Acetoſa rotundifolia. *Dod. Pempt.* 649. *Ozeille ronde.*

Ex radice tenui, repente, ſaporis adſtringentis, caules cubito longiores emittit,

tit, tenues, repentes: foliis vero subinde ludit modo rotundis fere, modo alarum appendicibus donatis, alias sagittæ instar mucronatis, pinnatisque, colore glauco aut pallido, pinguiusculis, delicato acore præditis. Flores & semina Acetosæ vulgaris non dissimilia sunt. In hortis ad culinarium usum seritur.

Analysi Chimica, ex Acetosæ rotundifoliæ floridæ ℔v. prodierunt humoris limpidi herbam viridem odore & sapore referentis, tum acidi, tum aliquantisper salsi aut urinosi, ℔j. ℥viij. ʒv. gr. iiij. humoris limpidi, intense acidi, austeri, tum etiam urinosi, ℔ij. ℥xiiij. ʒiiij. gr. xxxvj. humoris rufescentis empyreumatici acidi, austeri & sale volatili urinoso imprægnati, ℥ij. ʒij. gran. xxiiij. olei spissioris & adiposæ consistentiæ, ℥j. ʒj. gran. lx. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iij. ʒv. gran. xxiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum, ʒvij. gran. liij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiij. gr. xij. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit, ℥ij. ʒv. gr. lvj. in calcinatione, ℥ij. ʒv. gr. xlij.

Acetosa rotundifolia paulo plus phlegmatis continebat, quam pratensis, minus terræ, plus salis fixi. Cœterum, sicut Acetosa pratensis, sale Ammoniacali nitroso & oleo phlegmate multo dilutis componitur.

Utriusque Acetosæ folia gratissimum embamma seu intinctum nec spernendum præbent: gratiores enim escas reddunt, & cibi appetentiam augent acidulo suo sapore.

Intus sumpta refrigerant, id est, motum sanguinis fermentativum & intestinum, fluiditatemque minuunt, expansionem coercent, sicque caloris sensum præsertim in visceribus temperant, æstuantem choleram reprimunt, tenujorem inspissant, acriorem emendant, sitim sedant, appetitum excitant, & putredini resistunt: Unde in biliosis febribus, tum simplicibus, tum pestilentibus, usitatissima sunt & utilissima. In jusculis & apozematibus temperatis alterantibus & aperientibus incoquuntur. Succus expressus & defœcatus solus vel sorbitionibus immixtus propinatur: & ex eo cum Saccharo cocto syrupus conficitur. Conditum quoque ex foliis præparatur, & aqua distillatur, quæ quidem succo vel decocto multo languidior est, minorumque virium. In febribus intermittentibus biliosis, tertiana & duplici tertiana, succus Acetosæ felici cum successu exhibetur, præsertim verno tempore, ad ℥vj. vel ℥viij. ineunte paroxysmo, præmissis præmittendis. Iteratur donec æger sanatus fuerit. Cavendum tamen ne pulmo quamdam patiatur læsionem; tunc enim ab hoc remedio abstinendum foret, ne ab acido prava hujus visceris dispositio augeatur. Medicina in scorbuto specifica existimatur. Clarissim. vir, & in praxi medica exercitatissimus Doctor Morinus, dum viveret Nosocomii Parisiensis Medicus ordinarius, scorbuticos quamplurimos sanavit, eorum alimenta foliis Acetosæ coctis immiscendo. Thomas Bartholinus *Actis Hafniensibus* 1671. *Observat.* 9. refert: „ Groenlandos populos scorbuto misere „ vexari, sanari vero miscendo Cochleariam & Acetosam simul in „ jusculis suis avenaceis vel hordeaceis. Has duas plantas co- „ piose simul crescere in hac regione, quasi seorsim sumi non

„ debeant, ne separatæ noceant, quippe una sale volatili oleoso, al-
„ tera acido turgescit, ex quarum mixtura media qualitas exsurgit:
„ modum autem eas assumendi hunc esse usitatum, ut carnem recen-
„ tem cum avenacea vel hordeacea prisana excoquant, ejusque deco-
„ ctum his herbis scorbuticis condiant, & hujus alimenti medicamen-
„ tosi usu ita laxari alvum, ac si medicamentum catharticum hausis-
„ sent. " Hæc scorbutum curandi methodus a Thoma Sydenham proba-
tur, qui Cochleariæ, cœterarumque plantarum scorbuticarum acrium suc-
cos, nonnisi Aurantiorum vel Citriorum Malorum succo temperatos
præscribit.

Radix non acida est, sed amara & adstringens. Obstructiones aperit, urinas ciet, quapropter in decoctis aperientibus usurpatur. Siccata & decocta rubello colore eleganti aquas tingit.

Semen inter cardiaca medicamenta numeratur: præterea vis adstringendi in alvi profluviis, & in dysenteria ipsi tribuitur: quæ quidem virtus adstrictoria, non tam ab ejus stypticitate pendet, quam ab oleosis ejus partibus, quæ humorum acrimoniam demulcent.

℞. Rad. Cichor. Buglosf. folior. Cichor. Buglosf. Borraginis, Lactuc. Portulac. & Acetos. rotund. ana M. ß. Hordei integr. P. j. Fiat decoctum cum pullo Gallinaceo aut frustulo colli carnis vitulinæ. Fiat jusculum refrigerans, mane sumendum.

℞. Seri lactis optime depurati ℔j. in quo leviter incoque folior. Acetosæ M. j. ß. Fiat colatura, cui adde Syrup. Violat. ℥ij. Dividatur in duas doses mane, jejuno ventriculo, sumendas.

℞. Hordei integr. pugill. ij. Rad. Acetosæ & Gramin. ana ℥j. Coquantur in aq. fluviatil. ℔iiij. ad ℔iij. Decoctum servetur pro potu diuretico & aperiente.

℞. Folior. & rad. Cichor. sylv. Taraxac. Fragar. Borrag. & Buglosf. ana M. j. Rad. Acetosæ, Gramin. ana ℥ij. Folior. Agrimon. M. j. Coquantur, ut artis est, in aq. comm. ℔ix. in vase terreo vel ferreo. Fiat Apozema, vulgo, *Bouillon rouge*.

℞. Amygdalarum dulc. excorticatarum ℥ß. Semin. Acetos. Melon. & Card. bened. ana ʒij. Contund. in mortar. marmor. sensim affund. aquar. Scabiosæ. Ulmar. & Scorsonner. ana ℥iiij. Fiat emulsio, pro duabus dosibus, cuique adde Syrup. flaved. Citri, vel Syrup. Caryophillor. hortens. ℥ß. Capiat vesperi & mane in febribus malignis & variolis, in quibus caloris æstus temperandus, acrimonia humorum demulcenda, & diaphoresis juvanda.

Acetosæ folia contusa aut cocta & externe admota potenter resolvunt, maturant & suppurationem promovent, tenuibus nempe & volatilibus suis particulis, tum acidis, tum urinosis, quæ in tumorem penetrant, humorem commovent & attenuant. Si vero humor ille hujus sit indolis, ut totus facile attenuari possit, resolvitur & per cutis poros dissipatur, aut vasa debita remeat. Si vero crassior sit quam ut resolvi possit, assiduo motu agitatæ ejus moleculæ fermentescunt, rarescunt, & in pus convertuntur: tumor humoris rarescentia attollitur, ac tandem rumpitur.

Riverius observationem proponit de ganglio in genu resoluto, sine suppura-

puratione, cataplasmate præparato ex foliis Acetosæ sub cinere coctis, & cineribus permixtis, supra tumorem admoto.

℞. Folior. Acetosæ q. l. foliis Brassicæ vel charta madida involutor. Sub cineribus coquantur; cocta cum fermento misceantur, & fiat cataplasma tumori applicandum ad suppurationem promovendam.

℞. Oxalid. folia. Coque cum Axungia veteri, & fiat cataplasma, quod phlegmonem brevi ad suppurationem perducit.

℞. Oxalid. & Arnogloss. p. æq. Coq. in Oxymelite. Contund. postea & trajiciantur, addendo cuique libræ Theriac. veter. ℥ß. Fiat cataplasma in carbunculo & malignis inflammatis pustulis.

Acetosæ Conditum usurpatur in Opiata *Salomonis*.

Semen in Confectione de Hyacinthis, & Pulvere Diamargariti frigidi, *Charas*, Syrupo Elleborato *Quercetani*, Diascordio *Fracastoris*.

## ADIANTUM.

Adianti species septem in officinis distinguuntur, scilicet, 1. Adiantum verum seu Capillus Veneris. 2. Adiantum Americanum. 3. Adiantum nigrum. 4. Adiantum album Filicis folio. 5. Adiantum album foliis Rutæ. 6. Adiantum rubrum. 7. Adiantum aureum. Quæ quidem herbæ *Capillares* quoque nunc dicuntur, licet sub titulo Capillarium in antiquis Pharmacopœis, quatuor tantum ex his comprehendantur, scilicet, Adiantum verum, Adiantum nigrum, Adiantum album folio Rutæ, Adiantum rubrum, quibus quinta adscribitur planta, *Ceterac* dicta. De Ceterac suo loco: nunc de Adianti speciebus.

Adiantum verum. Capillus Veneris verus. Capillus Veneris Monspeliensis, *Officinarum*. Adiantum foliis Coriandri, *C. B. P.* 355. *Inst. R. H.* 543. Adiantum sive Capillus Veneris *J. B.* 3. 751. vulgo, *Capillaire de Montpellier*.

E radice tenui, transverse imposita, carnosa & fibrosa, oriuntur pediculi palmam superantes, exiles, nigri, nitidi, splendentes, ramosi, folia sustinentes alterna, quatuor aut quinque lineas lata, nonnihil breviora, viridia, cristata, radiatim quasi striata, glabra, profundis quibusdam incisuris Coriandri foliorum inferiorum ritu ferme dissecta, tactu mollia, aliquantisper odorata, & sapore nonnihil adstringente, subamaricante, non ingrato. Floribus carere videtur: sed mense Septembri crenulæ producuntur & duplicantur, sibi invicem adhærentes. His in sinubus seu foliorum complicationibus fructus continentur, seu capsulæ membranaceæ sphæricæ admodum exiles, annulo vi elastica donato munitæ, accurate a Cl. Tournefortio observatæ, & in Elementis Botanicis descriptæ. Annuli contractione capsulæ ape-

aperiuntur, & in his semina minutissima pulvisculi instar contineri microscopii ope deprehenduntur. Nonnulli tamen floris nomine eas prominentias insignire volunt, dum adhuc virides sunt, & antequam pulvisculum seminalem fundant. Alii quoque contendunt capsulas illas non fructus esse, sed flores seu apices floridos, illumque pulverem inibi contentum non semen esse, sed pulvisculum floridum, qualis in florum apicibus contineri solet. Res tempore dilucidabitur. Prior tamen sententia nobis magis verisimilis videtur. Nascitur in puteorum marginibus & rupibus aspergine madentibus Galliæ Narbonensis. Quavis anni tempestate etiam hyeme viret. Vulgus Narbonense pro certo salubritatis aquarum signo habet Adianti circa puteos & fontes proventum.

Olim omnes herbæ Capillares in Officinis nostris usitatissimæ erant, nunc autem hìc rarissime reperiuntur. Aliud Adianti genus ex America affertur, quod ob odoris fragrantiam & saporis gratiam huic anteponitur.

Adiantum Americanum, Adiantum Canadense, *Officinarum*: Adiantum Americanum *Cornuti* 7. *Inst. R. H.* 543. Adiantum fruticosum Brasilianum *C. B. P.* 355. *Prodrom.* 15. vulgo, *Capillaire de Canada.*

Ex Radice pusilla, capillamentis nigris fibrata, cauliculi ad spithamam & nonnunquam ad unum, alterumve cubitum assurgunt, atropurpurei, nitentes, ramosi, & latissime in orbem expansi: quibus utrinque adhærent duodecim & nonnunquam viginti folia Adianto vero proxima, parva, oblonga sed obtusa, incisuris superne tantum divisa, inferne integra & costa qua petiolo insident obducta, odore grato, præsertim dum aqua calida madent, sapore parum acerbo, non injucundo. Flores nulli conspicui sunt. Fructus more Adianti veri adversa folii parte profert. In Brasilia, Virginia, Canada, & aliis Americæ provinciis frequens nascitur.

Adiantum nigrum, *Officinarum*: Filicula quæ Adiantum nigrum Officinarum, pinnulis obtusioribus *Inst. R. H.* 542. Adiantum foliis longioribus pulverulentis, pediculo nigro, *C. B. P.* 355. Adiantum nigrum *J. B.* 3. 743. Dryopteris nigra *Dod. Pempt.* 466. vulgo, *Capillaire comm.*

Radix est transversa & fibris capillaribus nigris minuta saporis acerbi cum quadam dulcedine; ex qua pediculi prodeunt spithamei, firmi, nigri, nitidi, ramosi, cum foliis ad Filicem marem accedentibus, sed longe brevioribus, in segmenta crenata, mucronata & oblonga divisis. Floribus caret. Lineolis vero pulverulentis aversa foliorum parte de Filicum more distinguitur, quæ fructus continent seu capsulas rotundas, pulvere seminali aureo turgidas. In opacis ad radices arborum & fruticum & in aggeribus umbrosis, antiquisque muris passim in agro Parisiensi nascitur. Supradictis Capillaribus deficientibus in earum locum sequens nonnunquam substituitur.

Adiantum album Filicis folio, *Officinarum*: Filicula fontana major, sive Adiantum album folio Filicis *C. B. P.* 358. *Inst. R. H.* 542. Adiantum album Filicis folio, *J. C.* 3. 711. Dryopteris candida, *Dod. Pempt.* 465. vulgo, *Capillaire blanc.*

Radice est transversa, satis crassa, coloris herbacei, fibris nigricantibus onusta, saporis subdulcis cum majore adstrictione: pediculis spithameis tenuibus, fra-

fragilibus, virefcentibus, nigricantibufve inferna parte: ramulis modo binis oppofitis, modo alternatim adnatis ad duodecim aut quatuordecim paria, extremo fcapo in folium abeunte, longiffimis, duas trefve uncias æquantibus foliis alternatim adnatis, oblongis, altius incifis, adeo ut e pluribus compofita videantur; mollibus, teneris, facile marcefcentibus, averfa parte punctis primo virentibus, tandem ferrugineis, quæ capfulas feminales continent, afperfi; fapore citra evidentem adftrictionem dulci, & pene fatuo, cum vifcido lentore. Nafcitur in locis umbrofis, muris antiquis, rivulorum, & fontium marginibus.

Adiantum album foliis Rutæ, Ruta muraria, Salvia vitæ *Officinar.* Ruta muraria *C. B. P.* 356. *Inft. R. H.* 541. *J. B.* 3. 753. *Dod. Pempt.* 470. Adiantum album. *Tab. Icon.* 796. Salvia vitæ, *Adverfar. Lobel Icon.* 811. Paronichia. *Matthioli*: Saxifraga feu Empetrum, *Fuchfii*: Filicula petrea Rutæ facie, *Moriff. Oxon.*

Radice eft capillacea, tenui, nigricante, & fubadftringente, e qua erumpunt petioli multi, duas vel tres uncias longi tenues, juxta radicem nigricantes aut atrorubentes, reliqua parte virentes, nonnihil in fummo divaricati, folia fuftinentes Rutæ hortenfis fimilia, fed longe tenujora, duas, trefve lineas longa, paulo anguftiora, angulofa & in ambitu crenata, guftu acerba fubadftringentia, cum aliqua dulcedine, fuperne virentia, averfa parte rufefcente, afperfa pulvifculo, qui nihil aliud eft quam acervulus capfularum fphæricarum Adianti fimilium. Nafcitur in rupibus & parietibus agri Parifienfis.

Adiantum rubrum, Trichomanes, Polytrichum *Officinarum*: Trichomanes five Polytrichum Officinarum, *C. B. P.* 356. *Inft. R. H.* 539. *J. B.* 3. 754. Trichomanes *Dod. Pempt.* 471. Adiantum rubrum *Loniceri*: vulgo, *Politric.*

E Radice capillacea, fibrofa, & nigricante pediculos promit femipalmares aut palmares, atrorubentes, nitidos, teretes, rigidiufculos, fragiles in quibus per conjugationes utrinque vel alternatim oriuntur folia fubrotunda, obtufa, viridia, glabra, in quorum averfa parte facculi eminent fquammofi, pleni plurium capfularum membranacearum, globofarum ferme, annulo elaftica vi donato munitarum, ficut in Capilli Veneris fructibus, quæ annuli contractione rumpuntur feminaque pulverulenta emittunt tenuiffima, & fufca. In umbrofis aggeribus, antiquis muris, humentibufque faxorum fiffuris agri Parifienfis provenit.

Supra recenfitarum Adianti fpecierum principia non adeo diffimilia funt: quapropter duarum tantum fpecierum analyfim exponemus, ex quibus de cœteris judicare licebit.

Analyfi chymica, ex Adianti nigri foliorum ℔v. prodierunt phlegmatis limpidi fere inodori & infipidi, obfcure acidi ℥x. ʒv. gr. xviij. humoris rufefcentis, nonnihil empyreumatici, primo fubacidi, deinde intenfe acidi ℔iij.ʒij.gr.lj. humoris rufi fale volatili urinofo impregnati ℥iij. ʒiiij.gr.xlviij. olei fpiffioris, & adipofæ confiftentiæ ℥ij.ʒiij. gr. lxvj. Maffa refidua in retorta fuperftes pendebat ℥ix.ʒiij.gran. xviij. Quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij.ʒj.gran.x. ex quibus falis fixi mere alcali ʒvij gr. xxxviij.

 extra-

extracta fuerunt. Jactura partium in distillatione fuit ℥iij. ʒvj. gran. xv. in calcinatione ℥vij. ʒij. gran. viij.

Ex Polytrichi folior. ℔v. prodierunt phlegmatis limpidi, insipidi & inodori ℔j. ʒvj. gr. xlij. humoris primo acidi, deinde austeri, limpidi, postea rufescentis aliquantisper empyreumatici & intense acidi ℔ij. ℥viij. gr. xiij. humoris rufi empyreumatici tum acidi, tum urinosi & sale volatili imprægnati ℥iij. ʒij gran. xl. olei spissioris ℥ij. ʒvj. gran. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vj. ʒvij. gr. lx. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒij. gr. lvj. extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ix. ʒvij. gran. xlvij. in calcinatione ℥v. ʒvj. gran. xxiiij.

Itaque his in plantis multum acidi continetur, sed non mediocri terræ portione implicitum, unde sal exsurgit salsus, sali coralliorum haud dissimilis. Insuper inest aliquantulum salis ammoniacalis: ambo oleo copioso involvuntur, & multa aqua diluuntur. Unde compositum exsurgit mucaginosum, salino-terreum & ammoniacale. Sapor eorum subadstringens a sale terreo; subdulcis autem a sulphure quo sales involvuntur. Ab iisdem principiis virtutes pendent quæ illis plantis tribuuntur, scilicet; humores acres blando suo sulphure demulcendi, sale ammoniacali crassiore incidendi, tenaces resolvendi, sale autem stiptico partes firmandi, roborandi, ac proinde viscerum obstructiones referandi.

Plantæ Capillares stomachi cruditates leniunt, singultus ac diarrhæas inde pendentes curant, pituitam viscidam in pectore stagnantem ad expectorationem præparant: tussi contumaci, asthmati, difficili respirationi, peripneumoniæ ac pleuritidi medentur. In visceribus humores inspissatos inhærentes & obstructiones procreantes, abstergunt: icterum sanant, hepatis & mesenterii glandulas obstructas referant: præcipue lieni amicæ & hujus visceris ægrotantis quasi specifica medicina creduntur. In mensibus non bene fluentibus & in affectionibus renum suas habent laudes. Uno verbo blanda qua donantur adstrictione partium fibras roborando, functiones vegetiores fiunt, humorum circuitus acceleratur, commolitio eorumdem succorum ac fluiditas augetur, excretiones promoventur.

Earum infusum vel decoctum propinatur. Vel seorsim vel promiscue usurpantur. Singularium Capillarium manipulus unus sumiter & levi ebullitione coquitur in libris quatuor aquæ, cum Liquiritiæ frustulo.

Adiantum Monspeliense a Petro Formio Doctore Medico Monspeliensi *in Libello de Adianto*, quem Gallice conscriptum prælo commisit, anno 1644. tanquam Panacæa & medicamentum universale ad omnium fere corporis partium sanitatem tuendam & morbos debellandos, vel solum sufficiens commendatur. Sed encomiastarum more, in ejus laudes nimis effertur. Ejus virtutes longe remissiores & debiliores esse usus & experientia demonstraverunt.

Inter varias formulas medicamentorum ex eo parandorum, ptisanam, seu Adianti infusum miris laudibus extollit, quo se complures parvulos & infantes exsiccatos & fere consumptos febre lenta ab obstructio-

ctionibus mesenterii orta, pristinæ sanitati restituisse affirmat. Sic parari jubet.

℞. Summitatum aut foliorum Adianti adhuc virentium & recens collectorum tres circiter manipulos; infundantur supra cineres calidos per spatium unius noctis, in duabus tribusve sextariis aquæ fontanæ optimæ: tandemque, si placet, leviter ebulliant. Colatura vasi vitreo immixta pro potu ordinario inserviet vel sola, vel cum tantillo vini.

Ex Adianto Americano infusum in Theæ modum paratur, palato gratum, in tussi & pectoris affectionibus, cum tantillo sacchari.

Ruta muraria viribus cum Adianto vero convenit. In tussi, asthmate, pleuritide, ictero, obstructionibusque lienis prodest. Quin & ad renum vesicæque dolores valet, urinam & arenulas expellit. Matthiolus præstare eam perhibet ad enteroceles puerorum, continuis quadraginta diebus pulvere exhibito. In scorbuto & cachexia optima est. Ettmullerus refert, Belgicos milites quosdam extreme scorbuto laborantes ex assumpta impura aqua, nullo alio medicamento curari potuisse, quam adhibito hujus plantæ decocto.

Polytricho eædem tribuuntur facultates. Tragus asserit illud vel solum, vel cum Ruta muraria, vino aut hydromelite decoctum, & per aliquot dies ex ordine potum, obstructiones jecinoris solvere, morbum regium expellere, pulmonis vitia purgare, spirandi difficultati prodesse, duros lienis tumores emollire, urinam ciere, arenulas expellere, & mulierum menses suppressos promovere.

Omnes Adianti species usurpantur in jusculis, decoctis, & apozematis aperientibus.

℞. Capilli Vener. Adianti nigri, Polytrici, Rutæ murariæ & Ceter. ana M. j. Flor. Tussilaginis, pugill. ij. Rad. Althææ ℥j. Coq. cum aq. limp. ℔iij. ad ℔ij. fiat apozema expectorans.

℞. Herbar. quinque Capill. ana M. j. Cum frustulo carnis vitulinæ, fiat jusculum aperiens.

Plantæ Capillares sterilitatem inducere a quibusdam immerito accusantur. Ipsis vis cathartica ab Arabibus tribuitur, sed & acerbus nostrarum plantarum sapor, & experientia contrarium demonstrant.

Extrinsecus admotæ quædam capillorum defluvia curare, cutis nempe poros constringendo, achoras, strumas, & abscessus sanare dicuntur, incidendo, resolvendo, abstergendo, & constringendo.

Ex Adianto Monspeliensi vel Americano præparatur Syrupus Capillorum Veneris simplex. Idem quoque Syrupus ex Canada affertur, cum saccharo Acerino confectus, ut jam diximus.

Quinque Capillares usurpantur in Syrupo Capillor. Veneris composito *Renodæi*.

Capillus Veneris usurpatur in Syrupo de Althæa, Jujubino, de Tussilagine composito seu antiasthmatico *Charas*; de Cichor. composito, antinephritico, Chalybeato aperiente Cathartico *ejusdem*, & Electuar. lenitivo.

Adiantum vulgare in Syrupo de Althæa & de Cichor. comp.

Polytrichum in Syrupo de Cichor. comp.

Adiantum aureum, Polytrichum aureum, *Officinarum*: Muscus capillaceus major, pediculo, & capitulo crassioribus *Inst. R. H.* 550. Polytrichum aureum majus, *C. B. P.* 356. Polytrichum Apulei majus quibusdam, *J. B.* 3. 760. Adiantum aureum *Tabern. Icon.* 797. vulgo, *Perce-mousse*.

Radice est tenui, longa, fibrata, ex qua cauliculi assurgunt quatuor vel sex uncias longi, ab imo ad medium usque, foliis tenuibus angustioribus, longiusculis, & flavescentibus onusti; a medio ad summum nudi, & læves, quorum summitati innascitur capitulum oblongum, hians, & nutabundum, quod pulvisculum continet, more plurimarum musci specierum, qui a plurimis Botanicis pro semine habetur. In agri Parisiensis sylvis nascitur.

Hæc planta apud nos rarissimi est usus. Apud Germanos, observante S. Pauli, inter quinque Capillares herbas Officinales sub Polytrichi nomine numeratur, cum Adianto vero, Ruta muraria, Trichomane, & Ceterac. cum aliis Capillaribus interdum permiscetur aut iisdem substituitur pro tollendo pertinaci muco pulmonibus aut cœteris visceribus impacto. Cl. Tournefortius in agri Parisiensis plantarum historia eam ut diaphoreticam, & adversus pleuritidem præstantissimam commendat. Ejus decoctum vel aqua spirituosa distillata usurpatur.

♃. Adianti aurei, M. j. Coquatur in aq. comm. ℔j. Exhibeatur per cyathos, tertia quaque hora propinandos in asthmate, pleuritide, & pectoris affectionibus.

Sic autem spiritus præparatur. Planta contusa, & aqua limpida irrorata per tres dies maceratur in vase clauso, donec incalescat: macerata distillatur. Aqua distillata novæ plantæ contusæ affunditur, iterum maceratur, & distillatur, quod quinquies iteratur: tandem post sex distillationes spiritus obtinetur subtilis, & sudorificus, qui ad ℥ij. vel ℥iij. propinatur in pleuritide, ad sudorem proliciendum.

## AGERATUM.

Ageratum *Officinarum* & Eupatorium Mesuæ, *quorumdam*: Ptarmica lutea suaveolens, *Inst. R. H.* 497. Ageratum foliis serratis, *C. B. P.* 224. Ageratum plerisque, herba Julia quibusdam, *J. B.* 3. 142. Balsamita minor, *Dodonæi* 295. Eupatorium Mesuæ, *Tragi* 515. Menta corymbifera minor, *Cordi*: Ageratum sive Costus hortorum minor, *Parkins*.

Ex radice lignosa, minimi digiti crassitudine, varie implexa, & fibrosa, plurima exsurgunt virgulta, cubitalia, & altiora, tenuja, rotunda, ramosa, colore alias rubente, alias ex viridi pallescente, foliis numerosissimis, unciam unam aut alteram longis, angustis, profunde serratis & odoratis, ab imo ad summum stipata. In summis ramulis corymbi emicant compositi ex floribus radiatis, quorum discus ex plurimis flosculis luteis, corona vero ex semiflosculis ejusdem coloris componitur, embryonibus insidentibus, & calice squammoso comprehensis: embryones autem

autem deinde abeunt in ſemina exigua, oblonga & pallide lutea. In Gallia Narbonenſi circa Monſpelium & alibi naſcitur. Hic colitur in hortis. Planta cum foliis & floribus, necnon ſemina in uſum medicum veniunt.

Analyſi chymica, Agerati folior. & ſummitatum floridarum ℔v. præbuerunt phlegmatis limpidi odorati obſcure acidi ℔j. ℥viij. ʒiij. gr. xlv. cum olei eſſentialis aliquantulo; humoris intenſe acidi, auſteri & ſub finem obſcure alcali urinoſi ℔ij. ℥v. ʒiij. gr. lvij. humoris rufeſcentis empyreumatici, tum acidi intenſi, tum alcali urinoſi & ſale volatili impregnati ℥ij. ʒvij. gr. lv. olei empyreumatici adipoſæ craſſitudinis ℥iij. ʒvj. gr. xxij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥vj. ʒj. gr. xlij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gr. xxj. ex quibus lixivio, ſalis fixi mere alcali ʒvij. gr. xviij. extracta ſunt. Partium deperditio in diſtillatione fuit ʒv. gr. lxvij. in calcinatione ℥iiij. gr. xxj. Per hanc analyſim patet Ageratum conſtare ex ſale ammoniacali & oleo, tum tenui, tum craſſo conjunctis. Saporis eſt aromatici, amari, cum quadam adſtrictione. Adſtrictionis moderatæ ratione, ventriculum, hepar, & viſcera aliquantiſper firmat & roborat: ratione tenuium partium, humores attenuat, reſolvit, abſtergit, atque putredini reſiſtit.

A Schrodero, Hofmanno, & Simone Paulli inter herbas hepaticas recenſetur. Illud Ettmullerus ad emendandam ſanguinis craſim vitiatam in morbis chronicis a viſcerum obſtructionibus oriundam, utiliſſimum prædicat. Ex eo infuſa vel decocta parantur, necnon etiam epithemata & fotus ad viſcerum induratorum tumores reſolvendos. Ad inteſtinorum vermes necandos præſtantiſſimum cenſetur. Simon Paulli oleo ex eo diſtillato felici cum ſucceſſu utebatur in verminantibus puerulis; quod ad guttas aliquot illis propinabatur, & goſſypio exceptum umbilico eorum applicabatur. Ejuſdem ſemen, ſemini contra vermes ſubrogari poſſe aſſerit, illudque uſurpat in pulveris contra lumbricos ipſi familiaris compoſitione, & quo ad vermes cucurbitinos in quodam lanione enecandos feliciſſime uſus fuerat.

℞. C. C. Philoſ. pp. Rad. Filicis, ana ʒij. Corallin. Sem. Santon. Sem. Agerati, Tanaceti ana ʒj. Myrrh. ſelect. Lig. Aloes, Flor. Sulphur. ana ʒß. Sal. Nitri purific. ʒiij. Miſce. Fiat l. a. pulvis, cujus ʒj. vel ʒjß. ex aqua Graminis vel Portulacæ, mane, jejuno ventriculo, ſumitur.

Agerato vis alvum ſubducendi tribuitur, de qua tamen omnes non conveniunt.

Externe admota folia & ſummitates tumores reſolvunt, ſplenis duritiem emolliunt, vel etiam inſeſſu uteri tumores ſanant. Ex Agerati, & Ophiogloſſi foliis contuſis & in oleo Olivarum bulliendo coctis, cum Ceræ, Reſinæ & Terebinthinæ tantillo, Gerardus Chirurgus Anglus, Unguentum parat præſtantiſſimum ad vulnera & ulcera ſananda.

Uſurpatur in Syrupo & in Trochiſcis de Eupatorio *Meſuæ* dictis.

## A G N U S.

AGnus, Agnus Caſtus & Vitex, *Officinarum*. Vitex foliis anguſtioribus, Cannabis modo diſpoſitis, *C. B. P.* 475. *Inſt. R. H.* 603. Agnus folio

lio non ſerrato. *J. B.* 1. 205. Vitex *Dod. Pempt.* 774. Salix amerina; *Matth.* Elæagnon Theophraſti, *Adverſar. Lobel. Icon.* 138. Agnus Caſtus in Officinis inepte dicitur. Caſtus enim nihil aliud eſt quam expoſitio vocis græcæ ἁγνός.

Arbuſcula eſt frequentibus brachiata ramis, lentis, flexilibus, frangi contumacibus. Frondes adverſo ortu pediculis unciam unam aut alteram longis hærent digitati, Lupini vel Cannabis modo, in quinque fere lacinias ſeu folia particularia, oblonga, utrinque acuminata, mollia ſubdiviſi, medio horum majore & longiore, coloris ſubtus cinerei, ſuperius fuſci propemodum. Flores odorati verticillatim ſpicato ordine virgularum faſtigia circumdant, colore aut purpurei toti, aut purpurei albo intermixto, completi monopetali, irregulares, in ſex ſeptemve lacinias inæqualiter diviſi quaſi bilabiati, poſterius tubulati. Ex ſingulo calyce etiam multifido ſurgit piſtillum poſticæ floris parti, ad inſtar clavi, infixum, quod deinde abit in fructum fere ſphæricum, inſtar Piperis, ſaporis acris, in quatuor loculamenta diviſum, totidemque ſeminibus fœtum minutiſſimis & oblongis. In fluminum ripis aſperis, torrentium alveis ac locis paludoſis Italiæ meridionalium regionum ſponte naſcitur. Hic in hortis colitur. Folia, ſeu ſummitates in uſum medicum veniunt, ſicut & fructus ſeu grana rotunda, pipere minora, colore cinericeo nigricante, ſaporis acris, ſubadſtringentis, exſiccantis.

Analyſi chymica ex Agni fructuum recentium ℔ij. prodierunt phlegmatis limpidi odorati & ſaporis aromatici, tum acidi, tum alcali urinoſi ℥iiij. humoris rufi, odoris & ſaporis empyreumatici, acidi intenſi & alcali urinoſi ℥vj. ʒij. gr. xviij. olei ℥iiij. gr. liiij. cujus quarta pars circiter adipoſæ craſſitudinis erat. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥ix. ʒvij. quæ per horas viginti igne reverberii in crucibulo calcinata reliquit cinerum ſpadiceorum ℥j. ʒiij. ex quibus lixivio, ſalis fixi mere alcali ʒiij. gr. xij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥vij. ʒvj. in calcinatione ℥viij. ʒiiij. Per hanc analyſim liquet, Agni ſemina partibus tenuibus & volatilibus copioſis donari, quandoquidem dum diſtillantur, totius fere quarta pars in auras avolat, quam quidem non ſolæ alcalinæ urinoſæ particulæ, ſed etiam acidæ & oleoſæ tenues conſtituunt. Deinde multum olei continent, quod totius dimidium ſuperat; acidi ſalis portionem non mediocrem & aliquantulum ammoniacalis ſalis, pauxillum vero terræ. Sapor & odor partium tenujum abundantiam teſtantur.

De antivenereis Agni virtutibus ab omni ævo prædicatis plurimæ inter Medicos agitantur controverſiæ. Alii eum ad impetus venereos reprimendos & caſtitatem tuendam utiliſſimum eſſe narrant; ſive edatur, ſive bibatur, ſive ſubſternatur, ſeminis acrimoniam & inde natam in partibus genitalibus tentiginem demulcere, nocturnaſque veneris per ſomnum imaginationes profligare, aſſerunt. Alii econtra cum S. Pauli, nonnullos reperiri ſcribunt, qui in venerem Viticis uſu excitantur. Hoc itaque incerto ſub præſidio male tutam eſſe virtutem quis non cenſebit? Ab omnibus tamen ad hyſtericos affectus & uterinos furores compeſcendos in mulieribus, necnon etiam ad hypochon-

driaco-

driacorum virorum spasmodicos insultus sedandos, commendatur, modo illæ affectiones pendeant ab humore viscido, crasso, in visceribus hærente, qui mora sua acrior factus, nervosas partium membranas titillabit. Ille enim humor ab hoc remedio dividetur & demulcebitur. Alioquin si solidæ partes jam inflammationem contraxerint, tunc ab illius usu major fiet inflammatio & morbus ingravescet. Semen pulveratum usurpatur a ℨß. ad ℨj. vel Emulsio ex eo sic præparatur.

♃. Seminis Viticis ℨiiij. Contunde in aq. Nenuphar. ℥vj. Fiat emulsio. Idem semen a Vedelio in gonorrhæa commendatur. Foliorum & summitatum infusum vel decoctum menstrua mulierum profluvia promovet & viscerum obstructiones tollit, ulcera interna detergit & sanat, potissimum in virga; unde in gonorrhæa utile censetur.

Externe folia & summitates tumores resolvunt, splen induratum emolliunt. Suffitus ex eorum decocto ad uteri tumores a nonnullis præscribitur.

## AGRIMONIA.

Agrimonia & Eupatorium *Officinarum*: Agrimonia Officinarum, *Inst. R. H.* 301. Agrimonia seu Eupatorium, *J. B.* 2. 398. Eupatorium verum sive Agrimonia, *C. B. P.* 321. Agrimonia sive Eupatorium, *Dod. Pempt.* 28. Eupatorium Grecorum, Agrimonia Officinarum, *Lobel. Icon.* 692. Eupatorium vulgare, *Tragi.* 514. vulgo, *Aigremonie*.

Radice est nigricante, crassa, fibrosa, saporis adstringentis, caule bicubitali, hirsuto, ramoso, frondibus palmo longioribus, alternatim nascentibus, compositis ex quatuor fere foliis conjugatis & obscure virentibus, venosis, villosis, hirsutis, oblongis, crenatis, cum intermediis minoribus conjugationibus & extremo impari claudente, sapore subacri, cum quadam adstrictione. Flores longissima serie summos ramulos occupant, suaveolentes, rosacei, lutei, e petalis quinque in orbem positis constantes; calyce echinato & quinquepartito, qui mutatur in fructum subrotundum, echinatum, in superiore parte inferiore vero glabrum, tres lineas longum, unicapsulam, raro bicapsularem, cum semine uno vel altero oblongo. Occurrit in satorum & pascuorum marginibus agri Parisiensis. Folia in usum veniunt.

Analysi chymica, foliorum Agrimoniæ recentium ℔v. præbuerunt phlegmatis limpidi primum occulte acidi, deinde manifeste acidi, ac tandem austeri, ℔iij. ℥iij. ℨiiij. gr. xxiiij. humoris rufescentis empyreumatici, intense acidi & austeri ℥vj. ℨv. gr. lx. humoris subfusci, sale volatili urinoso turgidi, ℥j. ℨij. olei melleæ crassitudinis ℥j. ℨv. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ℨv. gr. xxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum rufescentium, ℥j. ℨvj. gran. xx. ex quibus salis fixi mere alcali ℨvij. gr. xxxvj. extracta fuerunt. Partium deperditio in distillatione fuit, ℥iij. gr. lx. in calcinatione ℥iij. ℨvij. gr. xvj. Ex hac analysi, & sapore quem folia referunt austero subsalso, cum acrimonia quadam, & ex quodam tenui rubore quo eorum succus chartam cæruleam leviter tingit, concludere licet, hujus plan-

tæ

tæ virtutes referendas esse ad salem Tartaro vitriolato, vel sali Coralliorum similem, cum pauco sale ammoniacali conjuncto, utroque multo sulphure crasso involuto.

Agrimonia adstrictione sua viscerum tonum laxiorem restituit & firmat; sale essentiali incidente & digerente obstructiones resolvit, humores fluidiores efficit: quapropter hepaticas inter plantas recensetur. In cachexiis, hydrope, ictero, mensium suppressione & in febribus chronicis a viscerum obstructionibus, feliciter usurpatur. Insuper vulneraria dicitur, blande enim abstergit, leviter exsiccat & adstringit, ac dolores demulcet. Speciatim in vulneribus & ulceribus renum, & inde oriundo mictu cruento ab Ettmullero commendatur. Foliorum Agrimoniæ siccatorum pulvis ad ʒj. in vehiculo idoneo exhibitus, a Riverio in urinæ incontinentia proponitur. Ejus decoctum vino factum ab Ettmullero commendatur, cujus ℥iiij. quarta quaque hora hauriat æger. Vvedelius ejusdem decoctum aqua paratum in mictu cruento & in gonorrhæa præscribit. In apozematibus, jusculis, & potionibus aperientibus & vulnerariis usurpatur ad M. j. pro singulis liquoris libris, vel ejus succus repurgatus, ad ℥iij. vel iiij. Utiliter quoque in decoctis adversus luem veneream paratis permiscetur, teste Simone Paulli qui refert, quemdam in luis venereæ curatione celebrem, eam pro secreto specifico habuisse. A Dolæo adversus maniam utilissima prædicatur, sed Garidellus se hoc remedium sæpius & frustra tentavisse asserit.

℞. Rad. Gramin. Rusc. & Asparagi ana ℥j. Folior. Agrimoniæ & Cichor. sylvestr. ana M. ij. Summitatum Lupuli, M. j. Bull. in aq. comm. ℔iiij. ad ℔iij. Fiat decoctum aperiens.

℞. Rad. Eryngii & Cichor. sylvestr. ana ℥ij. Folior. Agrimon. Scolopendrii, Adianti, Bugloss. & Chærefol. ana M. j. Summ. Absynth. & florum Calendulæ ana, P. ij. Fiat decoctum cum q. s. aq. fluviatil. pro sex dosibus; in qualibet dilue Syrupi de 5. Rad. aperientib. ℥j. & Salis Martis River. gr. j. Debitis intervallis exhibeantur ad obstructiones resolvendas.

℞. Succi Agrimon. repurgati ℥iiij. Tinctur. Martis ʒj. M. cum jusculo vitulino in cachexia.

℞. Folior. Agrimon. M. ij. Flor. Hyperici Pug. iij. Coquantur in aq. comm. ad ℥xv. In colatura dilue Syrup. Heder. terrestr. ℥jß. pro tribus dosibus in mictu cruento.

Externe usurpatur in fomentis, aqua vel vino cocta, vel contusa sub forma cataplasmatis, pro vulneribus atque ulceribus partium externarum recentibus & antiquis mundificandis, sordibus detergendis & carne promovenda & pro sedandis inflammationibus. In gargarismatibus quoque ad anginam & ad faucium, & oris ulcera detergenda, & dolorem leniendum.

℞. Folior. Agrimon. Hyssop. ana M. j. Hordei integr. Pug. j. Ficuum ping. n. ij. Fiat decoct. In colatur. ℔j. dissolve Mellis rosacei ℥ij. Fiat gargarisma detergens & resolvens in angina.

Agrimonia in aceto vel vino cocta calide cataplasmatis forma scroto applicata testium inflammationem sedari, Simon Paulli post Joannem Tiengium Medi-

Medicum Amſtelodamenſem, teſtatur, quod Cl. Garidellus, *in Plantar. Aquiſextienſium hiſtoria* experimentis comprobaviſſe ſcribit.

Agrimoniæ flores Sambuci Hildanus conſociat. Idem S. Pauli commendat decoctum Agrimoniæ, & radicum Helenii ad perniones exulceratos, quo mane, & veſperi pedes abluantur. Folia contuſa ad ani procedentiam utiliter uſurpantur. Eadem quoque nonnulli tophis venereis admovent, ad nocturnos artuum dolores mitigandos. Narrant viatores defatigatos ab iiſdem foliis allevari, ſi ex iis pedilavium ſibi parent.

Tragus Agrimoniam ad membra luxata poſt reductionem utiliſſimam aſſerit. Herba recens vel exſiccata cum furfure triticeo, in vappa decoquitur, quoad inſtar pulmenti ſpiſſeſcant, quod calidum imponitur.

Ex tota planta aqua diſtillatur longe imbecillioris virtutis, quam ſuccus vel decoctum. Prodeſt exulcerationibus oris aliiſque ulceribus, ſi ex illa colluantur. Eamdem aſſidue potam, efficaciſſimam contra calculum, Petrum Bembum expertum fuiſſe, referunt. Quin etiam Petrus Foreſtus de quodam ſcribit, cui lapis in veſica erat, cum crebro herbam hanc cum ovis comediſſet, lapidem per fruſta cum lotio tandem expulſum fuiſſe. O! utinam tali lithontriptica virtute donetur.

Uſurpatur in decocto aperiente rubro *D. De Lorme*, in Syrupo hydragogo, Syrupo aperiente cachectico, & Syrupo Martiali aperiente cathartico, *Charas*: in Pilulis Polychreſtis, ſeu aggregativis, Unguento mundificativo de Apio, Ung. martiato, & in Aqua vulneraria.

## A L C E A.

Alcea vulgaris, *Officinarum*: Alcea vulgaris major, *C. B. P.* 316. *Inſt. R. H.* 97. Alcea vulgaris, *J. B.* 2. 953. *Dod. Pempt.* 656. Alcea, *Tab. Icon.* 771. vulgo, *Alcée* ou *Mauve ſouvage*.

Ex radice lignoſa, prolixa, albida, plures emittit caules cubitales aut ſeſquicubitales, teretes, medulloſos, raris, ſed tamen longiuſculis pilis hirſutos. Folia, quæ e radice exeunt & caulium inferiora cingunt, ſubrotunda, per margines inciſa pediculis longis inſident: quæ in caulibus ſunt alternatim ſita, quo cacumini propiora, eo brevioribus pediculis fulta, altius inciſa in quinque, ut plurimum lacinias inſigniores, atrovirentia, hirſuta, præcipue averſa parte. Flores ex foliorum alis ſingulis ſinguli, in caulis, & ramorum ſumitatibus conferti, pediculis quadrantalibus, hirſutis, ſuſtinentur, floribus Malvæ ſimiles purpuraſcente, carneove colore, nonnumquam etiam albo: quibus ſuccedunt ſemina hirſuta, per maturitatem nigra, Malvaceis ſimilia. Ab Althæa, & Malva foliorum inciſuris diſcrepat. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur.

Radices & folia in uſum veniunt, raro tamen nec niſi Malvæ, aut Altheæ defectu.

Ejus ſuccus minus lentus & mucoſus eſt, quam Malvæ. Eædem ipſi tribuuntur virtutes, ſed debiliores. Ejus decoctum in alvi torminibus, & epidemicis

micis dysenteriis plurimum laudatur. In fomentis, & cataplasmatis emollientibus & resolventibus usurpatur.

## ALCHIMILLA.

Alchimilla seu Pes Leonis, *Officinarum*: Alchimilla vulgaris, *C. B. P.* 319. *Clus. Histor.* 108. *Inst. R. H.* 508. Pes Leonis sive Alchimilla, *J. B.* 2. *L.* 17. 598. Alchimilla, *Dod. Pempt.* 140. Leontopodium, *Brunsfelsit*: Stellaria Matthioli, *Lugd.* 1281. Stella herba Italis, *Gesner*, *Hort*: vulgo, *Pied de Lion*.

Ex radice minimum digitum crassa, transversa, fibrosa, nigricante, & adstringente; pediculi exoriuntur longi, sesquipalmares, hirsuti plurimi, quo singuli folium sustinent unicum, ad Malvam accedens, sed magis durum & crispum, in octo, vel novem angulos obtusos divisum, & veluti complicatum, cum totidem nervis a pediculo ad extremos angulos prodeuntibus, concinne in ambitu crenatum. Ex foliorum medio assurgunt caules aliquot tenues, teretes, hirsuti, ramosi, dodrantales, foliis nonnullis minoribus onusti, in quorum summo flores dense glomerantur apetali, seu plurimis staminibus constantes, cum apicibus flavescentibus, calyce monotomo, infundibuliformi, herbacei coloris aut pallidi, in quatuor partes acutas diviso, inter quas totidem minores interpositæ sunt, & pistillo quod abit, deinde in semen unum aut alterum exiguum, flavescens, splendescens, subrotundum, in capsula, quæ calyx floris fuit, reconditum. Delectatur locis herbosis in Alpibus, & Pyrenæis, & Gallo provinciæ montibus. Folia ad usum medicum colliguntur.

Analysi chymica, Alchimillæ foliorum recentium ℔v. per Balneum vaporosum distillatæ præbuerunt phlegmatis limpidi, herbaceo sapore, primum obscure acidi, deinde manifeste acidi ℔ij. ℥x. humoris manifeste acidi, & sub finem aliquantisper austeri ℔j. ℥j. ʒiiij. gr. xviij. Folia in alambice residua & exsiccata pendebant ℔j. ℥j. ʒvij. gr. xxxvj. quæ per retortam distillata exhibuerunt humoris rufescentis, tum intense acidi, tum alcali urinosi ℥iij. ʒij. gr. xviij. olei instar syrupi crassi, ℥j. ʒvj. gr. vj. Massa nigra, in retorta superstes pendebat ℥viij. ʒvj. quæ per quindecim horas igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥iiij. gran. xxxviij. ex quibus lixivio, salis fixi salsi ʒiij. gran. lix. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit, ℥vj. ʒv. gran. xxx. scilicet in distillatione per Balneum vaporosum ℥ij. ʒiiij. gr. xviij. in distillatione per retortam ℥iij. ʒj. gran. xij. in calcinatione ℥iiij. ʒv. gr. xxxiiij.

Hæc analysis multum terræ in hac planta demonstrat, acidi multum, & non mediocrem olei quantitatem; unde compositum exsurgere videtur ex sale sali Coralliorum simili, sulphure crasso involuto.

Inter plantas, quæ vulnerariæ dicuntur, recensetur. Equidem hic observandum est, Medicos vulnerarias eas dicere plantas, quæ vulneribus, & ulceribus, tum internis, tum externis medentur: cum autem vulnera non-

ra nonnumquam hæmorrhagiam conjunctam habent, cum vetustiora in ulcus degenerent, cum circa vulnera inflammationes quandoque superveniant, aut humorum extra vasa stagnantium collectiones, vel etiam obstructiones ex humoribus in ipsis vasibus inspissatis, quæ omnia vulnerum sanationi plurimum obstant, idcirco, prout plantæ hæc vel illa removere valent impedimenta, distinguuntur in diversas classes, quæ ad tres potissimum reduci possunt: scilicet adstringentes, quæ vasorum extrema corrugando, aut spissiorem efficiendo sanguinem, hæmorrhagias sistunt, & solutarum partium unionem citius promovent: abstergentes, quæ mucosam, & acrem colluviem vulnerum labiis adhærentem dissolvunt: & resolventes, quæ vulnerum inflammationem compescunt, tumores resolvunt, humorum acrimoniam demulcendo, & crispatas fibras laxando.

Alchimilla inter vulnerarias adstringentes numeratur. Adstringendi, & glutinandi virtute donatur. Sanguinem tenuem inspissat. Interne succus ad ℥iiij. aut decoctum ad ℥vj. ad vulnera & ulcera interna consolidanda, menses nimis profluentes, & albos mulierum fluores coercendos, dysenteriam sanandam feliciter usurpantur: in hæmophtoe, ulcere pulmonum, mictu cruento, diabete, plurimum conferunt: herniis quoque ejus pulvis ad ʒj. vel ejus ex vino decoctum medentur.

Externe ab iisdem liquoribus vulnera & ulcera felici cum successu laxantur.

Usurpatur in potionibus & decoctis vulnerariis, clysmatibus dysentericis & unguentis vulnerariis.

℞. Alchimill. Pervinc. bellidis major. & minor. Millefolii, Pyrol. Bugul. Sanicul. ana ʒj. Vini generosi ℔j. Digerantur simul in vase idoneo, per horas sex. Deinde affunde aq. ferventis ℔iij. Macerentur adhuc simul per aliquot horas, vas identidem agitando. Deinde fiat colatura. Dosis ad ℥vj. Singulis dosibus adde Syrupo de Hedera terrestri ℥j. Mane & sero iteretur in causa ab alto, abscessibus internis.

℞. Succor. Alchimillæ, & Plantag. ana ℥iiij. Coralli rubr. pp. Antihectici Poterrii ana ℈j. Syrupi de Symphyto ℥j. Fiat potio cochleatim sumenda in hemophthoe.

℞. Folior. Alchimill. & Pervinc. exsiccator. & pulveratorum ana ʒj. Rad. Consolidæ major. pulverat. ʒij. Corall. rubr. Boli Armeni, & Terræ sigillatæ pp. ana ℈j. Conserv. Rosar. ℥ß. Syrupi Granator. q. s. M. F. Opiata. Dosis ʒij. mane & sero, vel etiam sæpius in sputo cruento & hæmorrhagiis uterinis.

Nonnullæ, referente Frederico Hofmanno, quibus libata virginitas, solerter norunt decocto Alchimillæ in forma insessus, sibi reparare dolosam στενοχωρίαν, & illibatum mentiri virginitatis florem. Eædem ejus decocto mammas laxas, & flaccidas nimis, linteo decocto ejus intincto, & imposito firmas ac turgidulas efficere tentant.

# ALKEKENGI.

Alkekengi, Halicacabum & Solanum veſicarium, *Officinarum:* Alkekengi Officinarum, *Inſt. R. H.* 151. Solanum verſicarium, *C. B. P.* 166. Solanum Halicacabum vulgare, *J. B.* 3. 609. Solanum veſicarium, *Dod. Pempt.* 454. Saxifraga rubra, & 4. *Brunsfelſii:* Veſicaria, *Cordi:* vulgo, *Alkekenge*, *Coqueret*, ou *Coquerelle*.

Radicibus geniculatis, tenues fibras ſpargentibus, repit in vinetis, cauleſque profert cubitales, ſubrubentes, ſubhirſutos, & ramoſos, ad quorum nodos folia oriuntur bina ſimul ab eadem caulis parte, pediculis longis appenſa, Solani hortenſis foliis ſimilia, ſed ampliora, per margines non crenata. Ex foliorum alis ſingulis ſinguli exeunt flores pediculis ſemiuncialibus aut uncialibus, tenuibus, hirſuti fulti, monopetali, rotati, pelviformes, quinquifidi, albi, cum apicibus concoloribus & calyce campaniformi, qui ampliatur in folliculum membranaceum, primum herbaceum, deinde phæniceum, pentagonum, in quo continetur fructus Ceraſi forma, magnitudine, & colore, mollis, carnoſus, ſaporis primo ſubacidi, deinde intenſe amari, ſeminibus compreſſis, orbiculatis, & flaveſcentibus turgidus. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur. Fructus ſolus in uſum venit.

Analyſi chymica, ex Ceraſorum Alkekengi maturorum, & recens collectorum ℔v. per retortam diſtillatis; prodierunt phlegmatis limpidi fere inodori inſipidi, quod tamen ſalſi obſcuri & poſtea acidi occulti notas præbuit ℔ij. ℥vj. ʒj. gran. xij. humoris manifeſte acidi & nonnihil auſteri ℔j. ℥iv. ʒij. humoris rufi, empyreumatici, ſaporis acidi, cum quadam acrimonia, ʒvj. olei ad Syrupi conſiſtentiam accedentis ʒiij. gr. xij. Maſſa nigra retorta ſuperſtes pendebat ℥vij. gr. lx. quæ per 12. horas calcinata igne reverberii reliquit cinerum nigricantium ℥j. ʒv. gran. xxiiij. ex quibus lixivio, ſalis fixi, mere alcali ʒj. gr. xxxvj. extracta fuerunt. Partium jactura in diſtillatione fuit, ʒviij. ℥j. gr. lx. in calcinatione ℥v. ʒiij. gr. xxxvj.

Itaque nullum ſalem volatilem concretum, nullumque urinoſum ſpiritum ille fructus exhibuit, multum vero ſalis alcali fixi & ſalis acidi, cum olei acris mediocri portione, unde compoſitum exſurgit Oxyſali diaphoretico Angeli Salæ non prorſus diſſimile.

Alkekengi ceraſa ſeu fructus uſitatiſſimi ſunt ad urinam promovendam, ejus acrimoniam demulcendam & ſaburram a renibus & veſica deturbandam, foraſque protrudendam. Ad regium quoque morbum commendatur. Sumi poſſunt crudi tres, quatuor, ſexve & amplius, aut ſaccharo conditi, vel vino infuſi, vel in ſero lactis, aliove liquore conveniente decocti, vel exſiccati, & in pulverem redacti, & in quovis liquore commixti. Eorum decoctum cum radice liquiritiæ in dyſuria laudatur. Arnaldus Villanovus, & Cæſalpinus hydropicis, & urinæ ſuppreſſione laborantibus, vini hauſtum, in quo fructus aliquot contuſi fuerunt, potandum ſuadent. Quinque vel ſex fructus contunduntur in emulſionibus, & ægrotanti, dum in balneo ſedet, pro-

propinantur, ad urinæ ſuppreſſionem & in dolore nephritico. Iiſdem in affectibus, eorum ſuccus expreſſus & coctione defœcatus ad ℥j. præſcribitur, aut ad extracti ſpiſſitudinem extractus, ad ℥ß. Ex eodem ſucco recens expreſſo & muſto ſimul fermentatis, vinum diureticum & ad arenulas expellendas præparatur, ad ℥iiij. mane jejuno ventriculo, propinandum.

℞. Semin. quatuor frigidor. major. ana ʒj. Contund. ſenſim affundendo aq. Parietar. ℥vj. ſub finem adde & contere baccar. Halicacabi n. v. Fiat expreſſio, in qua diſſolve Syrup. de 5. Rad. aper. ℥j. Fiat emulſio in urinæ ſuppreſſione, propinanda.

℞. Rad. Petroſel. & Aſparag. ana ℥ij. Virgæ aureæ, M. ij. Nitri purificati ʒij. Bull. in aq. comm. ℥xxiv. ad xviij. Fiat colatura, in qua contundantur fructus Alkekengi n. xx. Milleped. vivor. n. cc. Affunde vini albi generoſi ℥xviij. Hauriat æger, partitis vicibus, tertia quaque hora, ad urinam promovendam, arenulas propellendas & ſaburram ex renibus & veſica efficaciter abluendam, præmiſſis præmittendis.

℞. Oculor. Cancror. ℈j. Pulver. Milleped. gr. xij. Extracti Alkekeng. ℥ß. M. F. Bolus in dolore nephritico.

Civis quidam Auguſtanus, narrante J. Rajo, morbo articulari graviſſime laborans, ita ut ſæpe per integrum ſemeſtre decumberet, cœpit cujuſdam ſuaſu, ſingulis lunæ mutationibus, in ipſo illarum puncto, octo fructus Alkekengi comedere, vel contuſos e vino bibere: ita expelli ſibi per urinam materiam mire fœdam, totumque ſe ab hoc morbo liberum affirmabat.

Suffitus ſeu fumus, referente eodem poſt Ettmullerum, ex contuſo Halicacabi fructu cum cera mixto, & in laminam ferream ignitam injecto, ore excipitur, quo catervatim vermes e dentibus cum ſputo copioſo rejecti & crudeliſſimi dolores ſopiti obſervati fuerunt.

Uſurpantur in Trochiſcis de Alkekendi dictis *Ph. univerſal. Lemery.* in ſyrup. de Cichor. compoſito & in ſyrupo antinephritico *Ph. Reg. Charas*.

## ALLIARIA.

Alliaria, *Officinarum*: Heſperis Allium redolens, *Moriſſ. Hiſtor.* 252. *Inſt. R. H.* 222. Alliaria, *Matthiol.* 843. *J. B.* 2. 883. vulgo, *Alliaire*.

Ax radicula tenui, lignoſa, alba, Allium redolente, caules promit cubitales & ſeſquicubitales, tenues, ſubhirſutos, teretes, ſtriatos, ſolidos. Folia primum rotunda Hederæ terreſtris modo, ſed longe majora, mox nonnullum acumen aſſequuntur, per ambitum crenata, pallide virentia, glabra, pediculis longis nixa, ſapore & odore Allii mitiore, ad intervalla longiora, in caulibus alternos aut nullo ordine ſita. In ſummitate caulis & ramulorum flores multi, cruciformes, quatuor ſcilicet petalis conſtantes, albi, naſcuntur: quorum ex calyce ſurgit piſtillum quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam membranaceam, teretem, ſepto intermedio, cui valvæ imbricatæ utrinque adhæreſcunt, in quo loculamenta diviſum, ſeminibuſque fœtum oblongis, teretiuſculis, nigris, incerti numeri quæ veluti nidulantur in ſcrobi-

culis ſepti intermedii. Tota planta contrita Allium redolet. In dumetis & foſſarum aggeribus agri Pariſienſis naſcitur. Omnes plantæ partes uſitatæ ſunt.

Analyſi chymica, ex Alliariæ folior. recenter collectorum ℔v. prodierunt phlegmatis limpidi, Allium ſapore & odore aliquantiſper referentis, ſubacidi ℔j. ℥xiij. ʒiij. humoris rufeſcentis primum acidi, auſteri, deinde empyreumatici, tum intenſe acidi, tum alcali urinoſi ℔ij. ℥ix. ʒiiij. gr. lxx. humoris fuſci, ſale volatili urinoſo copioſo impregnati ℥j. ʒij. ſalis volatilis urinoſi, concreti, gr. xxxvj. olei adipoſæ craſſitiei ℥j. gr. lx. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iiij. ʒiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gran. vj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒvj. gran. l. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. l. in calcinatione ℥ij. ʒj. gr. lxvj.

Alliaria intenſe amara eſt, Allium redolet & chartam cœruleam ſubrubram efficit; unde & ex analyſi concludere poſſumus ſale donari ammoniaco ſimili, multo ſulphure intricato. Planta recens urinam ciere dicitur; ſicca veneno adverſari, ſi in vino coquatur. Decoctum ejus aſthmaticis plurimum confert. Nonnulli folia in enematis incoquunt ad colicos, flatulentos, & nephriticos dolores. Semen tritum, naribuſque attractum ſternutamenta excitat. Idem contritum & emplaſtri modo vulvæ admotum mulieres uteri ſtrangulatu oppreſſas liberat & excitat.

Externe putredini reſiſtit. Fabricius Hildanus Veris tempore, ſub finem ſcilicet Aprilis vel ineunte Majo, Alliariam colligere ſolebat, & poſtquam per diem unum in umbra paululum exſiccata fuerat, minutim incidebat, in mortario contundebat, ſuccumque in prælo exprimebat, quem in ampullis vitreis, ſuperinfuſo paululum olei, annum integrum, imo ad tres uſque annos reſervabat. In ulceribus putridis & ſordidis, uti in gangrenis, eo utebatur feliciter, & tanquam præſtantiſſimum remedium prædicavit.

## ALLIUM.

ALlii ſpecies duæ in Officinis, ſeu potius in culinis uſitatæ ſunt; ſcilicet Allium vulgare & Allioprasum ſeu Opioſcorodum.

Allium vulgare, *Officinarum*: Allium ſativum, *C. B. P.* 73. *Inſt. R. H.* 383. Allium vulgare & ſativum, *J. B.* 2. 554. Allium *Dod. Pempt.* 682. vulgo, *Ail.*

Huic pro radice bulbus eſt tenuiſſimis membranis ex albido dilute admodum purpuraſcentibus velatus, ex pluribus cohærentibus nucleis ſeparatim circumveſtitis, coagmentatus, ſapore peracri, odore graviſſimo; a quo inferius tenues fibræ ſeu capillamenta dimittuntur. Foliis viret oblongis, non fiſtuloſis, ut in cepis, ſed gramineis, inter quæ ſcapus procerus, enodis, concavus, glaber, aſſurgit, & faſtigio capitulum ſuſtinet acuminatum, candida membrana velatum, qua per maturitatem diſrupta flores apparent glomeratim congeſti, liliacei, ex petalis ſex albidis compoſiti. Floris uniuſcujuſque meditullium piſtillum occupat, quod

dein-

deinde abit in fructum subrotundum, Pisi magnitudine, colore foris purpurascente, sed pulpa interiore candida, sapore, & odore bulbi nucleis similem, in tria loculamenta divisum, seminibusque fœtum subrotundis, nigricantibus. Hic seritur in hortis. Bulbosa radix in usum venit.

Allioprasum, Scorodapasum, & Ophioscoridum, *Officinarum*: Allium sativum alterum sive Allioprasum caulis summo circumvoluto, *C. B. P.* 73. *Inst. R. H.* 383. Scorodoprasum secundum, *Clus. Hist.* 191. Alii genus, Opholcordon dictum quibusdam, *J. B.* 2. 559. vulgo, *Rocambole*.

Ex bulbo multis nucleis constante, fibrisque numerosis, exalbidis, capillato sessili parte, tunicis cepaceis binis vel ternis, ex albo purpurascentibus circumvestito, caulis assurgit singularis, minimi digiti crassitudine, sesquicubitalis aut bicubitalis, foliis ut plurimum quinque porraceis, carinatis, donatus, quæ postquam caulem aliquousque involverunt, ab eo abscedentia & reflexa terram spectant, medio inter Porrum & Allium odore. Suprema vero caulis pars nuda, viridis, lævis, in gyrum unum aut alterum spirarum serpentinarum more intorquetur, donec tandem caput erigat vagina involutum albicante, corniculata, extra volumina protensa, longa & rostrata, qua dehiscente, bulbuli apparent congesti, initio purpurascentes, postea exalbidi, & inter eos flores Alii floribus haud dissimiles. Tota planta gravem Allii odorem spirat. In hortis ad culinarium usum colitur.

Analysi chymica, ex bulborum Allii a pelliculis mundatorum ℔v. prodierunt phlegmatis limpidi Allii odorem & saporem apprime referentis, primum salsi & subacidi, deinde subsalsi & intense acidi ℔ij. ℥v. ʒiij. gr. vj. humoris limpidi, intense acidi, ac tandem austeri ℔j. ℥v. ʒiij. gr. xxiiij. humoris limpidi rufescentis tum subacidi, tum alcali urinosi & sale volatili urinoso prægnati, ℥iiij. ʒij. gr. lxvj. salis volatilis urinosi concreti gran. xij. olei crassioris ad extracti spissitudinem ℥ij. ʒiiij. gr. xlij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥xiij. ʒj. quæ per novem horas igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. vj. ex quibus salis fixi salsi ʒiiij. gr. viij. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. gr. lxvj. in calcinatione ℥xj. ʒvii. gr. lxvi.

Allium itaque constat ex sale ammoniacali cum oleo tum tenui, tum crasso, acri, copioso, sed summæ expansionis capace, conjuncto.

Allium tenuibus actuosis & acribus partibus donatur, quod non solum odore vehemente, sapore acri & nonnihil caustico & analysi chymica comprobatur, sed etiam variis experimentis demonstratur. Si enim emplastra ex Allio contuso plantis pedum applicentur, oris halitus Allium spirabit. Allium gallinis & altilibus cum esca objectum saporem & odorem suum in eorum carne & ovis prodit. Christoph. Bennetus M. Lond. in *Theatro Tabidorum exercitat.* 29. asserit fonticulos ægrorum membris vel incisos vel inustos, in rarioris texturæ hominibus, Allii intus sumpti, post tertiam aut quartam a comestione horam, odorem reddere. Costæus observat, Allium non tantum vesicas excitare, sed etiam cutim corrodere.

Allium apud quasdam nationes solitum & palato gratum est alimentorum

rum condimentum, licet plurimis execrandum & intolerabile videatur? Sebizius enim, *De Alimentorum facultatibus*, scribit; Allium alimentum præbere paucissimum, idque pravum & acre: fugiendumque esse cholericis & sanguineis. Iis vero qui debiliores sunt stomacho ciborum appetentiam excitat, concoctionem juvat. Milites, Nautæ, & rustici crudas aquas aut corruptas, vel alimenta pravæ aut difficilis coctionis, Allio corrigere tentant.

Alexipharmacum præstantissimum à nonnullis habetur, in morbis contagiosis & adversus venena frigida intus sumpta. Quidam Allium ferentes se ab omni contagio immunes fore existimant: alii ægros putridis febribus infestos invisere coacti bulborum particulam unam aut alteram in ore detinent ad contagium præcavendum. A Galeno Theriaca rusticanorum dicitur. Platerus *Tractatu de Febribus*, Allium commendat peste laborantibus, in hydromelite decoctum & ad ℥ij. circiter exhibitum, ad sudores & urinas proliciendas. Hungari, *inquit Joan. Bockelius de Peste*, pestis tempore non habent certius remedium quam Allium. Aliæ plures ipsi tribuuntur virtutes, scilicet humorum putredini resistendi, urinas & arenulas propellendi, colicos dolores flatulentos sedandi, lumbricos enecandi. Ad hos affectus a vulgo sæpissime vel in lacte vel in jusculo decoctum hauritur, vel clysteris modo in intestina injicitur, aut umbilico contusum epithematis modo admovetur. Illud idem Galenus, Schenckius, Zacutus, & Borellus ad ventris tormina & flatus discutiendos sæpius comprobatum remedium esse asserunt: tunc aliquot haustus aquæ calentis in qua Allii bulbus minutim sectus maceratus fuit, ægrotantibus utiliter propinantur. Forestus in suis observationibus testatur hydropicorum aquas nonnunquam evacuasse, & adversus scorbutum à Laurembergio commendatur. Asthmati conducit & expectorationem promovet in thoracis affectionibus catharrosis: Dr. Bovvles Medicus apud Anglos celeberrimus pro arcano habuit in asthmate, Allium conditum sic paratum.

℞. Allii bulbor. q. l. Denudatis pelliculis, coque in aq. limp. q. s. in vase clauso ad teneritudinem. Exempti bulbi linteo siccentur, & in olla vitreata recondantur. Tum

℞. Decocti supradicti & aceti acerrimi tantumdem & cum Sacchari albissimi q. s. fiat Syrupus qui bulbis superaffundatur vase probe obturato: serventur ad usum. Dosis, unus duo vel tres bulbi mane deglutiantur, cum syrupi cochleari uno vel altero, ad asthma humorale.

Allium ipsum dosi admodum exigua sumendum est. Infusum unius bulbuli in vini albi ℥vj. vel ℥viij. percolatum propinatur. In lactis vero ℔j. bulbuli duo vel tres contriti decoquuntur.

Verum ejus frequentior usus molestus est & noxius. Cum enim aliquantisper causticum sit, ventriculum & viscera inflammat, æstumque in humoribus accendit. Hinc flatus parere nonnulli asserunt, sitim excitare observant, capitis dolorem inferre, oculis & sensuum organis nocere. Isbrandus de Diemerbroek, *T. de Peste*, plurimorum Medicorum auctoritate & propria experientia fretus, Allium in morbis pestilentibus non tantum non utile esse, sed noxiam pronuntiat. Fallopius, *C.* 101. *De Morbo*

*Galli-*

*Gallico*, *p.* 847. notant Allii & Ceparum usum illis, qui lue venerea laborant valde nocivum esse. Quin, & hæmorrhoidibus laborantes lædere, Pisanellus, *De Esculentor. & Potulentor. facultatibus*, auctor est. Allii succus potus hominem non modo turbat, sed etiam interficit, annotante Spigelio, *Isagoge lib.* 2. *cap.* 16. Crantzius *Histor. Saxon. l.* 3. *c.* 3. narrat, Arnulphi Imperatoris vitam terminatam fuisse vermiculis in ejus carne ex nimia Allii comestione genitis. Itaque cum vel pravum vel nullum omnino corporis alimentum gignat, illud cum Simone Paulli potius ex culinis eliminemus, quam ut condimenti saltem loco cuique integra valetudine fruenti commendemus.

Externe Allium in mortario cum oleo Olivarum contusum, & in unguentum redactum, tumores frigidos potenter resolvit; puerorum umbilico inunctum vermes interimit: idem cum adipe suillo tritum, & plantis pedum admotum, multum conducit ad pulmonum canales aperiendos, & ab infarctu liberandos in asthmate, annotante J. Raio. Ejus succus cum Melle & Butyro permixtus porriginem (*la teigne*) & psoram sanat. Idem succus ad ambusta plurimum valet. Ad arthriticos dolores sedandos Allii & Sedi majoris partes æquales contundantur in pultem & parti dolenti applicentur. Allii bulbus detracto cortice in frustula oblonga scissus & in aurem intrusus dentium dolorem compescit: ejus succus cum pauxillo Theriaces mixtus & in aurem instillatus idem efficit, Tertiana febris hoc remedio sæpe profligata fuit.

℞. Allii contusi ℥j. Fuliginis splendentis ʒj. Piperis longi ℈j. Croci, Camphoræ ana ℈ß. Misce. Fiant Epicarpia ante paroxysmum applicanda.

Observandum autem est omnia remedia ex Allio tum externa, tum interna, minime convenire, ubi datur catarrhus tenuis, acris, sputum cruentum, constitutio calida, sanguinis aut præcordiorum æstuatio.

## ALNUS.

Alnus, *Officinarum*: Alnus rotundifolia glutinosa, viridis, *G. B. P.* 428. *J. R. H.* 587. Alnus vulgaris, *J. B.* 1. 151. Alnus, *Dod. Pempt.* 839. vulgo, *Aulne*.

Arbor est alta ac procera, caudice recto, mediocris crassitudinis, cortice scabro, fragili, nigricante, ligno subrubente, molli, levi, tractabili, ramis valde fragilibus, medullosis, cortice tectis externe subcinereo, intus subluteo, amaro cum adstrictione, & ingrato: foliis latis, Avellanæ vulgaris, rotundioribus, nervosis, crenatis, viridibus, splendentibus, tactu glutinosis: in ramulorum fastigiis juli seu flores amentacei dependent multi, primo virentes deinde rubentes, unciam circiter longi & fragiles antequam se explicaverint, evoluti enim duas uncias superant. Componuntur ex floribus plurimis, glomeratis, axi affixis, quorum singuli plurimis staminibus e calyce quadripartito surgentibus, constant. Steriles sunt; aliis enim in locis fructus nascuntur: coniuli sunt magnitudine parvæ Avellanæ, primo virentes, ubi maturescunt rubentes, & mox hiantes, ex imbricata squammarum compage congesti, e quibus oriuntur filamenta quædam prominula, pur-

purea, bifida, embryonibus insidentia. Embryones autem abeunt in semina exigua, compressa, inæqualia, rubentia, medulla pauca alba repleta, sapore manifesto destituta. Juli & coni sapore adstringente donantur cum aliqua amaritudine. Nascitur in humidioribus, & uliginosis locis agri Parisiensis. Cortex & folia in usum sed raro veniunt.

Sale essentiali tum acido stiptico, tum Ammoniacali oleo & terra involuto donantur. Viribus ad Quercus corticem & folia proxime accedunt. Ex Alni cortice cum ferro detrito & rubiginoso pes aliquot dies aqua macerato, color efficitur niger atramenti similis, quo nonnulli ad tingendum utuntur. Idem pro atramento scriptorio conficiendo Gallæ vices supplere potest.

Cortex, juli, & fructus adstrictione donantur: eorumque decoctum ad oris & tonsillarum inflammationes ac humores conducit: eoque sub nomine, in gargarismatis repercutientibus & resolutivis usurpatur. Cortex contusus incipientibus inflammationibns utiliter imponitur.

Alni folia viridia externe admota tumores discutiunt & inflammationes extinguunt. Veteribus vulneribus sæpius imposita ad sanitatem perducere feruntur. Alpium incolæ paralyticos curant, foliis Alni sudorem proliciendo, eo potissimum qui paralysim a causa externa contraxerunt, nempe vel in locis humidis habitando, vel super terram dormiendo. Saccos foliis Alni repletos Solis radiis exponunt vel in furnum calentem immittunt, donec incalescat: eosdem deinde ægrotantibus substernunt, & superimponunt, sicque derelinquunt donec sudor copiosus diffluat. Quod pluries reiteratur, donec æger sanatus sit. Eodem remedio rheumatici & ischiadici dolores curantur. Iis qui lue venerea afficiuntur ad dolores venereos restinguendos prorsus inutile est, annotante Tournefortio.

Unicuique notum est Alni lignum, quod extra aquas non diu incorruptum durat, sub ipsis aquis ac in aquosis fere ad æternitatem immortale non putrescere & ædificiorum fundamenta ac immania structurarum pondera sustinere.

## ALSINE.

ALsine vulgaris, Morsus Gallinæ, *Officinarum*: Alsine media, *C. B. P.* 250. *Inst. R. H.* 242. Alsine vulgaris sive Morsus Gallinæ, *J. B.* 3. 362. Alsine minor, *Dod. Pempt.* 29. Hippia minor, *Cordi*: Morsus Gallinæ I. genus, *Tragi*, 385. vulgo, *Morgeline*, & a nonnullis, *Mouron*.

Ex radiculis capillaribus & fibratis, cauliculos plures, humi stratos, repentes, tenellos, hirsutos, subrubentes, geniculatos, ramosos emittit, ad quorum nodos folia bina ex adverso nascuntur subrotunda, acuminata, tres, quatuorve lineas longa, duas, tresve lata, pediculis innixa, subhirsuta, virentia. Flores ramulorum extrema occupant, rosacei, plurimis scilicet petalis bifidis constantes, candidis, striatis & calyce quinquefolio villoso, ex quo surgit pistillum, quod abit in fructum membranaceum, unicapsularem, conicum, apice dehiscentem; seminibusque fœtum minutissimis, subrufis, placentulæ quasi racematim affixis. In uliginosis locis ad sepes,

sepes, & vias, itemque in vineis, & hortis, inter olera passim provenit in agro Parisiensi. Usus est herbæ.

Analysi chymica, Alsines floridæ ℔v. per balneum vaporosum distillatæ præbuerunt phlegmatis saporis, & odoris herbacei subsalsi ℔iiij. ℥v. ʒvij. Planta residua exsiccata pendebat ℥viij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ per retortam distillata præbuit humoris rufescentis ℥ij. ʒv. gr. xxxvj. salis volatilis urinosi concreti grana aliquot; olei syrupi ad instar crassi ℥j. ʒiij. gr. lj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. ʒvi. quæ per decem horas igne reverberii in crucibulo calcinata reliquit cinerum nigricantium ℥ij. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. lixivio extracta fuit. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. lvij. in calcinatione ℥j. ʒvj.

Folia sapore herbido subsalso donantur. Eorum succus chartam cæruleam subrubram efficit: unde liquet plantam sale Ammoniacali Nitroso donari cum oleo, & terra permixtis, & multo phlegmate dilutis.

Huic plantæ vis resolvendi, discutiendi, & præterea refrigerandi tribuitur. Ejus decoctum oculorum inflammationes sedat. Eædem ipsi, quæ Portulacæ virtutes a Trago tribuuntur. Ad cruentam expuitionem planta minutim secta, & cum ovis permixta, & cocta comeditur. Plurimi eam nutrire asserunt atque restaurare eos, quorum vires morbo diuturno fractæ, phtisim, & marasmum minitantur. Emmanuel Konig M. Basileensis, in epilepsia puerorum, illam intus sumptam commendat, & externe eorum abdomini admotam in butyro frixam, ad eorum tormina sedanda. Herba contusa hæmorrhoidum dolores sedat cataplasmatis modo apposita, lac quoque grumosum, mammis admota resolvit. Ejus succus defœcatus ad ℥j. in jusculo; foliorum in umbra exsiccatorum pulvis ad ʒj. aut eorumdem manipulus unus in aquæ ℔j. decoctus solent præscribi. Ejus succus vel decoctum vulnera, & ulcera detergit, & sanat. Simon Paulli ejus decoctum adversus scabiem commendat, si addito momento cineris Fagi vel salis manus, & pedes laventur.

Passeribus Canariis cibum temperatum præbet.

## *ALTHÆA.*

Althæa, Ibiscus, Bismalva, Malvaviscus, *Officinarum*: Althæa Dioscoridis, & Plinii, *C. B. P.* 315. *Inv. R. H.* 97. Althæa sive Bismalva, *J. B.* 2. 954. Althæa Ibiscus, *Dod. Pempt.* 655. vulgo, *Guimauve*.

Radicibus est albis, numerosis, digitum crassis, ab uno capite pendentibus, fibrosis, mucagine lenta turgidis. Caules cubitales sunt aut bicubitales, tenues, teretes, villosi, foliis alternis donati, e rotundo acuminatis, canescentibus, molli lanugine pubescentibus, tres uncias circiter longis, sinuosis, serratis, longo pediculo insidentibus. Flores in foliorum alis nascuntur ex albido nonnihil rubentes, monopetali, in quinque segmenta ad centrum usque divisi, in quo stylus adest pyramidalis, tubulosus, staminibus onustus, in cavitate sua excipiens pistillum quod abit in fructum orbicularem, compressum, e pluribus capsulis, annuli in modum dispositis, circa placentam mediam conflatum.

Capsulæ membranaceæ sunt, tenues, reniformes & semen continent ejusdem formæ. In agro Parisiensi nihil Althæa vulgatius in paludosis & secus rivulos. Usu sunt radices, folia, flores, semina. Sed radices magis usitatæ.

Analysi chymica, ex foliorum & summitatum Althææ recentium ℔v. per retortam distillatis, prodierunt phlegmatis liquidi fere inodori & insipidi, obscure acidi, ℥x. ʒiij. gr. xlviij. humoris limpidi primo manifeste acidi, deinde austeri, tandem empyreumatici ℔iij. ℥vj. ʒv. gr. liv. humoris empyreumatici, rufi, sale volatili urinoso impraegnati, ℥ij. ʒij. gr. xlij. salis volatilis urinosi, concreti, gr. lx. olei crassi ac mellei ℥j. ʒvj. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vj. ʒiiij. gr. xlviij. quæ in crucibulo igne reverberii calcinata, reliquit cinerum ℥iij. ʒj. gr. viij. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. ʒj. gr. viij. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. in calcinatione ℥iij. ʒiij. gr. xl.

Ex ℔v. recentium Althææ radicum, quarum medulla lignosa, funis instar, adempta fuerat, prodierunt phlegmatis limpidi, inodori, insipidi & obscure salsi ℔j. ℥x. gr. lxiiij. humoris subacidi, subsalsi & austeri ℔ij. ℥viij. gr. xiij. humoris empyreumatici, rufescentis, tum acidi, tum alcali, urinosi & austeri ℥iij. ʒij. gr. xvij. olei adiposæ spissitudinis & aqua gravioris ℥j. ʒv. gr. xvij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥v. ʒvj. gr. lxiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiiij. gr. xx. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvij. gr. xlij. lixivio extracta fuere. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. gr. xl. in calcinatione ℥iij. ʒij. gr. xliiij.

Folia Althææ succo turgent insipido, glutinoso, qui cœruleæ chartæ colorem nullo modo mutat. Idem mucosus succus in radicibus luxuriat, quo tamen, licet gustu insipido, charta cœrulea subrubro colore perfunditur. Folia & radices perparum urinosi liquoris, analysi chymica, fundunt, plus vero præbent salis alcali fixi, mediocrem acidi liquoris portionem, multo copiosiorem salsi & austeri quantitatem. Unde concludimus, mucosum hujus plantæ succum & ex terra tenui ac subtili, sale terræ foliatæ tartari simili, oleo copioso intime permixtis, & multo phlegmate dilutis componi. Folia salis volatilis aliquantulum suppeditant, unde nonnihil salis Ammoniacalis continere censemus: radices vero minus urinosi liquoris & paulo plus salis acidi manifesti continent, quandoquidem cœruleum chartæ cœruleæ colorem in rubrum mutant.

Ab illa mucagine lenta & subdulci qua Althæa turget, pendent potissimum illius virtutes, emolliendi nempe, laxandi, discutiendi: dolores leniendi, tumores maturandi, humorum acrimoniam mitigandi & corrigendi. Folia ob aliquam salis Ammoniacalis portionem paulo magis quam radices resolvunt.

Ad quatuor præcipue Althæa utilis esse perhibetur.

1. Ad affectiones renum & vesicæ ab urinæ acrimonia, a calculo aut ab arenulis oriundas, urinæ sales mucosis suis partibus involvendo, abrasum urinariarum viarum mucum quodammodo restituendo, & arenularum descensum exitumque faciliorem efficiendo.

Deco-

Decoctum foliorum & præsertim radicum epotum aut in apozematis, emulsionibus & aliis potionibus ejuscemodi propinatur. In decoctis diureticis quoque utiliter præscribitur ad diureticorum vim & acrimoniam contemperandam.

2. Ad affectus pulmonum, tenujorum pituitam inspissandam, acrem & salsam demulcendam, asperam arteriam corrugatam illiniendam, exsiccatam emolliendam, expectorationem promovendam, in raucedine, tussi, catarrhis, asthmate, phthisi, pleuritide. Tuncque radicum decoctum, syrupus, pastilli seu rotuli & linctus ex ejus mucagine feliciter usurpantur, & nonnumquam cum medicamentis incidentibus & attenuantibus, velut Iride Florentina, floribus Sulphuris, floribus Benzoini & aliis utiliter adhibetur.

3. Ad intestinorum erosiones & dysenterias ejusdem decoctum epotum aut in clysteribus injectum prodest non quidem adstringendo, sed succorum acrium & erodentium acrimoniam retundendo & intestinorum membranas muco spoliatas illiniendo: necnon etiam in alvi profluviis cum adstringentibus, Tormentillæ, ex. gratia, Bistortæ, aut similium radicibus, ad dolores mitigandos apposite quidem Althæa consociatur.

4. Denique ad tumores duros emolliendos & maturandos, dolores sedandos, cataplasmata ex seminibus, foliis, & radicibus præparata; lotiones quoque & fotus ex eorum decoctis utiliter adhibentur, aut cum medicamentis resolventibus ad eorum vim retundendam, ubi inflammatio metuenda est, permiscentur.

Folia paulo plus resolvunt quam radices, ratione salis Ammoniacalis quem continent.

Radices Althææ acrimonia præditas esse arguit Georgius Segerus qui *in Ephem. German. an. 9. & 10. Observ.* 100. ex applicatione hujus radicis contusæ & in aqua simplici decoctæ, plurimas pustulas rubicundas & dolorificas membrum adeo exasperavisse, ut undique plane exulceratum apparuerit, observat. Verum perperam radicis acrimoniæ pustularum eruptio tribuitur, quæ effectus est humoris acris & caustici e profundo ad summam cutim evecti, tepore nempe cataplasmatis quo humor resolutus fuit & ad perspirationem dispositus. Quinimo S. Paulli observat radicis Althææ mucilaginem aqua Rosarum extractam illitam, eos mitigare dolores, qui arte a sinapismis & vesicatoriis excitantur, si nimis molesti sint.

Dum Althææ radices in ptisanis & apozematibus præscribuntur; observandum est, ne majori copia in his injiciantur, nec diutius coquantur, alioquin mucosum & glutinosum nimis fit decoctum, palato ingratum & stomacho grave. Iisdem sub finem coctionis adjiciuntur ad ℥j. pro decocti libris duabus, folia ad M. j. & flores ac semina ad ʒj. aut ʒij. pro unaquaque libra.

℞. Rad. Althææ & Nymphææ ana ℥ij. Coquantur in aquæ comm. ℔iiij. Fiat colatura, in qua dilue Nitri purificati ʒij. Fiat decoctum per cyathos propinandum in dolore nephritico, ardore, & suppressione urinæ.

℞. Glycyrrhizæ rasæ & contusæ ʒij. Rad. Althææ ℥j. Folior. Malvæ M. ij.
Passu-

Passular. exacinatar. ℥vj. Coquantur in aq. fluviatil. q. s. Fiat apozema pectorale.

℞. Rad. Althææ ℥iiij. Folior. Althææ, Malvæ, florum Chamæmeli, Meliloti ana M. j. Ficuum ping. n. iiij. Fiat cataplasma s. a.

℞. Radicum Althææ, bulbor. Lilior. ana ℥iiij. Folior. Althææ, Malvæ, Violar. Senec. & Branc. ursin. ana M. ij. Flor. Chamæmeli & Meliloti ana M. j. Semin. Lini & Fœnugræc. ana ℥j. Radices & folia minutim incisa floribus & seminibus permixta, duobus æqualibus & aptæ amplitudinis sacculis excepta in aq. comm. q. s. vel ℔x. ad putrilaginem usque decoquantur; sacculique manibus leviter expressi, parti inflammatæ ac dolenti alternatim tepide admoveantur, per horam unam aut alteram, illisque remotis oleo Liliorum vel unguento de Althæa pars affecta illinatur.

Ex Althææ radicibus præparantur Mucilago, Syrupus de Althæa simplex, Syrupus de Ibisco compositus, Tabellæ seu Pastilli, & Unguentum.

Mucilago ex radicibus coctis per setaceum extrahitur, ex qua Conditum & Pastilli cum Saccharo conficiunt, in catarrhis, raucedine & in aliis gutturis affectionibus summæ utilitatis. Externe papillarum scissuræ hac mucagine illitæ consolidantur, partes ambustæ sanantur.

Syrupus de Althæa simplex fit ex Althææ radicum & florum infuso cum æquali Sacchari portione ad syrupi consistentiam coctis. In supradictis affectionibus convenit, & apozematibus, potionibus & aliis hujusce modi, admisceri solet. Alius syrupus magis compositus in Officinis servatur, cujus descriptio in *Pharmacop. Regia Charas* exarata, cœteris præstantior nobis videtur, tum ad expectorationem promovendam, tum ad ciendas urinas & earum acrimoniam retundendam. Ejus dosis ad ℥j.

Tabellæ sunt quoque simplices vel compositæ, in tussi quacumque frequenter usitatæ, in pectoris affectionibus & præsertim ad pituitæ acrimoniam temperandam. Simplices ex pulpa radic. in aqua decoctæ & emollitæ extracta & cum Saccharo cocta conficiuntur. Compositarum compositionem in *Pharmacopœa Regia Charas*, videre licet.

Unguentum de Althæa in *Pharmacopœa Regia Charas* descriptum, in quo Terebenthina, semen Fœnugræci, Scillæ laminæ & Galbanum cum Althææ radicibus consociantur, longe magis resolvit, quam simplex radicis pulpa. Usurpatur ad dolores rheumaticos & ischiadicos sedandos, ad punctorios lateris dolores resolvendos. Tunc etiam spiritus vini Camphoratus huic utiliter admiscetur. In suppressione urinæ, illud unguentum cum oleo Scorpionum mixtum & regioni pubis illitum, tanquam præstantissimum remedium a nonnullis prædicatur.

℞. Camphoræ ʒß. Dissolve in Spiritu vini ℥j. Solutioni adde Olei Lumbricor. terrestr. ℥ß. Unguenti Althææ ℥jß. Croci pulver. ℈j. Fiat linimentum quo dolens latus inungatur in pleuritide.

Præter has præparationes, radices Althææ usurpantur in Unguento Martiato, Emplastro pro fracturis, *Charas*, de Mucaginibus, de Meliloto.

Semi-

Semina usurpantur in Syrupo de Ibisco Fernelii, de Hyssopo, *Mesuæ* : Jujubino, de Prassio, Trochiscis Gordonii, Lohoc sano, & Syrupo antinephritico, *Charas*.

## A M Y G D A L U S.

Amygdali species duæ sunt, quarum fructus in pharmaceuticarum Officinarum sicut & mensarum usum veniunt, scilicet Amygdalus sativa & Amygdalus amara.

Amygdalus sativa, Amygdalus dulcis, *Officinarum* : Amygdalus sativa fructu majori, *C. C. P.* 441. *Inst. R. H.* 627. Amygdalus dulcis, *J. B.* 1. 174. Amygdalus, *Tabern. Icon.* 996. Nux Græca ; *Cordi* : vulgo, *Amandier doux*.

Radicibus est validis & multifidis, trunco scabro, materie dura & rufescente, foliis Persicæ angustis, acuminatis, crenatis. Flores rosacei e quinque petalis in orbem positis conflantur, candicantibus vel leviter purpurascentibus, calyce montomo, quinquifido, cum pistillo abeunte in fructum unciam circiter longum, compressum, pulvinato callo obductum: cujus os perdurum est, acuminatum, & continet nucleum oblongum, album, carnosum, oleosum, & grati saporis, cuticula tenui, rufa, veluti pulvisculo resinoso respersa, circumvestitum. Hic colitur in hortis : sed in regionibus calidis, præsertim in Gallia Narbonensi seritur in patentissimis, aridis, & arenosis campis. Fructus mensis apponitur & in Officinis pharmaceuticis ad medicamentarium usum reservatur : Amygdala & Amygdalum dicitur.

Aliæ duæ species sunt quarum fructus ad mensas apponuntur, scilicet Amygdalus sativa fructu minori, *C. B. P.* 441. & *Inst. R. H.* 627. & Amygdalus dulcis, putamine molliore, *C. B. P.* 442. *Inst. R. H.* 627. Hæc a præcedente differt putamine, quod fragile est, & Violæ odorem quodammodo refert : illa vero tantummodo magnitudine.

Analysi chymica, ex Amygdalarum virentium, adhuc immaturarum, quarum nucleus nondum induruit ℔v. per retortam distillatis, prodierunt primo phlegmatis limpidi fere inodori, saporis aliquantisper herbacei, subacidi, ℥xv. ʒv. gr. xxxvj. humoris limpidi, manifeste acidi, ac tandem austeri, ℔iij. ℥viij. ʒvj. humoris sale alcali urinoso imprægnati ʒvj. gr. salis volatilis urinosi, concreti, gr. xxx. olei ʒvij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. ʒv. gr. xxxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥vj. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒij. gr. lxviij. lixivio extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. gr. liiij. in calcinatione ℥ij. ʒvj. gr. lx.

Ex Amygdalarum dulcium bene maturarum ℔v. per retortam distillatis, prodierunt phlegmatis limpidi, saporis & odoris expertis, obscure salsi & obscure acidi ℥v. ʒiij gr. ix. humoris limpidi, odoris aliquantisper ingrati & saporis subacidi, obscure austeri, ʒvj. gr. xviij. humoris primum limpidi, rufescentis deinde fusci, sale volatili urinoso imprægnati ℥v. ʒiiij. gr. xviij. olei fluidi ℔ij. ℥ix. ʒiiij. gr. xxxix. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥xiij. ʒvij. gr. lxiij. quæ

igne

igne reverberii per 12. horas calcinata reliquit cinerum ℥lj. ʒj. gr. lxvj. ex quibus salis fixi alcali ʒij. gr. xxj. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥xij. ʒv. gr. lxix. in calcinatione ℥xj. ʒv. gr. lxix.

Oleum per retortam multoties distillatum plurimum humoris aquei acris, tum acidi, tum alcali urinosi, disjicit, aliquantulum capitis mortui nigri in retortæ fundo relinquendo, ita ut totum oleum per iteratas distillationes converti videatur in terram nigram, aquam, & aliquam salis tum acidi, tum alcali urinosi portionem admodum exiguam.

Maturæ igitur Amygdalæ oleo copioso constare videntur, multo phlegmate, mediocri salis acidi, & exigua salis ammoniacalis portione, cum pauca terra subtili. Econtra Amygdalæ immaturæ perparum admodum olei præbent, multum phlegmatis acidi, ita ut oleum nihil aliud esse videatur, quam sal acidus & aqua cum inflammabili principio seu igne elementari certo quodam modo conjunctis & mixtis, ut jam alibi demonstravimus.

Ex Amygdalis contusis oleum limpidum exprimitur & quidem magna copia. Si cum aqua paulatim contundantur in liquorem lacteum convertuntur, sapore dulcem & gratum particulis oleosis & aqueis, mediantibus salibus, intime conjunctis. Lacteus ille liquor veluti lac per tempus aliquantisper acescit, ab acidis affusis nonnihil grumescit, ita ut quædam pars caseosa coagulata separari possit, necnon etiam assidua agitatione nonnihil butyrosæ substantiæ fundit, ac proinde lac tenue merito dici potest.

Amygdalæ diu asservatæ oleosæ fiunt & rancidæ, exhalata nimirum humiditate qua oleum adeo divisum erat ut sensibus percipi non posset. At vero per tempus exhalatis aqueis particulis, olei partes salibus onustæ coadunantur & palatum ac nares graviter feriunt.

Amygdalæ dulces recentes corpus nutriunt, non abunde tamen, quidquid econtra nonnulli affirment; & alimentum crassum suppeditant. Quorumdam ventriculum gravant, quorum succus digestivus debilior est. Attendendum quoque Amygdalas edendo ut probe dentibus comminuantur, antequam deglutiantur. Si enim sub dentibus non accurate commolantur, adeo densa & compacta est earum substantia ut particulas deglutitas integras rejectas videas. Ad varios, lautosque mensarum usus adhibentur. Sacchato incrustatæ bellaria præbent, variaque ex illis scitamenta dulciarii parant, quæ inter gulæ potius irritamenta, quam vitæ præsidia annumerantur. Ægrotantibus tamen quandoque exhibentur ad humores acriores leniendos, & tenuiores inspissandos, unde tabidis & macilentis escam præbent non insalubrem.

Eligi debent recentes, non rancidæ, extus fulvæ, planæ, non rugosæ, intus albissimæ, sapore dulces & gratæ. Nam vetustate, ut jam diximus, aquea humiditas absumitur & evaporatur, adeoque evadunt extus rugosæ, intus flavescentes oleosæ & acres. Nec illud videtur prætermittendum, semper & in omni usu detrahendam esse pelliculam flavam carni candidæ immediate adhærentem. Fusco enim pulvisculo resinoso & acri contegitur, quo comedentium fauces sæpius irritantur & tussis excitatur.

Exhi-

Exhibetur autem sub emulsionum nomine lac seu cremor Amygdalinus, qui sic præparatur.

Sumuntur Amygdalæ dulces recentes: Aquæ calenti immerguntur donec pellicula fuerit emollita, quæ detrahitur. Postea in mortario marmoreo probe contunduntur, sensim affundendo decocti Hordei, Seri Lactis, vel liquoris alicujus convenientis ℥j. vel ℥ij. pro singulis Amygdalarum drachmis; & colatura fit cum expressione, cui Sacchari tantillum vel Syrupi alicujus q. s. adjicitur ad gratiam huic Cremori majorem conciliandam. Urinas promovere dicitur sicut cœtera diuretica quæ improprie frigida dicuntur, quæ quidem serum expellunt per accidens tantum, ut ajunt, vel massam sanguineam inspissando & ejus seri infusionem provocando, vel renum inflammationem sedando, unde illæ partes ad pristina sua munera aptiores fiunt. Eamdem ob causam vis anodyna ipsis tribuitur. Emulsiones ex hoc cremore ægrotantibus offeruntur in febribus ardentibus, vigiliis nimiis, urinæ ardore, renum & vesicæ inflammatione, doloribus quibuscumque, diarrhæis, dysenteriis, hæmorrhagiis. Phthisicis & emaciatis cremor ille utiliter præscribitur, præsertim si sudores colliquativi immineant. Lactis enim vices quodammodo adimplet, acris seri sanguinis spicula retundendo & involvendo, partiumque segregationem impediendo: nec iisdem noxis obnoxius est, non enim adeo facile acescit, nec tot sulphureis particulis donatur, quæ ab humorum æstu accenduntur. Non solum ut medicamentum illis ægrotis proponitur, sed etiam ut alimentum conveniens. Oryza enim vel Hordeum perlatum in hoc Amygdalino cremore decocta idoneum præbent alimentum quod æstuantes humores facile domare potis est, & ab iisdem vehementer æstuantibus in effervescentiam compelli nequit.

Nonnulli moti auctoritate Avicennæ dicentis, Amygdalas ob suam unctuositatem movere choleram, sibi persuadent non tutum esse cremoris Amygdalini usum febricitantibus & iis, qui stomachum biliosum habent, facile inflammari, caput gravare, nec vulnerato capite ægrotantibus utendum esse. Verum licet unctuositas illa, levissima quidem in Amygdalis negari nequeat, terrestribus particulis irretitur; quapropter nihil quicquam nocumentorum jam dictorum experientia quotidiana omnium fere Medicorum commonstravit: quinimo ex Amygdalino lacte aut emulsionibus ægrotantes fere omnes in febribus acutis & colicis morbis maximum solatium atque levamen accipere, quotidie exploramus.

Ex Amygdalis dulcibus oleum dulce recenter expressum frequenter usurpatur, tum ad humorum acrimoniam demulcendam, tum ad crispatas aut induratas partium fibras emolliendas & laxandas, in inflammationibus, urinæ ardore & suppressione, colicis doloribus ac nephriticis, tussi molesta, ad expectorationem promovendam, urinas pellendas, alvum subducendum, dolores compescendos, ita ut a plurimis Panacea merito habeatur. Est sane medicamentum ευπόριστον, ad multa efficax, blandum & gratum: sed recenter expressum esse oportet. Exhibeatur ad ℥j. ℥iiij. vel ℥viij. & pro necessitate reiteratur tertia vel quarta quaque hora. Pulmoni & pectori utilissimum est. Recens expressum syrupo alicui bechico ut Althææ, Capillor. Vener. Papaver.

Rhæad.

Rhæad. Hyssopi aut Hederæ terrestris affusum, una agitare, miscere, adeoque bibendum præbere, parva quidem quantitate una vice, solent, & sæpius repetere illius usum, vas denuo agitantes: nam oleum a syrupo facile recedit, eique supernatat.

Ad infantium tormina cochleatim propinatur cum syrupo Capillor. Vener. de Althæa vel de Cichorio composito cum Rheo. Ad eorumdem tussim vehementiorem, cum Syrupo Papaveris Rhæados vel Diacodio. Purperis aliquot unciæ ad dolores post partum demulcendos in jusculo vel solæ exhibentur. Similiter pleurutidis initio post venæ sectionem, aliquot illius unciæ per intervalla sumptæ incipientem pleuræ inflammationem mire discutere valent. In nephriticis affectionibus idem oleum cum aqua vel decocto Parietariæ, syrupo de Limonibus, de Ibisco, aut alio utiliter propinatur: & hæc potio oleosa reiteratur, prout res postulat.

Hoc affatim bibitum in colicis affectionibus quibuscumque, in alvi siccitate, & constrictione plurimum valet & est præterea singulare convulsionum remedium. Clysteribus permiscetur utiliter ad ℥iiij. vel ℥viij. in colicis doloribus, alvinis obstructionibus, dolore nephritico, tenesmo, dysenteria.

Externe inunctum sæpius & calide tonsillarum tumores resolvit, pleuræ inflammationem & partium dolores lenit, durities emollit, cutis asperitatem tollit, quapropter inter cosmetica medicamenta usurpatur.

℞. Amygdalar. dulc. a pellicula mundatar. paria VI. Contundantur in mortario marmoreo, sensim affundendo Decoct. Hord. vel Aquar. Portulacæ aut Lactucæ q. s. Fiat amulsio pro duabus dosibus. Unicuique adde Syrup. de Nymphæa ℥j. ad sitim extinguendam & æstum temperandum, in febribus, cœterisque calidis affectionibus pulmonum, pleuritide, peripneumonia, quarta quaque hora.

℞. Amygdalar. dulcium excorticatarum ℥ß. Seminum quatuor frigidiorum majorum ana ʒj. Semin. Althæa ʒij. Contunde, ut artis est, & affunde Decocti Hordei, & Liquiritiæ ℔ij. Fiat Emulsio, in qua dissolve salis prunellæ ʒj. Syrup. de Althæa ℥ij. Sumatur per vices in renum ardoribus, gonorrhæa ad humoris & urinæ acrimoniam demulcendam.

℞. Amygdalar. dulc. excorticatar. ʒij. Semin. Melon. & Card. bened. ana ʒj. Aquar. Scabiosæ, & Scorsonner. ana ℥vj. Adde Diaphoretic. miner. gr. xxx. Syrup. Caryophyllor. hortens. ℥ij. Fiat emulsio s. a. pro duabus dosibus in variolis & morbillis.

℞. Amygdalar. dulcium & quatuor frigidior. major. semin. ana ʒj. Contunde, ut artis est, cum aq. Nymphææ, Lactucæ, & Portulacæ ana ℥ij. Fiat colatura cum expressione. Adde Syr. Nenupharis, & Diacod. ana ℥ß. Fiat emulsio pro una dosi ad somnum conciliandum.

℞. Aquæ vel Decocti Parietar. ℥iiij. Syrup. de Althæa vel Limon. ℥j. Olei Amygdalar. dulcium recens & sine igne expressis ℥j. Fiat potio uno haustu sumendam, & sæpius iteranda in dolore nephritico, urinæ ardore & suppressione, præmissis præmittendis.

℞. Mann. Calabr. ℥ij. Solve in decocti carnis vitulinæ ʒvij. Solutioni tran-

scola-

ſcolatæ adde Olei Amygdalar. dulc. ℥j. Sumat æger in colicis doloribus, ad alvum blande ſubducendam.

♃. Confect. univerſal. Mann. Glabr. ana ℥j. Diſſolvantur & bull. leviter in Aqu. Plantag. ℥vj. Colaturæ adde Olei Amygdalar. dulc. ℥j. Fiat potio purgans, in dyſenteria & alvi profluviis.

♃. Syrup. de Cichor. comp. cum Rheo, & Olei Amygdalar. dulc. recens expreſſi ana ℥j. Miſceantur & cochleatim infantulis exhibeantur ad tormina ventris ſedanda, ventriculi & inteſtinorum ſaburram eliminandam.

♃. Olei Amygdalar. dulcium ℥j. Spermatis Ceti ʒij. Diſſolvantur, & miſceantur. Fiat linimentum ad maculas & aſperitates cutis.

Amygdalæ dulces uſurpantur in Electuario Diaphænico, Trochiſcis Gordonii, *Ph. Reg. Charas.*

Amygdalas dulces tenellas, & virentes, antequam oſſicula induruerint, menſis ſecundis inferunt, & integra una cum tegumentis eſitant præſertim Saccharo conditas: ſuntque revera ſubacido ſapore palato acceptæ, ſed pravum præbent alimentum.

Amygdalus amara, *Officinarum*: Amygdalus amara, *C. B. P.* 441. *J. B.* 1. 174. *Inſt. R. H.* 627. Ab Amygdalo ſativa dulci non differt niſi fructuum amarore; de cœteris conveniunt.

Analyſi chymica, ex Amygdalarum amararum ℔v. prodierunt phlegmatis fere inſipidi & inodori, obſcure ſalſi & obſcure acidi ℥v. humoris ingrati, ſubacidi, obſcure auſteri ʒvij. gr. xiij. humoris limpidi, ruſeſcentis, empyreumatici, tum ſubacidi, tum ſale volatili urinoſo impregnati ℥ix. ℥iij. olei ruſeſcentis ℔ij. ℥vj. ʒj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℔j. ℥ij. ʒij. gr. xxxvj. quæ per 12. horas igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiij. gr. xxvij. ex quibus ſalſis fixi alcali ʒj. gr. xiij. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥viij. ʒij. gr. xxiij. in calcinatione ℥xv. ʒvij. gr. ix.

Licet olea empireumatica, tum ex amaris, tum ex dulcibus Amygdalis diſtillata, empyreuma redoluerint, guſtu tamen acrius eſt amararum, quam dulcium oleum. Deinde oleum expreſſum ex Amygdalis amaris odorem tantillo penetrantiorem ſpirare videtur, quam quod ex dulcibus expreſſum eſt. Horumce oleorum acrimonia & ſubtilis odor a volatilibus pendent ſalibus, qui paulo majori copia in amaris, quam in dulcibus deprehenduntur. Amaror autem a particulis craſſioribus oritur, ſalinis potiſſimum; quandoquidem amarus in expreſſo oleo ſapor minime diſtinguitur, licet expreſſum magma intenſam ſervet amaritiem. Et amaræ illæ particulæ fortaſſe a ſale cathartico amaro non multum diſſimiles ſunt, oleo craſſiori, & terræ ſubtili implicitæ.

Amygdalis amaris vis incidendi, abſtergendi, aperiendi, urinas promovendi, ac vermes enecandi tribuitur. Rarius tamen propter amarorem ad uſum internum uſurpantur. Earumdem oleum expreſſum urinas ciere, alvum laxare, expuitionem promovere, & blande flatus diſcutere dicitur, ſi ejus dimidia vel integra uncia cum juſculo hauriatur.

Extus hoc oleum commendatur, ad inflammationis ſedandas, tumores reſol-

ſolvendos, dolores mitigandos, & oleo Amygdalarum dulcium potentius reſolvit. Tonſillarum inflammationem reſolvit, ſi collum eo inungatur. Aurium ſordes induratas emollit, & reſolvit: idcirco efficax ad ſurditatem, & aurium tinnitum vulgo habetur, ſi goſſypium hoc oleo madidum auri indatur: ſed perperam ſi ab alia cauſa ſurditas oriatur, ſiquidem Fridericus Hoffmannus obſervat ſurditatem aut gravem auditum ſæpiſſime ejus uſu auctum fuiſſe, eo quod tympani membranam nimium laxaverit. Idem auctor in tympanitide ſequens oleum commendat.

℞. Amygdalar. amar. ℔j. Semin. Cymin. Abſynth. ana ℔ß. Contunde in mortario & miſce. Poſtea in lagena ſtannea, per quatuor horas, in aheno aqua ferventiſſima pleno coque, deinde fortiter exprime. Prodit oleum viride. Doſ. ʒij. vel ℥ß. mane & veſperi in juſculo: & ſæpius etiam venter hoc oleo inungatur.

Præterea oleum Amygdalar. amarar. faciei maculas a ſole oriundas tollit: cum oleo ovorum mixtum, & inunctum variolarum foveolas præcavere potis eſt.

Ad manuum nitorem, lævoremque conſervandum uſurpari ſolet magma ab olei expreſſione relictum, & exſiccatum, quo aqua diluto manus lavari, fricarique ſolent, & quovis Sapone præſtantius eſt.

Obſervandum eſt Amygdalis amaris aves, vulpeculas, catellos, & animalia quamplurima, homine excepto, convulſionibus ſæpe deleteriis affici; quod quidem magis exquiſito fibrillarum nervoſarum gulæ, & ventriculi horumce animalium ſenſui tribuendum eſt, quo fit, ut ab his amaris particulis gravius lædantur quam in homine, facilius criſpentur, vehementius conſtringantur, convellantur.

Amygdalas amaras quinas vel ſenas ante paſtum comeſtas ebrietatem arcere vulgaris eſt opinio. Novimus tamen, inquit J. Bauhinus, qui remedium illud adverſus ebrietatem in uſu habentes, nihilo ſecius a Bacchio obruuntur.

Amygdalæ amaræ uſurpantur in Electuario de Baccis Lauri, & Trochiſcis de Capparibus.

## ANACAMPSEROS.

Anacampſeros, Telephium vulgare, Fabaria, Faba craſſa, Faba inverſa, Craſſula major, *Officinarum*: Anacampſeros, vulgo Faba craſſa, *J. B.* 3. 681. *Inſt. R. H.* 264. Telephium vulgare, *C. B. P.* 287. Telephium alterum ſive Craſſula, *Dodon. Pempt.* 130. Fabaria, *Matthiol*: Scrophularia media vel 3. *Brunsfelſii*: Acetabulum alterum, *Cordi*: vulgo, *Orpin*, *Repriſe*, *Graſſette*, *Joubarbes des vignes*.

Radice eſt tuberculis carnoſis, candidis, ſtrumoſa; caulibus rectis, teretibus, ſolidis, in ramulos aliquot diviſis, palmum unum, aut alterum altis, quibus perquam crebra adnaſcuntur folia ſurrecta, carnoſa, craſſa, ſucculenta, Portulaceæ foliis longiora, colore glauco, rubedine aliqua ſubinde perfuſo, crenata, ut plurimum, licet interdum integra ſint.

ſint. Flores in ſummis caulibus & ramulis inſident in umbellas digeſti, roſacei, pentapetali, rubentes & non raro albicantes, cum pluribus ſtaminulis. Ex floris calyce ſurgit piſtillum quod abit in fruſtum ex quinque veluti capſulis vaginarum æmulis in capitulum quoddam collectis, compoſitum, ſeminibuſque fœtum perexiguis. Flore & fructu cum Sedo convenit, ſicut & foliis craſſiuſculis, ſucculentis: ab eo tamen diſtinguitur, quod a prima ſtatim germinatione excauleſcat, cum folia Sedi in globulos oculi bovilli æmulos congerantur. In ſylvis umbroſis & humidis maxime & ad ſepes naſcitur. Uſu ſunt radices & folia.

Analyſi chymica, ex plantæ floridæ ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt phlegmatis limpidi, aliquantiſper odorati, obſcure ſalſi & obſcure acidi ℥x. ʒvij. gr. xxiiij. humoris primum limpidi, ſubacidi, deinde rufeſcentis, manifeſte acidi, ac tandem fuſci, intenſe acidi & auſteri, empyreumatici, ℔iij. ℥xij. ʒiiij. gr. vj. humoris fuſci, obſcuri, empyreumatici, intenſe acidi, auſteri & ſale volatili urinoſo imprægnati ℥j. ʒij. gr. lxij. olei craſſitudinis adipoſæ ʒvj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iiij. ʒij. gr. xij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. lxvj. ex quibus ſalis fixi ʒj. gr. xlij. mere alcali extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. xxxix. in calcinatione ℥ij. ʒvij. gr. xviij.

Anacampſerotis ſuccus aliquantiſper glutinoſus eſt, & chartam cœruleam rubro colore inficit; ſalem acidum auſterum continet ſali aluminoſo haud diſſimilem, cum aliquantiſper ſalis Nitroſi Ammoniacalis, & ſulphuris portione mediocri commixtum. Hoc mucoſo & ſubacido ſucco ſaniei ulcerum erodentis acrimoniam retundit, ſpicula ſalina, acria, involvendo & irretiendo.

Ex Anacampſerotis radicum recentium ℔v. per retortam diſtillatis, prodierunt phlegmatis limpidi, ſaporis & odoris aliquantiſper aromatici, non ingrati, ſubacidi ℔ij. ℥xiiij. ʒvij. humoris primum limpidi, ſaporis aromatici, manifeſte acidi, deinde fuſci, empyreumatici, intenſe acidi & auſteri ℔j. ℥iiij. gr. lx. humoris rufi, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥j. ʒij. olei ℥j. ʒiiij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥vj. ʒvj. gr. xxiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiiij. gr. xxxvj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒij. gr. xxviij. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. ʒiij. gr. xxxiiij. in calcinatione ℥v. ʒj. gr. lx.

Per hanc analyſim liquet has radices ſale tum ammoniacali, tum aluminoſo conſtare & oleo copioſo tum tenui & aromatico, tum craſſo. Radices plus olei & quidem tenuis & aromatici continent quam folia, & majorem ſalis ammoniacalis portionem: unde magis reſolvunt quam folia. Hæc vero major acidi nitroſi ſalis portione donantur, quo refrigerant magis & abſtergunt.

Internus Anacampſerotis uſus fere nullus eſt aut ſaltem rariſſimus. Foliorum ſuccus in potu uſurpatus a nonnullis in hæmoptiſi, ulceribus internis & hæmorrhoidum affectionibus laudatur. In clyſteribus eorum decoctum ad conſolidanda inteſtinorum ulcera in dyſenteria cum reliquis vulnerariis utiliter uſurpatur: detergit enim & adſtringit.

Externe in recentibus vulneribus ſanguinem ſiſtit, ulcera detergit, & ad cicatricem perducit, tumorum ſuppurationem promovet, dolores miti-

mitigat, præsertim hæmorrhoidales, tum planta contusa & in cataplasmatis formam redacta, tum ejusdem succus expressus. Nonnulli ad inflammationes sedandas totam plantam in mortario plumbeo contundunt & cum oleo Rosarum terunt. A Friderico Hoffmanno ejus succus in ulceribus uteri, & ejus excoriationibus plurimum commendatur.

Radices contusæ & cum insalso butyro coctæ vel tritæ in unguenti consistentiam in hæmorrhoidum inflammationibus plurimum valent. Imo eædem radices recentes tot quot hæmorrhoidalia in ano tubercula protuberant, loco amuleti de collo filo usque ad Os sacrum suspensæ a Vedelio & Ettmullero multum prædicantur: marcescentibus enim radicibus, si illis credere fas est, tubercula tabescunt & evanescunt.

Silentio prætermitto Sympathicam herniæ inguinalis curandæ virtutem, quæ ipsis tribuitur, utpote admodum incertam.

Aqua ex tota planta distillatur, quæ per aliquot dies continuo bibita ad vulnera & ulcera interna laudatur.

Anacampseros usurpatur in Aqua vulneraria.

Alia est Anacampserotis species cujus radix in usum nonnunquam venit: dicitur.

Rhodia Radix, *Offic.* Anacampseros radice Rosam spirante, major, *Inst. R. H.* 264. Rhodia radix, *C. B. P.* 286. *J. B.* 3. 683. *Dodon. Pempt.* 347. A Telephio vulgari parum differt, nisi radicis odore saporeque Rosarum consimilii. Radix sola in usu est. Cephalica & adstringens habetur. In adstringentibus decoctis quandoque usurpatur. Externe in capitis doloribus ex apricatione contractis contusa & cum aqua Rosarum vel Verbenæ decocta fronti admovetur & circumligatur.

## ANAGALLIS.

Anagallidis species duæ in Officinis usitatæ sunt, quarum una mas dicitur; altera fœmina, quæ nonnisi floris colore inter se discrepant.

Anagallis mas, *Off.* Anagallis phœniceo flore, *C. B. P.* 252. *Inst. R. H.* 142. Anagallis phœnicea, mas *J. B.* 3. 369. Anagallis mas, *Dod. Pempt.* 32. vulgo, *Mouron a fleurs rouges*.

Radice alba, simplici, fibrata donatur, cauliculis infirmis & humifusis palmaribus, quadratis, lævibus, quos folia bina opposita, nonnunquam terna stingunt Alsines mediæ paria, absque pediculis, inferna superficie punctis ex rubro nigricantibus guttata. Flores ex alis foliorum singulatim exeunt, pediculis tenuibus oblongis nixi, monopetali, in quinque segmenta acuta totidem folia imitantia ad unguem fere divisi, phœnicei, cum staminibus purpureis, apiculis luteis & calyce quinquifido, ex quo surgit pistillum mediæ floris parti ad instar clavi infixum, quod abit in fructum seu testam fere globosam, pro plantulæ modo grandem, per maturitatem in duas partes quarum altera alteri incumbebat transversa dehiscentem & seminibus fœtam exiguis, ut plurimum angulosis, rugosis, subfuscis, placentæ affixis.

Ana-

Anagallis fœmina, *Off.* Anagallis cœruleo flore, *C. B. P.* 252. Anagallis cœrulea fœmina, *J. B.* 3. 369. Anagallis fœmina, *Dod. Pempt.* 32, vulgo, *Mouron a fleurs bleues*. Solo floris colore a præcedente diversa est. Nonnunquam flore albo floret. In campis & hortis agri Parisiensis utraque frequens nascitur. Usus est foliorum cum floribus.

Instituta Anagallidis maris analysi chymica, totius plantæ floridæ ℔v. per B. V. distillatæ præbuerunt phlegmatis limpidi odoris & saporis herbacei ℔j. ℥xiiij. humoris manifeste acidi ℔j. ℥xiv. ʒiij. quod in alambice supererat pendebat ℔j. ℥ij. ʒvj. ex quo per retortam distillato prodierunt humoris fusci tum intense acidi, tum manifeste alcali urinosi ℥iiij. ʒij. gr. xxxvj. cum salis alcali urinosi concreti granis aliquot: olei syrupi ad instar crassi ℥j. ʒij. gr. xxxiv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥viij. ʒj. quæ per horas quatuor in crucibulo igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥iij. ʒvij. ex quibus salis fixi salsi ʒij. gr. xxj. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in prima distillatione vaporosa fuit tantummodo ʒvij. in altera per retortam ℥v. gr. xij. in calcinatione vero ℥iij. ʒij.

Totius plantæ sapor herbaceus est, subsalsus, austerus. Ejus succus chartam cœruleam rubro colore tingit: unde concludere possumus essentialem hujus plantæ salem ad terram foliatam Tartari proxime accedere cum aliqua salis Ammoniacalis portione & oleo copioso permixtum.

Anagallis utraque Cephalicas inter plantas recensetur. Sudoriferæ sunt & vulnerariæ. Anagallis flore phœniceo potissimum in usu est. In mania, phrenitide febres ardentes comitante, in epilepticis, convulsivis & hypochondriacis affectibus, necnon adversus infantium tormina utiliter usurpatur. Succus vel decoctum præscribitur. In mania succus vel decoctum ad ℥iiij. ter die propinatur. Anagallidem adversus pestem mire conducere Tragus asserit ita usurpatam ut postquam ex illa in vino decocta mediocrem haustum ægri acceperint, in lecto se componant bene contecti & sudabunt. Idem decoctum muliebres menses movet. Ad phthisim, pulmonum tabem, sputum fœtidum & purulentum Joannes Rajus distillatam Anagallidis maris aquam cum pari vaccini lactis quantitate permixtam & Sacchari optimi q. s. edulcoratam, quotidie mane & vesperi ad ℥vj. epotam tanquam medicamentum multoties expertum commendat.

Anagallidis succus aut decoctum ex aqua vel vino ulcera mundificat & sanat, medeturque serpentum & viperarum ictibus & canis rabidi morsui, & bibatur aut si ex eodem vulnera colluantur, & herba contusa imponatur: dolores mitigat.

Usurpatur in Unguento mundificativo de Apio.

## ANETHUM.

Anethum, *Off.* Anethum hortense, *C. B. P.* 174. *Inst. R. H.* 317. Anethum, *J. B.* 3. 2. 6. *Dod. Pempt.* 298. vulgo, *Anet*. Radice est gracili, singulari, alba, fibrata, caule sesquicubitali, ramoso, firmo, foliis Fœniculi sed minoribus, glaucis, odore gravi. Flores in summis ramulis oriuntur in umbellam congesti, rosacei, & quinque petalis

 lu-

luteis conflati, quorum calyx mutatur in duo semina ex flavo pallescentia, ovata, compressa, lineam longa, tribus striis distincta & limbo foliaceo cincta.

In hortis seritur, & semel satum sæpe quotannis ex deciduo semine reviviscit.

Gravis utcumque est Anethi halitus, sed tamen jucundus ac suavis.

Semen in primis usitatum est, deinde summitates & folia.

Analysi chymica, ex Anethi summitatum floridarum ℔v. prodierunt phlegmatis limpidi, odorati, manifeste acidi ℔ij. ℥j. ʒiiij. gr. xxiiij. humoris limpidi, adhuc odorati, intense acidi ℔j. ℥vij. ʒvj. gr. xv. humoris rufescentis tum acidi, tum salsi ℥v. ʒv. gr. xviij. humoris fusci, urinosi, & multo sale volatili urinoso fœti ℥v. ʒj. gr. xxxvj. olei tum essentialis fluidi & flavescentis, tum fusci spissioris ad instar axungiæ ℥ij. ʒij. gr. xij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥v. ʒiiij. gr. xij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiiij. gr. liiij. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. gr. lx. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥xj. ʒvj. gr. lj. in calcinatione ℥ij. ʒvij. gr. xxx. unde liquet hanc plantam sale ammoniacali & oleo tum tenui, tum crasso copioso turgere.

Anethum ratione ejus olei & ammoniacalis salis inter carminantia recensetur medicamenta, seu quæ viscidos ac lentos humores incidunt ac dividunt. Revera flatus & abdominis aut ventriculi distensiones quæ lentorum ac tenacium humorum effervescentiam comitantur, sale ammoniacali & oleoso mire dissipat. Idcirco in colicis doloribus & flatulentis intestinorum affectionibus, quæ a causa, ut ajunt, frigida, seu partium atonia aut humorum lentore pendent, usurpatur & prodest: ciborum concoctionem juvat: singultui, vomituique medetur, modo ab humoribus tenacibus & acribus ventriculi parietibus inhærentibus, ejusque membranas moleste vellicantibus ortum duxerint: urinas & menses provocat, resolvendo nempe obstructiones renum aut uteri: lac nutricibus auget, chylum tenujorem ac fluidiorem efficiendo, adeo ut intricata mammarum vasa facilius permeare queat. Vis anodyna a nonnullis ipsi tribuitur: somnum vero conciliare valet & dolores pacare, non diversa ratione ab ea, qua Crocus, Nux moschata, & alia aromata oleosa hujuscemodi consopire valent. Semen ad ʒj. usurpatur.

Extrinsecus summitates, folia & semina in cataplasmatis & fomentis resolventibus usitata sunt ad tumores resolvendos vel maturandos. In enematibus carminantibus semen & flores usurpantur, flores enim quatuor carminantibus floribus annumerantur, scilicet floribus Chamæmeli, Meliloti & Matricariæ. Semina recentia contusa & puerorum temporibus apposita placidum somnum accersunt.

Ex Anetho in Officinis præparata asservantur, Aqua distillata, Oleum essentiale, & oleum per infusionem paratum.

Aqua odora ex tota planta distillatur iisdem virtutibus instructa, sed longe debilioribus. Præstantiores vero Oleum essentiale obtinet, carminans & anticolicum eximium. Ad guttas ij. vel iiij. intus sumitur. Illi proxime accedit Oleum Anethi per infusionem præparatum; quo in colicis doloribus abdomen, in cephalalgia caput & tempora illiniuntur.

24. De-

℞. Decoct. folior. & seminum Anethi ℥vj. Theriaces veteris ℈j. Olei essential. Anethi guttas iiij. Syr. Menth. crispæ ℥j. Fiat julap. in colico dolore.

℞. Rad. Althææ ℥ij. Summitatum Chamæmel. & Melilot. ana Pug. ij. Semin. Carvi & Aneth. ana ℥j. Coq. in aq. fontan. ad ℔j. cum Mell. Anthos. ℥ij. Fiat enema in colico dolore.

℞. Olei essentialis Aneth. gutt. iiij. Olei Amygdalar. dulcium recenter express. ℥ß. Misce. Fiat haustus ab Otthon. Heurnio in singultu contumaci commendatus.

Summitates Anethi usurpantur in Oleo vulpino. Oleum per infusionem in Emplastro de Ranis cum Mercurio, Empl. Diachylo gummato, & Empl. de Mucaginibus.

## ANISUM.

Anisum vulgare, *Off.* Cuminum dulce *Quorumdam*: Apium Anisum dictum. *Inst. R. H.* 305. Anisum herbariis, *C. B. P.* 159. Anisum, *J. B.* 3. 2. 92. vulgo, *Anis*.

Radice est exili, annua, fibrata, alba; foliis inferioribus subrotundis, læte virentibus, unciam superantibus, trifariam divisis, crenatis & glabris: superiora vero multifida sunt; caulis ramosus, striatus, cavus, flores sustinet in umbella dispositos, exiguos, rosaceos, e quinque petalis bifidis, candidis, constantes, cum calyce abeunte in fructum oblongum, turbinatum, ex duobus seminibus exiguis, gibbis, & striatis conflatum, colore ex viridi cineraceo, odore ac sapore dulci, gratissimo, cum jucunda quadam acrimonia. Seritur copiose in Gallia apud Turones.

Anisi semen præcipue in usum est: herba raro in usum venit: radix tanquam inutilis.

Analysi chymica, ex totius Anisi plantæ recentis ℔v. dempta radice, per balneum vaporarium prodierunt phlegmatis limpidi odori ℔j. ℥ij. absque ullo manifesti acidi indicio: humoris limpidi, acidi, occulti primo, deinde manifesti ac tandem intensi ℔ij. ℥iij. ʒiiij. cum olei essentialis tantillo. Herba in alambice residua, exsiccata, per retortam distillata præbuit humoris tum acidi, tum alcali, urinoso sale fœti ℥j. ʒiij. gr. lx, olei tum tenuioris & essentialis, tum spissi ad instar axungiæ ʒv. gr. xxxiiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ igne reverberii per sex horas calcinata reliquit cinerum nigrorum ℥j. ʒj. gr. lx. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvij. gr. xxvj. fuerunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℔j. ʒv. ʒiij. gr. xiiij. in calcinatione vero ℥j. ʒiiij. gr. xlviij.

Semen multo plus olei essentialis continet quam cœteræ hujus plantæ partes, illudque fundit majori vel minori quantitate prout recens est & bene maturum aut vetus & exsuccum. Duplici modo extrahitur. Vel semen contusum aqua per viginti quatuor horas maceratur ac tandem igne vegeto distillatur. Aqua odorata extrahitur cui oleum limpidum Anisi supernatat rite separandum. Vel Anisi semen contusum setaceo imponitur. Setaceum linteo obtectum aquæ bullientis vapori expositum detinetur donec

ſemen madeat. Madidum & calens adhuc ſemen linteo involvitur, prælo ſubjicitur, & fortiter exprimitur. Sic oleum ſubviride odoratum, palato gratum ac dulce diffluit a ℥vj. ad ℥ix. & amplius ex ſingulis Aniſi libris. Illud oleum frigore facile concreſcit ob copioſum ſalem acidum, tenuem tamen & cum oleoſis partibus intime admixtum, atque conjunctum. Sapor Aniſi dulcis oritur ab eorumdem acidorum ſalium ſubtilitate & accurata cum oleoſis particulis mixtura: qualis in Saccharo, Melle & ſale Saturni deprehenditur.

Aniſi ſemen inter quatuor ſemina calida majora primum locum obtinet. Sunt autem ſemina Aniſi, Fœniculi, Cumini & Carvi: minora vero ſunt ſemina Ammeos, Amomi, Dauci & Apii. Hæc autem ſemina a Pharmacopœis carminativa, hoc eſt, flatus diſcutientia vocitantur.

Veteres Medici in ventriculo frigido & humido ſemen Aniſi tanquam ſtomachicum eximium commendarunt. Hinc in difficili ciborum concoctione, quæ a ventriculi cruditatibus, aut ajunt, oriuntur, ut in colico dolore, ſingultu, dolore capitis, vigiliis, diarrhæis, Dyſpnœis & aliis hujuſcemodi feliciter uſurpatur. Lactis coagulationem in nutricum mammis præcavet. In lacte ebullitum & propinatum uberem lactis copiam nutricibus ſuppeditat: aliis ſuavem ſomnum conciliare ſolet. In infantium torminibus & doloribus colicis a pituita craſſa ac viſcida plurimum conducit, humores viſcidos ac tenaces dividendo & ſolvendo, ut de Anetho diximus, cui longe præſtat. Eorumdem convulſivos motus a prava ciborum concoctione oriundos ſedat, unde ab Helmontio ſolamen inteſtinorum audit. Heurnius ſemine Aniſi pulverato & ad ℈j. cum pulte propinato infantes tam valide purgari aſſerit, quam ætate provectiores Rhabarbaro. In raucedine, tuſſi, aſthmate, difficili reſpiratione atque pectoris doloribus punctoriis, flatulentis, qui ab humore crudo ſeu tenaci ac viſcido naſcuntur, feliciter uſurpatur, & a quibuſdam anima pulmonum dicitur. Urinas & menſes promovet. Præterea cum purgantibus medicinis ſæpius conſociatur ad earum vim temperandam, & tormina quæ ab illis excitantur præcavenda.

Pulvis a ℈j. ad ʒj. intus ſumitur ſolus vel cum Saccharo permixtus: vel ejus infuſum in vino, aqua vitæ aut aqua ſimplici propinatur. Semen integrum Saccharo involutum ſæpe etiam deglutitur. Ejus oleum tum expreſſum, tum diſtillatum in uſu ſunt, ſicut & ſpiritus. Oleum expreſſum iiſdem virtutibus ac ſemen donatur, ſed valentioribus præſertim diſtillatum; a gutt. ij. ad x. vel xx. præſcribuntur. Commendantur potiſſimum in reſpiratione difficili, aſthmate, tuſſi ſicca: & ex oleo Aniſi expreſſo paratur balſamum ſulphuris Aniſatum, non contemnendum his in affectionibus præſidium. Attamen de oleo Aniſi Joannes Junckerus ſcribit *in ſuo Conſpectu Medicinæ Theoretico-practicæ*, illud in pectoris affectionibus niſi ſumma cum circumſpectione adhibendum eſſe, ne phthiſicis & hecticis febrilibus ſymptomatibus viam ſternat. Heurnius obſervat, pulverem ſeu decoctum Aniſi in colicis doloribus longe præferenda eſſe ejus oleo.

Tanta eſt autem olei Aniſi ſubtilitas, ut ſi brevi poſt exhibitionem lac emulgeatur, odor ejus in eo adhuc deprehendatur. Foreſtus illud contra ſan-

sanguinis suffusiones, & contusiones in primis nervosarum partium externe admotum, singulare, & experitissimum remedium pronuntiat. Eodem adversus infantium tormina umbilicus inungitur.

Spiritus Anisi vel ex Aniso in aqua macerato, & fermentato præparatur, vel sola hujus seminis in aqua vitæ maceratione, cujus spiritus postea distillatur. Eisdem cum semine viribus pollet.

♃. Semin. Anisi, Fœnicul. dulc. ana ℥j. Nuc. mosch. ℥ß. Cinnamom. ℈j. Caryophyllor. & Piper. long. ana ℈ß. Sacchar. alb. ℥iiij. M. F. pulvis, cujus ʒj. in haustu vini post pastum ad ciborum concoctionem perficiendam exhibeatur.

Semen Anisi usurpatur in Syrupo de Arthemisia; anti-asthmatico, *Charas*, pulvere Diarrhodon, & Lætificante, in Theriaca, Mithridatio, Electuar. Catholico, Lenitivo, Confect. Hamech, Electuar. de Psyllio, Trochiscis de Rhabarbaro, Pilulis aureis, & polychrestis.

Oleum vero in pilulis aliquibus purgantibus excipitur, tum ad resinosas purgantium medicamentorum particulas dissolvendas, & expandendas, tum ad ventriculum roborandum & ventris tormina sedanda.

A Dulciariis semen Anisi voluptatis gratia Saccharo obducitur, quo palato jucundius fiat. Sic fœdum oris halitum tollit, ventriculum roborat, flatus discutit, & ciborum concoctionem juvat. Idipsum multis adhuc condimentis, & potulentis adjicitur ad majorem gratiam illis conciliandam.

Aliud est semen, Anisum Sinense dictum, ab Aniso nostro prorsus diversum, de quo *in Tractatu de Exoticis* egimus. Solo odore conveniunt.

## ANONIS.

ANonis sive Ononis, & Resta-bovis, *Off.* Anonis spinosa flore purpureo, *C. B. P.* 399. *Inst. R. H.* 408. Anonis sive Resta-bovis vulgaris purpurea, *J. B.* 2. 395. Anonis, *Dod. Pempt.* 743. Antella, *Adversar. Lobel*: Ononis, *Cordi*: Remora aratri, *Quorumdam*: vulgo, *Arrete bœuf*, *Bugrande ou Bugrane*.

Radicibus est pedem superantibus, hac illac repentibus, fractu contumacibus, foris fuscis, intus albis, sapore ingrato. Caules humi sparguntur patuli, densi, tenues, lenti, rubescentes, hirsuti, spinosi, in quibus folia alternatim nascuntur terna, ex oblongo rotunda, leviter crenata, hirsuta, obscure virentia, tactu glutinosa, sapore leguminoso, odore fœtido. Flores in summo quasi spicatim nascuntur papilionacei, dilute purpurascentes vel carnei coloris, raro albi, cum pistillo abeunte in siliquam tres pene lineas longam, unicapsularem, bivalvem, compressam & semen unicum continentem renis forma. In agro Parisiensi sponte nascitur. Tota planta, sed præsertim radix, & radicis cortex in usum veniunt.

Analysi chymica, ex Anonide multum olei, acidi salis, & terræ, salis fixi mediocris quantitas, spiritus urinosi exigua eliciuntur. Hæc autem principia a succo quodam glutinoso, qui ab igne destruitur, involvuntur. Præterea Anonidis succus chartam cæruleam subrubro colore tingit:

git: folia leguminoso sapore sunt fœtida, & glutinosa; unde Cl. Tournefort concludit, hanc plantam constare ex sale Tartaro vitriolato fere simili, phlegmate, multa terra, multoque sulphure involuto. Ab his autem principiis, quæ unanimi consensu ab omnibus Medicis ipsi tribuitur vis aperiendi, & urinas abunde provocandi pendet.

Radix Anonidis vulgo recensetur inter quinque minores aperientes radices, quæ sunt Anonidis, Capparis, Eryngii, Graminis, & Rubiæ radices; dum Apii, Asparagi, Fœniculi, Petroselini, & Rusci radices quinque majores aperientes dicuntur. Reipsa Anonidis radix inspissatos humores potenter resolvit, contumacibus hepatis obstructionibus & ictero apprime conducit: nephritidi atque urinæ suppressionibus medetur: mucum spissum renibus aut vesicæ inhærentem resolvit, & foras amandat, atque simul arenulas, & calculos nonnumquam pellit. Hujusce radicis cortex a Simone Paulli velut præstantissimum remedium tam in vesicæ, quam in renum calculo habetur. A Matthiolo quoque commendatur ad ramicem carnosum resolvendum. In sarcocele ab Ettmullero euporiston, & polychreston existimatur. Verum enimvero Alexander Pfisterus Scaphusianus Medicus *in Dissertatione de Hydrosarcocele*, §. 1. refert se sæpius, & in diversis subjectis eam præscripsisse, experientia aut didicisse. 1. Illam non in omnibus diureticam existere. 2. In pluribus anorexiam, & cardialgiam inducere. 3. Sarcocelem veram nequaquam ex ejus usu continuato imminui; unde verissima esse quæ Olaus Borrichius scripsit, propria intellexit experientia. Is autem *in Actis Hafniensibus anni 1671. & 1672. Observ. 97.* arguit eos, qui non satis providi rei æstimatores confirmatam sarcocelem vel medicamentis discussisse se putant, vel discuti posse evulgant, quod nimium occalleat massa illa, & mille plexibus nervosis iisque solidis contrahat invictam duritiem. Crediderit Matthiolus *in Dioscoridem*, inquit Borrichius, crediderit Scultetus in *Armamentario Chirurgico*, sese sarcocelem pulvere Ononidis percurasse, nihil tamen mihi fit verisimilius quam fuisse hydrocelem duriori cortice circumdatam atque ideo sarcocelem mentientem. Atque ut id credam, persuadent cum similia passim exempla apud Forestum, Sennertum, & alios; docentia, artifices sæpe aqua profundius in testiculorum sinubus latente deceptos, pro carnosis æstimasse herniis, quæ fuerint aquosæ: tum docet illud idem radix Ononidis, quæ cum inter nobilissima diuretica sit, aquas haud dubie in sinu testium intimo occultatas, paulatim eduxit, atque ita concidentibus sensim in se involucris durioribus, sarcocelen æstimata fuit, sustulisse.

Radix Anonidis vel ejus tantummodo cortex pulveratus intus sumitur ad ʒj. vel decoctum semiunciæ radicis propinatur. In decoctis, ptisanis, & jusculis aperientibus usurpari solet.

℞. Cortic. radic. Anonid. pulver. ʒj. Propinetur aliquamdiu ex decocti radic. ℥vj. singulis diebus mane, jejuno ventriculo ad arenulas expellendas, & nephritidem præcavendam.

℞. Decoct. rad. Ononid. ℥vj. Syrup. de 5. radicib. aper. ℥j. Sp. Tartar. ʒß. Sal. volatil. Succin. gr. x. Fiat julep. propinandum in urinæ suppressione, & dolore nephritico.

℞. Radic. Anonid. Eryngii, Cappar. ana ℥j. Coquantur cum frusto carnis vitu-

vitulin. in aq. q. s. pro duobus jusculis, quibus dissolve Tartar. martial. solubil. ʒj. mane & sero pro hepatis obstructionibus.

℞. Rad. Ononid. Brusci & Asparag. ana ℥j. Cortic. Sambuc. & radic. Cappar. ana ℥ß. Folior. Pimpinell. & Parietar. ana M. j. Semin. Seseli & Lithospermi ana ʒiij. Flor. Genistæ & Leucoji ana pug. ij. Coq. in aq. comm. ℔ij. ad ℔iß. Fiat apozema pro tribus dos. Cuique add. Nitri purg. vel Tartar. Chalyb. solub. ʒß. in viscerum obstructionibus.

Radicis decoctum optime detergit extrinsecus usurpatum. Ex eo cum pauxillo aceti gargarisma præparatur utile in gingivarum laxitate, exulceratione, putredine, item in dentium dolore a Scorbuto.

Essentiam Ononidis Ettmullerus in affectibus calculosis insigniter commendat. Sic præparatur.

℞. Plantam integram cum radice & floribus recenter avulsam, & minutim incisam. Affunde spiritum vini ad quatuor digitor. transversor. supereminentiam: in loco calido per octo dies noctesque digerantur. Postea distillentur, ut artis est. In hunc distillatum liquorem infunde recentem herbam cum radice & floribus, quibus adde ejusdem plantæ calcinatæ salem fixum: iterumque digerantur per totidem dies & noctes. Tum fiat colatura cum forti expressione. Colatura per aliquot dies in loco remoto reposita servetur, ac tandem limpidus liquor a fœcibus separetur & servetur ad usus. Dosis ab ℥ß. ad ℥ij.

Aqua distillata ex Anonide tum ad urinæ suppressionem, tum ad hernias curandas a nonnullis commendatur: sed levioris est armaturæ præsidium.

Anonidis radix usurpatur in Syrupo antinephritico *Charas*, in Aqua diuretica & antinephritica, *Ejusdem*.

## APARINE.

Aparine, Asperugo, Aspergula, Spargula, Asperula, Aspera Lappago; Philantropos & Omphalocarpos, *Off.* Aparine vulgaris, *C. B. P.* 334. *Inst. R. H.* 114. Apparine, *J. B.* 3. 713. *Dod. Pempt.* 353. *Raii Histor.* 484. vulgo, *Grateron*, *Rieble*.

Radice est tenui, fibrosa; tenuibus & quadrangularibus viticulis asperis, geniculatis, obsequiosis, scandentibus, tres quatuorve cubitos longis, ramosis: foliis quinis, senis, vel septenis Rubiæ modo ad singula genicula orbiculatim dispositis, stellæ ritu decussatis, angustis, asperis, in spinulam desinentibus. Flores prope summos ramulos e geniculis exeunt in pediculis oblongis, tenuibus, perpusilli, candidi, monopetali, campaniformes, patentes, quadrifariam divisi, cum calyce quadrifido, qui deinde abit in fructum siccum, durum & quasi cartilaginem, cortice tenui nigricante obductum, ex gemellis globulis constantem, semine fœtis umbilicato. Ad sepes, interdum etiam inter segetes agri Parisiensis sponte nascitur. Herba in usum venit.

Analysi chymica, hujus plantæ recentis ℔v. per B. V. distillatæ præbuerunt phlegmatis limpidi, primo obscure acidi, deinde subacidi, ac tandem

dem ſalſi ℔iiij. ℥iiij. ʒiiij. Ex herba exſiccata reſidua per retortam diſtillata prodierunt humoris fuſci empyreumatici, ſubſalſi, ſubauſteri & obſcure acidi ℥j. ʒij. gr. xviij. humoris alcali urinoſi, ſale volatili urinoſo impraegnati ʒvj. gr. xviij. olei craſſioris & fere adipoſi ℥j. ʒiij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iij. ʒv. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum albicantium ℥j. ʒv. gr. xxx. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒv. lixivio fuerunt extractæ. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒiij. in calcinatione ℥j. ʒvij. gr. xlij.

Hac analyſi, Aparine conſtare videtur ſale eſſentiali ſali ammoniacali ſimili oleo craſſo implicito.

Aparine incidit & aperit: obſtructiones reſolvit, urinas promovet & nonnumquam ſudores. Ejus ſuccus a Theodoro Turquet de Mayerne plurimi æſtimatur ad aquas hydropicorum per vias urinarias expellendas: ad ℥ij. propinatur. Ejus decoctum in vino albo vel ejuſdem aqua diſtillata arenulas, renumque calculos pellit, narrante J. Rajo. Idem auctor affirmat, pulverem ex Aparine & Liene vitulino in clybano exſiccatis lienis tumores & hypochondriacos flatus diſcutere. Simon Paulli refert ejus aquam diſtillatam apud Hafnienſes adverſus moleſtos tum pectoris, tum hypochondriorum dolores, uſitatam eſſe & plurimum commendatam. A nonnullis in pleuritide propinatur.

♃. Aparines recenter collectæ M. j. Coquatur in aq. comm. ℔ij. ad 4. partis diminutionem. Colatura in tres doſes dividatur, debitis intervallis propinandas, in urinæ ſuppreſſione.

Externe herba cum axungia trita & ſtrumis impoſita eas diſcutere dicitur: & ejuſdem aqua diſtillata ad eumdem morbum propinatur.

## APIUM.

Apium vulgare, Apium paluſtre, Paludapium & Eleoſelinum, *Off.* Apium paluſtre & Apium, *Off. C. B. P.* 154. Apium vulgare, *J. B.* 3. 2. 100. Eleoſelinum, *Dodon. Pempt.* 695. vulgo, *Ache*.

Ex radice craſſa, albicante, recta, profunde in terram deſcendente, in plura interdum capita diviſa, fibrata, ſapore acri ſubamaro, ingrato, odore gravi, aromatico, frondes exeunt multæ, pediculis dodrantalibus, rubentibus, ſtriatis, concavis, duabus, tribuſve pinnarum paribus & impari in extremo compoſitæ: ſunt autem pinnulæ iſtæ latæ, circa margines dentatæ, in tres inſigniores lacinias diviſæ, læte virentes, glabræ, nitidæ, ſucculentæ, odore, dum digitis conteruntur, gravi ſapore acri, ingrato. Caules ab eadem radice multi exſurgunt craſſi, profunde ſtriati, concavi, bicubitales & altiores, nodoſi, longis internodiis, frondibus cincti iis quæ ad radicem ſimilibus. Flores tum in caulium axillis, tum in extremis ramulis naſcuntur in umbellam congeſti, exigui, roſacei, e quinque petalis candidis conflati, calyci inſidentibus qui deinde abit in fructum ex duobus perexiguis ſeminibus compoſitum, una parte depreſſis, altera gibbis, ſtriatis, cinereis, acribus, ſubamaricantibus, aromaticis. In humentibus & paludoſis locis naſci gaudet: transfertur vero & ad hortos. Radix, herba, & ſemen in uſum veniunt.

Ra-

Radix inter quinque radices aperientes recenſetur. Semen ſeminibus calidis minoribus annumeratur.

Analyſi chymica, ex totius plantæ floridæ ℔v. dempta radice, prodierunt humoris limpidi, odori, acris obſcure acidi ℔j. ℥xij. ʒvij. gr. xlj. humoris primo limpidi, deinde rufeſcentis, odori, abſque acrimonia, intenſe acidi, & tandem auſteri ℔ij. ℥v. ʒiiij. gr. liiij. humoris rufi, ſale volatili copioſo impraegnati ℥iij. ʒj. gr. xl. olei tum tenuis, tum craſſi ℥j. ʒvij. gr. xij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥v. ʒv. gr. lxix. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥iij. ʒij. gr. xxviij. ex quibus ſalis fixi ſalſi ʒj. ʒv. gr. lv. extracta fuerunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒv. gr. ix. in calcinatione vero ℥ij. ʒiij. gr. xxxj.

Per hanc analyſim liquet, hanc plantam ſale eſſentiali donari tum ammoniacali, tum ſali Coralliorum ſimili, oleo acri, ſubtili, copioſo, implicito.

Apium craſſos humores attenuat, viſcerum obſtructiones reſolvit, urinas ciet, ſudores promovet, febres arcet, & vulnera ſanat. Succus foliorum defœcatus in febribus intermittentibus ineunte paroxyſmo ad ℥vj. propinatur. Ægrotans debite contectus abundante ſudore perfunditur & ſanatur. Ad febrem quartanam & aliam quamcumque ab obſtructionibus oriundam bolus ſequens plurimum confert.

℞. Extracti folior. Apii paluſtr. ʒj. Cortic. Peruvian. tenuiſſime triti ʒij. Syrup. de Abſynth. q. ſ. M. F. bolus ſ. a. Sumat æger paulo ante paroxyſmum.

Radix, folia, & ſemina in ptiſanis, apoxematibus & juſculis aperientibus præſcribuntur.

℞. Radic. Apii, Fœnicul. Bruſci & Aſparagi ana ℥j. Cortic. Fraxin. & Tamariſc. ana ℥ß. Folior. Ap. & Agrimon. ana M. j. Semin. Apii dulcis & Cuſcutæ ana ʒiij. Flor. Geniſt. Borrag. & Bugloſſ. ana P. j. Coquantur in ſ. q. aq. comm. ad ℔jß. Fiat apozema pro tribus doſibus, cui adde Syrup. de 5. rad. vel de Pom. ſimplic. ℥jß.

Apium lac nutricum minuit, & concretum reſolvit.

℞. Folior. Paludapii & Menthæ ana M. ij. Coquantur in aq. comm. ſ. q. cum axungiæ ſuillæ tantillo, ad putrilaginem. Pulpa per ſetaceum exprimatur, cui immiſce ſemin. Ap. pulver. q. ſ. Fiat cataplaſma mammis lacte turgidis applicandum.

Ex Apii ſummitatibus floridis cum Saccharo conditum præparatur in aſthmate, orthopnœa, flatulentis doloribus, urinæ & menſium ſuppreſſione commendatum. Ad ℥ß. præſcribi ſolet.

Joannes Bauhinus poſt Hollerium, internum Apii uſum epilepticis ſuſpectum cenſet. Eumdem Robertus Boyle oculis infenſum eſſe aſſerit *Tr. de Specific. & Simpl. remed.*

Externe Apii ſuccus ſcorbutica oris ulcera & alia quæcumque detergit. Cancris etiam exulceratis confert: nam tametſi hos curare nequeat, putredini tamen reſiſtit, auctore J. Bauhino, & fœtorem eorum reprimit.

Apii radix uſurpatur in Syrup. de Cichor. cum Rheo dupl. Syrup. aperiente cachectico *Ph. Reg. Charas*, Syrup. anti-aſthmatico *Ejuſdem*,

de Hyssopo *Mesuæ*, de 5. rad. aper. Folia in ung. mundificativo de Apio dicto. Succus in Electuar. de Psyllio, Emplastro de Betonica. Semen in pulvere lithontriptico *Renodæi*, Benedicta laxativa, Philanio Romano, & Pilulis aureis.

Illud Apii genus translatum diligenti cultura mitius, minusque ingratum evadit; unde apud nos folia ejus teneriora sub fimo dealbata, una cum superna radicis parte abscissa, cum oleo, aceto & pipere esitantur & in deliciis habentur. Ejus usus Italis debetur a quibus Seleri vel Celeri vocatur. A Botanicis dicitur, Apium dulce Celeri Italorum, *H. Reg. Paris.* Selinum sive Apium dulce *Parkinson.* Licet autem Parkinsonus illud ut novam speciem ab Apio palustri diversam proponat, attamen J. Rajus asserit eamdem prorsus esse, sola cultura diversam & mitiorem factam: quandoquidem observavit illud Apium dulce seu Celeri Italorum in Angliæ hortis satum & cultum, tandem post aliquot annos in vulgare Paludapium degenerare, scilicet ob aeris frigiditatem.

## AQUIFOLIUM.

Aquifolium & Agrifolium, *Off.* Aquifolium sive Agrifolium vulgo, *J. B.* 1. 114. *Inst. R. H.* 600. Agrifolium, *Dod. Pempt.* 758. Ilex aculeata baccifera, folio sinuato, *C. B. P.* 425. vulgo, *Houx*.

Frutex est quandoque, cultura præcipue, in arborem excrescens & perpetua fronde virens. Caudex & rami lenti, flexiles, læves, cortice duplici conteguntur; exteriore in ramis viridi, in trunco ut plurimum cinereo; interiore pallido, odore cum avelluntur ingrato, fœtente. Materies ligni dura & solida, albicans & interius nigricans, quæ præ pondere in aqua subsidit, Buxi aut Guajaci instar. Folia pulchre virent, lævia, glabra, laurinis fere similia, sed minora, in ambitu sinuata, angulosa & longis ac rigidis aculeis horrida, quos tamen, senescente arbore, pauciores vel nullos habent. Flores parvi, conferti, brevibus pediculis appensi, monopetali, rotati, in quatuor lacinias divisi, cum totidem staminibus & calyce quadrifido, ex quo surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum mollem seu baccam parvam, rotundam, umbilicatam, rubram, gustu subdulcem, ingratam, ossiculis fœtam albidis, quaternis, triquetris, oblongis, hinc gibbis, inde vero planis. In agri Parisiensis sylvis occurrit. In hortis colitur, præsertim in regionibus septentrionalibus, ad opera topiaria, quibus præ aliis commodus & opportunus est, cum sit frigoris patientissimus & perenni nitentium foliorum virore aspectui gratus, nec tonsuram respuat. Radix, cortex, baccæ in usum veniunt, sed raro.

Analysi chymica, baccarum maturarum & recentium ℔v. præbuerunt humoris limpidi fere inodori & insipidi, primo obscure acidi, deinde intensi ℔j. ℥ix. ʒvj. gr. xij. humoris limpidi primo intense acidi, & intense austeri ℔j. ℥viij. gr. xij. humoris rufescentis tum acidi, tum alcali urinosi ℥vij. ʒvj. olei ʒvij. gr. lxiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥viij. ʒj. quæ per duodecim horas igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xviij. fuerunt extracta.

tracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥xiij. ʒij. gr. lix. in calcinatione ℥vj. ʒvij. gr. xxiiij. unde concludi potest, salem essentialem tartaro similem his in baccis contineri.

Radicis & corticis decoctum emollit & resolvit. Eo foventur utiliter articuli, qui prius luxati duritiem contraxerunt, teste Matthiolo.

Zithogalum factum ex cerevisia, & lacte in quo decocti sunt hujus foliorum aculei, mire conducit ad dolorem colicum & intestinorum tormina, cujus rei observationem J. Rajus refert de quadam matrona, quæ post alia medicamenta frustra tentata, a muliercula quadam vaga & circumforanea hocce remedio sanata fuit.

*Baccæ* ad colicos dolores utiles sunt: Crassos siquidem, pituitososque humores per alvum educunt decem aut duodecim numero sumptæ, auctore Dodonæo.

Viscum aucuparium ex Aquifolii cortice in Anglia sic præparatur.

Deliberatis Junio aut Julio mensibus quotquot videtur aut opus fuerit arboribus, cortices detracti in aqua fontana per septem aut octo horas continuas decoquuntur, donec tenerrimi evadant. Cocti in acervum humi cum filice s. s. s. componuntur, aqua prius curiose separata & per duas tresve septimanas fermentantur & computrescunt, donec in mucilaginem abeant. Exempti deinde in mortario tamdiu tunduntur, donec fingi, formarique possunt instar massæ farinaceæ. Massa in aquam profluentem submersa manibus versatur & diligenter subigitur. Aqua brevi sordes omnes eluit, visco residuo puro & defœcato. In fictili aliquo vase per quatuor adhuc aut quinque dies despumando relinquitur, donec se purgaverit & perfecerit; deinde in novum vas translatum reservatur ad usum. Non ex corticibus hujus arboris tantum viscum aucuparium paratur, sed etiam e fructu Visci, & Sebesten.

Viscum autem aucuparium ex hujus cortice factum intus sumptum non minus nocivum, quam ex arboreo visco Dodonæus pronuntiat: tenacissimum siquidem est: iteranea omnia conglutinat: excrementorum exitus contrahit & claudit, atque hoc modo perniciem homini affert, non qualitate aliqua deleteria, sed glutinosa sua substantia. Externe admotum resolvit, emollit, maturat.

## AQUILEGIA.

Aquilegia, Aquileja, & Aquilina, *Offic.* Aquilegia sylvestris, *C. B. P.* 144. *Inst. R. H.* 428. Aquilegia flore simplici, *J. B.* 3. 484. Aquilegia, *Dodon.* 181. Aquilina, *Matthiol.* & *Adversar. Lobel.* vulgo, *Ancolie*, *Gants de Notre-Dame*.

Radice est pollicem crassa, candida, alte in terram descendente ramosa & fibrosa, sapore subdulci, & in multos annos vivace: foliis ternis Chelidonii majoris similibus, paulo tamen rotundioribus, per ambitum incisis, inferius glaucis, superne obscurius virentibus, cum quadam cærulei tinctura, ex pediculis longis, rigidis, hirsutis: caule vero cubitali tenuj rubente, & leviter hirsuto: cujus alæ singulos proferunt flores cæruleos vel phœniceos polypetalos, anomalos, ex plurimis nempe petalis dissimilibus

con-

constantes: horum enim quinque plana sunt, cœtera vero cucullata utraque simul alterno ordine posita. E floris meditullio surgit pistillum staminibus stipatum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ quaternæ vel quinæ, surrectæ, membranaceæ, univalves, suprema parte hiantes, inferiora versus conniventes; seminibus fœtæ parvis, Milii magnitudine, ovatis, nigris, lubricis, splendentibus, sub testa tenui nucleolum oleosum continentibus. Color florum cultura diversus fit, siquidem in hortis excultæ hujus generis plantæ colore cæruleo, rubro, candido carneo, herbaceo versicolore, infinitam pariunt varietatem. In agri Parisiensis sylvis sponte nascitur, in hortis quoque colitur. Herba, radix, flos, & semen in primis usui medico inserviunt.

Semen multum olei & salis ammoniacalis continet.

Tota planta aperit menses suppressos, & urinas ciet, ac sudores provocat. Radix pulverata ad ℥j. Trago affirmante, cum vini haustu sumpta, colicos dolores sedat. Eadem in vino infusa, additis Becabungæ, Cochleariæ, & Nasturtii aquaticis foliis, egregium componit antiscorbuticum, quo sanatus fuit miles asciticus & scorbuticus, ut Ettmullerus refert. Camerarius narrat, hujus radicis frustulum apud Hispanos contra calculum quotidie mane intus sumi. Joannes Rajus Aquilegiæ foliorum decoctum apud Anglos usitatum esse scribit contra calidos faucium & asperæ arteriæ affectus: & a quibusdam in scorbuto ad oris ulcera colluenda, & detergenda peculiariter commendatur. Flores cærulei elegantem, & ab Ettmullero plurimum laudatam in morbillis tincturam præbent, cum a qua calente macerati, cum olei vitrioli guttis aliquot ad ruborem tantummodo conciliandum: haustum mane, & vesperi propinatur.

In scorbuto ad oris ulcera detergenda, firmandos dentes, gingivasque roborandas veluti præstantissimum remedium a Tournefortio proponitur eorumdem florum tinctura, cum spiritu vini parata, & cum tinctura Laccæ, & Mastiches tinctura, anaticis partibus, mixta. Semen in ictero eximium censetur remedium. Hujus seminis pulverati ℥j. quotidie mane in haustu vini albi sumitur. Vel ejusdem contusi ℥ij. per noctem in vini albi ℔ß. macerantur. Colatura mane, jejuno ventriculo, propinatur. Tragus & Matthiolus idem semen pulveratum ad ℥j. cum Croci tantillo in haustu vini sumptum commendant, modo æger in lecto se componat, ut copiose sudet. Ex eo quoque cum aqua stillatitia vel decocto florum Aquilegiæ paratur emulsio, cui eboris sine igne præparati q. s. permiscetur adversus eumdem morbum. In morbis mali moris, nonnulli emulsiones ex seminibus Aquilegiæ & Ficuum vel Passularum decocto plurimi faciunt. S. Paulli testatur semen pulveratum ℥ß. vel ℥j. pondere in emulso, Fumariæ, Card. benedict. aut C. C. distillata aqua, propinatum, veluti ab orco revocasse tenuioris sortis puerulos morbillis ac variolis laborantes. Ab eodem & ab Hoffmanno idem semen in partu difficili maxime commendatur.

℞. Semin. Aquileg. sylvestr. gr. xxv. Rasur. Ebor. tenuissime pulver. ℥jß. & pulver. Lumbric. terrestr. ℈ß. M. F. pulvis a Langio commendatus in ictero.

℞. Semin. Aquileg. ℥jß. Croci ℈. Fiat pulvis. Detur in vino.

℞. Se-

℞. Semin. Aquileg. ʒß. Pulver. Lumbr. terrestr. ℈j. Croci ℈ß. M. F. pulvis mane sumendus.

℞. Semin. Aquileg. ℥ß. Contunde in aq. Aquileg. vel Chelidon. major. ℔j. Eboris philosophice pp. ʒß. Fiat emulsio s. a. cum syrupi de 5. radicibus aper. ℥j. In duos haustus dividatur, mane & sero ictericis propinandus.

℞. Semin. Aquileg. ʒvj. Croci pulver. ʒj. Tartar. vitriolati ʒß. Conserv. Cynorrhodon. q. s. Fiat opiata in septem partes aequales distribuenda. Sumantur mane, jejuno ventriculo, per septem dies continuos, decocti aperientis haustum super bibendo.

Hoc remedium a Timæo, & Ettmullero commendatum ac sæpius expertum raro spem meam fefellit præmissis præmittendis.

℞. Pulver. folior. Aquileg. Salviæ, Menthæ crisp. Nuc. Mosch. Rutæ & Myrrhæ ana ℥ß. Alumin. usti ℥j. Mellis purissim. ℥vj. Mel leni igne despumetur. Despumato & calenti pulveres inspergantur. Fiat linimentum quo gingivæ putridæ inungantur. A Sennerto hoc linimentum tanquam efficax & longo usu compertum proponitur. *Lib.* 2. *Prax. Med. part. I. cap.* 16.

## A R G E N T I N A.

Argentina, Potentilla, & Anserina, *Offic.* Pentaphylloides argenteum alatum, seu Potentilla, *Inst. R. H.* 298. Potentilla seu Argentina, *J. B.* 2. 398. Argentina, *Dod. Pempt.* 600. Potentilla Matthioli, *C. B. P.* 321. Pentaphylloides Argentina dictum, *Raii Histor.* 617. Argentina, *Volk. Tragi* 480. vulgo, *Argentine*.

E radice nigricante, nunc simplici, nunc fibrosa adstringente, mire repit in locis humidis secus vias & fluviorum ripas, & viticulis Fragariæ modo se propagat. Folia conjugata sunt Agrimoniæ similia, majoribus hinc inde pinnulis obtusis circa margines profunde dentatis, cum plurimis intermediis minusculis, constantia, superiore parte herbaceo colore virentia, inferiore vero argentea, & molli lanugine obducta. Ex alis foliorum quæ appendicibus suis viticulos amplectuntur, exeunt flores singulares, pediculis longis hirsutis fulti, e quinque petalis aureis conflati, cum calyce monotomo in quinque partes acutas diviso, inter quas totidem minores alternatim occurrunt, cum plurimis in medio staminulis & apicibus concoloribus. Pistillum mutatur in capitulum sphæricum trium linearum diametri, in quo semina congeruntur plura, subrotunda, minora, sublutea, papaverinis similia. Radix, herba, semen ex usu sunt.

Analysi chymica, ex herbæ recentis ℔v. per B. V. distillatis, prodierunt phlegmatis limpidi, mere insipidi & inodori ℥x. humoris limpidi primo obscure acidi, deinde acidi manifesti, ac tandem intensi ℔ij. ℥v. ʒv. In alambice residuum ℥xiii. ʒvj. pondere æquabat: quod per retortam distillatum præbuit humoris rufescentis tum acidi austeri tum alcali urinosi ℥j. ʒv. gr. vj. humoris rufi empyreumatici urinosi & sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒvij. gr. xviij. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gr. xviij.

xviij. olei ſpiſſi butyri ad inſtar ℥ij. ʒiiij. gr. liij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥v. ʒvj. quæ per tredecim horas igne reverberii calcinata reliquit cinerum nigricantium ℥j. ʒv. ex quibus lixivio, ſalis fixi alcali ʒvj. extractæ fuerunt. Partium jactura in diſtillatione per alambicem fuit ℥xij. ʒv. in diſtillatione per retortam ℥ij. ʒv. gr. xlix. in calcinatione ℥iiij. ʒj.

Tota planta ſapore herbaceo, ſubſalſo, ſtiptico donatur, & ejus ſuccus chartam cæruleam rubro colore inficit: unde liquet hanc plantam ſale ammoniacali & aliquantiſper aluminoſo ſeu vitriolico conflari, cum oleo craſſo conjuncto.

Univerſa hæc planta refrigerare, adſtrictoria & exſiccatoria virtute pollere, repellere, & roborare dicitur. Inter herbas vulnerarias adſtringentes recenſetur. Revera hæmorrhagias quaſcumque coercet. In ſputo cruento, in fluxu uterino, & hæmorrhoidali utiliter præſcribitur, diarrhæam, & cruentos alvi fluxus compeſcit. Ejus ſuccus ad ℥iiij. vel ℥vj. decoctum vel infuſum in vino vel aqua propinatur, necnon etiam in decoctis, aut juſculis adſtringentibus & vulnerariis præſcribitur. Tabernæmontanus eam ad album fluorem uterinum commendat & ex foliis exſiccatis, raſura eboris, Coralliis, pulverem parat ejuſdem aqua ſtillatia propinandum. Tournefortius valde prædicat juſcula ex Argentina, & Aſtacis fluviatilibus parata ad hunc fluxum cohibendum. Vulnera conglutinat & ulcera ſanat, ea præſertim, quæ pudenda invaſere & oris partes erodunt, ſi ejus decocto colluantur.

Ejus ſemen contuſum & ad ʒß. in ejus aquæ diſtillatæ ℥iiij. hæmorrhagias ſiſtit. Ettmullerus Argentinam ut ſpecificum in ictero remedium commendat. Eadem Timæo a Guldenklee in ſecretis fuit contra nephritidem & calculum renum. Sunt, inquit Ettmullerus, qui pro arcano habent ſequentem potionem contra calculum.

℞. Argentinæ viridis M. iiij. Secalis viridis M. ij. Succum exprimunt & addunt vinum rubrum ad pondus omnium. Mixturam percolant pro una doſi in aurora primi diei Maji menſis ſumendum: & aſſerunt, ſi tribus annis continuis primo die Maji hoc repetatur, quod per totam vitam quis ſit futurus immunis a calculo.

Vis febrifuga Argentinæ tribuitur. Idem Ettmullerus obſervat Argentinæ ſuccum vel decoctum frequentius hauſtum nimium calorem in paroxyſmis febrilibus compeſcere, ſed non ſemper adeo tuto propinari, quia paroxyſmus exinde nonnumquam magis prolongatur. Unde potius herba contuſa & cum ſale & aceto ſubacta a nonnullis carpis admovetur, aut plantis pedum ſupponitur in febrilibus paroxyſmis, quos ſæpe mitigat, imo quandoque abigit, teſte Simone Paulli. Sunt etiam, obſervante eodem, qui ad delirium compeſcendum eam contuſam, & ſale conſperſam plantis pedum applicant. Quod quidem ſanguinem acidis ſuis ſalibus vitriolicis inſpiſſando, ejuſque circuitionem nimis citam retardando perficit.

Adverſus dyſenteriam Caſtor Durantes jubet, ut dyſentericorum calceis indatur: atque hac arte Simon Paulli eam non ſolum dyſenteriam, ſed omne genus fluxionum infimi ventris, ut nimios menſes, imo narium hæmorrhagiam ſiſtere exiſtimat.

Ejus

Ejus decoctum in gargarifmate nimis laxam columellam reftituit, addito aluminis momento. In aceto cocta commotos dentes firmat & laxas cohibet gingivas.

Ejus aqua diftillata in Officinis pharmaceuticis fervatur, ad lentigines, panos & maculas faciei, fufcumque colorem fole contractum delendum commendata.

Ejus radices nonnulli apud Anglos, hyberno tempore efitant: funt enim fapore fuavi, nec minus grato quam Paftinacæ. J. Rajus obfervavit etiam porcos radices hafce roftro effoffas libenter vorare.

## ARMENIACA MALUS.

ARmeniaca malus, *Off.* Armeniaca fructu majori nucleo amaro, *I.R.H.* 623. Mala Armeniaca majora, *C. B. P.* 442. Armeniaca mala majora, *Camer. Epitom.* 146. *J. B.* 1. vulgo, *Abricotier*.

Arbor eft moderatæ magnitudinis, Pyro videlicet minor, Perfica major, cortice nigriore, candice craffiore, firmo, ramis magis patulis brachiata. Folia ejus fubrotunda, acuminata veluti nigræ Populi, at minora & ad Betulæ magis accedentia, marginibus ferrata, quaterna, quinave fimul emergunt. Flores ante foliorum exortum primo vere profert pentapetalos rofaceos, quinque fcilicet petalis albicantibus in orbem pofitis conftantes, cum calyce quinquifido ex quo furgit piftillum quod deinde abit in fructum carnofum, fucculentum, firmum, fere globofum, utrinque plerumque compreffum, fecundum longitudinem fulcatum, intus, forifque luteum, aliquo rubore interdum perfufum, fapore dulcem & palato gratum, officulo fœtum ligneo, duro, compreffo pariter, non ut in Perfica fulcato, fed lævi, nucleum includente feu Amygdalam candidam amaricantem, non injucundam, nonnunquam dulcem, pellicula flavefcente obductam. In hortis & viridariis colitur: fobolefcit infitione & inoculatione. Fructus ejus ob odoris gratiam & faporis dulcedinem plurimum arrident, & lautiores menfas tam cruda quam Saccharo condita nobilitant.

Analyfi chymica, ex ejus fructuum immaturorum & tenellorum ℔v. prodierunt humoris limpidi, odoris & faporis herbacei haud ingrati, fubacidi ℔ij. ℥vij. ʒvj. humoris limpidi, intenfe acidi & aufteri ℔ij. ʒv. gr. xxxvj. humoris rufi empyreumatici, tum acidi, tum alcali volatilis & fale volatili urinofo impregnati ℥j. gr. xxxvj. olei fluidi ʒvij. gr. liiij. Maffa nigra in retorta fuperftes pendebat ℥iij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum nigricantium ʒvj. gr. xxiiij. ex quibus falis fixi mere alcali ʒiij. g. iij. lixivio funt extracta. Partium jactura in diftillatione fuit ℥ij. ʒiiij. gr. xviij. in calcinatione ℥ij. ʒj. gr. xlviij.

Caro fructuum maturorum, officulis rejectis, ad ℔v. per retortam diftillata præbuit humoris fructum odore & fapore leviter referentis, obfcure acidi ℥xiij. ʒj. gr. xxxvj. qui aliquamdiu affervatus acorem manifeftum contraxit: humoris limpidi primo fubacidi, deinde manifefte acidi, aufteri admodum, & nucleorum contuforum odorem referentis ℔iij. ℥ix. ʒvj. gr. xxx. humoris rufi empyreumatici fale volatili urinofo impregnati ℥j. ʒj. gr.

gr. xxiiij. olei crassi & spissi ad instar extracti ℨij. gr. xij. Massa nigra in retorta superstes & densa admodum pendebat ℥iij. ℨvj. gr. xxx. quæ per 20. horas calcinata reliquit cinerum nigricantium ℨvij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ℨiiij. extractæ fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ℨvj. gr. xij. in calcinatione ℥ij. ℨvj. gr. lxvj.

Analysis horumce fructuum comparata non adeo diversas ex quibus componuntur substantias exhibet. Magnam salis acidi & olei stricte conjunctorum copiam continent, ita ut olei portio tantum mediocris sub oleosa specie per retortæ rostrum transeat, major vero pars in capite mortuo fixa remaneat.

Fructus Mala Armenia vel Armeniaca dicuntur; a quibusdam Chrysomala, ab aliis Præcocia, Præcoqua & Bericocia, unde vox Gallica *Abricot*, nuncupantur. Optima censentur quæ magna, quæ bene colorata, quæ matura, quæ gustu grata, & quorum caro ab ossiculis facile separatur.

Medici plerique, Galeni auctoritate freti, illa bonitate superare Persica dicunt, quod neque in ventriculo, ut ea, corrumpantur, neque facile acescant, scilicet ob ficciorem pulpæ consistentiam: esse quoque Persicis suaviora, hocque nomine ventriculo gratiora: omnibus enim quæ suavia sunt hoc inesse, ut stomacho sint grata atque accepta.

Alimentum hæc mala, sicut alii fructus fugaces dant exiguum. Convenientiora sunt calidis, siccisque naturis quæ sunt bilis feraces, quales sunt juvenes: in pituitosis quæ frigidæ sunt atque humidæ & quibus stomachus debilis est, facile corrumpuntur.

Immoderatius ingesta ventriculum inflant, cito corrumpuntur, febresque accendunt ut cœteri horæi fructus, mucosum scilicet chymum efficiendo, ventriculi & intestinorum parietibus adhærentem, facile acescentem & ventriculi functiones lædentem, unde oriuntur febres quæ tamen facile solvuntur, & statim initio ventriculus & intestina emeticis & catharticis medicinis ab hac saburra tempestive liberentur.

Armeniaca cum Saccharo condita & asservata sive liquida, sive sicca, sive matura, sive immatura, inter præstantissima dulciaria seu bellaria a matronis nostris habentur. Nucleus eorum, quia amarus, necat vermes. Elici ex illis lacteus succus non secus ac ex Amygdalis & emulsio parari potest, quæ in febribus salutaris, incidendo nempe viscidos humores, existimatur. Oleum ex illis expressum valere tradunt inunctum ad inflammatas hæmorrhoidas & ad aurium dolores. Idem potum ℥v. pondere cum vini Malvatici ℥j. calculos pellere & colicos dolores levare Matthiolus refert.

Plura Armeniacorum sunt genera, cum sapore, tum magnitudine differentia. Sed his in regionibus hoc genus vugatilus est.

## ARTEMISIA.

Artemisia vuglaris, *Off.* Artemisia vulgaris, major, caule & flore purpurascentibus, *C. B. P.* 137. *Inst. R. H.* 460. Artemisia vulgaris, *J. B.* 3. 184. Artemisia rubra, *Tabern. Icon.* 7. Artemisia mater herbarum, *Lobel. Icon.* 754. vulgo, *Armoise*, *herbe de la S. Joan.*

Ra-

Radice est repente, digitum crassa, fibrosa, dulci, aromatica: caulibus bicubitalibus & altioribus, digiti crassitudine, teretibus, striatis, brevi lanugine hirsutis, firmis ac rigidis, ut plurimum purpurascentibus, medullosis, ramosis, cum foliis crebris alternatim positis, Absinthii fere divisura, ad costam usque incisis, superne obscure virentibus, subtus incanis, qua nota ab Absinthio facile distinguitur. Flores dense nascuntur in summis ramulis, longa serie quasi spicatim dispositi, minimi & flosculosi, plurimis scilicet flosculis constantes quinquifidis, purpurascentibus, embryoni insudentibus & calyce squammoso comprehensis. Inter flosculos vero occurrunt & embryones nudi in capillamentum bifidum desinentes, qui perinde ac flosculorum embryones abeunt in semen Absinthii æmulum. Flores Absinthitis crebriores sunt, minores, nec deorsum nutantes, odore aromatico haud ingrato perfusi, minus, quam Absinthii vehementi. Secus fossas & rivulos agri Parisiensis nascitur. In hac planta caulis & flores interdum albescunt. Herba integra utilis est.

Analysi chymica, ex hujus plantæ recenter collectæ ℔v. prodierunt humoris limpidi, primo saporis herbacei & obscure acidi, deinde manifeste acidi & aliquantisper austeri ℔iiij. ℥v. gr. xxx. humoris tum acidi, tum salsi subausteri, rufescentis & aliquantisper empyreumatici ℥iiij. ʒvij. gr. vj. humoris fusci empyreumatici, alcali, urinosi & sale volatili urinoso fœti ℥j. ʒv. olei adiposæ spissitudinis ℥ij. ʒvj. gr. iiij. salis volatilis urinosi concreti gr. xlij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥v. ʒiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒij. gr. xxxvj. lixivio extracta fuerunt. Jactura partium in distillatione fuit ʒiij. gr. lxij. in calcinatione ℥iij. ʒiij. gr. xxxvj. Ex hac analysi manifestum est, Artemisiam sale essentiali donari ammoniacali, multo sulphure crasso & multa terra conjunctis. Quod etiam probatur ex salso ejus sapore, & rubro quem chartæ cœruleæ conciliat colore.

Artemisia uterina est & antihysterica vel etiam antispasmodica. Menses, fœtum & secundinas pellit, uteri sordes abstergit, adeoque usus creberrimi est mulierculis, quæ eam adhibent non solum interne in decoctis, jusculis & potionibus; sed etiam externe in balneis & lotionibus. Ex ea sacculi parantur qui tepentes in suffocationibus hystericis, partu difficili & mensium aut lochiorum suppressione ventri admoventur.

℞. Folior. & summitatum floridar. Artemis. M. j. Maceretur in aq. bullientis ℔ß. Vas operiatur, & post horæ quadrantem aqua effundatur & sorbillando propinetur.

℞. Folior. & radic. Artemis. M. ij. Cinerum rubr. ℥j. Coquantur cum aq. comm. vel Artemis. distillatæ ℔iij. ad ℔ij. Colatura per cyathos propinetur adversus dolores post partum & lochior. suppressionem. Adde tantillum aq. Cinnamomi, si adsit virium prostratio.

℞. Folior. Artemis. & Matricar. ana M. j. Infund. per noctem in vini albi ℔ß. Colaturæ adde tincturæ Martis ʒij. Aq. Cinnamom. ℥j. Propinetur in mensium & lochior. suppressione.

℞. Folior. Artemis. & Matricar. ana M. j. Coq. leviter in aq. comm.

ad ℥vj. In colatura dilue syrup. de Artemisia ℥j. Adde sp. vol. C. C. succinati gutt. xx. Fiat julapium cochleatim sumendum in hysterica passione.

℞. Summitatum Artemis. pulverat. ʒß. Succini pp. ℈ß. Castor. gr. iiij. Extracti Aloes gr. xv. cum s. q. conserv. flor. Calendulæ. Fiat bolus in passione hysterica & mens. suppressione.

℞. Folior. Artemisiæ, Matricar. Mercurial. & utriusque Malvæ ana M. ij. Flor. Chamæmeli & Melilot. ana M. j. Semin. Lini & Seseli ana ℥j. Incisa & contusa sacculis includantur, & in aquæ comm. q. s. coquantur. Sacculi calentes regioni umbilicali admoveantur ad menses movendos & dolorem post partum sedandum. Ex iisdem herbis insessus præparetur pro partu difficili.

Herbæ siccatæ pulvis ʒiij. pondere in vino potus optimum est doloris ischiadici remedium, auctore Parkinsono, qui & herbam recentem aut ejus succum haustum in convenienti aliquo liquore præstantissimum esse remedium asserit illis, qui nimium Opii sumpserunt.

De præstantia hujus plantæ contra lassitudinem multa proferuntur, quæ ut superstitiose dicta habentur a nonnullis. Plinius de ea sic loquitur. Artemisiam & Elelisphacum (plantam nunc ignotam) alligatas qui habeat viator, negatur lassitudinem sentire. Post eum Botanici plurimi dicunt hanc plantam ad lassitudinem ex itinere maximum esse præsidium, quæ, ejus decocto si laventur aut foveantur pedes, omnis tollitur. Joann. Bodæus a Stapel, in notis ad Theophrasti Historiam plantarum, non dubitat emphatice proferre hujus decoctum hominum ex itinere lassorum pedes adeo recreare, ut nihil in rerum natura reperiatur quod ei sit conferendum; quod, licet C. Hoffmannus rideat, tamen S. Paulli haud a vero prorsus alienum putat. Scribit enim se sancte testari posse, se iis ægris, in quibus nervosum genus male habere sibi visum esset, flatulento spasmo obnoxiis, aut qui de doloribus aut lassitudinibus membrorum, præsertim post chronicos & quandoque etiam post acutos malignos morbos, conquesti sunt, felicissimo sæpe eventu præscripsisse balneum maximam partem ex Artemisia, deinde Salviæ, Agrimoniæ, Chamæmeli & polentæ tritæ decocto repletum, ut in eum se immergerent vel in eo considerent. Quod quidem tribuit tenuibus partibus quibus Artemisia instruitur, quæ vim habent attenuandi, resolvendi, discutiendi. Illud autem probat non solum auctoritate ejusdem Hoffmanni qui hanc partium subtilitatem in ea agnoscit; sed etiam quotidiana coquorum experientia, qui duram anserum carnen, teneriorem efficere solent, eam Artemisiæ foliis infarciendo, antequam coquantur. Addit insuper observationem cujusdam vetulæ, quæ, cum utraque genua tumor insignis œdematosus obsedisset, linteis duplicatis super Artemisia fumigatis eum ex voto abegit: qua hæc partium Artemisiæ tenuitas confirmatur: non ergo adeo ridicula est aut spernenda defatigatos artus sublevandi facultas, quæ hujus plantæ decocto tribuitur.

Sunt qui carbones sacro Joannis Baptistæ die sub hujus radice effossos ad epilepsiam commendant. Eos autem tum in pulvere exhibent, tum de collo suspendunt pro amuleto. Equidem rejecto quidquid superstitionis est in hac

praxi

praxi tanquam futili ac vano, non virtutis prorsus expertes sunt illi sic dicti carbones. Non enim carbones sunt, sed radices Artemisiæ annosæ demortuæ & ita exsicatæ ac semiputrefactione nigricantes factæ, ac principiis aut actuosis particulis non omnino destitutæ, ut Schroderus & Deckers in notis ad Barbette praxim asserunt, & ut putat Fernelius, qui eas adversus epilepsiam proponit, & odorata expostulat. Eædem a Francisco Joele *in Praxi cap. de Epilepsia* laudantur, viro alias minus superstitioso. Ettmullerus quoque, qui, quæ de his carbonibus proferuntur, anile figmentum diu putaverat, refert novisse mulierculam quæ hosce carbones propriis infantibus epilepticis cum fructu, cuspis cultelli quantum capit, propinavit. Dosis illorum carbonum pulveratorum est ad ℨj. in aqua conveniente exhibita. Similes carbones interdum sub Absinthio, Plantagine, & aliis plantis reperiri solent.

In Officinis Pharmaceuticis pro usu medico ex Artemisia præparata servantur, aqua distillata ex planta florida, Syrupus de Artemisia dictus, Conditum, extractum, & Sal fixus, in quibuscunque uterinis affectionibus commendata.

Usurpatur Artemisia in Syrupo de Artemisia *Pharmacop. Regiæ Charas*, Pulvere *Palmarii* contra rabiem, Unguento martiato, Emplastro diabotano *Franc. Blondel. Penicher. Coll. Pharmac.* Aqua vulneraria *Ejusdem* & aq. hysterica *Ph. Reg. Charas*.

## A R U M.

Arum & Aron *Offic.* vulgo, *Pied de vean.* Inter diversas Aris species duæ præsertim in Officinis occurrunt usitatiores, quæ indiscriminatim usurpantur, scilicet Arum vulgare non maculatum, & Arum vulgare maculatum maculis nigris vel candidis.

Arum vulgare non maculatum, *Off.* Arum vulgare non maculatum, *C. B. P.* 295. *Inst. R. H.* 158. Arum *Tab. Icon.* 746.

Radice est tuberosa, carnosa, pollicem crassa, subrotunda, sed difformi, candida, succo lacteo turgida, fibris quibusdam stipata: foliis dodrantem longis, quasi triangulis, & sagittæ formam referentibus, nitidis, venenosis. Caulis ad cubitum pene assurgit teres, striatus, florem sustinens membranaceum, monopetalum, anomalum, auris asininæ, vel leporinæ forma, vaginæ in modum convolutum, ex albido virescentem, in quo latet pistillum pallide flavescens, ad cujus exortum, flore marcescente, oriuntur acini seu baccæ fere globosæ, dense in capitulum oblongum congestæ, purpureæ, molles, succi plenæ, semen unum aut alterum, exiguum, duriusculum, subrotundum, continentes. Tota planta acerrimi est saporis, & linguam deurentis.

Arum maculatum vulgare seu *Off.* Arum maculatum vulgare, maculis candidis vel nigris, *C. B. P.* 195. *Inst. R. H.* 118. *J. B.* 2. 783. *Dodon. Pempt.* 328. Hæc species a priori non discrepat, nisi maculis candidis vel nigris, quibus folia sunt respersa. Nascuntur in sylvis, locisque umbrosis, secus vias & in sepibus agri Parisiensis. Radix in usum venit, rarius folia.

Analysi chymica ex radicum recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi saporis & odoris herbacei subacris, cum sale alcali occulto, & obscure au-

ſteri ℥x. ʒj. gr. vj. humoris primo limpidi, deinde rufeſcentis, ſubacidi, auſteri, odoris empyreumatici, tandem fuſci, obſcuri, ſaporis tum acidi, tum acris ℔iij. ℥viij. gr. lxvj. humoris rufi tum acidi, tum alcali & ſale volatili urinoſo impraegnati ʒij. gr. xxxvj. olei ſpiſſioris & ad inſtar extracti ℥ij. ʒvij. gr. xij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥vj. ʒvij. gr. xxxvj. quae igne reverberii calcinata reliquit cinerum ʒvij. gr. lx. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒij. gr. lx. extracta fuerunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v. ʒiiij. gr. lx. in calcinatione ℥v. ʒvj. gr. xlviij.

Ari radix inſigni pollet acrimonia, ita ut ſemel guſtata verno tempore dum ſucco maxime turget, per diem integrum vellicationem in linguam relinquat. Succus foliorum igne blando paululum inſpiſſatus ab olei tartari affuſione ſpiritum urinoſum dimittit. Chartam caeruleam rubro colore tingit. Inſuper glutinoſa eſt & veluti farinacea. Ex quibus conjici poteſt Ari radicem ſale eſſentiali donari ſimili ſali Ammoniaco ſpiritu Nitri ſaturato, cum oleo craſſo & ſucco viſcido & mucaginoſo intermixto. Inſignis illius acrimonia a ſpiritu ſeu oleo quodam ſubtili & acerrimo quale in Cochlearia, Helleboro, Croco deprehenditur pendere videtur, quod ſola radicis exſiccatione avolat. Nam radix recens acrior eſt quam exſiccata, quae extrinſecus fere inſipida eſt, dum in medio conſervat acredinem haud mediocrem.

Radix in primis in uſu eſt tam recens quam exſiccata. Ratione particularum tenuium & volatilium mucum viſcidum & ſpiſſum ventriculi, & inteſtinorum parietibus adhaerentem potenter incidit, attenuat, atque reſolvit: & ea de cauſa egregium fit ſtomachicum, appetitum proſtratum mire reſtaurat & acuit: febres intermittentes ſaepe ſolvit, tenaces, lentoſque ſuccos in primis alimentorum viis aut in meſenterii glandulis morantes ſolvendo. In aſthmate humorali, tuſſi a pulmonum infarctu, plurimum laudatur; pulmonum enim bronchia a pituita viſcida liberat; in ictero, chloroſi, cachexiis, & chronicis morbis apprime conducit, viſcerum obſtructiones reſerando. In affectionibus melancholicis, hypocondriacis, hyſtericis, & ſcorbuticis quae pendent a ſuccorum lentore, feliciter uſurpatur. Non item illis in affectionibus quae ab humorum acredine, & fibrarum ſpaſmo, criſpatura, & ereti ſmo oriuntur.

Radix ſive ſicca, ſive recens a ʒß. ad ʒj. & ℈iiij. intus exhibetur, & in opiatis meſentericis, & aperientibus uſurpatur. Recens radix decocta, & melle excepta medetur pectoris morbis omnibus pituitoſis, expectorat enim validiſſime craſſas, lentaſque excreationes, adeoque aſthmaticos maxime juvat ʒij. pondere ſumpta.

Nonnulli vim catharticam illi tribuunt: Meſuaeus eam velut catharticum praeſtantiſſimum commendat in morbis chronicis, & contumacibus, praeſertim cum Cepa aut Paſſularum decocto temperatam. In eadem ſententia fuiſſe videtur Antonius Conſtantinus Medicus Aquiſextienſis, & Pharmacopoeae Gallo-provincialis auctor, qui cachecticos aegros hoc Electuario purgare ſolebat.

℞. Radic. Aronis lotar. & mundatar. ℥iiij. Contunde in mortar. mar. mor. & per ſetaceum pulpa trajiciatur; cui adde Menthae pulver. ʒiij. Folior. Abſinth. ʒjß. Fiat Opiata quae egregie purgat ad ℥ß. vel ℥j. in cachexia.

℞. Rad.

℞. Rad. Ari pulver. ʒß. Cinnamomi ℈j. Sacchar. albi ʒj. Misce. Fiat pulvis ex vino vel hydromelite sumendus in asthmate, tussi, mensium & lochiorum suppressione.

℞. Radic. Ari, Irid. Florentin. Antihectic. Poterii, flor. Sulphur. ana q. pl. Cum melle vel syrup. de Erysimo fiat Electuar. de quo ʒij. æger bis die sumat, in asthmate & pectoris affectibus pituitosis.

℞. Ari pulver. & Gumm. ammon. ana ℥j. Tartar. vitriolati, & Cremor. Tartar. ana ℥ß. Sennæ pulver. ʒvj. Rhei & Diaphoret. mineral. ana ʒiij Agaric. Trochiscati ʒij. Trochiscor. Alhandal ℈ij. Diagrydii ℈j. Conserv. Calendulæ ℥ij. Syrup. Rosar. pallidar. q. s. Fiat Opiata dosi ʒij. quotidie vel alternis diebus per mensem sumenda, in mesenterii, & viscerum obstructionibus.

℞. Rad. Ari pulver. ℥ij. Acori vulgar. Pimpinellæ, Saxifragæ ana ℥j. Oculor. Cancror. ℥ß. Cinnamomi ʒiij. Salis Absinth. & Juniper. ana ʒj. Sacchar. rosati ℥jß. M. F. pulvis cachecticus, cujus dosis ʒjß.

℞. Rad. Ari pulver. ʒjß. Croci martis aper. ℥ß. Myrrh. & Gumm. ammon. ana ʒj. flor. sal. Ammon. martial. ʒß. Conserv. flor. Calendul. vel Genistæ ℥ß. Syrup. de Absinth. q. s. M. F. Electuar. anticachecticum & multoties probatum. Dosis ʒj. bis in die.

℞. Cortic. Peruvian. ℥ß. Rad. Ari pulver. & Croci mart. aper. ana ʒij. Syrup. de Absinth. q. s. M. F. Electuar. Dos. ʒj. quarta quaque hora in febre quartana, febribus contumacibus, & cachecticis affectionibus.

Pulpa radicis recentis, & contusæ a Trago dicitur præsentissimum remedium ac minime fallax adversus venenum & pestem, sive sola, sive cum Theriaca tantumdem. A quodam Philagrio, narrante Mesuæo, ex hac radice recenti contusa, placentulæ cum frumentaceæ farinæ æquali portione simul mixtis conficiebantur, in clybano coctæ comedendæ adversus hæmorrhoidales affectiones. Laurembergius ad hernias sanandas solam radicem pulveratam ad ʒj. exhibebat. Dolæus *Lib.* 1. *Cap.* 5. *Section.* 16. radices Ari cum floribus sulphuris commixtas tanquam summum remedium in phthisi commendat.

Quidam summam Ari acrimoniam mitigare tentarunt, sed cavendum ne vis ejus atque præstantia simul cum acredine extinguantur. Ettmullerus improbat macerationem in aceto a nonnullis propositam, qua salia alcalia volatilia acido aceti retunduntur, & in tertium salem neutrum abeunt ab utroque prorsus diversum. Alii fœculam parant ex radicum recentium contusarum succo expresso, quem residere sinunt, donec limus seu fœces quædam tenues subsederint: tunc liquore per inclinationem effuso, limum exsiccant in tenuissimum pollinem fœculam dictum. Sed hæc fœcula elumbe remedium est, & omni virtute fere destitutum. Hinc radix exsiccata, & pulverata sine alia præparatione anteponenda est.

Ari folia, notante Ettmullero, adversus scorbutum usurpantur, vel cum infuso vino, vel in aceto una cum radice macerata, vel alio quocumque modo præparata.

Radix & ipsa planta recens & viridis in aceto coctæ & mitiores factæ, vim diureticam obtinent, remediumque suppeditant egregium, contra ca-

fum ab alto, fanguinem grummofum factum folvendo; qua de caufa ab Helmontio dicitur remedium magnum in cafu magno. *Tr. Difpenfator. modernor.* 840.

Externo ufu folia arthritidis dolorem fublevant, fi contufa & cum ftercore vaccino mixta dolenti parti calide admoveantur. Ulcera brevi mundificant & fanant. Ad anthracem & bubonem peftilentialem impofita plurimum laudantur a Trago. Radix etiam carcinomati exulcerato prodeft, & ex ea fit pulvis a Sennerto, Hartmanno, & aliis commendatus.

♃. Radic. Ari ℥ij. Arfenic. correct. ℥j. Fuliginis fplendidæ ʒiij. M. F. pulvis infpergendus.

Matronæ nonnullæ ex Ari radicibus ftillatitias aquas ad fucum præparant, quas ad faciem erugandam, illuftrandamque magis laudibus efferunt. Fœcula quoque ad eofdem adhibetur ufus, fiquidem cuti fplendorem, nitoremque conciliare dicunt. Apud Pictones rufticanæ mulierculæ maffam quamdam præparare folent ex caulibus, & radicibus plantæ floridæ minutim fectis, & aqua per tres hebdomadas maceratis, aquam quotidie renovando: tandem aqua effufa, maffam conterunt, exficcant, qua linteamina faponis loco mundantur. Eumdem ufum J. Rajus in quibufdam Angliæ locis haud ignotum effe refert.

Ari radix ufurpatur in Pulvere cachectico *Quercetani*.

## ASARUM.

ASarum, Afara Baccara, & Baccarus: Nardus ruftica, *Off.* Afarum, *Dod. Pempt.* 358. & *Inft. R. H.* 501. *J. B.* 3. 548. *C. B. P.* 197. vulgo, *Cabaret*, *Oreille d' homme*, *Oreillette*, *Rondelle*, *Girard rouffin*, *Nard fauvage*.

Humillima eft, & perpetuo virens planta, radice tenui, repente, angulofa, nodofa, fibrofa, fpadicea, vel cinerea, acri, amaricante, naufeabunda, aromatica, Valerianam hortenfem redolente: foliis rotundis, auritis, rigidis, nitidis, obfcure virentibus, logis pediculis innixis. Flores prope radicem inter folia reconditi, tenui, & brevi pediculo infident, ftaminei, purpurei, & vix confpicui, fi calycem excipias, qui craffior eft, & in tria fegmenta divifus, acuta, & atropurpurafcentia. Hujus autem pofterior pars, quæ hexagona eft, abit in fructum in capfulas fex divifum, in quibus femina continentur fubrotunda, exigua, acinis uvarum quoad formam externam fimilia, fufca tunicula involuta, quæ medullam albam continent acriufculam. Delectatur fylvofis, & frequens occurrit circa Parifios in fepto fancti Mauri. Radices, & folia in Officinis ufitata funt.

Analyfi chymica, ex radicum & folior. recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi aliquantifper odorati, fubamar, obfcure acidi ℔ij. ℥v. ʒj. humoris primo limpidi, manifefte acidi, deinde rufefcentis, intenfe acidi ac tandem fubaufteri ℔j. ℥xij. ʒv. gr. xij. humoris fufci, tum acidi, tum alcali urinofi ℥iij. gr. xxiij. olei fpiffioris ad inftar extracti ℥ij. gr. xv. Maffa nigra in retorta fuperftes pendebat ℥vj. gr. xij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. gr. xlviij. ex quibus falis fixi mere alcali ʒvij. gr. lxvj.

gr. lxvj. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒj. gr. ix. in calcinatione ℥iij. ʒvij. gr. xxxvj.

Folia & radices Asari amara sunt & acria; chartam cæruleam rubro colore tingunt. Ex his liquet, Asarum succo donari simili spiritui vitrioli dulcificato & spiritui oleoso volatili, aromatico, acri, simul conjunctis.

Asarum remedium est polychrestum, vomitorium nempe & per inferiora valide purgans, diureticum, sudoriferum, aptissima morborum diuturnorum medicina & menses stimulans.

Radices & folia vomitum & secessum violenter provocant. Radix pulverata a ʒß. ad ʒj. exhibetur: in infuso a ʒj. ad ʒiij. Pulvis autem variat ratione præparationis: si enim minutissime pulveretur, eo efficacius vomitum & urinam pellit, sicut & menses. Si vero minus accurate conteratur, per inferiora solummodo purgat, sine insigni ventriculi subversione. Decoctum autem præparatur vel in vino vel in aqua. Si decoquatur in vino, retinet vim vomitoriam & catharticam: si vero decoquatur in aqua simplici, a qua sulphurea ejus pars solvi nequit, vis ametica & cathartica perit, & rite administratum fit egregium alterans medicamentum, diaphoreticum & diureticum, in morbis chronicis & febribus intermittentibus summæ utilitatis. Quod quidem primum ab Helmontio & post eum a Zvvelfero & a Cl. Tournefortio observatum fuit.

Præter facultatem emeticam & catharticam Asarum insigni donatur virtute obstructiones reserandi, visceraque roborandi, unde illud emetico-catharticum in febribus intermittentibus, ictero, hydrope, diarrhæa & dysenteria, in affectionibus melancholicis, ischyadico dolore & arthritide utiliter exhibetur: urinas ciet & menses pellit, unde meretriculæ plus satis frequentant decoctum ejus, cum sentiunt se gravidas: & eamdem ob causam prægnantes ab eo abstinere debent.

Folia, observante Vedelio, radicibus violentius purgant. Exhibentur n. 5. 6. 7. 8. vel 9. vino aut hydromelite macerata vel cocta & expressa.

℞. Pulver. rad. Asari ʒß. vel ʒj. Capiat æger ex hydromel. aut Oximel. vel ex conserva flor. Aurantior.

℞. Rad. Asari ʒiij. Infunde per noctem in vini albi ℥vj. Colaturam æger capiat mane.

℞. Folior. virid. Asar. n. 7. vel 8. Contusis affunde vini albi ℥vj. Macerentur frigide per horam. Fiat colatura cum expressione pro haustu ad vomitum provocandum.

℞. Rad. Asar. ℥j. Macerentur per noctem supra cineres calidos in aq. commun. ℔j. Fiat colatura mane, jejuno ventriculo, propinanda & in viscerum obstructionibus.

Ex radicibus & foliis Asari cum spiritu vini extractum in Officinis præparatur emeticum a ʒß. ad ʒj.

Rarius Asarum purgantis nomine in usum venit, ex quo vomitoriæ stibii præparationes invaluerunt.

Pulvis foliorum errhinum est præstantissimum de quo J. Colbatch Medicus An-

Anglus in suo Tentamine Physico-Medico, *De alcalibus & acidis quatenus habent respectum ad morborum curationem*, mentionem facit, tanquam novissime detecto a quodam D. Pitt, Pharmacopæo Vvorcestriensi. Narrat autem tria, quatuor, aut quinque grana pulveris foliorum exsiccatorum adversus cephalalgiam, cubitum euntibus Tabaci more exhibita, efficere ut non turbata ægri quiete mane sequenti per nasi glandulas materiæ serosæ non parva quantitas exoneretur, quod verum esse sæpius comperi: imo hunc pituitosum fluxum per tres dies continuos perseverasse observavi, cum summo ægri levamine.

Idem pulvis surditati nonnumquam medetur, annotante eodem auctore, modo in aures granum unum aut alterum insuffletur. Hujus novi errhini efficaciam expertus sum in oris & linguæ paralysi, quæ unica dosi hujus remedii & largo inde suborto pituitæ fluxu sanata fuit. Quapropter hoc errhinum seu capitipurgium medicamentum contra capitis affectus diuturnos & contumaces, ex viscida tenacique materia oriundos, gravativos dolores, paralysim, morbosque soporosos utiliter præscribi posse censeo.

Cœterum Asarum a signatura quæ aurem refert, a quibusdam ad aurium morbos commendatur, referente Ettmullero. Folia vel sola vel cum aliis specificis remediis mixta coquunt & decoctum auribus instillant, aut in suffitu auribus admovent. Alii lixivio in quo decoctum fuit Asarum, caput lavant, & specificum dicunt ad catarrhos quoscumque, speciatim si auditum affligant, & hinc auditum & memoriam firmare credunt.

Radix usurpatur in Syrupo hydragogo *Ph. Reg. Charas*.

Radices, folia & fructus contrita & carpis admota, ineunte paroxismo, febres intermittentes nonnumquam profligant.

## ASCLEPIAS.

ASclepias, Vincetoxicum, & Hirundinaria, *Off.* Asclepias albo flore, *C. B. P.* 303. *Inst. R. H.* 94. Asclepias sive Vincetoxicum multis, floribus albicantibus, *J. B.* 2. 138. Vincetoxicum, *Dod. Pempt.* 407. Hirundinaria, *Tragi* 180. Hirundinaria flore albo, *Parkinson*: Cissiom, Cissophylon, Hederalis, *Ruel.* 728. vulgo *Dompte venin*.

Radice est numerosis stipata fibris, pluribus ex uno capite prodeuntibus, crassiusculis, longis, albis, sapore acri subamaro, ingrato, nauseoso, odore graviusculo: caulibus lentis, cubitalibus & altioribus, hirsutis, geniculatis: foliis binis ex adverso nascentibus, nonnihil per extremos margines & nervos hirsutis, forma hederaceorum, longioribus, rugosioribus, brevibus pediculis innixis. Ex foliorum alis pediculi prodeunt divisi in plures alios, qui flores sustinent albicantes, monopetalos, campaniformes, patentes, & quinquifidos, cum quinque apicibus concoloribus, rotulæ modo dispositis, calyce in totidem partes diviso, & pistillo posticæ floris parti ad instar clavi infixo. Flori supponitur capitulum etiam quinquifidum. Pistillum abit in fructum ex duobus vaginis constantem membranaceis, sesquiunciam & amplius longis a basi ad apicem dehiscentibus, multo

multo semine fœtis rufo, latiusculo, compresso, pappis seu cristata lanugine instructo, ac placentæ squammatim affixo. Ab Apocyno & Periploca Asclepias differt, quod limpidus sit illius succus, non vero lacteus ut in illis. In nemore vici Boloniæ dicti apud Parisios sponte nascitur. Usus est radicum & foliorum.

Analysi chymica, ex plantæ floridæ recentis demptis radicibus ℔v. per B. V. distillatis, prodierunt humoris limpidi, saporis herbacei, primo obscure acidi, deinde manifeste acidi ℔ii. ℥xij. ʒvj. gr. xxxvj. Massa exsiccata residua, per retortam distillata, præbuit humoris rufescentis, subausteri, deinde salsi ℔j. ℥ij. ʒiiij. gr. lvij. humoris rufi tum acidi, tum salsi ℥ij. ʒij. gr. xxxvj. humoris rufescentis, alcali, urinosi, & sale volatili urinoso copioso imprægnati ʒv. gr. xxxvj. olei spissi & butyrosi ℥ij. ʒij. gr. liiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum nigricantium ℥j. ʒvj. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvj. gr. xxxvj. fuerunt extracta. Partium jactura in distillationibus fuit ℥iiij. ʒj. gr. lxix. in calcinatione ℥v. ʒj. gr. xxxvj.

Ex radicum recenter avulsarum ℔v. per B. V. distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis aliquantisper aromatici, acris, linguam pungentis, primo obscure acidi, deinde manifeste acidi, & subausteri ℔ij. ℥xiij. ʒij. gr. xxiiij. Massa superstes per retortam distillata præbuit humoris primo rufescentis manifeste acidi & salsi, deinde fusci, intense acidi, tandem salsi & alcali urinosi volatilis ℥vij. ʒiij. gr. xxvij. humoris fusci, empyreumatici, alcali urinosi ʒvij. gr. xlv. olei butyri ad instar spissi ℥ij. ʒiij. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥xiiij. ʒv. gr. xxxvj. quæ igne reverberii per 24. horas calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥vij. ʒvij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi salsi ʒj. gr. ij. extracta fuerunt. Partium jactura in distillationibus fuit ℥ix. ʒj. gr. xlviij. in calcinatione ℥vj. ʒvj.

Asclepiadis radices amaræ sunt, subacres, aromaticæ, & chartam cæruleam rubro colore tingunt, folia vero debilius tingunt & subsalsa sunt. Unde concludimus, sicut ex analysi, hujus plantæ radices donari sale essentiali salso tum vitriolico, tum ammoniacali, acido plusquam saturatis, & multa terra, multoque oleo tum tenui, tum crasso bitumiuoso involutis: folia vero plus ammoniacalis salis continere.

Radix alexipharmaca est & sudorifera: in peste & aliis morbis malimoris plurimum commendatur. Menses & urinas provocat. Pulverata ad ʒj. exhibetur. In infuso vel decocto ab ℥ß. ad ℥j. Nonnullis, dum recens est, nauseam vel vomitum levem excitat. In variolis, morbillis & febribus malignis, ejus decoctum a Cl. Tournefortio Scorsonneræ decocto anteponitur ad diaphoresim aut sudorem promovendum. Decoctum ejus in aq. comm. ℔ij. præscribitur pro potu ordinario. Ad strumas sanandas, & ad menses suppressos revocandos utile est idem decoctum sæpius usurpatum.

℞. Radicum Vincetoxici ℥j. Infunde in aq. bullientis ℔j. Infusum percoletur. Dividatur in tres cyathos, cum syr. de Arthemisia aut aperiente cachectico *Ph. R. Charas* propinandos quaque hora, in suppressione mensium.

Ejus-

Ejusdem decoctum cum vino a Paracelso laudatur in hydrope. Radix pondere semilibræ per noctem in vino macerata & deinde usque ad tertias decocta mane, jejuno stomacho, calida pota, sudore interim provocato, mirifice expellit aquam intercutem, adeo ut illa per pedum plantas erumpat: estque hoc singulare experimentum a Trago relatum.

Externe tam folia, quam radices & semina usurpantur in mammarum ulceribus, aliisque sordidis ac malignis mundificandis: ad morsus viperarum & insectorum venenatorum ictus. Folia contusa mammarum tumores resolvunt & discutiunt.

Ex foliis & radicibus præparatur extractum ad eadem usurpatum a ʒß. ad ʒjß.

Radix usurpatur in aceto Theriacali *Pharm. Reg. Charas* & in electuario Orvietano *Frederici Hoffmanni*.

## ASPARAGUS.

DUplex est Asparagus in Officinis usitatus, sativus & sylvestris.

Asparagus, sativus *Off.* Asparagus sativa *C. B. P.* 489. *Inst. R. H.* 300. Asparagus hortensis & pratensis *J. B.* 3. 725. Asparagus sylvestris *Mathiol.* 478. vulgo, *Asperge*.

E radicibus numerosis, ab uno veluti capite pendentibus, teretibus, carnosis, candicantibus, subdulcibus, glutinosis, primo vere cauliculos emittit teneros, longos, teretes, virides, glabros, sine foliis, ab uno cespite plures, esculentos, & grati saporis, qui paulatim ad duorum cubitorum altitudinem assurgunt & in numerosos, tenues, firmos dividuntur ramos & virgas, circa quas folia nascuntur frequentia, viridia, capillacea, mollia, uncialia. Flores rosacei sunt, hexapetali, pallide virentes, cum pistillo in fructum seu baccam mollem abeunte, Pisi magnitudine, fere globosum, purpurascentem, mollem, subdulcem, cum seminibus duobus vel tribus umbilicatis, nigris, duris, corneæ soliditatis. In hortis & arvis colitur, in primis ad culinarium usum. Ejus enim recens enati turiones seu Asparagi proprie dicti diversimode cocti mensis apponuntur & palato mirifice placent, Radix & semen in Officinis Pharmaceuticis usitata sunt.

Analysi chymica, ex radicum tenerarum & recentium ℔v. per B. V. distillatis, prodierunt humoris limpidi saporis herbacei, obscure salsi ℔iij. ℥iij. ʒvj. gr. xxvij. humoris limpidi, subacidi ℥xj. ʒij. gr. xlv. Residuum per retortam distillatum præbuit humoris rufescentis, subacidi, subacris & austeri ℥iiij. gr. xvj. humoris alcali, urinosi, volatilis empyreumatici ℥j. ʒv. gran. xx. olei spissi ℥j. ʒ. gr. liiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ʒj. gr. xviij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum fuscorum, nigricantium ℥j. ʒij. gr. xv. ex quibus salis fixi alcali ʒiij. gran. liv. extracta fuerunt. Partium jactura in distillationibus fuit ℥iv. ʒvj. gr. xxxvj. in calcinatione ℥iij. ʒvij. gr. iij.

Illæ radices subdulci & glutinoso sapore donantur cum quadam austeritate, chartam cæruleam colore rubro levissimo quidem, inficiunt; unde Tour-

nefor-

nefortius censet eas sale essentiali donari tartareo vitriolato simili, multo phlegmate diluto, oleo crasso, copioso & mediocri terræ portione implicito. Aliquid tamen nitrosi huic tartaro vitriolato conjungitur, quod quidem in turionibus majori copia deprehenditur.

Turionum viridium summitates ad ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris aliquantisper turbidi & lactescentis, odoris, & saporis herbacei Asparagos referentis ℥xiij ʒij. gr. xlviij. humoris limpidi, primo obscure acidi, deinde manifeste acidi ℔iij. ℥ix. ʒiiij. humoris rufi empyreumatici, alcali urinosi ℥j. gr. xxiiij. salis volatilis urinosi, concreti gr. lx. olei adiposæ crassitudinis ʒiij. gr. xxiv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥ij. ʒiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ʒvj. gran. xlviij. ex quibus salis fixi alcali ʒiij. gr. xxiiij. lixivio extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥v. gr. lx. in calcinatione ℥j. ʒv. gr. xxiiij. Ex hac analysi liquet Asparagorum turiones salem ammoniacalem nitrosum continere copiosum, & magis explicitum quam in radicibus, a quo vis diuretica pendere videtur.

Asparigi turiones seu germina recentia ciborum appetitum excitant, sed nutrimenti parum præbent. Urinam provocant, & mirum fœtorem ei communicant. Sunt qui eos tanquam præservativum in calculo, & lithontripticum commendant; sed ab Helmontio, & Ettmullero arguuntur, qui ab eorum usu lithiasin inducit asserunt. In quibusdam venerem stimulant acribus suis salibus, nerveas partium & urinæ secretioni & generationi dicatarum membranas proritando. A nonnullis vis alvum emolliendi illis tribuitur, quæ ab aliis denegatur; adeo incerta est.

Radix Asparagi inter quinque radices aperientes majores numeratur cum Apio, Fœniculo, Petroselino, & Rusco. Diuretica censetur, sed hac virtute turionibus inferior mihi videtur. In ptisanis, apozematibus, & jusculis aperientibus, præscribitur cum aliis radicibus aperientibus ab ℥ß. ad ℥j. pro decocti ℔j.

Eadem vis diuretica seminibus tribuitur, sed in usum rarissime veniunt.

Radicibus usurpantur in Syrupo de quinque radicibus aperientibus, Syr. de Althæa, antinephritico *Ph. Reg.* Syrup. de Cichor. comp. Semina vero in pulvere lithontriptico *Renaudæi*, & Benedicta laxativa.

Asparagus, sylvestris *Offic.* Asparagus sylvestris tenuissimo folio *C. B. P.* 490. *Inst. R. H.* 300. Asparagus sylvestris *Matthiol.* 478. A sativo non differt, nisi partium exilitate, ita ut nonnulli eos inter se discrepare existimarent sola cultura, quæ speciosiora & ampliora omnia reddit. Attamen Cl. Tournefortius observavit Asparagum sylvestrem diu in horto Regio excultum nullam mutationem subiisse nec cultura ampliorem factum fuisse. Unde concludit eum non sativi varietatem esse, sed speciem diversam.

Iisdem donatur virtutibus, imo valentioribus; ita ut, pro usu medico, sativo a plurimis anteponatur.

## ASPERULA.

ASperula, Aſpergula, Aſperula odorata, Hepatica ſtellata, Stellaria; Matriſylva *Off.* Aparinæ latifolia humilior montana *Inſt. R. H.* 114. Aſperula ſive Rubeola, montana, odora *C. B. P.* 334. Rubiis accedens. Aſperula quibuſdam, ſive Hepatica ſtellaris *J. B.* 3. 718. Aſperula odorata flore albo *Dodon. Pempt.* 355. Hepatica ſtellata *Tabern. Icon.* 816. Stellaria *Brunsfels*: Matriſylva *Trag.* 496. vulgo *Petit Muguet*.

Radice eſt tenui, geniculata, fibrata, repente cauliculis tenuibus, quadratis, geniculatis, palmaribus & dodrantalibus: foliis ad ſingula genicula ſenis vel ſeptenis verticillatim diſpoſitis, aliquantulum ſcabris, foliis Aparines latioribus, pallidius virentibus. Flores in ramulis ſummorum caulium naſcuntur, monopetali, campaniformes, patentes, quadrifariam diviſi, candidi, ſuaviter olentes, cum calyce, qui abit in fructum ſiccum, cortice tenui & aſpero obductum, ex gemellis globulis conſtantem. Tota planta gratum, ſuavemque ſpirat odorem. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur. Tota planta in uſum venit.

Analyſi chymica, totius plantæ floridæ, dempta radice ℔v. præbuerunt humoris limpidi, obſcureacidi, ſaporis herbacei, amaricantis ℔j. ℥ij. ʒiij. humoris primo rufeſcentis, ſubacidi, amaricantis; acris, linguam pungentis, & Perſicorum nucleorum ſaporem referentis, deinde fuſci, empyreumatici, acidi manifeſti, amari & aliquantiſper auſteri ℔ij. ℥ij. gr. xij. humoris empyreumatici, fuſci, alcali, urinoſi, & ſale volatili impraegnati ℥j. ʒvij. gr. xlviij. olei inſtar ſyrupi craſſi ℥ij. ʒiiij. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥viij. ʒij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥iiij. ʒj. gr. xxxvj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒv. gr. lij. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥xiiij. ʒvj. gr. lx. in calcinatione ℥iiij. gr. xxxvj. Per hanc analyſim liquet Aſperulam ſale eſſentiali donari tartari vitriolato ſimili, multo oleo acri tum tenui, tum craſſo conſociato. Tota planta gratum ſuavemque ſpirat odorem, ſaporem habet ſubſalſum, & aliquantiſper auſterum.

Ratione tenuium ſuarum particularum humores craſſos ac tenaces incidit, attenuat, diſcutit: & levi qua donatur adſtrictione viſcerum fibras nimis laxas firmat & roborat. Eapropter in levioribus & incipientibus hepatis, lienis, meſenterii obſtructionibus, in ictero, plurimum valet, necnon etiam in epilepſia, & paralyſi commendatur. Vulnerariis quoque plantis annumeratur, nec immerito: blando enim ſuo ſulphure humorum acrimonia demulcetur, & adſtringentibus ſuis particulis ſolidæ partes leviter conſtringuntur. Externe herba contuſa cataplaſmatis modo hepatis tumori imponitur. Ejus decocto cutis ſcabie fœdata lavatur.

Ex floribus conditum præparatur adverſus epilepſiam proficuum, & ex illis tinctura cum ſpiritu vini extrahitur adverſus paralyſim commendata.

ATRI-

## ATRIPLEX.

ATriplicis plures sunt species, quarum tres potissimum in Officinis usitatæ sunt, de quibus hic agemus, scilicet Atriplex alba, Atriplex rubra, & Atriplex fœtida.

Atriplex alba *Offic.* Atriplex hortensis alba, sive pallide virens *C. B. P.* 119. & *Inst. R. H.* 505. Atriplex alba hortensis *J. B.* 2. 970. Atriplex sativa alba *Lob. Icon.* 253. vulgo, *Arroche*, *Belle-dame*, *Bonne dame*, *Follette*.

Radice est recta, palmari fibrosa, annua: caule procero & erecto, imo terete, supremo angulofo, ramoso: foliis Bliti minoribus, lævioribus, mollioribusque, triangulis, ad pediculum quasi alatis nonnihil in ambbitu sinuatis, & tenui quadam farina respersis, colore ex viridi in luteum languente, gustu fatuo. Flores in summo caule & ramulis copiosi nascuntur, apetali, plurimis scilicet staminibus & apiculis constantes luteis vel herbidis, ex calyce pentaphillo surgentibus, cum pistillo quod abit in semen unicum, orbiculatum, compressum, spadiceum, saporis, dum recens est nidorosi, ipso calyce seu capsula folliculacea obvolutum.

Atriplex rubra *Off.* Atriplex hortensis rubra *C. B. P.* 119. & *Inst. R. H.* 505. Atriplex rubra hortensis *J. B.* 2. 970. Atriplex sativa altera, folio & flore purpureo livens *Lobel. Icon.* 253.

Hæc species cum præcedente omnibus suis partibus, totaque facie externa convenit, præter colorem sanguineum seu purpureum obsoletum, quo penitus tingitur, & imbuitur.

Atriplex utraque in hortis olitoriis, ubi seritur, annua est. Semel vero sata ex semine deciduo se quotannis renovat. Herba cocta estur, ut oleus nunc tamen rarissime caulinas ingreditur. Folia & semina in usum Medicum veniunt.

Analysi chymica, ex foliorum Atriplicis albæ ℔v. prodierunt humoris primo limpidi, deinde subturbidi, flavescentis, odoris & saporis subsalsi, lixiviosi, qui salsi & alcali salis notas præbuit ℔ij. ℥vj. ʒvij. gr. lj. humoris flavescentis tum salsi & alcali urinosi, tum acidi ℔ij. ℥j. ʒvj. gr lix. humoris fusci, sale volatili urinoso impraegnati ʒvj. salis volatilis urinosi, concreti gran. xiiij. olei ʒ. vj. gr. xvij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij ʒiij. gr. xxxviij ex quibus lixivio salis mere alcali fixi ℥j. ʒiij. gran. xviij. Partium deperditio in distillatione fuit ℥j. ʒv. gr. iij. in calcinatione ℥ij. ʒiiij. gr. xliiij.

Atriplex itaque sale essentiali donatur salso ammoniacali, nitroso qualis exsurgeret ex mixtura spiritus nitri & salis volatilis urinosi, cum olei portione non mediocri conjunctis, multo phlegmate dilutis & pauca terra.

Atriplex utraque alba & rubra exiguum admodum nutrimentum vescentibus præbent, stomacho nocent, nisi aromatibus aut sale, & aceto condiantur. Jusculis quæ alvi ciendæ causa parantur non parum utiles sunt. Natura sua refrigerant & humectant. Herbis emollientibus annumerantur.

tur. Alvum emoliunt, blande laxant, fœces induratas fluxiles faciunt, simulque flatus discutiunt. Egregie præsertim conveniunt hypocondriacis, quorum viscera æstuant & alvus constricta est nimis. Ebullientes in primis viis humores acres & biliosos temperant, indeque natos ardores & inflammationes mitigant. In clysterum decoctis recentes præscribuntur ad Mj. aut Mij. in primis emollientibus & anodynis, alvum duram provocantibus & moderate laxantibus. In cataplasmatibus etiam pro inflammationibus sistendis, doloribus mitigandis, partium tensionibus laxandis & emolliendis tumoribus duris imponuntur, atque podagricis doloribus leniendis. Cum foliis Vitis, herba Anethi & Chamæmeli ingreditur pediluvia, pro somno conciliando, in febribus ardentibus & deliriis.

Atriplicis albæ semina recentia tum alvum abunde subducunt, non sine molestia, tum crebros vomitus provocant teste Matthiolo. Serapio narrat Rhasim vidisse hominem quemdam, qui ex Atriplicis semine ℥ij. pondere sumpto, crebris tum vomitibus, tum alvi dejectionibus vexatus fuit, adeo, ut ad extremam virium imbecillitatem devenerit. A quibusdam in ictero commendantur, ab aliis in rachitide. Usurpantur in pulvere de Guttera dicto, a Riverio adversum infantium epilepsiam præscripto.

Atriplex fœtida, Vulvaria *Offic.* Chenopodium fœtidum *Inst. R. H.* 506. Atriplex fœtida *C. B. P.* 119. *J. B.* 2. 974. Vulvaria *Tabern. Icon.* 428. Atriplex pusilla, olida hircina, Vulvaria vocata, Garum olens *Lob.* Gurosmum *Dod. Pempt.* 616.

Ex radice gracili, fibrata, cauliculos promit repentes, ut plurimum ramosos, dodrantales aut longiores, quos vestiunt foliola subrotunda, in obtusum acumen desinentia, colore formaque Atriplicis, sed minora multo, farinaceo pulvisculo asperso candicantia, odore viroso Garum putridum referentia, præsertim si digitos inter conterantur. Flores summis ramulis acervatim inhærent, exigui, apetali, plurimis scilicet staminibus constantes ex calyce quinquifariam diviso surgentibus, cum pistillo, quod abit deinde in semen unicum minutum, splendens, nigricans orbiculatum, & planum, in capsula veluti stelliformis, quæ floris calyx fuit, reconditum. Locis incultis & juxta semitas nasci gaudet. In agro Parisiensi reperitur.

Analysi chymica, ex Atriplicis fœtidæ floridæ ℔v. prodierunt humoris primo limpidi, deinde flavescentis, odoris & saporis salsi, lixiviosi, qui alcali urinosi notas præbuit, ℔iij. ℥vij. gran. xxxvj. humoris primo flavescentis, deinde rufescentis, salsi, tum alcali urinosi tum subacidi ℔j. ℥iiij. ℥vj. gran. xxxvj. humoris fusci empyreumatici, sale volatili urinoso prægnati ℥j. ℥iiij. gran. xxiiij. salis volatilis urinosi concreti ℥iij. gran. xij. olei adiposi, ℥j. ℥vij. gr. xxxiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. ℥vij. gran. xxxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ℥vij. gran. xlviij. ex quibus lixivio, salis fixi mere alcali ℥j. ℥vij. gran. xxx. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ℥iij. gran. xxxix. in calcinatione ℥j. ℥vij. gr. lx.

Tota planta odorem fœtidum ammoniacalem urinosum refert, & constat sale essentiali ammoniacali, fere explicito, & oleo crasso copioso permixto.

Hæc

Hæc planta antihyſterica cenſetur. Odore paroxyſmos hyſtericos fugat; Potus infuſi foliorum extractorum calide ſumptus paſſioni hyſtericæ mire prodeſt. Ex foliis recentibus contuſis, cum ſaccharo conditum præparatur hyſtericis utiliſſimum. Eorum tinctura cum aqua vitæ parata a Cl. Tournefortio ad eoſdem affectus commendatur. In paroxyſmis hyſtericis ejus decoctum pro clyſtere utile cenſetur.

## A V E N A.

Avenæ ſpecies duæ uſitatæ ſunt, Avena alba, & nigra.

Avena alba *Off.* Avena vulgaris ſeu alba *C. B. P.* 23. *Inſt. R. H.* 514. Avena alba *J. B.* 2. 432. Avena, *Dodon. Pemptados* 511. vulgo, *Avoine*.

Ex radicibus tenuibus, copioſis, culmi aliquot ex gramineis vaginis prorumpentes aſſurgunt, geniculis quatuor aut quinque in eodem culmo diſtincti, cum foliis gramineis. In cacumine panicula ſe explicat ſparſa, cum floribus apetalis, per faſciculos pendulos diſpoſitis. Singuli autem flores plurimis ſtaminibus conſtant candicantibus, ex calyce ſurgentibus. Piſtillum autem deinde abit in ſemen oblongum, tenue, acutum, ſubalbicans, farinaceum, & ſuperiori parte exiguis capillis hirſutim, gluma quæ calyx floris fuit, craſſa, & dura obvolutum. In omnibus regionibus tam calidis, quam frigidis ſeritur. Semen in uſu eſt.

Avena nigra *Off.* Avena nigra *C. B. P.* 23. *Inſt. R. H.* 514. *J. B.* 2. 432. Avena ſylveſtrior, nigra tenuiorque *Cæſalpin.* 177.

Alba aſpectu magis agreſtis eſt, ſtipula craſſiore, & folio nigriore. Granum huic ſtrigoſius, longius, & piloſius eſt quam præcedenti, gluma piloſa, & nigra tectum.

Analyſi chymica, ex Avenæ vulgaris optime purgatæ ℔v. prodierunt humoris limpidi, Avenam coctam odore, & ſapore referentis, ſubacidi, & occulte ſalſi ℥x. ʒv. gr. lvij. humoris ruſeſcentis, empyreumatici, intenſe acidi, auſteri, acris, linguam aliquantiſper pungentis, cum aliquibus alcali indiciis ℔j. ℥ij. ʒiiij. humoris fuſci, alcali urinoſi, & ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥ij. ʒv. gr. xxxiij. olei ſpiſſioris, Syrupi ad inſtar ℥vij. ʒij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℔j. ℥vij. ʒij. gr. xxxiiij. quæ igne reverberii per duodecim horas calcinata, cinerum reliquit pinguium adhuc, & viſcidorum ℥ij. ʒij. gr. xx. ex quibus lixivio, ſalis fixi alcali ʒj. gr. xi. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℔j. ℥j. ʒiii. gr. xx. in calcinatione ℔j. ℥v. gr. xiiij.

Avena itaque conſtat ſale ammoniacali multo oleo involuto; unde compoſitum exſurgit mucaginoſum. Inſuper Avena, cerealium more, aqua macerata fermenteſcit, & in liquorem vinoſum poſteaque in acetoſum convertitur.

Avena in uſu frequentiſſimo eſt, tum in cibo, tum in Medicina. Seritur quidem pro equorum pabulo, aliorumque animalium. Ex ea tamen optimæ, & variæ pultes atque ſorbitiones præparantur. Non alia fere juſcu-

jufcula apud Anglos in ufu funt, quam Avenata, tam apud nobiles, quam plebejos, quæ fane tam ægrotis, quam fanis faluberrima funt. Facile coquuntur, & optimum alimentum corpori fubminiftrant.

In annonæ caritate, inquit Rajus, tenujoris conditioris homines, hifce jufculis præcipue victitant, & tamen meliore valetudine fruuntur, quam qui delicatiffimis, variaque arte confectis cibis utuntur. Bene nutriunt, floridumque fatis colorem infantibus efficiunt.

In montofis feptentrionalibus Angliæ, inque Cambria, ex Avena decorticata, & molita panes, & placentas varii generis conficiunt. Nec alio pane utuntur ruftici, & tamen optima valetudine fruuntur, & maxime longævi funt, narrante J. Raio: & fane minime dubium eft, quin panes illi faluberrimi fint, quamvis non affuetis ob amarorem minus grati.

Eft & edulium quoddam, quod ex ea decorticata leviter tufa, pinfitaque, apud inferioris Normanniæ, & Armoricarum Regionum populos conficitur, Grualdum, *Gruau* vulgo nuncupatum. Vel folum ex aqua, vel lacte, vel carnium jure leviter coquitur: & decoctum in forbitione feu jufculo acceptum bechicum eft, confertque tuffientibus. Humorum acrimoniam demulcet, æftum temperat, effervefcentiam coercet, æftuantefque fales per urinarum vias præcipitat, & expellit. Ex eo quoque pulticula feu cremor paratur, cui adjicitur lac vaccinum, aut fuccus Amygdalarum dulcium, itemque faccharum, qua ratione fit palato gratiffimum. Omnes fere apud Anglos Medici in morbis acutis non aliis fere forbitionibus ægrotos alunt, quam avenatis. Revera blanda mucagine humoris acrimoniam demulcent, æftum temperant, effervefcentiam coercent, tenujbus fuis particulis craffos ac tenaces fuccos dividunt, æftuantefque fales per urinarum vias præcipitant, & expellunt, necnon etiam fudores quandoque provocant, & infenfibilem tranfpirationem reftituunt: unde in catharris, raucedine, tuffi, exulceratione, & afperitate faucium, aphthis ab acri lympha oriundis, pleuritide, peripneumonia, eryfipelatofis affectionibus utiles funt, & in febribus acutis jufculis carnium anteponendæ, quandoquidem humores, & fanguineam maffam ad effervefcentiam minus inducunt.

Cerevifiam quoque ex Avena non fecus quam ex aliis frugibus Angli & Lithuani conficiunt, quæ hordeaceæ bonitate non multum cedit, aliquo etiam refpectu ei præfertur.

VValli ex amylo Avenæ in aqua ad gelatinæ craffitiem decocto ferculum parant, quod in magno, non in VVallia tantum, fed per totam Angliam pretio eft. Gelatinam hanc amyleami, avenaceam, calidam, in taleolas diffectam cum lacte, vel cum cerevifia, aut vino albo Saccharo edulcorato mixtam comedunt.

Avena cum pugillis aliquot falis in fartagine torrefacta, facculo tenujoris telæ inclufa, calenfque abdomini applicata, in colico dolore levamen affert, & eo felicius fi grana Juniperi, & Cumini femen illi admifceantur.

Farina Avenæ extrinfecus ad cataplafmata non minus utilis eft quam Hordei: exficcat enim, & mediocriter digerit. Cum butyro cocta in fcabie capitis exficcanda commendatur.

Illis

Illis qui calculo renum laborant, Simon Paulli commendat balneum ex Polenta trita, Lupulo, & Avenæ ſtramine, quod inſigniter mitigat dolores nephriticos.

## AURANTIA MALUS.

INter varias Aurantiarum arborum ſpecies, duæ ſunt potiſſimum, quarum fructus apud nos in uſu ſunt, ſcilicet malus Aurantia fructu acri, & malus Aurantia fructu dulci.

Malus Aurantia, fructu acri *Off.* Aurantium acri medulla vulgare, *Ferrarii Heſperid.* 377. *Inſt. R. H.* 620. Malus Aurantia major *C. B. P.* 436. Aurantia Malus *J. B.* 1. 97. *Oranger a fruit aigre*, vulgo *Bigarrades*.

Elegantiſſima hæc arbor parum procera, radice eſt craſſa, lignoſa, ramoſa, alte, & late diffuſa, intus lutea: trunci materie dura, ſpiſſa, intus candida, odorata, cortice glabro ex viridi ſubalbicante circumveſtita; ramis numeroſis, nitide virentibus, & complures in ramulos flexiles, & ſpinis nonnullis refertos diviſis: foliis Lauro latifoliæ proximis, perpetuo virentibus, craſſis, lævibus, latis, & utrimque in acumen deſinentibus, cum pediculo foliato ſeu corculi aſpectu, & infinitis Hyperici inſtar, cellulis oleariis minutiſſimis translucentibus refertis, velut totidem foraminulis perviis. Flores odorati, quaſi faſciculatim conferti, roſacei ſunt, quinque ſcilicet petalis, candidis, in orbem poſitis, conſtantes: ex floris calyce ſurgit piſtillum viride, foliolis in albicantia deſinentibus ſtamina, cum apicibus luteis ſtipatum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, cortice carnoſo, lineas duas, tres, quatuorve craſſo, intus albido, extus aureo vel croceo, dum maturus eſt, ante maturitatem, viridi, amaro, acri, linguam pungente, facile ab interiori medulla ſeparabili, in octona loculamenta facile ab invicem ſeparabilia diviſum, ſucci acidi, & pulpæ veſicularis plena, nucleiſque vel ſeminibus fœta oblongis, ex luteo candicandibus, calloſis, cum medulla amara.

Malus Aurantia dulci medulla *Off.* Aurantium dulci medulla vulgare *Ferrarii Heſperidum* 377. *Inſt. R. H.* 620. Malus Aurantia *Dod. Pempt.* 792. *Oranger a fruit doux, Orange douce*.

Hujus inter, & prioris arboris folia, & flores nullum obſervatur diſcrimen. Soli fructus inter ſe differunt, tum cortice, tum medulla. In acribus ille ſubtriſti colore flavet, granoſa plerumque ſcabritie rugat, peracri amaritudine mordet, odore peracuto ferit: hæc autem, medulla nempe, dilutioris eſt palloris, & aſperioris acrimoniæ. Differt autem Aurantium dulce corticis tenuitate, lævore ſæpius molliſſimo, colore ardenter croceo, amaritie remiſſiori, & odore diluto: medullæ quoque ſubflavo ſive ſulphureo aſpectu, inſulſa nonnumquam, nonnumquam vinoſa dulcedine, laxiore frequenter orbe, ſuccoque uberiore. Utraque hic in horris ſumma cura colitur. In inſulis Stœcadibus (*Hyeres*) & in Gallo Provinciæ maritimis oris, adeo familiaris eſt Aurantia Malus, ut ſemper virentium lucorum amœnitate, & Pomorum fœtura perenni

 neu-

neutiquam inquilina videatur. Folia, flores, & fructus seu fructuum cortex, medulla, semen in usu sunt.

Fructus in officinis varia obtinet nomina. Malum dicitur Aurantium, Arantium, Aureum, Anarantium, Nerantzium, Chrysigenum, & Citrangulum.

Analysi chymica, unaquæque libra petalorum florum Aurantiorum a pistillis, & calycibus separatorum per B. M. blando igne distillatorum, præbuit humoris aquosi, limpidi, odorati, fragrantis, subamaricantis, & sub finem obscure acidi ℥xiij. circiter, cum aliquot olei essentialis guttulis.

Eorumdem petalorum exsiccatorum ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris rufescentis turbidi, primo odoris, & saporis non ingrati florem adhuc referentis, acidi, pungentis, deinde intense acidi, & empyreumatici ℔j. ℥v. ʒj. gr. l. humoris turbidi albicantis cum acidi, tum alcali, & sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ix. ʒij. gr. xliiij. salis volatilis urinosi concreti gr. xxvj. olei tum essentialis, tum crassioris ℥viij. ʒj. gr. xxviij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j. ℥x. ʒvij. gr. xl. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum albicantium ℥v. ʒv. gr. xl. ex quibus salis fixi mere alcali ℥iiij. ʒiij. gr. xij. lixivio extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥xiiij. ʒij. gr. xxx. in calcinatione ℔j. ℥v. ʒij.

Per hanc analysim liquet flores Aurantios salem essentialem continere ammoniacalem; aliquantisper austerum, cum multo oleo aromatico, tum tenui, tum crasso, consociatum.

Ex corticum malorum Aurantiorum acidorum, recentium, per vaporarium distillatorum ℔v. prodierunt humoris limpidi odorati acidi, primo occulti, deinde manifesti ℔iij. ℥viij. cum olei essentialis ʒix. Massa sicca in alambice residua pendebat ℥xxij. ʒij. quæ igne reverberii distillata fudit humoris intense acidi ℥v. ʒij. & peculiaris indolis; quippe qui vitrioli Hungarici solutionem rubro colore inficit, modo unicæ vitriolicæ solutionis parti, huiusce liquoris partes 15. vel 16. affundantur: humoris tum acidi, tum alcali volatilis urinosi ℥j. gr. xxxvj. olei fluidi tum essentialis, tum crassioris ℥ij. ʒvij. gr. lxj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. Quæ igne reverberii per 14. horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥j. ʒiij. gr. xij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiij. gr. xviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione per vaporarium fuit ℥j. ʒvj. in distillatione per retortam ℥v. ʒvij. gr. xlvij. in calcinatione ℥v. ʒiiij. gr. lx.

Itaque cortex Aurantiorum multum olei continet essentialis, & crassi cum sale essentiali tartareo, & austero commixtum.

Succus malorum Aurantiorum acidorum per vaporarium distillatus ad ℔iij. fudit humoris limpidi, fere insipidi, acidi, primo occulti, deinde manifesti ℔ij. ℥viij. Massa residua spissa, & fere arida pendebat ℥iiij. ʒvj. quæ per retortam igne reverberii distillata præbuit humoris tum alcali urinosi, tum acidi ℥j. ʒiij. humoris alcali urinosi ℥iij. gr. liiij. olei spissi ad instar syrupi ʒij. gr. xxxj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥j. ʒij. gr. xxxvj. quæ in crucibulo per sex horas calcinata reliquit cinerum nigricantium ʒij. gr. lxix. ex quibus salis fixi mere alcali ʒj. lixivio extracta fuit.

Succus

Succus ille licet gustu acidus mediocri tamen acidi salis quantitate donatur, & cujus portio non exigua in salem alcali urinosum igne convertitur. Sal ille acidus rarus est admodum & cum tenuissimo sulphure intermixtus. Ea sane de causa succus ille recenter expressus & per aliquod tempus in loco frigido asservatus in tenuem gelatinam seu mucaginem concrescit.

Succus malorum Aurantiorum dulcium exigua admodum salis acidi portione donatur, & parum salis alcali præbuit.

Flores malorum Aurantiorum odoris gratia apud nos hodie in præcipuo honore sunt, in odoramentis, tum in condimentis. Hic odor fere solus super Rosas, Ambarum & Moschum prævaluit. Ex his floribus distillatur aqua fragrantissima quæ non solum odoris præstantia cœteras præcellit, sed ad medicamenta etiam optime facit. Aqua Naphæ a nonnullis nuncupatur. Cephalica est, stomachica, hysterica & alexipharmaca. Ventriculum roborat & flatus discutit blando suo amarore haud ingrato. Paroxismos hystericos & spasmodicos hypocondriacorum motus sedat, & menses promovet ad cochlear unum aut alterum epota sola vel cum alio quocumque liquore idoneo. Ad febres pestilentiales & mali moris a Matthiolo commendatur tanquam alexiteria & sudorifica, si sex unciarum pondere potanda exhibeatur. In potionibus & julapiis cephalicis, cardiacis, stomachicis & hystericis ad ℥j. aut ℥ij. præscribitur.

Ex iisdem floribus condita varia tum solida, tum molliora, & tabellæ conficiuntur, quæ palato gratissima mensis secundis apponuntur, aut medicamentis admiscentur ad eorum saporem ingratum corrigendum, aut ad ventriculum roborandum.

Ex foliis viridibus mali Aurantiæ aqua stillatitia quoque paratur a nonnullis magis laudata ad easdem affectiones, utpote amara magis, licet minus odora.

Cortex malorum Aurantiorum acidorum utpote magis amarus, non solum ad intinctus reservatur, sed etiam in usum medicum præ dulcium cortice venit. Ventriculum roborat, ciborum concoctionem juvat, humores crassos ac tenaces dividit, attenuat, flatus discutit, colicos dolores sedat, menses movet & lochia, & vermes necat. In ischuria & dysuria laudatur a nonnullis ut præsidium specificum. Pulvis a ℈j. ad ʒj. exhibetur.

Idem cortex ad immodicos mulierum menses sistendos a Ludovico Septalio commendatur. In aq. comm. ℔vij. trium acrium Aurantiorum subviridium adhuc & nondum perfecte maturorum cortices in phyliras seu pelliculas confectos incoquit, donec sint ejusdem aquæ partes duæ consumptæ: tum decoctum percolatur, cujus ℥viij. aut ix. mane potui dantur. Huic decocto, si valentius desideretur Pilosellæ manipulum postremo excoquendum adjicit, & in eo candens ferrum sæpius extinguit.

Oleum essentiale dictum ex hoc cortice distillatum vel leviter expressum ad guttas ij. vel iij. cum Saccharo sub elæosacchari forma exhibetur iisdem in affectionibus.

Tinctura quoque ex hisce corticibus tum siccis, tum recentibus, cum spiritu vini tartarizato extrahitur ad eadem commendata. A ʒß. ad ʒj. exhibetur.

Usurpatur cortex in tinctura amara stomachica *Londinensium*, & in Aqua Theriacali *Charas*.

Cortices tum dulcium, tum acidorum, Saccharo conditi, inter delicatissima bellaria mensis secundis inferuntur.

Pulpa interior Aurantiorum dulcium comeditur sola vel cum Saccharo; sitim extinguit, refrigerat, appetitum prostratum suscitat: sed exiguum admodum vel nullum alimentum præbet nisi pravum. Itaque cavendum ab illius ingurgitatione, diarrhæas enim, & dysenterias excitat. Acidorum pulpa deterior est, pulmones irritat & tussim inducit. Succus Aurantiorum acidorum e medulla expressus, aqua dilutus & Saccharo temperatus potum *Orangeat* vel *Orangeade* vulgo dictum, sanis gratissimum, in diebus æstivis ad sitim extinguendam, & temperandum sanguinis æstum suppeditat, biliosis naturis, febricitantibus, & scorbuticis utilissimum. In potionibus antiscorbuticis, & febrifugis ad ℥j. aut ℥ij. præscribitur. Idem succus urinas, & menses promovet, quapropter in mensium suppressione succus unius mali Aurantii acidi in haustu vini albi expressus cum Croci pulverati gr. xij. a mulierculis haud inutiliter usurpari solet.

Malum Aurantium dulce integrum cum cortice, & medulla comestum ante febris intermittentis accessionem tertianæ præsertim persæpe paroxismum avertit, & febrem ipsam nonnumquam profligat. Idem ad scorbutum sanandum efficacissimum est: cum cœteris antiscorbuticis medicamentis optime consociari solet: imo Aurantia, & Citrea mala sola plurimum valent, siquidem scorbutici nonnulli solo esu crudorum diuturno persanati sunt.

Semina amara sunt; vermes necant, putredini resistunt, quare inter alexipharmaca a quibusdam recensentur.

## BARDANA.

BArdana, Personata, Lappa major, *Off.* Lappa major, Arcium Dioscoridis *C. B. P.* 198. *Inst. R. H.* 450. Personata sive Lappa major aut Bardana *J. B.* 3. 570. Personata, Lappa major, Bardana *Lobel. Icon.* 388. Personatia *Fuchsii*: vulgo, *Bardane*, *Glouteron*.

Radicem habet crassam, simplicem, pedem longam, rectam, foris nigricantem, intus albam, & fibris stipatam, saporis subdulcis, & subausteri. Folia ampla sunt, pedem longa, & majora, qua pediculo adhærent utrimque aurita, in summo mucronata, hirsuta, obscure virentia, subtus incana. Caulis bicubitalis, crassus, hirsutus, flores capitatos sustinet summis ramulis innascentes, & flosculosos, plurimis scilicet flosculis constantes purpureis, profundius quinquefariam disectis, embryoni insidentibus, & calyci capitato, qui e pluribus squammis conflatur in hamum desinentibus, introrsum incurvatis. Embryo autem abit deinde in semen oblongum, compressum, striatum, nigricans, pappis brevibus aut potius villis instructum, saporis subamari, subacris. Occurrit in pratis, & viis agri Parisiensis. Radices, folia, & semina usitata sunt.

Analysi chymica, ex ℔v. recentium hujus plantæ radicum prodierunt humoris limpidi, saporis herbacei, obscure acidi ℔j. ℥x. humoris primo limpidi, intense acidi, sub finem rufescentis austeri ℔ij. ℥iiij. ʒj. gr. vj. humoris rufi tum acidi subsalsi, tum alcali urinosi ℥j. ʒiij. olei ʒvij. gr. xxiiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iij. ʒvij. gr. xlviij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒv. gr. lx. extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥xj. ʒiiij. gr. lxvj. in calcinatione ℥ij. ʒiij. gr. xlviij.

Radices Bardanæ sapore donantur subdulci cum quadam levi austeritate in recessu. Earum succus chartam cæruleam subrubro colore aliquantisper inficit. Unde liquet sale essentiali donari tartareo, styptico, cum mediocri olei portione conjuncto.

Ex foliorum recentium Bardanæ per retortam distillatorum ℔v. prodierunt humoris limpidi, saporis herbacei, primo insipidi, deinde obscure acidi ℔j. ℥xiiij. ʒvj. gr. liiij. humoris primo limpidi subacidi, deinde rufescentis, acidi, salsi, sub finem rufi, empyreumatici, subausteri, & aliquantisper alcali urinosi ℔ij. ℥ix. ʒj. gr. xlij. humoris rufi, alcali urinoso volatili imprægnati ℥j. gr. xlij. salis volatilis concreti ʒj. olei spissi extracti ad instar ℥j. ʒv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iij. ʒvj. gr. xxiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvij. gr. xlij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvij. gr. xl. extracta sunt lixivio. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒij. gr. xlviij. in calcinatione ℥j. ʒvij. gr. xlij.

Folia Bardanæ amara sunt: eorum succus chartam cæruleam non mutat. Exsiccata, & combusta levia fulgura ad instar Nitri emittunt. Unde conjcere licet salem ammoniacalem nitrosum continere, multo oleo crasso involutum. Seminum recentium Bardanæ per retortam distillatorum ℔v. præbuerunt humoris limpidi, fere insipidi, & inodori, obscure acidi ℥vj. gr. xxiiij. humoris intense acidi, austeri ℥vij. ʒvij. gr. xxxvj. humoris rufi, empyreumatici, tum acidi, tum alcali urinosi volatilis ℥xiiij. olei fluidi ℔j. ʒv. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℔j. ℥vij. ʒvij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum albicantium ℥iiij. ʒiij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi salsi cum particulis talcosis nonnullis ʒij. gr. xiiij. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥xj. ʒiij. gr. xlviij. in calcinatione ℔j. ℥iij. ʒiij. gr. xxxvj.

Semina Bardanæ amara sunt, & acria. Multo oleo donantur cum sale tartareo ammoniacali conjuncto.

Radix Bardanæ diuretica habetur, sudorifera, pectoralis, uterina, vulneraria, & febrifuga. Ejus decoctum in morbis malignis, & variolis Scorsonneræ decocto a nonnullis nec immerito anteponitur: & a Simone Paulli in morbis venereis decocto Salsæperillæ, & cœterorum lignorum exoticorum præstantius censetur, saltem pro emaciatis, & rarioris texturæ ægris. Henricus tertius Galliarum Rex a Petro Pena, decocto radicum Lappæ, ab hac lue sanatus fuit, narrante Samuele Formio apud Riverium obs. 41. Cæsalpinus eam radicem intus sumptam cruentis, & purulentis expuitionibus utilem esse asserit. Pro pleuriticis

commendatur, illis præsertim quorum pleuritis in empyema aut phtisim degenerat. Arthriticis succurrit. Quidam Vastelius, narrante Foresto ab arthritide liberatus fuit radicis decocto, quo uberrimum urinæ, lactis ad instar albæ, profluvium provocatum fuit. Radices pulveratæ ad ʒj. in decocto ad ℥j. pro unaquaque aquæ libra vel etiam Saccharo conditæ ad ℥ij. usque comedendæ præscribuntur: sicque urinas potenter movent, & calculos, & arenulas expellunt, referentibus Pena, & Lobelio.

Folia, & flores iisdem virtutibus donantur. Eorum succus expressus, & defœcatus ad ℥iiij. utiliter propinatur iisdem in affectionibus. Caules antequam flores perficiantur, deraso cortice, crudi, coctique ex oleo, & aceto non insuaves sunt, & urinam potenter cient. Foliorum, & caulium decoctum pleuriticis affatim propinatur, sumptis prius decem vel duodecim ovorum germinibus: & hocce remedio sudor copiosus diffluit. Adversus quartanam idem decoctum plurimum laudatur.

Semen Bardanæ diureticum est valentissimum. Ad ʒj. ex vino albo vel alio liquore idoneo sumitur: vel ex eo emulsio cum Bardanæ decocto vel aqua stillatitia conficitur. Idem semen pulveratum, & quotidie mane sumptum ab Apulejo adversus ischiadicum dolorem præscribitur.

℞. Pulver. rad. Bardan. ʒj. Dilue in aq. vel decoct. Bardan. ℥v. Fiat potus sudoriferus in pleuritide.

℞. Rad. Bardan. ℥iiij. Coq. in aq. comm. q. s. Fiat ptisana, cui adde cryftall. mineral. ʒß. pro singulis libris.

℞. Radic. Bardanæ taleolatim dissectar. ℥ij. Rasur. C. C. ℥j. Bulliant in aq. ℔iiij. ad quartæ partis diminutionem. Adde malum citreum taleolatim sectum ad gratiam conciliandam. Fiat ptisana in febribus malignis, & variolis.

In decocti folior. & caul. Bardan. ℔ij. dissolve syrup. de 5. Rad. aper. ℥ij. Fiat apozema diureticum per vices propinandum.

℞. Semin. Bardan. pulverator. ʒj. Vini albi ℥iiij. Macerentur per sex horas; sumat æger ad urinam promovendam.

℞. Semin. Bardan. ʒiij. Cum decocti Gramin. & radic. Petroselin. q. s. fiat s. a. emulsio diuretica.

℞. Semin. Bardan. & Card. benedict. ana ʒij. Contund. in aq. Meliss. ℥vj. Fiat emulsio sudorifera s. a. cum syrup. Caryophyllor. hortens. aut alterius idonei ℥j. edulcoranda.

Extrinsecus Bardanæ folia ulcera mundificant, membris luxatis, & ambustis conferunt. Ex illis contusis vel sub cinerem, aut cum lacte coctis fit cataplasma ad arthriticos dolores demulcendos, parti afflictæ admovendum, & sexta quaque hora renovandum. Dolores arthriticos tam fixos quam vagos cum insigni tumore conjunctos sedat, teste Ettmullero. Sanguinem grumosum ex contusionibus mire dissolvit, & discutit. Pulpa vel rasura radicum recentium super linteum extensa, & calide parti afflictæ admota ecchymosim sive suggillationem sanat.

Ex foliis aqua distillata in officinis præparatur, & extractum quæ ad eadem valent. Folia usurpantur in Ung. Populeo *Nicol. Salernitan.*

BEC-

# B E C C A B U N G A.

Beccabungæ ſpecies duæ occurrunt in officinis quæ a Caſparo Bauhino inter Anagallides recenſentur, & a Moriſono & Tournefortio inter Veronicas. Altera major, minor altera dicitur.

Beccabunga major *Off.* Veronica aquatica major, folio ſubrotundo, *Moriſ. Hort. Oxon part.* 2. 323. *Inſt. R. H.* 145. Anagallis aquatica, major folio ſubrotundo *C. B. P.* 252. Berula ſeu Anagallis aquatica *Tabern. Icon.* 719. Anagallis aquatica folio rotundiore, major *J. B.* 3. 791. Anagallis ſive Beccabunga major, *Parkins*. Radicibus eſt fibroſis, albis, repentibus, caulibus ſupinis, rotundis, fungoſis, rubentibus, ramoſis; in quibus folia bina ad nodos oriuntur ſubrotunda, unciam ſuperantia, glabra, nitida, craſſa, crenata, atrovirentia. Ex eorum alis pediculi prodeunt palmares aut ſeſquipalmares cum floribus ſpicatim poſitis, monopetalis, rotatis, cæruleis, quadripartitis, in umbilico perforatis, apicibus dilute cæruleis, ternis, & piſtillo abeunte in fructum membranaceum quodammodo cordatum, compreſſum, tres lineas longum, in duo loculamenta diviſum, in quibus ſemina plura, exigua, compreſſa continentur.

Beccabunga minor, *Off.* Veronica aquatica minor, folio ſubrotundo *Inſt. R. H.* 145. Anagallis aquatica minor, folio ſubrotundo *C. B. P.* 252. Anagallis aquatica, flore cæruleo, folio rotundiore, minor *J. B.* 3. 790. Anagallis aquatica, ſive Beccabunga Germanorum, *Adverſarior. Lobel. Dodon. Pempt.*

Hæc ſpecies priori ſimilis eſt; ab ea tantum differt quod caulibus, foliis & floribus minor ſit. Ambæ in agro Pariſienſi ſponte naſcuntur juxta rivulorum margines.

Analyſi chymica, ex Beccabungæ floridæ ℔v. prodierunt humoris limpidi fere inſipidi & inodori, obſcure acidi ℔j. ℥j. ʒiij. gr. xlviij. humoris primo limpidi, manifeſte acidi, deinde rufeſcentis, intenſe acidi, auſteri ℔iij. ℥v. ʒj. gr. lij. humoris fuſci empyreumatici tum acidi, tum alcali urinoſi ℥j. ʒv. olei ℥j. ʒiiij. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiiij. gr. vj. ex quibus lixivio, ſalis fixi ſalſi ʒv. gr. xliiij. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. xx. in calcinatione ℥ij. ʒiij. gr. lxvj.

Totius plantæ ſapor nullus manifeſtus. Sale eſſentiali donari mihi videtur ſalſo vitriolico blando & temperato, ſalis mirabilis Glauberi haud abſimili, multo phlegmate diluti & non mediocri olei portione involuti.

Anagallidi aquaticæ ab Hieronymo Trago, Caſparo Bauhino & aliis, vis calida, urinam ciens, calculos frangens, menſes promovens & mortuos fœtus propellens tribuitur, cum tamen Beccabungam menſes, fluidoſque & tenues humores ſiſtendi & incraſſandi virtute præditam Theodorus Corbejus in ſua Pharmacia Francofurti edita 1656. affirmet, experientia id teſtante. Reipſa herba eſt temperatæ naturæ quæ etiam in cibo

cibo & in medicina ad scorbutum adhibetur, acetariisque adjungi commode potest, sicut Nasturtium aquaticum : imo calidis & siccis naturis magis convenit. Reliquis acrioribus plantis antiscorbuticis anteponitur, in eo scorbuto qui a causa calida oriri dicitur, nempe a summa salium fere causticorum acrimonia, qui summa sanguinis dissolutione, maculis lividis erysipelatosis, febre & calore præter naturam comitatur. Tunc sola exhibetur, vel cum Acetosa, Oxytriphyllo, Lapatis, succo Limonum & Aurantiorum consociatur : vel etiam sæpe cum Cochlearia, Nasturtio & aliis acribus plantis antiscorbuticis admiscetur ad earum acrimoniam contemperandam.

Succus defœcatus ad ℥iiij. vel solus vel cum sero lactis permixtus præscribitur. Herba in jusculis & apozematibus alterantibus aperientibus & antiscorbuticis a M. j. ad iiij. usurpatur. Extractum ad ʒj. Conditum ex herba florida cum saccharo præparatur, quod per tres menses continuos ad ℥j. quotidie mane, jejuno ventriculo sumptum impetigines & cutis vitia sanat.

℞. Folior. Beccabungæ, Nasturtii aquatic. Oxytriphylli & Acetosæ rotund. ana M. ij. Carnis vitulinæ ℔j. Fiat jusculum in balneo mariæ & in vase probe obturato.

Extrinsecus Beccabungæ folia contusa vel in aqua cocta hæmorrhoidibus cœcis & condylomatis cataplasmatis forma admota mira præstant, teste Simone Paulli. Testatur quoque Jacobus Fabricius in notis Crollianis sola Beccabunga cocta in cerevisia & bis quotidie apposita satis magnum ulcus universam fere tibiam occupans & ad os fere profundum feliciter in scorbutico quodam sanatum fuisse. Simon Paulli eamdem hujus plantæ vulnerariam virtutem confirmat praxi Rusticorum Megalopolitanorum, (*Mechelbourg*) qui certo experimento vulnera consolidare norunt Beccabunga recenti cum modico salis & telæ aranearum permixto. Ex eadem quoque fotus aut balneum vaporarium præparantur quæ paralysi scorbuticæ plurimum conferunt, & quibus delentur maculæ, quibus scorbuticorum crura & brachia varie pingi conspiciuntur. Nonnumquam etiam contingit, observante Ettmullero, ut post partum difficilem intumescant puerperis iguina, & ad gangrenam inclinent, ubi itidem Beccabunga cum floribus Chamæmeli vel contusa in forma cataplasmatis, vel decocta cum fomentis genitalibus applicata egregie discutit ac resolvit.

Ejus aqua distillata in Officinis asservatur, sed debilioris admodum virtutis est.

## BELLADONA.

BElladona, Solanum furiosum, Solanum maniacum, Solanum letale, *Off.* Belladona *Clus. Hist. lxxxvi. Inst. R. H.* 77. Solanum melanocerasos *C. B. P. 166.* Solanum maniacum multis, sive Belladona *J. B.* 3. 611. Solanum letale *Parkins. Raii Histor. pl. 679.* Solanum somniferum *Adversar. Lobel.* 102.

Radice est crassa, longa, succosa, albicante, in plures ramos divisa : cau-

caulibus bicubitalibus & altioribus, rotundis, pollicem craſſis, ramoſis, hirſutis, e ſubrubro nigricantibus, foliis Solani hortenſis forma, ſed duplo triplove majoribus, mollibus, nonnihil lanuginoſis. Ex foliorum alis flores naſcuntur monopetali campaniformes, quinquifidi, ſtriati, ſubhirſuti, obſcuriore purpura nigricantes cum ſtaminibus quinis & totidem apicibus albidis. Ex eorum calyce quinquifariam diviſo & hirſuto ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum veluti globoſum, mollem, acino uvæ fere ſimilem, ſplendide nigricantem, vinoſo ſucco prægnantem, calyci inſidentem, ſepto intermedio in duo loculamenta diviſum & ſeminibus numeroſis minutis ovatis fœtum placentæ affixis. Circa ſylvas, juxta parietes & ſepimenta agrorum, aliiſque perinde parum cultis ac deſertis locis reperitur. Umbroſa amat. In agro Pariſienſi circa Cantiliacum (*Chantilly*) ſponte naſcitur. In hortis nonnumquam ſeritur. Folia & baccæ ad uſum externum ſolummodo adhibentur.

Analyſi chymica, ex herbæ floridæ & jam fructiferæ ℔v. per vaporarium diſtillatis, prodierunt humoris limpidi, odoris & ſaporis herbacei cum acrimonia levi qui nullam aut acidi aut alcali notam præbuit ℔ij. ℥xiij. humoris limpidi obſcure acidi ℔j. ℥x. gr. liiij. Ex maſſa ſicca in alambice reſidua per retortam diſtillata prodierunt humoris tum acidi, tum alcali urinoſi ℥iij. ʒv. gr. xij. olei ſpiſſi ad inſtar ſyrupi ℥ij. ʒv. gr. x. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥v. ʒj. gr. xviij. quæ in crucibulo per 12. horas calcinata reliquit cinerum fuſcorum ℥ij. ʒj. gr. lxvj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ℥j. gr. xlix. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥xiij. ʒiij. gr. l. in calcinatione ℥ij. ʒvij. gr. xxiiij.

Per hanc analyſim patet Belladonam mediocri ſalis eſſentialis tartarei quantitate donari & multo oleo acri & narcotico admixto.

Ex fructuum maturorum ℔v. per B. V. diſtillatis prodierunt humoris limpidi odoris non ingrati, ſaporis herbacei ſubacris, qui nulla acidi aut alcali ſigna præbuit ℔j. ℥iiij. humoris limpidi 1. obſcure acidi, deinde manifeſti ℔iij. Maſſa in retorta reſidua per retortam diſtillata fudit humoris ruſeſcentis tum acidi, tum alcali urinoſi ℥vj. ʒvij. olei ſpiſſi ad inſtar ſyrupi ℥iiij. gr. xxxiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vij. ʒvj. quæ per 18. horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum pallide flaveſcentium ʒvj. gr. xxx. ex quibus ſalis fixi mere alcali ℥iij. extractæ fuerunt.

Belladonæ fructus plus olei craſſi continet quam herba & majorem acidi ſalis quantitatem, minus vero ſalis urinoſi & perparum terræ.

Belladona ſomnifera eſt & maligna. Baccæ comeſtæ in ſummum vitæ diſcrimen hominem inducunt, & plerumque mortem tenellis adferunt, quod multis experimentis & exemplis conſtat. De quibuſdam adoleſcentulis Anglis in adverſariis Lobelii fit mentio, qui cum per imprudentiam peregre ſitibundi baccas illas ineſitaſſent, lymphatici & ſomno ſemiſepulti interierunt. Bodæus a Stapel. refert 586. *Hiſt. plantar.* adoleſcentulos duos Lugduni Batavorum in horto medico ex imprudentia baccas duas treſve devoraſſe, & altero quidem die alterum obiiſſe, altero admodum periculoſe laborante, qui evaſit. Simon Paulli *in quadr. Bot.* narrat quaſdam filiolas quinquennes & ſeptennes harum baccarum eſu ad

orci

orci fauces perductas fuisse, e quibus illas, una excepta, ipse remediis alexipharmacis eripuit. Accidit Romæ, referente Hocchstetero *Decad. observ.* 7. quosdam de famulitio cujusdam Cardinalis infudisse in vino Malvatico Belladonam per noctem ut hujus herbæ effectus discerent. Infusum hoc propinaverunt fratri cuidam mendicanti. Primo breve delirium; cachinni, gesticulationes variæ, dein insania vera, postea stupor mentis, qualis est ebriorum vigilantium. Medicus qui hujus morbi causam subolfecerat, aceti cyatho propinato, a dementia quam Belladona causaverat, eum liberavit. Acetum enim aut succus Limonum pro hujus veneni antidotis habentur.

Plura aliaque exempla referunt auctores: nobis hæc memorasse sufficit. Quamvis aut baccarum esus periculosus & letalis supra dictus fuerit, nihilominus tamen Gesnerus *L.* 1. *Epistolar. p.* 34. refert quod succus harum baccarum expressus & ad syrupi consistentiam cum pauco saccharo redactus, sit conveniens & efficax medicamentum ut cochlearis parvi mensura somnum inferat, quascumque fluxiones sistat, dolores tollat & dysenterias curet: quod etiam confirmari videtur *Ephemeridum Germanicarum observatione* 64. *Decad.* 2. *anni* 3. de quodam Pastore, qui in Chersoneso Cymbrica adversus dysenteriam, morbum eo loci contumacissimum & contagiosissimum, summo cum fructu & successu decumbentibus propinavit vinum cui infusæ sunt baccæ Solani: non solum, inquit auctor, enormem fluxum sistunt, & dolorem demulcent: sed etiam malignitatem in sudorem resolvunt. Verum ab hoc remedio satius est abstinere, a quo plus non raro periculi imminet ægrotantibus quam ab ipso morbo.

Folia recentia contusa & exterius admota dolores demulcent & potenter resolvunt, ad erysipelas, sacros ignes & alios calidos affectus commendantur. Hæmorrhoidum inflammationem compescunt. Mammis imposita earum durities & humores etiam cancrosos emolliunt & discutiunt, narrante Joanne Raio.

Vel sola recentia contusa tantummodo, vel in aqua aut axungia porcina cocta sub cataplasmatis forma applicantur: vel etiam eorum succo solo aut cum spiritu vini admixto partes affectæ foventur.

A Matthiolo folia contusa & oculis admota ad oculorum palpebrarumque phlegmonas leniendas proponuntur. Sed non adeo tutum & innoxium esse illius usum ad oculos constat ex hac Raii observatione. Nobilis Domina ulcusculo cuidam paulo infra oculum, quod cancrosum esse suspicabatur, folii Belladonæ recentis particulam imposuit: quæ noctis unius spatio uveam oculi tunicam adeo relaxavit, ut omnem explicandi sese & pupillam contrahendi facultatem ei adimeret: siquidem pupilla clarissimo lumini obversa vehementer dilatata perstitit, socio & pari suo plus quadruplo amplior: donec amoto folio uvea musculosam vim suam & tonum paulatim recuperaret. Atque hoc ne quis casui imputet, tribus distinctis vicibus in seipsa nobilis matrona experta est. Non ergo incaute remedia illa stupefacientia etiam externe adhibenda sunt.

Aqua e tota planta distillata pota, duorum aut ad summum trium cochlearium mensura, internas viscerum inflammationes extinguit, referente Matthiolo, sed a copiosiore potu abstinendum est.

Ex Belladonæ ſucco vel aqua ſtillatitia Italæ mulieres fucum conficiunt quo faciem oblinunt, ut ex rubicunda pallidam efficiant, unde Belladona planta dicta fuit.

Uſurpatur herba in Balſamo Tranquillante *P. Tranquilli Franciſcanì Regii*.

## B E L L I S.

DUæ plantæ genere diverſæ Bellidis nomine cenſentur in officinis, major ſcilicet, & minor.

Bellis Major, Leucanthemum vulgare, Buphthalmum majus, Oculus bovis, *Off.* Leucanthemum vulgare *Inſt. R. H.* 492. Bellis ſylveſtris, caule folioſo, major *C. B. P.* 261. Bellis major *Dod. Pempt.* 265. *J. B.* 3. 114. Oculus bovis *Brunsfelſii*. Conſolida media vulnerariorum *Adverſarior. Lobel.* 253. Buphtalmum majus *Loniceri*: Bellium majus *Tabern. Icon.* 351. vulgo *Grande Marguerite*. *Grande Paquette*. *Oeil de Bœuf*.

Radice eſt fibroſa, reptante, acri: caulibus bicubitalibus, pentagonis, rectis, villoſis, ramoſis, in quibus folia alternatim naſcuntur pinguia, duas uncias longa, ſemiunciam lata, & crenata. Flores adſunt inodori, radiati, ampli, quorum ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis tubuloſis, aureis, in quinque ſegmenta diviſis, cum ſtylo in medio uniuſcujuſque; corona vero ex ſemifloſculis candidis componitur, embryonibus inſidentibus, & calyce ſemiſphærico ſquammoſo, & nigricante comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina exilia, oblonga, ſtriata, non pappeſcentia. Folia, & flores in uſu ſunt.

Analyſi chymica, ex Bellidis majoris ℔v. prodierunt humoris limpidi fere inodori, & inſipidi, obſcure acidi ℔j. ʒv. gr. xlv. humoris 1. limpidi, ſub finem rufeſcentis, acidi manifeſti, & ſubauſteri ℔ij. ℥xiij. ʒv. humoris rufi empyreumatici tum acidi tum alcali, & ſale volatili urinoſo imprægnati ℥ij. ʒj. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥ij. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥v. ʒij. gr. xxxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. lxvj. ex quibus ſalis alcali fixi ʒv. gr. xx. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. ʒvj. gr. xxxvj. in calcinatione ℥iij. ʒiij. gr. xlij.

Folia ſaporis ſunt herbacei, ſubſalſi, chartam cœruleam leviſſimo rubore tingit. Sale eſſentiali donari videtur Tartaro vitriolato vel ſali Coralliorum ſimili cum multo oleo conjuncto.

Bellis Minor *Off.* Bellis ſylveſtris minor *C. B. P* 261. *& Inſt. R. H.* 491. Bellis minor ſylveſtris ſpontanea *J. B.* 3. 111. Bellis minor *Tabern. Icon.* 328. Solidago conſolidæ ſpecies *Brunsfelſii*: Symphytum minimum *Quorumdam*: Primula veris *Cæſalpini* 493. Conſolida minor *Herbariorum*: vulgo *Paquerette ou petite Marguerite*.

Radicibus eſt multis, tenuibus: foliis numeroſis, humi ſparſis, pinguiuſculis, hirſutis, longis, verſus radicem anguſtis, ſenſim lateſcentibus rotundatiſque, leviſſime ſerratis: nullo caule, ſed pediculis frequentibus inter folia exortis, palmaribus, & altioribus, tenuibus, teretibus, hirſutis: quorum ſingulis flos inſidet unus, radiatus, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſcu-

floſculis luteis corona vero ex ſemi-floſculis lacteis aut ex albo ſanguineis componitur, embryonibus inſidentibus, & calyce ſimplici, & multifido comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina exigua nuda Thalamo pyramidato affinia. Folia, flores, & radices in uſu ſunt. Utraque Bellis in pratis, & paſcuis agri Pariſienſis paſſim naſcitur.

Analyſi chymica, ex Bellidis minoris floridæ ℔v. prodierunt humoris limpidi, odoris, & ſaporis expertis, obſcure tamen acidi ℔j. ℥v. ʒij. gr. lx. humoris primo limpidi, manifeſte acidi, deinde ruſeſcentis, empyreumatici, auſteri ℔ij. ℥xv. ʒv. gr. xxiiij. humoris fuſci, ſale volatili urinoſo imprægnati ℥j. ʒij. gr. xlviij. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥j. ʒiiij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥v. ʒvij. gr. xxxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥iij. ʒvij. gr. xxx. ex quibus lixivio ſalis fixi alcali ʒiiij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. xlviij. in calcinatione ℥ij. gr. vj.

Hujus plantæ folia acria ſunt, ſucco viſcoſo turgida, & chartam cœruleam tingunt colore rubro. Sale eſſentiali donantur ammoniacali tartareo aut Corallino ſimili, multo oleo acri involuto.

Bellides vulnerariæ ſunt, emolliunt, attenuant, & detergunt. Earum ſuccus expreſſus, & defœcatus ad ℥iiij. propinatur. Coquuntur folia, & flores in aqua communi vel in juſculo carnium ad M. j. vel contuſa in vino macerantur, & expreſſum hauritur. Ex Bellide majore collectæ priuſquam flores erumpant, habetur decoctum acris ſaporis, Piperis modo ſubtilis, & penetrantis, diureticum, & vulnerarium inſigne. In purulenta expuitione plurimum commendatur. Alii utuntur infuſo folior. & florum in aqua calcis vivæ, cujus ℥iiij. quotidie mane propinant. J. Rajus herbam integram in Zythogalo decoctam, & potam adverſus aſthma, phthiſim, & orthopnœam tanquam ſingulare remedium proponit.

Externe unguentum ex Bellidis majoris floribus, & axungia ſuilla adverſus porriginem (*la Teigne*) a Cæſalpino laudatur.

Maximam Bellidis minoris probari efficaciam in curatione vulnerum Jacobus Cornutus *in Hiſtor. plantar. Canad.* aſſerit, nec præſtantius ullum ab herbariis præſidium dicatum eſſe. Ejus folium impoſitum labia unit, & cicatrice obducit: ſuccus inditus aut linamentis exceptus inflammationi quæ ſupervenire ſolet, valide obſiſtit, ad omnes cervicis dolores, tumoreſque quacumque in parte illinitur: ſtrumas diſcutit: podagras lenit: in ferventium inteſtinorum cruciatibus utiliter injicitur, ulceratis bibendus datur. Ejus ſuccus aut decoctum, auctore Ettmullero, multum prodeſt in quocumque ſanguine grumoſo diſſolvendo, & diſcutiendo, ſive ex caſu, ſive ex vulnere, ſive ex contuſione. Hinc etiam inter antipleuritica ad ſanguinem fere coagulatum reſolvendum ab Helmontio commendatur. Mindererus *in Medic. Milit. p.* 77. iis, tanquam ſingulare ſpecificum, qui poſt nimiam incaleſcentiam corporis, ſubito frigidum potum ingurgitant, proponit. Ettmullerus refert experimentum Michaelis in coquo, qui per diem incaluit, & ſitibundus arripuit hauſtum frigidum, unde aſthmate aliiſque ſymptomatibus correptus fere ſuffocandus videbatur: hunc ſucco ex tenellis foliis floridis recenter expreſſo, & in

vino

vino propinato per sudorem curavit, ut sequenti die optime se habuerit. Ad hepatis inflammationem, & adversus hydropem a nonnullis commendatur. Obstructiones enim discutit tenuibus suis partibus, sanguineam molem spissiorem dissolvit, attenuat, & fibrarum tonum restituit. Emanuel Konig Medicus Basileensis *in suo Regno Vegetabili* refert vulnus thoracis cum læsione pulmonum usu continuato decocti Bellidis minoris cum oculis cancror. sanatum fuisse, & idem decoctum in diathesi pulmonum inflammatoria plurimum valere asserit. VVepferus, referente eodem, phthisicis desperatis auxilium fecit illis Bellidis minoris, Nasturtii & Nummulariæ succi recens expressi cochlearia duo vel tria cum pauxillo mellis rosati vel cum jusculo carnium propinando. Horum usu duos prope desperatos præter expectationem convaluisse testatur: quod etiam Simonis Paulli testimonio, & experientia confirmatur. Schroderus refert mulierculis Germanicis usitatum esse herbam cum floribus ad alvum laxandum infantibus exhibere. Et Garidellus *in Histor. Plantar. Aquisext.* observat hujus herbæ succum alvum ciere. Quapropter monet hunc succum pleuriticis non incaute propinandum esse, præsertim dum humoris purulenti excretio per expectorationem fieri incipit, ne naturæ molimen laxante medicamento irritum fiat & morbi crisis interrumpatur. Herbæ decoctum alvum non movere idem observat.

Ruellius asserit Bellidis minoris folia trita cum Arthemisia strumas efficacissime resolvere. Ejus flores & Geranii Roberciani folia hemicraniæ plurimum conducunt, auctore D. J. Comel Medico Parisiensi peritissimo Acad. Reg. scientiar. Socio.

Aqua distillata paratur in Officinis ad eosdem affectus utilis, sed decocto vel succo debilior. In potionibus vulnerariis præscribitur ad ℥iij. ad ℥iiijve. Extractum quoque conficitur ad eadem commendatum: ad pondus ʒj. exhibetur.

Bellis utraque usurpatur in aqua vulneraria Lemerii.

## BERBERIS.

BErberis & Oxyacantha, *Off.* Berberis Dumetorum *C. B. P.* 454. *Inst. R. H.* 614. Berberis vulgo quæ Oxyacantha putata *J. B.* 1. 52. Spina acida sive Oxycantha *Dod. Pempt.* 750. Crespinus *Matthioli*. Amirbaris *Avicennæ*: Uva ursi, Spina Sancta, Spina Christi, Spina acuta *Quorumdam*: vulgo: *Epine-vinette*.

Frutex est procerus radicibus flavescentibus, multifidis, fibrosis & repentibus: stolonibus tres cubitos altis, ramosis, spinis minacibus armatis, intus luteis: folia parva sunt, oblonga, ex angusto principio latescentia subrotunda, in ambitu crenata, mollioribus aculeis cincta, dilute virentia, glabra, gustu acida. Flores odore gravi in uvam nascuntur conglobati, rosacei, petalis scilicet senis, luteis, in orbem positis constantes, cum totidem staminibus concoloribus & pistillo viridante abeunte in fructum cylindraceum mollem quatuor lineas longum, rubrum, succi acidi plenum, nucleum unum aut alterum oblongum continentem. In agro Parisien-

Parisiensi sponte nascitur. Transfertur & ad hortos ad quorum sepimenta utilis est. Radix, fructus & semina in usu sunt.

Analysi chymica, ex succi acidi fructuum Berberis expressi ℔v. prodierunt humoris limpidi fere inodori, saporis aliquantisper vinosi & acidi ℔j. ℥xij. ʒvij. gr. xxix. humoris 1. saporis & odoris ejusdem, sed minus grati, acidi & subausteri, deinde rufescentis, empyreumatici, acidi austeri ℔ij. ℥xiij. gr. lj. humoris rufi, subacris, acidi & aliquantisper alcali urinosi ℥j. ʒj. olei fluidi ℥j. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ij. ʒv. gr. xlviij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum nigricantium ℥j. ʒiij. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiij. gr. vj. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒj. gr. xvj. in calcinatione ℥j. ʒij.

Fructuum succus saporis est acidi austeri: chartam cæruleam colore intense rubro inficit. Radix amara est & styptica & chartæ cæruleæ colorem vix mutat. Sale igitur donatur essentiali tartareo aluminoso haud dissimili.

Berberis fructus refrigerant & adstringunt: humorum effervescentiam ab acri & fervida bile excitatam compescunt, biliosos alvi fluxus sedant, ventriculum & intestina roborant, appetitum languentem recreant, dysenterias compescunt, hæmmorrhagiis ab humorum acrimonia vel nimia sanguinis dissolutione oriundis conducunt.

Maturi comeduntur recentes, soli vel Saccharo conditi. Exsiccati in ptisanis vel decoctis adstringentibus usurpantur: exsiccati enim magis adstringunt. Eorum succus expressus & defœcatus ad ℥j. propinatur: & ex eo syrupus, gelatina, sapa, in Officinis præparantur quæ in julapiis refrigerantibus usurpantur, tum ad sitim extinguendam in febribus ardentibus, tum ad humorum malignitatem debellandam. Vis enim cardiaca & alexipharmaca ipsis tribuitur.

Ægyptii, narrante P. Alpino *de Medic. Ægyptior.* hosce fructus in febribus malignis & pestilentialibus felici cum successu & simplici interveniente apparatu usurpare solent. Horum siquidem libram in vase magno aqua pleno vel duodecim etiam aquæ libras continente mittunt, cum nonnullis seminibus Fœniculi vel frusto panis, atque per noctem vel diem sic macerare volunt, deincepsque de frigida hac expressione per colum transfusa cum Saccharo multo rosaceo vel simplici, vel syrupo ex acido Citri, large ægrotis propinant, qua potione calorem febrilem sitimque extinguunt, vires reficiunt, atque etiam putredini prævalide obsistunt. Præstantissimum auxilium ad alvi fluxiones apud eam gentem sua adstrictione habetur, eoque potu ipse P. Alpinus, pestifera ibi febre correptus, cum immoderata diarrhæa biliosa, felici cum successu Ægyptiorum Medicorum consilio usus est. Simon Paulli Prosp. Alpini exemplum imitatus ab acri febre & enormi diarrhæa quibus hic Lutetiæ Parisiorum olim afflictus fuit, solius syrupi Berberis usu limpidissima fontana diluti fuit liberatus: atque post dein ex his fructibus parata medicamenta plurimi fecit.

Idem S. Paulli observat Ægyptios Medicos non sine causa remiscere infuso ejus tantillum seminis Fœniculi, nempe ad frigidiorem ejus temperiem corrigendam, ne officiat ventriculo. Gaspar Hoffmannus eamdem cautelam circa illius usum commendat his verbis: Tu vero, inquit, ante omnia

vide

vide ne ventriculus ſit frigidior. Siquidem acida minus conveniunt illis quorum ventriculus cibos tardius concoquit, tum ob caloris aut potius ſpirituum defectum in hujus viſceris ſucco, tum ob ejuſdem ſucci tenacitatem quam acida ſemper augent.

S. Paulli *Quadr. Bot.* hujus fructus ſalem eſſentialem plurimi facit cujus conficiendi ratio hæc eſt.

♃. Succi Berberis ℔ij. ſucci Limon. ℥ij. Digerantur per biduum in balneo arenæ: fiat colatura ad dimidias blando calore balnei mariæ exhalanda, tunc per aliquot dies in locum ſubterraneum aut cella reponatur. Cryſtalli tartarei circa vaſis fundum & latera concreſcent. Succus per inclinationem effundatur ad dimidias, iterum evaporetur & reponatur ut in cryſtallos concreſcat; quod toties repetatur, donec nullæ amplius cryſtalli concreſcant. Cryſtalli blando calore exſiccatæ ſerventur ad uſum.

Sal ille eſſentialis inſtar cremoris Tartari pulveratus juſculis ptiſanæ, decoctis & julapiis adverſus febres immixtus, non ſolum illis acore ſuo ori & ventriculo pergratum ſaporem conciliat, ſed etiam corruptioni humorum & febrili æſtui inſigniter reſiſtit.

In iſchuria, dyſuria & inflammationibus internis Nitrum in ſucco Berberis ſolutum exſiccatum & in cryſtallos coactum Cl. Tournefortius ut præſtantiſſimum remedium proponit.

Succus vel decoctum Berberis faucium & tonſillarum inflammationem compeſcunt, gingivis laxis & putreſcentibus ſcorbuticorum medentur, ſi os eluatur & fauces gargarizentur.

♃. Confection. Alkermes ſ. od. ʒj. Syrup. Berberis ℥j. aq. Cinnamom. ℥ß. aquar. Meliſſ. & Oxytriphyll. ana ℥iij. M. F. potio cochleatim ſumenda in febrib. malign.

♃. Aq. Plantag. ℥vj. ſucci Berber. ℥j. Mellis Roſati ℥ß. ſalis Prunel. ʒj. M. F. gargariſma in faucium inflammatione.

♃. Roſar. rubrar. ſiccatar. & Balauſtior. ana ʒij. affunde aq. Plantag. ℔ij. Macerentur in B. ciner. per aliquot horas; in Colatura dilue ſyrup. Berber. ℥ij. Sumat æger ℥iiij. tertia quaque hora in hæmoptoe aut diarrhæa.

Acini ſex ſemina potenter ſiccant & adſtringunt: quare in quocumque alvi fluxu & albo mulierum fluore a nonnullis ad ʒj. pulverati præſcribuntur in liquore convenienti.

Cortex interior flavus tam ramorum quam radicum in convenienti liquore decoctus vel in vino albo aut Hiſpanico maceratus & potus in ictero a Joan. Rajo commendatur. Cluſius vinum album tenue in quo cortex ille per trium horarum ſpatium maceratus fuerit potum mirifice purgare ſcribit. Ejuſdem corticis pulverem in aceto maceratum Camerarius in aphthis puerorum laudat.

Eo cortice Tinctorii artifices lixivio macerato ad flavum colorem pannis conciliandum utuntur.

Berberis fructus uſurpatur in ſyrupo myrtino *Charas*; ſuccus in ſyrupo Corallior. & in ſyrupo dyſenterico *Medicor. Pariſienſium collectaneor. pharmaceuticor. Lud. Penicher.*

Acini uſurpantur in pulvere Diarrhodon *Abb. Nicolai præpoſ.*

in Diapruno simpl. *Nicol. Alexandrin.* & in Electuar. de Psyllio *Mesuæi.*

## BERULA.

Berula & Sium, *Off.* Sium sive Apium palustre foliis oblongis, *C. B. P.* 154. & *Inst. R. H.* 308. Sion umbelliferum, *J. B.* 3. 172. Sium, *Dod. Pempt.* 589. Crescione vulgo, *Cæsalpin.* 300. Sium, sive Laver Dioscoridis Olusatri folio, sive Pastinaca aquatica, *Lobel. Icon.* 208. vulgo, *Berle Ache d' eau.*

Ex radicibus geniculatis, repentibus, albis, fibrosis, caules promit cubitales & altiores, teretes, striatos, inanes, rectos, ramosos, & frondes longos pediculo striato, glabro, intus cavo, innixos, ex pluribus singularibus foliis per conjugationes costæ innascentibus & uno impari claudente constantes, pinguibus, glabris, & per circumferentiam serræ modo incisis. Flores umbellatim dispositi caulium extrema occupant Rosacei, e quinque petalis albis constantes in orbem positis & calyci insidentibus. Is autem abit in fructum subrotundum ex duobus seminibus parvis odoratis, acribus, hinc gibbis & striatis, inde vero planis compositum. Hæc agri Parisiensis incola planta delectatur in rivulis & fossis. Planta integra in usum venit.

Analysi chymica, ex Berulæ recens collectæ ℔v. prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis herbacei, primo aliquantisper obscure alcali, deinde obscure acidi ℥xj. ʒv. gran. vj. humoris primo limpidi, odoris herbacei, subacidi, tandem fusci, empyreumatici, subausteri, tum acidi, tum alcali ℔iij. ℥xj. ʒvij. gr. ix. humoris fusci alcali & sale volatili urinoso imprægnati ʒiij. gr. xxxvj. salis volatilis urinosi concreti gr. lviij. olei spissi ad instar extracti ʒv. gr. l. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ij. ʒj. gr. xij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. lx. ex quibus salis alcali fixi ʒvj. gr. lxij. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒj. gr. xxiiij. in calcinatione ʒvj. gr. xxiiij.

Folia sapore subacri donantur. Itaque cum hæc planta parum acidi contineat, plus vero salis salsi & urinosi; sale essentiali donari videtur ammoniaco simili cum olei portione mediocri conjuncto.

Berula inter plantas antiscorbuticas, & aperientes recensetur. Obstructiones reserat, menses & urinas movet. Quapropter in scorbuto, cachexia, chlorosi, hydrope, & febribus intermittentibus convenit, & arenulas expellit. In acetariis comeditur, vel in jusculis aut apozematibus aperientibus præscribitur. Succus etiam defœcatus ad ℥iij. quatuorve exhibetur.

Extus admota abdominis tumores resolvit.

## BETA.

Betæ, triplex genus in olitoriis hortis tum ad usum culinarium, tum ad usum medicum excolitur: scilicet Beta alba, Beta rubra vulgaris, & Beta rubra radice Rapæ.

Be-

Beta, Beta alba, Beta candida, Sicla & Cicla, *Off.* Beta alba vel palleſcens quæ Cicla Officinarum, *C. B. P.* 118. *Inſt. R. H.* 502. Beta candida, *J. B.* 2. 961. *Dod. Pempt.* 620. *Trag.* 706. vulgo, *Bette ou Poiree*.

Radice eſt tereti, lignoſa, minimum digitum craſſa, longa, candida: foliis magnis, latis, lævibus, craſſis, ſucculentis, quandoque dilute, alias ſaturatius virentibus, ſapore nitroſo, cum coſta ſpiſſa, lata: caulibus bicubitalibus, gracilibus, ſtriatis, in ramulos effuſis: in quibus longa ſerie ex foliorum alis naſcuntur flores exigui, ſtaminei ſeu conſtantes ex plurimis ſtaminibus cum apicibus luteis, ex quinque-folio ſurgentibus calyce, ſubviridi, qui deinde abit in fructum fere globoſum, aſperum, verrucoſum, in quo veluti nidulantur ſemina duo vel tria, exigua, oblonga, anguloſa, ſeu inæqualiter rotunda, rubentia.

Beta rubra vulgaris, Beta nigra, *Off.* Beta rubra vulgaris, *C. B. P.* 118. *Inſt. R. H.* 502. Beta rubra, *J. B.* 2. 961. *Dodon. Pempt.* 620. vulgo, *Bette ou Poiree rouge*.

Radice eſt alba: foliis brevioribus quam præcedens, plurimum rubentibus plus minuſve, interdum atro rubentibus. Hoc foliorum colore a priori diſtinguitur.

Beta rubra radice Rapæ, Beta Romana, Beta Erythroriſos, Beta-rapa, *Off.* Beta rubra radice Rapæ, *C. B. P.* 118. *Inſt. R. H.* 502. Beta radice rubra craſſa, *J. B.* 2. 961. Beta rubra Romana, *Dod. Pempt.* 620. Rapum rubrum ſativum, *Fuchſii*: vulgo, *Bette rave*.

Caule eſt altiore quam Beta vulgaris rubra: radice uncias duas treſve craſſa, ventricoſa, intus foriſque ſanguineo ſaturo colore infecta. Betæ omnes in hortis inter olera coluntur. Alba ad uſum medicum ſæpius uſurpatur: ejus folia & pediculi ſeu coſtæ inter cibos magis recipiuntur: rubræ vero ſeu Romanæ radices in primis expetuntur.

Analyſi chymica, ex foliorum & coſtarum Betæ ℔v. prodierunt humoris limpidi odoris & ſaporis herbacei, obſcure acidi ℔j. ℥vij. ʒiij. gr. xxxvj. humoris limpidi, primo ejuſdem odoris & ſaporis cum acido manifeſto, tandem intenſe acidi & auſteri ℔iij. ℥iiij. ʒj. gr. xxij. humoris rufi, alcali, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ʒv. gr. xxxvj. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gr. x. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ʒvij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥ij. ʒvj. gr. lxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum nigricantium & in maſſam fuſorum ℥j. ʒij. gr. xlij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒvj. gr. xij. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in calcinatione fuit ℥j. ʒiij. gr. xxiij. in diſtillatione vero incrementum fuit ʒj. gr. xxvj.

Beta ſale eſſentiali donatur ammoniacali nitroſo cum terra adſtringente & oleo permixto & multo phlegmate diluto. Betæ enim folia exſiccata & in prunas injecta ad inſtar nitri comburendo fulgurant.

Beta alba lautioribus menſis hodie non eſt ingrata, quamquam Betas Martialis Poeta fatuas fabrorumque prandia carmine ſuo appellarit. Inter herbas emollientes numeratur cum Acantho, Althæa, Malva, Viola, Atriplice, Mercuriali & Parietaria: ſuccus ſale nitroſo ammoniacali imbutus abſterſoria & quodammodo acri qualitate donatur: quapropter alvum ad excretionem ſtimulat aſſumpta, atque interdum ventriculum mordet, præſertim ſi cui natura exquiſitioris ſit ſenſus; proinde & ſto-

macho frequens aut nimius ejus usus noxius est. Nonnulli adstrictionem quamdam in Betæ corpore seu crassamento observasse credunt, qua ratione ventrem stipare & indurare asserunt, dum succus abstersoria & laxante virtute donatur, unde tritum adagium:

*Sicla parum nutrit, ventrem constipat & urget.*

Quamobrem ad alvum subducendam cum jure in quo decoquitur sumendam esse præscribunt, & absque jure esitatam minus aut nullatenus alvum laxare arbitrantur. Verum reipsa nulla adstrictio in Beta deprehenditur.

Nutrimentum ex Beta exiguum, sicuti ex cœteris oleribus corpori accedit. Nostræ culinæ varia ex ea ciborum genera concinnant. Ejus folia ob fatuum saporem cum Acetosæ foliis sæpe consociantur. Costæ latiores & candidæ coctæ in pretio sunt.

Succus Betæ tum folior. tum radicis naribus exceptus sternutamenta proritat, humores pituitosos magna copia elicit, adeoque cephalalgiam, hemicraniam, catharros, coryzam compescit & profligat: & in inveteratis distillationibus in oculos quæ subinde ophthalmiam causantur illis, a Simone Paulli commendatur: hunc succum cum aqua Majoranæ diluere solebat, quod quidem medicamentum a nonnullis pro secreto habetur. At Olaus Borrichin *in Actis Haffniensibus ann.* 1673. *Observ.* 63. Betæ succum esse periculosum & valde noxium errhinum scribit: quod confirmat experientia cujusdam virginis jam nubilis, quæ ludibunda & ullo absque incommodo liberalem hujus mixturæ portionem naribus sanis excepit; sed paulo post inter cruciatus intensissimos caput ejus totum ita intumuit, ut duplo majus naturali appareret, & de vertigine, anxietate, agrypnia, doloribusque gravissimis per plures dies conquereretur: tandem ab his malis, curante eodem Olao Borrichio, præmissis universalibus, errhino contrario ex solo lacte recenti & tepido paulatim liberata fuit.

Foliorum decoctum intus sumptum lenit, emollit, & alvum blande laxat, quare folia in apozematibus & jusculis refrigerantibus, laxantibus, atque etiam aperientibus usurpantur, obstructiones enim lienis & hepatis aperiunt.

℞. Folior. Betæ, Lactuc. Portulac. Chærefol. Oxytriphyll. ana M. j. Coq. cum pullo gallinaceo aut frustulo carnis colli vitulini. Fiat jusculum.

℞. Radic. Gramin. Acetos. Fragar. ana ℥j. Folior. Bet. Lactuc. Portulac. Cichor. Borrag. Bugloss. Pimpinell. ana M. j. Coquantur in aq. comm. q. s. ad ℔iij. Fiat apozema pro sex dosibus. Cuique adde syrup. Violar. ℥j.

In decoctis pro clysteribus emollientibus & abstergentibus folia Betæ usurpantur.

℞. Folior. Betæ, Atriplic. Malv. Althoæ ana M. j. Semin. Lini pug. j. Coq. in s. q. aq. fluviatil. In colaturæ ℔j. dilue mellis violati ℥iij. Olei Lilior. ℥j. Fiat enema emolliens.

℞. Decoct. folior. Betæ, Cichor. Lactuc. Portulac. ℔j. qua dilue salis Prunell. ʒj. Mellis Nenuphar. ℥ij. Fiat Clyster emolliens & refrigerans.

℞. Succ. radicum Betæ ʒj. aq. Majoran. ʒij. Mellis anthosati ʒß. Misce. Fiat errhinum naribus attrahendum in coryza.

Ex

Externe folia vel integra vel ſub cinerem cocta cuti a medicamento cauſtico aut comburente admoventur : & humorum excretionem per cutis glandulas blanda irritatione promovent.

Betæ rubræ radice Rapæ radix rariſſime in uſum medicum venit, frequenter in uſum culinarium expetitur.

Analyſi chymica, ex radicum Betæ Romanæ recentium ℔v. prodierunt humoris odore & ſapore radicem crudam referentis, obſcure ſalſi & alcali urinoſi ℥xj. ʒj. gr. xxx. humoris limpidi ejuſdem odoris & ſaporis, obſcure acidi ℔j. ℥j. ʒiij. humoris primo limpidi, deinde rufeſcentis, intenſe acidi ℔ij. ℥x. ʒij. gr. xviij. humoris rufi, empyreumatici, acris, tum intenſe acidi, tum alcali urinoſi & ſale volatili urinoſo copioſo impregnati ℥ij. ʒj. gr. xlviij. ſalis volatilis urinoſi gr. xxxvj. olei fluidi ad inſtar ſyrupi ℥j. gr. lx. Maſſa nigra reſidua pendebat ℥iij. ʒvij. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ʒvij. gr. lxvj. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒij. gr. lij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥j. ʒvj. gr. lx. in calcinatione ℥ij. ʒvij. gr. xlij.

Betæ Romanæ radix ſale eſſentiali donatur ammoniacali, cum olei & terræ portione mediocri conjuncto.

Betæ Romanæ radix alvum minus movet, imo nonnullius adſtrictionis particeps cenſetur, parum nutrit & in ventriculo difficile coquitur. In clybano vel ſub cineribus cocta, tum calida, tum frigida comeditur. Hiberno tempore in acetariis præcipuæ eſt æſtimationis. In aſſulas vel circulos tranſverſim ſecta a coquis ad margines patinarum & fercula exornanda adhiberi ſolet.

## BETONICA.

Betonica, *Off.* Betonica purpurea, *C. B. P.* 235. & *Inſt. R. H.* 203. Betonica vulgaris, purpurea, *J. B.* 3. 301. Betonica, *Dod. Pempt.* 40. vulgo, *Betoine*.

Radice eſt pollicem craſſa, tranſverſa, fibroſa, capillata, guſtu amara : caulibus cubitalibus, quadrangulis, nodoſis : foliis aliis ad caulium nodos binis ex adverſo naſcentibus, aliis humi ſparſis, inconditis, pediculis palmaribus circiter donatis, oblongis, villoſis, rugoſis, obſcure virentibus, ad baſim auritis, in ambitu crenis acuminatis, inciſis, & ſapore aromatico præditis. Flores in ſpicas denſe oriuntur verticillatim diſpoſiti, monopetali, labiati, purpuraſcentes, labio ſuperiori ſulcato & ad poſteriora veluti reclinato, inferiori vero trilobato, cum ſtaminibus flori concoloribus e medio exortis. Ex calyce monotomo in quinque partes inciſo ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum & quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina ſubrotunda & fuſca in capſula, quæ floris calyx fuit recondita. In agri Pariſienſis dumetis & ſylvis ſponte naſcitur. Folia & flores creberrimi ſunt uſus.

Analyſi chymica, foliorum Betonicæ ℔v. præbuerunt humoris limpidi, odorem foliorum referentis, ſubacidi ℥x. ʒv. humoris primo limpidi acidi, deinde rufeſcentis, odoris aceſcentis, intenſe acidi, auſteri ℔iij. ℥vij. ʒij.

ʒij. gr. xlviij. humoris rufi, empyreumatici, tum acidi aufteri, tum alcali urinofi & fale volatili urinofo impraegnati ℥ij. ʒvj. olei ℥j. ʒij. Maffa nigra in retorta refidua pendebat ℥v. ʒiij. gr. xviij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒv. gr. xxx. ex quibus falis fixi mere alcali lixivio extractæ funt ʒiiij. gr. xlviij. Partium jactura in diftillatione fuit ʒiiij. ʒv. gr. vj. in calcinatione ℥ij. ʒv. gr. lx.

Folia fapore herbaceo fubfalfo donantur, & odore aromatico: chartæ cœruleæ colorem non mutant. Sale effentiali donantur compofito ex fale tartareo & ammoniacali conjunctis cum multo oleo & pauca terra. Flores chartam cœruleam rubro colore leviter tingunt, & analyfi chymica multo plus olei præbent.

Samuel Fifcher Medicus Sheffeldenfis apud Rajum obfervat expreffos plantarum omnium fuccos quos expertus eft, poftquam aliquamdiu fteterint & fœcibus fubfidentibus clari evaferint, aliqua ruboris tinctura perfufos apparere, alios dilutiore, faturatiore alios: at Betonicæ fuccum omnium dilutiffimum effe & minime coloratum.

Betonica difcutit, attenuat, aperit & abftergit. In primis cephalica eft, hepatica, fplenetica, thoracica, uterina, diuretica, antiarthritica & vulneraria. In capitis affectionibus præcipue commendatur. Nonnulli vim anodynam & fere inebriantem in ea obfervaverunt. Simon Paulli *in Quadripartito Botanico*, refert quafdam edentulas anus occupatas in eruenda & eradicanda Betonica, eaque tranfplantanda in diftantiorem areolam fole fub ardente cernuas & conquinifcentes, a nimia Betonicæ fragrantia temulentas factas fuiffe, & miros, ridiculofque corporis geftus egiffe. Bartholinus *in Hiftoria Anatomicarum obfervationum*, *Obferv.* 97. *Centur.* 3. recenfet quod cum hortulani operarii hero fuo evellere voluiffent Betonicam pro ufu medico, omnes velut temulenti & ebrii titubarint. Quæ quidem vis oritur a Betonicæ recentis & vegetæ fubtili fulphureo fpiritu cerebrum & nervos feriente.

In Officinis frequentiffime ex Betonicæ floribus conditum; ex foliorum fucco fyrupus & extractum; ex herba ipfa aqua diftillata, infufa, decocta & epithemata præparantur. Foliorum vel recentium vel exficcatorum manipulus unus in aqua bulliente maceratur Theæ ad inftar, aut in ℔j. decoquitur. Flores a nonnullis ad hunc ufum anteponuntur. Syrupus vel conditum ab ℥ß. ad ℥j. foliorum fuccus ad ℥iiij. vel extractum ad ʒß. præfcribuntur & iifdem virtutibus inftruuntur. In hemicrania, vertigine, membrorum ftupore & paralyfi hæc omnia ufurpantur. Expectorationem promovent & ulcera interna detergunt & ad cicatricem perducunt.

Fabricius Hildanus *Centur.* 3. *Obferv.* 32. obfervavit, multos arthriticos curatos fuiffe quotidiano ufu florum foliorumque Betonicæ in jufculis, acetariis, potu & balneis: fed exquifitam obfervabant victus rationem; corpus per intervalla expurgabant, & fonticulos aliquot geftabant.

Doctor Bovvle Medicus Anglus apud Rajum, infufum e foliis Betonicæ, Scorodoniæ & Chamæpithyos exficcatis paratum & calide potum ad ℥vj. bis, terve die, & per longum tempus continuatum proponit velut medicamentum admirandæ efficaciæ in podagra, cephalalgia, & nervorum affectionibus.

Pote-

Poterius historiam cujusdam calculo laborantis refert, qui Betonica cum Herniaria in carnium jusculo cocta sanatus fuit. Bibit quotidie hoc jusculum ad tres vel quatuor menses, & vesperis ʒß. oculorum Cancrorum cum succo Limonum sumpsit, ac tandem convaluit.

Betonicæ folia exsiccata & pulverata sternutatorium præbent potissimum & in morbis capitis præstantissimum. Cerebrum enim purgat irritando fibras nerveas quarum extremitates in interiori narium tunica expanduntur. Hac irritatione nervi & cerebri membranæ commotæ humores viscosos in glandulis cerebri aut in sinubus altius impactos fortiter excutiunt, qui per vasa sanguinea ad glandulas narium, faucium & vicinas partes delati, sub aquæ, muci, pituitæque viscidæ specie e naribus per sternutationem ejiciuntur. Apte igitur Betonicæ pulvis præscribitur contra capitis affectus diuturnos & contumaces ex tenaci materia oriundos, uti gravativos dolores, paralysim præsertim linguæ & faucium, morbos soporosos, necnon rheumaticos oculorum affectus sine multo dolore & rubore.

Sternutatoriis autem abstinendum est ubi inflammatio imminet vel adest, in cerebri defluxionibus cum febre, oculorum inflammatoriis affectionibus, ulceribus narium, aut quando malum est inveteratum, in obnoxiis vertigini, hæmorrhagiæ, & in gravidis. Nonnulli foliorum Betonicæ exsiccatorum & concisorum vel seorsim vel cum Tabaco mixtorum & tubis infarctorum fumum ore haurire & reddere solent in capitis affectionibus.

Externe folia contusa sola vel vino calido macerata capiti admoventur tum ad dolores capitis gravativos sedandos, tum ad vulnera sananda.

℞. Folior. Betonic. M. j. Liquiritiæ ras. & contus. ʒß. Coquantur in aq. comm. ℔ij. Colatura per cyathos propinetur. In capitis affectionibus.

℞. Folior. exsiccator. Betonicæ & Majoran. ana q. v. M. F. pulvis sternutatorius ad usum.

℞. Folior. Beton. Salviæ, Majoran. & rad. Irid. Florentin. ana ℥ß. folior. Nicotianæ ℥j. Fiat pulvis sternutatorius.

℞. Folior. recentium Beton. Majoran. Salviæ ana M. ß. Contund. sensim affundendo vini albi & aq. Betonicæ ana ℥iiij. Liquor percoletur cum expressione & fiat errhinum, de quo tepido, prono capite & aqua ore pleno naribus attrahatur aliquantisper, ter quaterve mane, jejuno ventriculo, ad purgandum cerebrum a crassis & viscidis humoribus.

Radicum facultates in hac planta a foliorum & florum viribus longe dispares sunt: multum ori, stomachoque ingratæ nauseam, ructus, vomitumque provocant. Rarissime in usum veniunt.

Betonica usurpatur in pulvere contra rabiem *Palmarii*, Syrupo de Arthemisia *Charas*, de Ibisco *Pharmacop. Parisiensis*, Emplastro de Betonica, de Gratia Dei, Unguento mundificativo de Apio, & Ung. martiato, Aqua vulneraria *Lemery Chymiæ*. Ex planta florida aqua distillata servatur in Officinis, & ex foliorum succo syrupus conficitur.

# BETULA.

BEtula ; *Off.* Betula ; *C. B. P.* 426. & *Inst. R. H.* 588. *J. B.* 1. 148. *Dodon. Pempt.* 839. Populo albæ similis in Alpibus , *Cæsalpin.* 121. vulgo , *Bouleau*.

Arbor est satis procera , sæpe etiam fruticans . Ramos spargit tenues , flexiles , magna ex parte deorsum pendentes . Multiplici libro vestitur . Cortex ejus exterior caudicem convestiens crassus , scaber , albidus at rimosus ; qui vero huic subest interior tenuis admodum , lævis atque instar membranæ pellucidus : crassiorum ramulorum cortices inalbicant quoque , sed minimorum non ita qui spadiceo resplendent . Ligni materia alba est similiter ac ramulorum , qui adeo lenti & flexibiles , ut ex illis circuli ad dolia magna constringenda probatissimi parentur . Viminum seu surculorum gracilium usus ad scopas & ad fascium vincula frequens est . Folia quæ primo exeunt plicata & crispa prorumpunt læte virentia , singula singulis iisque tenuibus dependentia pediculis , subrotunda , acuminata , Populi nigræ haud absimilia , sed minora , minus lævia , in ambitu serrata , subpinguia , odorata , sapore amaro . Fructus huic arbori a Matthiolo & Camerario denegatur , a Trago & Dodonæo cum nucamento confunditur . De eo J. Rajus dubitanter loquitur . Clariss. Tournefortius & fructum & florem distinguit in *Inst. R. H.* & accuratissime descripsit in *Agri Parisiensis plantarum Historia* . Julos menses Aprili profert seu flores amentaceos & quasi vermiculares , sesquiunciam longos , lineas duas crassos , ex plurimis foliolis rubescentibus , subrotundis , cuspidatis , duas lineas longis , axi seu capillamento affixis & squammatim dispositis constantes : squammulæ paulatim dehiscunt , promuntque congeriem quatuor vel quinque apicum sub foliolis delitescentium , gracilium , flavescentium vel purpurascentium , lineam longorum , bivalvium , seu in duas partes hiantium , & pulvisculum tenuissimum subluteum expansionis tempore fundentium . Hos inter apices quædam occurrunt foliola intermixta . Eodem tempore fructus iisdem ramis separatim adnascuntur , primo vermiculis similes , semiunciam longi , lineam crassi , ex squammulis virentibus compositi acuminatis cum acumine reflexo , axi cuidam affixis . Singulis sub squammis seminum embryones cum quatuor vel quinque plumulis tenuissimis purpurascentibus delitescunt . Maturitatem adepti cylindracei sunt , pollicares , tres , quatuorve lineas crassi , utraque parte extrema rotundati , ex squammulis conflati fuscis duas lineas & amplius longis , trifidisque . Squammulæ semina tegunt minuta , fusca , compressa , lineam longa , fere ovata , cum duabus alis membranaceis utrimque dispositis , semine latioribus & pallidioribus . Autumno maturescunt , & adhuc hyeme & vere sequente in arbore nondum decidui reperiuntur . Ratione fructus hæc arbor inter coniferas a nonnullis recensetur , a quibus distinguitur folio deciduo ad Populneum accedente . In nemore Bononiaco agri Parisiensis sponte crescit . Folia , cortex & lacryma in usum veniunt.

Hyeronimus Tragus existimat veteres antequam papyri usus esset inven-

tus,

tus, libro Betulæ, hoc eſt, cortici candido opera ſua inſcribere ſolitos fuiſſe. Revera non inepti ſunt huic uſui exteriores illi candidi & membranacei cortices, qui veluti cuticulæ quædam in mediocris magnitudinis arboribus, craſſiorem corticem amplectuntur, cujuſmodi quatuor aut etiam quinque diverſas nonnumquam ſeparaſſe J. Rajus teſtatur. Unde ſuſpicatur novam quotannis huic arbori cuticulam accedere, vel ex humore, qui paulatim per corticem tranſſudat concretam, vel ex annua a cortice decedente tunica ſpolii Serpentis in modum excreſcente. Quicquid ſit; J. Bauhinus Trago aſſentiri nequit Betulæ librum fuiſſe papyrum veterum.

Hujus arboris cortices bituminoſi ſunt & Alpini ex illis contortis nocturnas faces parant, quæ optimæ flagrant & incenduntur.

Sub finem hyemis Betula ſucco turgida lacrymare incipit. Si vero in trunco aut ramis vulneretur, dulcem, & potulentum humorem adeo copioſe effundit ut ramulus aliquis unico die facile ploret libras 8. vel 10. liquoris. Hunc ſiti preſſi paſtores in ſylvis ſæpenumero potare ſolent.

Helmontius obſervat quod ſi vulneretur cortex Betulæ prope terram in trunco, liquor qui ex vulnere manat, ſit totus aqueus ac pene inſipidus, ſin autem ramus craſſitudinis trium digitorum ad medium uſque perforetur, fluet liquorem ſapidiorem, ſubacidulum, non ingratum, quod quidem notatu dignum videtur.

Analyſi chymica, ex foliorum Betulæ recentium ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, coriarium odorem referentis, ſubamari, occulte ſalſi & ſubacidi ℔j. ʒvij. gran. xlviij. humoris primo rufeſcentis, deinde rufi, ejuſdem odoris, manifeſte acidi, deinde intenſe acidi auſteri, empyreumatici ℔j. ℥xiiij. ʒij. gran. xlviij. humoris rufi, auſteri, ſale volatili urinoſo mediocriter imprægnati ℥iij. ʒvij. gran. xxxvj. olei adipoſi ℥iiij. ʒvij. gran. lx. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥x. ʒvij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvij. gr. xxx. ex quibus lixivio, ſalis fixi mere alcali ʒij. gran. xiiij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v. ʒvj. gr. xxiiij. in calcinatione ℥viiij. ʒvij. gran. xlij.

Ex ramulorum recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi fere inodori, & inſipidi, obſcure acidi ℥viij. ʒvij. gran. xij. humoris rufeſcentis manifeſte acidi punguentis, ſubauſteri ℔j. ℥xiij. ʒiiij. gran. xviij. humoris fuſci, empyreumatici intenſe acidi, ſubſalſi & ſubauſteri ℥ix. ʒiij. gr. xlij. olei ℥iij. ʒij. gr. xij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥xv. ʒiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum læucophæorum ʒv. gran. xxxviij. ex quibus ſalis fixi mere alcali & cauſtici gran. lix. lixivio extracta ſunt. Partium deperditio in diſtillatione fuit ℥xiij. ʒiij. gr. lx. in calcinatione ℥xiij. ʒv. gr. xxxiiij.

Betulæ folia ſale eſſentiali tartareo, nitroſo & aliquantiſper ammoniacali cum multo oleo bituminoſo permixto donantur. Lignum minorem olei quantitatem continere videtur & minus terræ. Chymici obſervant optimos ex Betula parari carbones, ad fundenda metalla peridoneos; ſane ratione bituminis copioſi quod in illis continetur.

Folia aperiendi, reſolvendi & potenter abſtergendi facultate ſunt prædita.

Cocta

Coɩta cum aqua & impoſita pro epithemate adverſus hydropem & ſcabiem a S. Paulli & Friderico Hoffmanno commendantur. Cortex & ramuli teneri ad eadem valent. S. Paulli narrat ſe balneo ex tenellorum ramulorum & corticis decocto parato honeſtiſſimam matronam ſcabie pruriginoſa univerſali, quam ex contagio contraxerat, laborantem ſanaviſſe. Cortex aerem halitibus malignis & peſtilentialibus inquinatum ſuffitu corrigere dicitur, præſertim ad inferiorem caudicem natus. Horum ſuffimentorum duo adſunt ſpecimina a Medicis Vvratislavienſibus propoſita, ad puras necnon etiam infectas ædes peſtis tempore fumigandas.

♃. Baccar. Juniper. M. iiij. Rutæ virentis, Abſinth. radic. Helen. corticis Betulæ inferius circa caudicem nati ana M. ij. Folior. Quercus ℥j. Myrrhæ rubr. ℥iiij. Exſiccentur & fiat l. a. pulvis pro fumo purarum ædium a contagio præſervandarum.

♃. Baccar. Juniper. M. iiij. Rutæ virentis, Abſinth. radic. Helenii, corticis Betulæ ex caudice inferiori detracti, cornu Hirci raſi, non caſtrati, Sabinæ, pilor. Hirci, ana M. ij. Folior. Quercus, Myrrhæ ana ℥j. Fiat pulvis pro domibus contagio infectis.

Humoris verno tempore ex Betula profluentis vim & efficaciam in calculo renum & veſicæ, in ſtranguria & urina cruenta Tragus, Helmontius & alii non immerito celebrant. Hic humor colligitur vel ex cortice ejus terebra perforato, cui filum laneum vel xylinum inſeritur, vel ex ramorum extremis præſciſis antequam folia erumpant: ſimulatque enim hæc apparent, liquor, qui exſtillat nullius eſt uſus, inquit Helmontius. Ante germinationis tempus collectus ſaporem habet ſuavem, acidulum, quaſi Terebinthinaceum, & facile aceſcit. Servatur autem optime vaſis & lagenis prope clauſis, ſuperaffundendo tantiſper olei Olivarum ad aeris contactum arcendum: vel etiam leni committitur fermentationi, quam liquor ille muſti ad inſtar facile concipit, donec in liquorem convertatur potulentum & quaſi vinoſum: ſic enim gratum ſaporem retinet & per totum annum ſervari poteſt. Cyathus unus aut alter hujus humoris Betulini hauritur matutino tempore, jejuno ventriculo. Nonnulli eum ad ℔ij. treſve propinant in phthiſi incipiente aut ad calculi præſervationem. Diureſim promovet, ſicque calculos renum & veſicæ propellit, eorum generationem impedit, & ipſum paroxyſmum nephriticum ſedat; quapropter a nonuullis Betula vocatur lignum nephriticum Europæum, & ſuccedaneum habitur ligno nephritico ex Indiis allato. Ut major ipſi concilietur vis diuretica, cuilibet hauſtui poteſt admiſceri aliquid vini cui primo vel radix aut ſemen Raphani, ſemen Lithoſpermi, vel baccæ Alkekengi infuſæ ſint. Podagricis confert humorem podagræ cauſam per urinæ vias eliminans. Dyſuriis & ſtranguriis quibus ſenes obnoxii ſunt medetur. In ſcorbuto Cereviſiæ recenter coctæ & liquori Betulæ æquali proportione ſimul mixtis immittunt nodulum ex antiſcorbuticis, ſumuntque pro potu ordinario. In ictericis, cachecticis, item melancholia hypocondriaca egregii eſt uſus. Hepatis, lienis, meſenterii obſtructiones nitroſo ſale ſuo reſerat & curat craſſos ſuccos reſolvendo. Ettmullerus illum menſe Martio per aliquot dies hauſtum ad maſſam ſan-

ſanguineam tenujorem, & puriorem efficiendam apprimè convenire aſſerit: In ſcabie quoque commendatur, tum externe, tum interne adhibitus. Idem tamen Ettmullerus obſervat, hunc ſuccum ſanguineam molem adeo purgare ut etiam uſu ſuo quoſdam ſcabioſos reddiderit, dum ſcilicet heterogenea ſalia ex maſſa ſanguinea ſecreta & intra cutim defixa, pathemata illa ſcabioſa produxerunt: ſed brevi ab illius uſu continuato perfecte ſanantur. Gualther. Needham Medicus apud Anglos celebris hoc ſucco partim mero, partim cum melle permixto phthiſim ſcorbuticam, referente J. Rajo, non ſemel curavit. Quidam hunc ſuccum diſtillant, & creber ejus potus cum aqua Sambuci in hydrope laudatur. Aqua præcipue commendatur ad vulnerum abſterſionem & curationem. Simon Paulli hunc ſuccum jonthis ſeu varis faciei certo experimento mederi affirmat: ſi interdiu, & præſertim mane & veſperi facies eo lavetur, atque non deterſa ſicceſcat.

## BISTORTA.

Biſtortæ duæ ſunt ſpecies in Officinis uſitatæ, una radice minus intorta, altera radice magis intorta, quarum radices promiſcue venales proſtant in ſeplaſiariorum officinis, & iiſdem virtutibus donantur.

Biſtorta vulgaris radice minus intorta, *Offic.* Biſtorta major, radice minus intorta, *C. B. P.* 192. *Inſt. R. H.* 511. Biſtorta major, rugoſioribus foliis, *J. B.* 3. 538. Biſtorta, *Dod. Pempt.* 333. Colubrina, & Dracunculus major, *Brunsfelſii*: Serpentaria fœmina, & Colubrina, *Fuchſii*: Bulapathum ſeu Biſtorta: vulgo *Biſtorte*.

Ex radice craſſa, oblonga, geniculata, articulum digiti complicatum referente, nonnumquam retorta, multis fibris capillata, foris fuſca vel ex ſpadiceo nigricante, interiore vero pulpa non intenſe rubente, guſtu auſteriuſculo adſtringente, folia in longiuſculis pediculis promit oblonga, lata, & acuminata, Lapathi ſimilia, verum minora, venoſa, ſuperne quidem atrovirentia, inferne vero glauca: inter quæ medii exeunt caules pede altiores, tenues, glabri rotundi, geniculati, minoribus aliquot foliis circumveſtiti: in quorum faſtigio ſpica florum naſcitur apetalorum, qui ſcilicet ex plurimis ſtaminibus conſtant, cum apicibus coloris carnei, & ex calyce quinquifido, & concolori ſurgentibus: piſtillum abit in ſemen triangularem rufum & fere nigricans, ſplendens: in capſula, quæ calyx floris fuit reconditur. In hortis colitur. Sponte creſcit in regionibus calidis ſuper altiora montium juga, in locis humentibus. Radix in uſum venit.

Biſtorta radice magis intorta, *Off.* Biſtorta major, radice magis intorta, *C. B. P.* 192. *Inſt. R. H.* 511. Biſtorta media, folio minus rugoſo, *J. B.* 3. 538. Serpentaria mas, ſeu Biſtorta, *Fuchſii*.

A priori differt foliis minoribus & lævibus, radiceque magis intorta & complicata. Hæc radix exſiccata ex calidioribus regionibus nobis affertur. Iiſdem virtutibus donatur.

Analyſi chymica, ex radicum Biſtortæ recentium ℔v. prodierunt humoris limpi-

limpidi, subacidi, aliquantisper odorati, aromatici, cum olei essentialis guttis aliquot ℔ij. ℥iij. ʒj. gr. xliiij. humoris primo limpidi, aromatici, deinde rufescentis, manifeste acidi ac subaussteri ℥xij. ʒvij. gran. lx. humoris fusci, empyreumatici, manifeste acidi, subsalsi ℥vij. ʒvij. olei spissi ad instar extracti ℥j. ʒiij. gran. xl. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥xiiij. gran. xxiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒvj. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiij. gr. xl. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥vij. ʒiij. gr. xlviij. in calcinatione ℥xj. ʒj. gr. xlviij.

Hæc radix continet salem essentialem aluminosum seu acidum terra & oleo, cum tenui, tum crasso ac bituminoso copioso involutum.

Virtute balsamica, vulneraria & adstringente donatur. Usurpari solet adversus omnes affectus in quibus adstrictione opus est, ut urinæ incontinentiam, gonorrhæam, menses nimios, sanguinem e vulneribus manantem, sanguinis sputum, vomitiones biliosas, dysenteriam, aliasque alvi fluxiones.

Recensetur quoque inter alexipharmaca & sudorifera; quapropter ad febres malignas, variolas, pestem, & dysenteriam malignam usurpatur, & sæpius cum Tormentilla consociatur. Verumtamen diaphoreticam, & sudoriferam virtutem illi sicut & Tormentillæ S. Paulli denegat; vim exsiccantem solum & refrigerantem aut incrassantem concedendo. Reipsa si in peste & in malignis febribus Bistorta præstantissima sit, sane quia sanguinis æstum compescit, nimiamque dissolutionem ejus coercet, tum sale suo luminoso, tum etiam bituminoso suo sulphure, quibus acres massæ sanguineæ sales retunduntur, irretiuntur. Radix recens vel siccata usurpatur in ptisanis, & apozematibus adstringentibus ab ℥ß. ad ℥j. in aq. comm ℔iij. ad ℔ij. Pulvis exhibetur a ʒß. ad ʒj. cum conserva Rosar. rubrarum mixtus vel liquore idoneo dilutus, ejus infusum in vino ab ℥ij. ad ℥iiij. propinatur. Pulveris Bistortæ ʒß. cum pari Succini portione ex ovo sorbili diebus aliquot continuis usurpata abortum prohibet, auctore J. Rajo. Ettmullerus in hæmorragia ex febri maligna hunc pulverem ad ʒj. feliciter exhibuit. Sylvius decoctum ejus ad fluxus sanguinis uterinos nimios post partum, qui contingunt ex retentione particularum secundinæ stimulantium ad excretionem, sicque sanguinis fluxum inducentium, præscribit permixtum cum uterinis & leniter expellentibus. Sic enim apprime conducit secundinæ reliquiis expellendis & hæmorrhagiæ sedandæ. Ejusdem radicis decoctum adversus mulierum fluorem album commendatur.

℞. Rad. Bistortæ minutim concisæ ℥j. Glycyrrhizæ rasæ & contusæ ʒj. Rasuræ C. C. ℥ß. Radic. Graminis M j. Coquantur in aq. comm. ℔iiij. ad ℔ij. Fiat colatura pro potu solito in alvi fluxu variolis supervenіente.

℞. Rad. Bistort. pulver. ʒß Conserv. Rosar. rubr. ʒj. Syr. Berberis q. s. M. F. bolus adstringens in dysenteria, & alvi fluxu.

℞. Rad. Bistort. ℥ j Coquantur in aq. comm. ℥xvj. ad ℥x. Adde fol. Majoran. & Pulegii ana M. j. Vini albi ℥xij. Digerantur in vase clauso. Infusum refrigeratum transcoletur. Colatura dilue syr. de Artemisia ℥ij. Adde aq. Cinnamomi ℥ß. Dosis ℥iij bis terve die, in hæmorrhagia uterina ex secundinæ portione retenta. Vel

℞. Rad.

℞. Rad. Bistortæ pulv. ℈ij. Corall. rubr. pp. Cinnamomi acuti pulver. & Boracis ana ℈j. Croci pulver. ℈ß. M. F. pulvis pro duabus dosibus cum syrupi Kermisini q. s. sumendus.

Bistortæ radix usurpatur in Aceto theriacali *Charas*, in pulvere dysenterico *Ejusdem*, & in Electuar. Diascordio *Fracastor*.

## BOLETUS.

Boletus esculentus vulgaris: Boletus esculentus, *Inst. R. H.* 561. Fungus porosus, *C. B. P.* 370. Fungus rugosus vel cavernosus, sive Merulius niger, & albus, *J. B.* 3. 836. Primi generis Fungorum esculentorum 3. species, *Clusii Histor.* 363. Fungus spongiosus, *Dalechamp. Lugd.* Fungi terreni præcoces, Spongiolæ nonnullis, *Dodon. Pempt.* 481. Fungi favaginosi, sive Fungi rugosi favis mellis similes, *Lobel. Bolg.* vulgo, *Morilles*.

Plantæ genus est cujus flores, & fructus adhuc ignoti sunt. Nucis Juglandis magnitudinem sæpe æquat, nonnumquam superat, substantia carnosus, totus circumquaque scrobiculis pervius ut favos apum imitetur, ex albo nonnihil rubescens, fulvus, aut niger, interiori parte cavus, albus, & velut farinaceo quodam lævore aspersus. Pediculus vero, qui Fungi corpus sustinet, totus albus, cavus, & infima parte tenujbus radiculis filamentotis instructus est.

Clusius quatuor hujus Boleti species observavit, quæ magnitudine, figura & colore differunt. Verno tempore reperitur in sylvis Vitæ sanæ, vernaculo idiomate, *Vincennes*, in sylvis Castelli regii sancti Germani dicti, & in valle pagi *Montmorency* dicti. Ad usum culinarium tantummodo colligitur.

Analysi Chymica, ex Boletor. esculentor. recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi Boletorum odorem, saporemque referentis, primo subacidi, deinde acidi manifesti ac tandem intensi ℔ij. ℥viij. ʒj. gr. lx. humoris limpidi, intense acidi ℔j. ℥xiiij. ʒiij. gr. xxxvj. humoris primo rufescentis, limpidi, acidi & subsalsi, deinde rufi sale volatili urinoso copioso prægnati ℥j. ʒvj. gr. xxxvj. salis volatilis urinosi concreti gr. xlviij. olei fluidi ℥j. ʒiij. gran. xxx. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒv. ex quibus salis fixi salsi ʒiiij. gr. xliiij. lixivio extracta sunt. Partium deperditio in distillatione fuit ℥ij. gran. vj. in calcinatione ℥ij. ʒiij. Itaque Boleti salem essentialem continent tartaro similem, cum sale ammoniacali conjunctum, cum oleo copioso permixtum, & multo phlegmate dilutum.

Boletus tum recens, tum exsiccatus ob gustum suavissimum in deliciis habetur variis modis præparatus, & hominum palatum variis condimentis oblectatur. Appetitum excitat, sanguinis motum auget, vires instaurat, sed parum nutrit: usu nimio sanguinem accendit: quapropter biliosis, & calidis naturis noxius censetur.

Boletus olim exitio Claudii Imperatoris nobilitatus fuit. Optimus, inquit Plinius, cibus Boletus est: sed immenso exemplo in crimen adductus veneno Claudio Principi per hanc occasionem dato a conjuge Agrippina. Certum est

eſt non vitio Boleti extinctum Claudium, ſed vi medicamenti quo imbutum fuiſſe omnes tradunt. Hinc medicatum Boletum dixerunt.

## BONUS-HENRICUS.

BOnus-Henricus, & Tota-bona, *Off.* Chenopodium folio triangulo, *R. H.* 506. Lapathum unctuoſum folio triangulo, *C. B. P.* 115. Bonus-Henricus, *J. B.* 2. 965. Tota-Bona, *Dod. Pempt.* 651. Rumex unctuoſus, *Tragi* 319. Spinacia ſylveſtris, *Matthiol.* Mercurialis, *Anglor.*: vulgo *Bon-Henry*.

E radice craſſa, ſublutea: fibris aliquot donata, acri & amara plures emittit caules ſtriatos, concavos partim erectos, partim ſupinos, brevi lanugine hirſutos, pedales aut cubitales: folia triangula, Atriplicis aut Ari ſimilia, & interdum paria, ſuperne glabra, inferne farina tenui reſperſa, longis pediculis nixa, caulibus alternatim adnata, ſapore nonnihil nitroſo. Flores in ſummis caulibus naſcuntur conferti in thyrſo, exigui, apetali, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtantes luteis, ex calyce multifido ſurgentibus. Eorum piſtillum abit in ſemen parvum, orbiculatum, planum, ad renis figuram accedens, per maturitatem nigrum, in capſula veluti ſtelliformi, quæ floris calyx fuit, reconditum. Herba integra in uſum venit. In incultis locis ac ruderatis, ſecus vias, veteres muros & agrorum ſepimenta frequenter reperitur, aut etiam in oleraceis excolitur.

Analyſi Chymica, ex totius plantæ cum ſemine, & radice ℔v. per retortam diſtillatis, prodierunt humoris limpidi, odoris, & ſaporis herbacei, occulte acidi ℥xv. ʒj. gr. xij. humoris limpidi, ejuſdem odoris ſaporiſque manifeſte ac tandem intenſe acidi ℔ij.℥xiij.ʒiij.gr.xxxvj. humoris rufeſcentis, empyreumatici, intenſe acidi, ſubſalſi, ſubauſteri ℥j. ʒiiij. gr. xxx. humoris rufi, empyreumatici ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥j. ʒv. gr. lx. olei craſſi ad inſtar ſyrupi ℥j. ʒiij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥viij. ʒiiij. quæ calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥iij. ʒvij. gr. lx. ex quibus ſali fixi mere alcali ℥j. ʒj. gran. xlv. lixivio extracta ſunt. Partium deperditio in diſtillatione fuit ℥vj. ʒj. gr. xlij. in calcinatione ℥iiij. ʒiiij. gr. xij. Itaque hæc planta continet ſalem eſſentialem nitroſo-ammoniacalem oleo copioſo permixtum & multo phlegmate dilutum, & ex hac mixtura compoſitum lentum & aliquantiſper mucaginoſum.

Hujus plantæ turiones, germina novella, florum thyrſi dum adhuc teneri ſunt, & folia in aqua aut carnium jure decocta & cum butyro & ſale condita comeduntur: ſed parum nutrimenti præbent. Alvum emolliunt & laxant.

Ejuſdem folia conciſa aut contuſa externe admota vulnera recentia uniunt, ulcera ſordida & vetuſtiora expurgant & detergunt, & vermes, ſi qui in eis enati fuerint, interimunt, tumores digerunt atque reſolvunt, doloreſque ſedant. Simon Paulli, *in Quadripartito Botanico* non ſine felici ſucceſſu totam plantam cataplaſmatis forma ad mitigandos podagricos dolores adhiberi ſemel atque iterum apud plebejos obſervavit: nec quidquam

quam periculi timendum esse affirmat, cum non repellat, sed discutiat, & digerat; imo insuper anodyna est: quæ qualitates raro in uno simplici conveniunt.

♃. Folior. Boni-Henrici recentium M. iiij. Flor. Sambuc. & Chamæmeli siccor. ana M. ij. Contund. grosse: coquantur in s. q. aq. Sambuc. ad putrilaginem. Tum adde gumm. Carann. ℥ß. Camphor. ʒß. Fiat lege artis cataplasma ad podagram parti dolenti applicandum, præmissis prætermittendis.

## BORRAGO.

Borrago, *Off.* Borrago floribus cæruleis, *J. B. 3.* 574. *Inst. R. H.* 123. Buglossum latifolium, Borrago flore cæruleo, *C. B. P.* 256. Buglossum sive Borrago, *Matthiol.* 1186. Borrago, *Dod. Pempt.* 627. Corago quorumdam; vulgo, *Bourrache*.

Radice est alba, digitum crassa, fibrata, mansu viscida: foliis latis, subrotundis, e viridi nigricantibus, asperis, rugosis & plicatis, per terram sparsis, eminentibus pullis, tenuissimisque aculeis: caule hispido, terete, inani, cubitali, ramoso. Flores ejus in cacuminibus ramulorum nascuntur eleganter cærulei, raro carnei aut albidi, pediculis uncialibus & sesquiuncialibus insidentes, purpurascentibus, & deorsum incurvatis. Monopetali sunt, rotati, in quinque segmenta acuminata divisi, cum umbone acuto in medio e quinque apicibus nigricantibus fastigio coeuntibus pyramidis in modum coagmentato, & segmento oblongo purpurascente cuique apici seu cincinnulo extrorsum apposito calyce quinquifido, acuminato, viridi, hirsuto sustinentur, ex quo surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum & quatuor veluti stipatum embryonibus qui deinde abeunt in totidem semina nuda, viperini capitis æmula, basi lata, mucrone acuto rugosa, per maturitatem nigricantia, quæ in calyce ipso longe ampliato maturescunt. Tota planta succo donatur viscido & fatui saporis. In hortis colitur. Radices, folia, & flores in usum veniunt.

Analysi chymica, ex totius Borraginis recentis cum radicibus ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris primo limpidi, deinde albicantis, odoris & saporis lixiviosi, subsalsi ℔iij. ℥ix. ʒvj. gr. xlij. humoris primo limpidi, deinde rufescentis ejusdem odoris & saporis, sed debilioris, qui primo subsalsi, deinde subacidi notas præbuit ℔j. gr. lxx. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ʒv. gr. xxxv. olei spissi ad instar extracti ʒv. gr. iij. salis volatilis urinosi concreti gr. xj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ij. ʒij. gr. lx. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒij. gr. lj. ex quibus salis alcali fixi ʒv. gran. xxiv. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒij. gran. lxvij. in calcinatione ʒj. gr. ix.

Borrago exsiccata & super prunas projecta comburendo plurimas edit fulgurationes nitri ad instar, & revera salem essentialem continet nitroso ammoniacalem, qualis ex mixtura spiritus nitri & spiritus urinæ exsurgeret. Quemadmodum autem sal ille medius numquam concresceret in salinam formam, ita pariter nitrosum acidum in Borragine contentum non concrescit cum urinoso sale in salem essentialem aut potius in nitrum nisi calce

calce aut sale alcali fixo imprægnetur, quæ cum sale acido nitroso avide consociantur, & urinosum salem dejiciunt. Radicum succus Heliotropii tincturam efficit rubram: dilutior est tinctura ex florum succo. Nulla vero a foliorum succo hujus tincturæ fit mutatio, unde conjicere licet acidum in radicibus magis evolutum esse, minus in floribus, at in foliis sulphure & terra magis implicitum esse.

Borrago, licet temperata censeatur, inter cardiaca medicamenta numerari solet. Vis corroborandi, lipopsychiam removendi, lætitiam melancholicis excitandi, & sanguinem defœcandi omnibus ejus partibus vulgo tribuitur. Vulgari tamen sententiæ C. Hoffmannus adversatur, qui Borraginis partes aut præparata in affectibus cordis biliosis, ad cor muniendum in febribus pestilentibus, in ictu serpentum aliisque venenis frustra adhiberi se novisse affirmat. Sed in hac sententiarum diversitate non possumus quin multum concedamus sali nitroso ammoniacali, quo hæc planta donatur utpote digestivo potentissimo. Humores enim lentos, tenaces, & crassos dissolvit, dividit & attenuat, sanguinem fluidiorem efficit, obstructiones tollit, secretiones, & excretiones restituit, urinas promovet, vel sudores excitat, expectorationem provocat. Quapropter in calida, ut vocant, viscerum intemperie a succis crassis, stagnantibus, acrioribus factis, & phlogosim minantibus hæc planta utiliter præscribitur: in pleuritide, peripneumonia, morbisque inflammatoriis incipientibus, in affectionibus ex atra bile oriundis, melancholicis nempe hypocondriacis, & hystericis, in cordis palpitatione, in cachexia, & mensium suppressione a succorum crassitie, aut ab irritatione membranarum, ubi calidiora medicamenta vitanda sunt, ægrotantes ab illius usu diuturno non parum levaminis recipiunt.

Radices, folia & flores usurpantur in decoctis, & jusculis alterantibus. Succus ex foliis contusis extractus & defœcatus propinatur ab ℥ij ad ℥iiij. vel ℥vj. nonnumquam permiscetur cum succis Buglossi, Chærefolii & Cichorii sylvestris, & edulcoratur cum syrupis pectoralibus vel laxantibus pro libitu.

Succi harumce plantarum, aliarumque per residentiam spontaneam solam defœcantur, vel per levem ebullitionem, despumationem, & colaturam. Reipsa per solam residentiam purgati majoris sunt energiæ; verum illis quorum ventriculus imbecillior est, nocent, ventriculum enim gravant. Idcirco levi decoctione indigent. Nec adeo effœti sunt illi succi ut nonnullis videtur. Alius plantarum succos obtinendi modus a Th. Fullero in sua *Pharmacopœa extemporanea* proponitur, non contemnendus.

℞. Borragin. q. l. Concisa & leviter contusa ponatur in olla fictili vitreata cum operculo debite obturato, quæ clibano calido post panes extractos indita stet per sex horas. Dein massa in colum effusa, liquor clarus diffluens servetur ad usum.

Quandoquidem per hyemem plantarum succi facile obtineri nequeunt vere vel æstate, dum herbæ vigent, earum succos extrahere & rite reconditos ad usum medicum asservare expedit. Cum autem facile corrumpantur, triplicem illorum conservandorum modum idem Fuller proponit: 1. Scilicet affuso oleo olivarum, mediante quo a mucore & acore per tempus præservantur: 2. Post ali-

aliqualem phelgmatis exhalationem, & despumationem ad quartæ partis consumptionem coquuntur. Deinde pro unaquaque succorum libra spiritus vini ℥ij. vel iij adjiciuntur. 3. Per residentiam spontaneam despurati succi immittuntur vasis halitu sulphureo conditis. Nimirum tæda sulphurea incensa in vase suspendatur, ita nebula alba totam lagenam implebit: hoc tamdiu fiat donec a fumo sulphuris extinguatur: deinde lagena succo repleta claudatur. Ita per longum tempus succi incorrupti commode conservari possunt. Verum ab acido sulphuris fumo nonnihil immaturi possunt, ad quod attendendum est.

Flores Borraginis inter flores cordiales recensentur, nempe Borraginis; Buglossi, & Violarum, quibus nonnulli Rosas addunt. Recensentes in acetariis comeduntur: vino injecti animum exhilarare dicuntur. Ex his conditum in Officinis, & syrupus præparantur. Exsiccati quoque servantur. Verum observandum est, hos flores, quando exsiccantur, exiguæ admodum virtutis esse, & tunc ad medelam ægrotantium parum conferre.

Ex integra planta aqua distillatur, & extractum conficitur.

Borrago, & Buglossum sæpius consociantur, & ijsdem fere virtutibus donantur.

℞. Succor. defœcator. Borragin. Bugloss. ℔j. Dilue syrup. Violar. Tussilagin. aut Caryophyll. hortens. ℥ij. Distribuatur in quatuor doses quarta quaque hora interjectis jusculis propinandas, in plerutide, peripneumonia, & febribus inflammatoriis. Sæpe etiam succi Chærefolii, & Cichor. sylvestris adjiciuntur ad diuresim promovendam, & viscerum obstructiones potentius reserandas.

℞. Radic. Borragin. & Cichor. ana ℥j. Folior. Borrag. Bugloss. Lactuc. & Agrimon. ana M. j. salis prunellæ vel polychresti ʒj. Decoquantur cum pullo gallinaceo, aut frustullo colli carnis vitullinæ. Fiant juscula duo mane & sero sumenda, ad sanguinis æstum compescendum, viscerum obstructiones reserandas; in cachexia, chlorosi, aut hydrope incipiente.

Borrago usurpatur in illo apozemate satis noto quod vocatur jusculum *D. De Lorme*, cujus descriptionem alibi dedimus. Ejus succus usurpatur in Electuar. de Psyllo correcto *Charas*, & in syrupo de pomis composito *Ejusdem*, Syrupo Mercurialis seu *De longa vita* dicti, de Erysimo *Lobelli.*

## BOTRYS.

DUÆ plantæ hujus generis in usum medicum veniunt, scilicet Botrys ambrosioides vulgaris & Botrys ambrosioides Americana.

Botrys ambrosioides vulgaris: *Off.* Chenopodium ambrosioides, folio sinuato: *Inst. R. H.* 506. & *Raii Histor.* 196. Botrys ambrosioides vulgaris, *C. B. P.* 138. Botrys: *Dod. Pempt.* 34. Atriplex odora seu suaveolens: *Moriss. Hist.* Botrys plerisque Botanicis: *J. B.* 3. 2. 298. vulgo: *Piment.*

Radice est parva, alba, recta descendente, paucis fibrillis donata: caule dodrantali, aut pedali, terete, rigido, erecto, hirsuto, crebris folis alternatim positis vestito, ab imo statim ramoso: foliis Quernorum æmula divisura u rinque laciniatis, ac profundius incisis, venis majoribus rubri in-

insignitis, pediculis longis insidentibus, cum primo emergunt, rubris; postea pallescentibus. Flosculi ad tactum glutinosi in summis caulibus, & ramulis numerosissimi, longa serie velut in spicas laxas digesti sunt. Ex uniuscujusque autem folioli sinu duo exeunt surculi, & velut racemuli flosculis, & seminibus onusti. Hi surculi divisionibus suis Διχοτομικήν observant, & in unoquoque divaricationum angulo flosculus sedet nullo pediculo, itemque in ipsis foliorum alis inter pediculos surculorum modo dictorum. Flosculi apetali sunt, plurimis scilicet staminibus constantes, ex calyce herbaceo multifido surgentibus. Singulis singula succedunt semina Sinapeos similia, sed minora multo in capsula, quæ calyx floris fuit, inclusa.

Tota planta odorata est cum quadam graveolentia non insuavi, saporis subacris, aromatici, & resinoso quodam lentore prædicta, quo colligentium manus inficit.

Sponte nascitur in Gallo-provincia circa profluentes aquas, & fontes, in aridis, arenosisque locis. Facile nostris in hortis adolescit. Herba integra usitata est.

Analysi chimica, ex hujus plantæ floridæ dempta radice ℔v. per retortam distillatis, prodierunt humoris limpidi, odoris, & saporis aromatici, subamaricantis, acris, obscure salsi, & obscure acidi ℔ij. ℥j. ʒj. gr. xxxvj. humoris primo subacidi, deinde manifeste acidi, tandem subausteri ℔ij. ℥iiij. ʒiiij. humoris rufescentis, limpidi, sale volatili urinoso copioso impregnati ℥ij. gr. xxxvj. olei spissi ad instar extracti ℥j. ʒj. gr. xij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. gr. vj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥ij. gr. lx. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒvij. gr. xxx. extracta fuere. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij gr. liiij. in calcinatione ℥j. ʒvij. gr. xviij.

Hæc planta sale essentiali ammoniacali cum oleo tum tenui, tum crasso conjuncto donatur.

A recentioribus ad pectoris affectus pituitosos magnopere commendatur, præsertim in tussi, & asthmate humido, & orthopnœja. Infusum in vino aut hydromelite, aut in aqua bulliente instar Theæ mane, & vesperi ad ℥vj. propinatur, vel herbæ siccæ pulvis cum melle vel syrupo idoneo ad ʒj. exhibetur. Sic pulmonum infarctum reserat, mucum spissum incidit, attenuat, & expectorationem promovet. Purulenta exspuentibus mirifice auxiliatur, attestante Matthiolo. Pulmonum ulcera detergit, & vomicas sanat. Camerarius *in Horto suo* scribit in Misnia herbam mandi, & cum pauco vino deglutiri, vel etiam fieri ex ea cum melle electuarium ad pulmonis vitia præstantissimum.

Puerperarum flatulentos dolores colicos, & abdominis inflationem sedat. Præterea expertam Ettmullerus asserit in inflammatione hypochondriorum infantum, in qua succus cum pulte permixtus exhibetur.

Externe admota herba ipsa recens facit quoque ad uteri dolores, & ad puerorum flatulentam abdominis distensionem, si in calenti tegula, vino generoso irrorata calefiat, & ventri imponatur. Eadem quoque una cum Matricaria, & Chamæmeli floribus puerperarum a partu cruciatibus

tibus auxiliatur, & est præsentaneum auxilium, ubi simul omnia concisa in oleo Liliorum in patella parumper coquantur, & deinde ovis gallinaceis excipiantur, simul misceantur, coquanturque quod placentæ formam referant, & calida ventri superponantur.

Aqua ejus distillata servatur in Officinis, & epota ad dolores post partum leniendos, & hyponchondriorum infantum inflationem sedandam, perutilis censetur.

℞. Botryos M. j. Infund. in aq. cal. ℔j. Colaturæ adde mell. Narbonens. q. s. Sumat æger infusum calens instar Theæ in orthopnœa, tussi & asthmate humido.

℞. Botryos exsicc. & pulver: q. s. Adde Mel. despumati q. s. Fiat Electuar. Dosis ʒj. ter quaterve die adversus vomicas pulmonum.

℞. Herbæ Botryos recentis M. vj. Capillor. Vener. M. iij. Passular. Corinthiacar. ℔ß. Glycyrrhiz. rasæ ℥iij. Incisa & contusa infund. in aq. Botryos q. s. Coquantur. Fiat colatura, cui adde succi Botryos ℥iiij. Succi Hederæ terrestr. ℥ij. Sacchari albi q. s. Coq. Fiat syrupus s. a. Sumat æger ℥j. mane & vesperi cum cyatho infusi Botryos in phthisi incipiente, ulcere pulmonum, & purulenta expuictione.

Nonnulli inter vestes Botrym reponunt ad tineas abigendas & ad odoris suavitatem communicandam.

Botrys ambrosioides Americana, *Off.* Chenopodium ambrosioides Maxicanum: *Institut. R. H.* 506. Botrys ambrosioides Mexicana: *C. B. P.* 138. & *App.* 516. Epazotl seu Atriplex odorata Mexicana, *Hernandez* 159.

Radice est oblonga, fusca, capillaribus fibris cincta, intus candida: caule pedali, etiam altiore, eoque subrubente quandoque, rotundo, striato, pilis levissimis, & rarissimis aspersis: foliis pallide virentibus, Atriplicis sylvestris vulgaris forma similibus, oblongis, sinuatis, & absque ordine caulem ambientibus. Ad singulorum exortum ramuli, ut in Atriplice emergunt, pluribus velut capitulis alternatim dispositis onusti, quibus singulis foliolum exiguum subjicitur, quibusque apertis flosculi exigui luteoli, ut in Botry vulgari conspiciuntur, hisque semen minutum, copiosum succedit. Tota planta odorem gravem sed non ingratum spirat, & saporem aromaticum ad Cuminum accedentem refert.

Analysi chymica, ex foliorum, & summitatum recentium Botryos Americana ℔v. prodierunt per B. V. humoris limpidi, odorati, saporem resinosum, & subamarum referentis primo obscure acidi, ac tandem subacidi ℔iij. ℥xiij. ʒij. gr. lj. cum olei essentialis flavescentis gr. lxix. deinde per retortam humoris subsalsi, subacidi, & urinosi ℥ij. ʒiiij. gr. xviij. humoris rufescentis, obscure acidi, manifeste alcali, urinosi, & sale volatili urinoso copiosa imprægnati ʒiiij. gr. x. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gr. iiij. olei adiposi ℥iij. vij. gr. x. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vj. ʒj. gr. lvij. quæ calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥ij. ʒvj. gr. ix. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvij. gr. lxvj. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥v. ʒj. gr. lxix. in calcinatione ℥iij. ʒiij. gr. xlviij.

Per hanc analyſim manifeſtum eſt , Botrym Americanam continere ſalem ammoniacalem multo oleo tum tenui , tum craſſo conjunctum . Multo plus ſalis volatilis urinoſi, & olei in ea deprehenditur quam in vulgari Botry .

Hæc planta ſudores, urinas, & menſes potenter movet, flatus diſcutit, & ventriculum roborat . Franciſc. Hernandez herbam crudam coctamve adjectam condimentis corroborare ſcribit, pectori aſthmaticis, & obſtructis conferre , gratamque alimoniam præbere ; radicum decoctum dyſenterias coercere, diſſipare inflammationes, & noxia venenis animalia pellere .

## B R A S S I C A.

BRaſſicæ, ſeu Caulis ſpecies non paucæ obſervantur in hortis excultæ, vel colore, vel forma differentes. Quædam enim ſeſſili folio patulæ ſunt; aliæ contracto capitatæ; nigræ nonnullæ, vel rubræ: pleræque albidæ, vel etiam ſaturato colore virentes jam ex lævi folio iſtæ , illæ vero criſpo aut laciniato . Eſt etiam , quæ ex florido caule Cauli-flora dicitur , ſicut ex tumente caule Caulo-rapa . Quarum varietatum præcipuæ, & magis uſitatæ ſunt , Braſſica capitata alba, Braſſica capitata rubra , Braſſica rubra vulgaris , Braſſica alba vulgaris , Braſſica alba criſpa , Braſſica cauli-flora .

Braſſica capitata alba: *Olitorum* , *C. B. P.* 111. *J. B.* 2. 826. *Inſt. R. H.* 219. Braſſica capitata albida : *Dod. Pempt.* 623. vulgo: *Chou pomme blanc.*

Ex alba , & fibrata radice caulem producit humilem , craſſum , albicantem, craſſo cortice tectum, medulla parum acri, & ſubdulci . Folia quæ primum erumpunt lata habet, & ampla, nullis inſignibus laciniis ſinuata, longis, craſſis pediculis hærentia, coſtis nerviſque albicantibus craſſis intertexta, colore cæſio aut cinereo cærulеſcente , quorum inferiora evulſa , aut ſponte decidua ſtepitem relinquunt denſa veſtigorum ſerie rugoſum & inæqualem : ſuperna vero , quæ remanent , lata quoque & ſubrotunda , & ex viridi albicantia , aut cæſia , mutuo incubitu in caput maximum nonnumquam ultra libras quadraginta ponderantem, duriſſimum , conglobantur tam arcto amplexu , ut difficile ſeparentur. Horum interiora plane albicant . Porro glomer , adveniente vere , quo tempore ſeminii ergo plantari ſolet, parum dehiſcens, e medio caulem erectiorem profert, floribus onuſtum cruciformibus , qui ſcilicet quatuor petalis conſtant luteis aut luteo pallidis , calyce quadrifido, ex quo ſurgit piſtillum quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam teretem , longam , tenuem , cylindraceam , ſepto medio cui valvæ imbricatæ utrinque adhæreſcunt , in duo loculamenta diviſam , ſeminibuſque fœtam ſubrotundis, nigricantibus.

Braſſica capitata rubra: *Olitorum*: Braſſica capitata rubra *C. B. P.* 111. *J. B.* 2. 831. *Inſt. R. H.* 219. Braſſica rubra capitata : *Dodon.* 621. vulgo: *Cou pomme rouge* .

Quod folia attinet, albæ ſimilia quodammodo ſunt : at colore magna varietate ludunt : quædam enim atro-purpurea, quædam atro-virentia , aut etiam dilutius virentia : nonnulla quoque cæſio nebulæ aſperſu glauca ſunt. At omnes rubris coſtis, ac nervis intertexta . In reliquis cum alba convenit .

Braſſica rubra vulgaris : *Olitorum* : Braſſica rubra : *C. B. P.* 111. *Inſt.*

*R. H.* 219. & *Tabern. Icon.* 396. Braſſica rubra vulgaris, *J. B.* 2. 831. vulgo, *Chou rouge*.

Procerior hæc reliquis eſſe videtur. Stipite namque velut arboreſcit duorum, trium aut quatuor pedum, aut etiam cubitorum alto, craſſo, atropurpureo, ima parte verrucoſo, alias ſingulo, alias in ramos divaricato: quem folia fortuito poſitu ſtipant lata, ex viridi rubentia, alias ſanguineo rubore aut obſcuriore etiam tota perfuſa, non ſine obductu nebulæ cujuſdam glaucæ, crebro craſſarum venarum diſcurſu rugoſa, patula, ſinuataque. Flores lutei cauli erecto hærent: quos ſiliquæ excipiunt palmares, in quibus ſemen rufum, rotundum. Hujus folia patula manent & expanſa. Hyemem perfert, ac ſæpe, præſertim culta, arboream acquirit proceritatem, firmitatemque, ac ita in plures durat annos. Sæpe etiam laterales producit ramulos. Ramorum extrema adventante vere delicatioribus in acetaria expetuntur.

Braſſica alba vulgaris, *Olitorum*: Braſſica alba vel viridis, *C. B. P.* 111. *Inſt. R. H.* Braſſica alba vulgaris, *J. B.* 2. 829. vulgo, *Chou blond, ou Chou verd.*

Ex radice tophoſa ſurgit ſtipes qui foliis, nervorumque diviſura atque intertextu rubræ quodammodo reſpondet. Folia tamen ſubrotunda, auriculata ex longis, craſſis pediculis delicatiora videntur, in quorum circuitu ſerraturæ quædam apparent. Flores albidi cruciformes ſunt in cœteris Braſſicis. Tota planta albicat, & cæſio quodam colore obducta eſt.

Braſſica alba criſpa, *Olitorum*: Braſſica alba criſpa, *C. B. P.* 111. *Inſt. R. H.* 219. Braſſica Sabauda rugoſa, *J. B.* 2. 828. Braſſica Sabauda, *Dodon.* 624. vulgo, *Chou friſe blanc.*

Hujus folia rotunda, rugoſa valde & ita quidem rugis inæqualia ſunt, ut ſingula ceu ex veſicis aut cellulis quibuſdam ſimilibus congeſta videantur ſubtus extuberantibus atque prominentibus, averſa parte cavis, & brevibus pediculis hærentia, ex luteolo quodam & atro-virentia & pallide viridantibus coſtis intertexta. Eadem etiam in denſum globum coguntur, ſed parvum & candicantem, dum extremitates interim obſcurius virent. Flos luteus. Semen ut in reliquis.

Braſſica Cauli-flora, *Olitorum*: Braſſica Cauli-flora, *C. B. P.* 111. *Inſt. R. H.* 219. Braſſica multi-flora, *J. B.* 2. 828. Braſſica florida Botryitis, *Lobel. Icon.* 245. vulgo, *Chou-fleur.*

Perampla hæc quoque fert folia, cubitalia, longiora quam Braſſicæ capitatæ albæ, acutiora, nec ita lata, nulla inſigni laciniarum diviſura, dilute virentia, quædam etiam colore magis glauco, exteriora præſertim nervis candicantibus conſpicua, per ambitum nonnihil denticulata & veluti ſerrata, ſed nec profunde, nec denſe. In caput glomerantur ſed mollius, minus denſo foliorum incubitu formatum: inter quorum ſinum cauliculi florigeri denſiſſimo ſtipatu prodeunt craſſi, albidi, molles, qui cocti palato grati, cum ſuavitate comeduntur. His cauliculis, ſi per tempus liceat, debitam proceritatem adeptis innaſcuntur flores & ſiliquæ aliorum ſimiles.

Hæ omnes Braſſicæ ſpecies in hortis coluntur ad culinarium uſum potius quam ad Medicum. In Officinis Pharmaceuticis præſertim uſitata ſunt folia Braſſicarum rubrarum.

Analysi chymica, Brassicæ capitatæ folior. ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris limpidi, odore & sapore caules coctos referentis, obscure salsi ℥xj. ʒv. humoris limpidi ejusdem odoris & saporis, primo obscure acidi, & deinde manifesti, nonnihil salsi ℔ij. ℥viij. gr. xxxv. humoris primo limpidi, deinde subturbidi, odoris & saporis ejusdem, sed ingrati, quasi porracei, intense acidi, subsalsi & subausteri ℔j. ℥vj. ʒj. gr. xxxvj. humoris fusci, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒij. gr. xxxv. salis volatilis urinosi concreti gr. xx. olei adiposi, ʒiij. gr. xxij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. gr. vj. quæ calcinata reliquit cinerum ʒv. gr. xl. ex quibus salis fixi mere alcali ʒij. gr. lxvj. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒij. gr. lxij. in calcinatione ℥iij. gr. xxxij.

Per hanc analysim liquet, Brassicam capitatam sale essentiali donari tartareo, nitroso, ammoniacali, cum olei portione mediocri conjuncto.

Ex Brassicæ cauli-floræ summitatum recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odore plantam referentis, fere insipidi, obscure salsi & obscure acidi ℥xiiij. ʒij. gr. xxxvj. humoris limpidi ejusdem odoris, saporisque, obscure alcali ℔iiij. ℥v. gr. xxxij. humoris primo limpidi ejusdem odoris, subsalsi, alcali, urinosi, deinde rufescentis, ac tandem rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥v. ʒiij. gr. xlviij. salis volatilis urinosi concreti ʒiij. olei spissi ad instar extracti ℥j. ʒiij. gr. vj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ʒvj. gr. xxiiij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. lxvj. lixivio extracta sunt. Deperditio partium in distillatione fuit ℥ij. ʒiiij. gr. lxiiij. in calcinatione ℥ij. gr. ℥ij. Ex hac analysi concludendum salem essentialem Brassicæ cauli-flore esse ammoniacalem.

Brassicæ decoctum ex aqua summe fœtet & Brassica in terram putrefacta tetrum spirat odorem. Ille fœtor oritur ex sulphure crasso & admodum compacto, per salia volatilia in putrefactione aliquantisper evecto.

Brassica omnis apud olitores & coquos magis familiaris est, quam apud Pharmacopœos. A quibusdam veterum pro Medicina universali plane habita est. Narrant Romanos per sexcentos annos sola Brassica ad omnes morbos usos fuisse. Etiam medicina magni Catonis audit, qui ejusdem beneficio familiam suam a lue pestilenti immunem servavisse dicitur. Hodie quamplurimi tum ex magnatibus, tum ex plebeiis eam inter edulia avide appetunt. Rustici fere omnes ea vesci solent. Verumtamen ex omnium fere Medicorum sententia difficilis est concoctionis, parum nutrit, & succum crassum, ac melancholicum gignit, quod facile quivis in seipso colligere potest ex ructibus fœtidis ingratisque, quos excitat. Ventrem inflat, halitibus caput replet, mentis operationes hebetiores reddit, somnumque turbulentum efficit. Quapropter eam relinquendam censemus illis, qui valent stomacho, aliisque hominibus qui multis durisque laboribus exercentur. Alba gustu censetur præstantior rubra, præsertim folia illius interiora quæ tenera, suavissima, delicatissima, concoctuque facilior cauli-flora. Rubra vero ad usum medicum reservatur, quæ speciali dote pectori convenire dicitur.

Medici

Medici contrarias distinguunt in Brassica virtutes scilicet alvum solvendi, & adstringendi. Succus qui nitrosus est ammoniacalis, alvum movet; ipsum corpus seu substantia terrena adstringens est. Hinc illud Scholæ Salernitanæ:

*Jus Caulis solvit, cujus substantia stringit.*

Præterea vis detergens & vulneraria in ea deprehenditur. S. Paulli vidit verrucas illitas succo Brassicæ spatio 14. dierum evanuisse in ancilla quadam cui manus obsitæ erant verrucis, quas sinebat sponte exsiccari sua citra detorsionem ullam. Camerarius refert folia ejus in ulceribus & lepra vino incocta admodum utiliter adhiberi. Tragus tantæ Brassicam efficaciæ ait, ut urina eorum qui hoc olere vescuntur, fistulis, cancro, serpigini, & similibus vitiis mederi queat. S. Paulli potum vulnerarium ad consolidanda vulnera ex Brassicæ rubræ, Saniculæ, Verbenæ ana M. j. Nucis mosch. Zingiber. ana ℥ß. in ℔vj. Cerevisiæ maceratis describit & vulneratis pro potu ordinario propinandum proponit. G. Hieronymus Velschius refert ex Ottone Heurnio quemdam scorbuto adeo misere laborantem, ut maculis toto pectore & cruribus diffusis, membrisque rigentibus vix incedere posset, sanatum potu quotidiano ex vini ℔iij. quibus Brassicæ rubræ concisæ M. iiij. cum Zingiberis ℥ß. Cinnamomi ℥ij. immacerata fuerant. Grube *De Arcanis Medicinæ*, testatur quemdam hydrope & scorbuto laborantem ope folius Brassicæ vino cum suis corrigentibus infusæ feliciter fuisse restitutum.

Rubra acrimoniam humorum in pectore potissimum summopere mitigat, tussim egregie sedat, & incipientia ulcera detergit. Eo nomine in decoctis & jusculis pectoralibus præscribitur. Concionatoribus quibusdam & cantoribus in usu est pro raucedine nimiam loquelam insequente emendanda, ac voce conservanda, decoctum ejus cum passulis frequenter haurire.

℞. Pulmonem unum vitulinum minutim sectum, Brassicæ rubræ frustulatim sectæ ℔j. Napor. n. xij. Orizæ mundatæ cochlear unum. Coquantur in aq. comm. ℔vj. ad ℔iiij. pro quatuor jusculis adversus tussim vehementem, & spirandi difficultatem.

℞. Succ. defœcati caulium rubror. ℔j. Croci minutim concisi ℥iij. Mellis despumati & Sacchari albi ana ℔ß. Coquantur ad syrup. consistentiam. Fiat colatura. Syrupus rite coctus servetur ad usum.

Hartmannus ad lateris dolorem folia Brassicæ butyro illita pulvere Cumini aspersa dolentique parti imposita proponit. Puerperarum mammis ad lactis abundantiam aut coagulationem præcavendam, mammarum quoque abscessibus, ad præcavendam inflammationem, & ad ulceris consolidationem promovendam utiliter imponuntur.

Brassica rubra usurpatur in Unguento mundificativo de Apio. Ex ejus succo syrupus Caulium rubrorum in Officinis paratus servari solet.

## BRUNELLA.

BRunella, Prunella, Conſolida minor, & Symphytum minus, *Off.* Brunella major, folio non diſſecto, *C. B. P. 260. Inſt. R. H.* 182. Prunella flore minore, vulgaris *J. B. 3.* 428. Brunella, *Dod. Pempt.* 136. Conſolida minor, *Matthiol. Camerar. Epitom. 703.* Symphytum petræum, *Lobel. Icon.* 474. vulgo, *Brunelle*.

Radice eſt tranſverſa, fibrata, parva: caulibus ſpithamam ſuperantibus, quadrangulis, hirſutis, ramoſis: foliis ſubrotundis, obſcure virentibus, ſinuatis, pediculis, longiuſculis hærentibus. Flores quaſi ſpicatim & verticillatim in denſis capitulis oriuntur monopetali, labiati, purpurei, labio ſuperiori galeato, inferiori vero trilobato. Calyx monotomos quatuor ſemina ſubrotunda continet e piſtillo nata. Delectatur locis herbidis & Soli expoſitis agri Pariſienſis. Herba integra in uſum venit.

Analyſi chymica, folior. Brunellæ recentium ℔v. per retortam diſtillatæ præbuerunt humoris limpidi, primo odore & ſapore plantam referentis, deinde ſaporis & odoris expertis, obſcure acidi libij. ʒiij. humoris primo limpidi, deinde rufeſcentis, inodori, manifeſte acidi, deinde fuſci, empyreumatici, intenſe acidi, ſubauſteri, ac tandem aliquantiſper & obſcure urinoſi ℔ij. ℥iij. ʒij. humoris fuſci, turbidi, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ʒvij. ſalis volatilis urinoſi, concreti gr. viij. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ʒiij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iiij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒv. gr. lx. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥vj. ʒj. gr. lxiiij. in calcinatione ℥ij. ʒv. gr. xxxvj.

Brunellæ ſuccus chartam cœruleam rubro inficit colore, ſaporem refert herbaceum, ſtipticum, mucaginoſum, cum exiguo amarore. Salem eſſentialem continet aluminoſum cum Ammoniaci portione exigua & mediocri ſulphuris craſſi, bituminoſi, portione conjunctum.

Brunella inter plantas vulnerarias aſtringentes recenſetur, nec infimum locum tenet. Uſus præcipuus in vulneribus, in primis pulmonum, in ſputo & mixtu cruento, uterinis hæmorrhagiis, & dyſenteria. In decoctis, juſculis & potionibus vulnerariis ejus decoctum ad ℥vj. ſuccus ad ℥ij. vel ℥iiij. præſcribitur. Uſurpatur quoque decoctum in enematibus vulnerariis & adſtringentibus adverſus cruenta ventris profluvia, necnon in profundiora vulnera injicitur. Ab animali venenato demorſis J. Bauhinus ejus ſuccum propinat.

In faucium & tonſillarum inflammationibus, in aphthis & ulceribus oris & palati, decoctum ejus in ore detentum ſpecifice convenit & ingreditur gargariſmata anginoſa.

℞. Brunellæ M. j. Coqu. in aq. comm. ℔j. ad medias: ſub finem coctionis adde mellis roſati ℥j. Salis Prunell. ʒj. Fiat colatura cui adde phlegmatis vitriol. ℥j. Fiat gargariſma.

℞. Folior. recent. Brunell. & Veronicæ ana M. j. Vini rubr. ℔j. Macerentur

in

in vase clauso in balneo Mariæ per sex horas. Fiat colatura cum expressione ℥iiij. ter die in mictu cruento sumat æger.

℞. Succor. defæcator. Brunell. Bugulæ, Saniculæ ℥iij. Syrup. Heder. terrestr. ℥ß. Fiat potio in sputo cruento, & hæmorrhagiis sæpius pro urgentia mali reiteranda.

Rustici plantam recentem contusam vulneribus imponunt ad sanguinem sistendum, & agglutinandum vulnus. In putridis ulceribus sedis, & pudendorum commendatur. Cæsalpinus plantam contusam in cataplasmate furunculis ad eorum suppurationem excitandam admovebat. Idem in vehementi cephalalgia, succo Brunellæ cum oleo Olivarum, & aceto commixto tempora colluebat.

Brunellæ aqua distillata servatur in Officinis.

Brunella usurpatur in balsamo polychresto *Bauderoni*, in Emplastro pro fracturis *Nic. Præpositi*, in Emplastro ad herniam *Ejusdem*, & in Aq. vulneraria.

## BRYONIA.

BRYONIÆ sub nominæ duæ plantæ genere diversæ in Officinis usitatæ sunt; Bryonia alba, & Bryonia nigra. Bryonia alba adhuc duplex, baccis rubris scilicet atque baccis nigris.

BRYONIA, & Bryonia alba, Vitis alba, Uva serpentina, Uva anguina, *Offic.* Bryonia aspera sive alba, baccis rubris, *C. B. P.* 297. & *Inst. R. H.* 102. Vitis alba sive Bryonia, *J. B.* 2. 143. Bryonia alba, *Dod. Pempt.* 400. Tamarum vulgo, vel Cerasiola, *Cæsalp.* 206. vulgo, *Coleuvree, Bryone, ou Vigne blanche.*

Radice nititur brachium superante, & femur humanum, cum annosa est, æquante, carnosa, in crassiores fibras divisa, cum exsiccatur fungosa, circulis ac radiis distincta, saporis acris, amaricantis, ingrati, & odoris, dum recens est, virosi: caules longissimos fundit tenues, scandentes, striatos, subhirsutos, capreolis donatos, in quibus folia alternatim nascuntur angulosa, ad Vitis formam quodammodo accedentia, sed longe minora, & subaspera. Ex foliorum alis flores aliquot simul juncti exeunt, monopetali, campaniformes, patentes, in quinque partes subrotundas divisi, ex albido virescentes, & venis distinctas, quos ita complecti solet calyx ut ab iis sejungi nequet. Ex floribus alii steriles sunt, majores, & nulli embryoni adhærescentes, alii fecundi, minores, insidentes embryoni qui abit in baccam sphæricam, Pisi magnitudine, primum viridem, deinde rubram, mollem, succi nauseosi plenam, seminibus fœtam subrotundis, mucagine quadam obductis. Nascitur passim in sepibus, & sylvis præsertim in temperatis, & frigidioribus regionibus. Agri Parisiensis est incola. Radix potissimum in usum venit.

Bryonia alba baccis nigris, *C. B. P.* 297. *Inst. R. H.* 101. Bryonia nigra, *Dod Pempt.* 399. Hæc a priore differt radicum, & baccarum colore. Hujus radix interius buxeo colore pallet, illius ex albido sublutei coloris est: hujus baccæ nigricant, illius rubent. Hæc priore minus usitata est.

Analysi chymica, radicis Bryoniæ recensitis ℔v. per B. V. distillatæ præ-

præbuerunt humoris limpidi, insipidi, obscure salsi ℔ij. ℥xiiij. humoris limpidi, saporis herbacei, obscure acidi ℥xiij. ʒvij. gr. xviij. Massa residua per retortam distillata præbuit humoris rufescentis primo manifeste acidi, deinde austeri ℥ij. ʒvj. gr. xxxvj. humoris fusci, empyreumatici, alcali urinosi ℥iij. gr. xxxiij. salis volatilis urinosi concreti ʒiij. olei fluidi ℥iij. gr. xxxiiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vj. ʒvij. gr. lxiij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvij. ex quibus lixivio, salis alcali fixi ℥j. ʒij. extractæ sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gr. xxxj. in calcinatione ℥v. gr. lxiij.

Radicis succus chartam cœruleam rubro colore inficit, amarus est, & odoris nauseabundi. Itaque patet, eam continere salem essentialem, tartareum, ammoniacalem, cum oleo acri & fœtido conjunctum.

Bryoniæ radix recens serum lentum, crassum & glutinosum potenter dissolvit, quacumque in parte sit condensatum, illudque evacuat per secessum & nonnumquam per vomitum. Siccata vero debilior est, & per inferiora solummodo purgat. Feliciter usurpatur in hydrope, passione hysterica, asthmate, epilepsia, vertigine, paralysi, arthritide, & morbis chronicis. In primis in asthmate humorali, in hydrope pectoris & uteri & in hysterica suffocatione ab obstructionibus hujus visceris specifica audit. At vero cum potens sit & acre catharticum, ejus vehementia temperari solet a cremore Tartari, Sale vegetabili, Aceto tum simplici, tum stillatitio, aut aliquo pulvere aromatico & stomachico. Radix siccata & pulverata exhibetur a ℈j. ad ʒj. succus a ʒj. ad ℥ß. in jusculo. Radix ex lacte vel vino cocta ad ℥iij. vel ʒvj. Ex succo radicis paratur syrupus ad eosdem morbos efficax si propinetur ad ℥j.

Refert Arnaldus a Villa-nova epilepticum curatum fuisse trium septimanarum spatio, purgando se quotidie cum succo Bryoniæ defœcato, addito pauco Saccharo. Thomas Sydenham maniæ curationem hoc cathartico inniti asserit, si, debitis venæ sectionibus, tum ex brachiis, tum ex jugularibus venis præmissis, æger hujus radicis pulveratæ ʒj. cum lacte, vel infusum ℥ß. in vino, tertia vel quarta quaque die sumat, donec convaluerit. Ad passionem hystericam vel succus vel decoctum in vino præstat ex Matthiolo, si bis vel ter in hebdomada usurpetur.

Aqua vel succus radicis Bryoniæ singularis a quibusdam adversus hydropem commendatur, qui sic præparatur. Primo vere radix Bryoniæ circa caput ex transverso resecatur: pars vero reliqua terræ cohærens excavatur: tum superior pars resecta tanquam operculum ipsi imponitur. Cavitas postero die reperitur repleta succo quodam fere lacteo, qui exhibetur ad cochlear unum, duo vel tria quotidie mane jejuno ventriculo, clementer purgat per inferiora, aquas hydropicorum subducit, viscerumque obstructiones tollit.

Fœcula Bryoniæ præparata servatur in Officinis; quæ nihil aliud est quam farinacea pars radicis quæ dum succus depuratur in pelvis fundo subsidet, & effuso paulatim succo exsiccatur. Sed exiguæ admodum est virtutis.

Extractum majoris est energiæ & præparatur radicem recentem minutim concisam decoquendo in vino ad medias, decoctum exprimendo, & colaturam ad extracti consistentiam inspissando. A ʒß. ad ʒj. exhibetur.

℞. Ra-

℞. Radic. Bryon. pulver. ʒß. Cremor. Tartar. ℈j. Fiat bolus cum s. q. conserv. Rosar.

℞. Radic. Bryon. alb. pulver. ʒj. Lactis vaccin. ℥iiij. Hauriat æger. Vel

℞. Rad. Bryon. recentis ℥ß. Vini albi ℥iiij. Macerentur per noctem: In colatura dissolve syrup. Violar. ℥j. M. Fiat potio in mania.

℞. Radic. Bryon. recent. ʒiij. Coque ex aq. ad ℥vj. In colatura dissolve Mann. Calabr. ℥j. Sal. vegetabil. ʒj. Fiat potio.

Externe admota radix potentissime resolvit. Ad hydropem, lateris dolorem, ischiadicum dolorem, & scrophulas commendatur. Radix recens contusa, & renum regioni applicata sola vel cum stercore vaccino, urinas promovet, & hydropem sanat, auctore J. Raio. Tachenius refert dolorem ischiadicum radice recente tusa, cum oleo Lini mixta, & tepide applicata, mirum in modum pacari.

Zacutus cum juramento affirmat scrophulas tam apertas, quam non apertas hoc unguento sanari.

℞. Rad. Bryon. alb. succosæ libß. In taleolas minutim sectam frige in sartagine, quousque contabescat. Cola. Adde Terebenthin. Abietis libß. Ceræ ℥v. Fiat unguentum. De hoc unguento supra strumas appones mane, & vesperi. Vel enim strumas resolvit, vel ad suppurationem deducit, tandemque sanat ulcera.

Turiones, & Baccæ alvum vehementer commovent, & ventriculum gravant. Rarius in usum veniunt.

Circulatores, & Agyrtæ nonnulli ex hujus radice mira quædam monstra effingunt, quæ cum aliquot dies siccæ arenæ mandaverint, pro Mandragoris postea distrahunt, & vendunt.

Radix Bryoniæ usurpatur in syrupo aperiente cachectico *Charas*, in unguentis *Agrippæ & Aregon. Nicolai Salernitani*.

BRYONIA nigra vulgaris seu racemosa, Vitis nigra, Tamnus, Sigillum Beatæ Mariæ, *Off.* Tamnus racemosa flore minore, luteo-pallescente, *Inst. R. H.* 103. Bryonia levis sive nigra racemosa *C. B. P.* 297. Vitis nigra quibusdam sive Tamnus Plinii, folio Cyclaminis, *J. B.* 2. 147. Vitis Sylvestris, *Dodon.* 401. vulgo, *Sceau de Notre Dame* ou *Racine vierge*.

Radice est magna, crassa, longa, tuberosa, foris nigra, intus alba, succo glutinoso, & lento turgida, sapore acri non ingrato: cauliculis viticulosis, tenuibus, longis, scandentibus, lignosis, obscure subrubentibus, absque capreolis: foliis alternis, mollibus, læte virentibus, splendentibus, Smilacis lævis haud absimilibus, multis nervis sinuatis præditis, saporis viscidi. Flores ex foliorum alis oriuntur racematim cohærentes, exigui, monopetali, campaniformes, patentes, in sex partes divisi, ex luteo virentes, quorum alii steriles sunt, nulli embryoni adhærescentes, alii fœcundi insidentes embryoni, qui deinde abit in baccam ovatam, rubentem, aut ex rubore fuscam, calyptra membranacea instructam, seminibusque fœtam subrotundis. In agro Parisiensi frequens nascitur. Radix in usu est.

ALIA est Bryoniæ nigræ species quæ Bryonia nigra baccifera dicitur: Tamnus baccifera flore majore albo, *Inst. R. H.* 103. Bryonia lævis sive nigra baccifera, *C. B. P.* 297. *J. B.* 2. 149. A vulgari Bryonia nigra race-

racemosa potissimum in his differt, quod vulgaris florem minorem habeat, & racemosa sit: hæc vero flore sit majore, & albo, atque baccas ferat Cerasis fere similes, & singulatim in singulis pedicellis e caule prodeuntes.

Analysi chymica, ℔v. radicis Bryoniæ nigræ vulgaris recentis per retortam distillatæ præbuerunt humoris limpidi, fere inodori, & insipidi, obscure acidi ℥xij. humoris primo limpidi subacidi, obscure austeri, deinde rufescentis, empyreumatici, intense austeri ℔iij. ℥iiij. ʒij gr. xlviij. humoris fusci, empyreumatici, intense acidi, cum quadam acrimonia, nec non obscure alcali, urinosi, & austeri ℥ij. ʒvij. gr. xxxvj. humoris fusci, mediocri salis volatilis urinosi portione imprægnati ℥j. olei ʒj. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vj. ʒv. quæ calcinata reliquit cinerum ℥iij. ex quibus salis fixi alcali ℥ij. gr. xiiij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvij. gr. xxiiij. in calcinatione ℥iij. ʒv.

Hæc radix salem continet essentialem aluminoso similem cum ammoniacali, & oleo tenui ac raro conjunctum. Licet enim parum olei extractum videatur: attamen duæ posteriores humoris distillati portiones iterata distillatione rectificatæ olei fere ʒiiij. reliquerunt.

De internis hujus plantæ viribus inter Botanicos non convenit. Compertum est, inquit Lobelius, vel mulierculis vehementius urinam renumque sabulum, mensiumque saburram impellere potu. Quidam contendunt ejus radicem aquosa detrahere ac hydropicis utilem esse. Verum C. Hoffmannus de vi purgatrice valde dubitat: & J. Rajus refert Mart. Lister celeberrimum apud Anglos Medicum, tum radicem ipsam in substantia, ut vocant, tum ejus extractum larga dosi sæpius exhibuisse, numquam tamen observasse eam vel per vomitum, vel per secessum, vel alio quovis modo sensibili operari.

Externe hæc radix vulneraria est, & potenter resolvit. Vulgaris est usus in suggillationibus hanc radicem rasam, & contusam sub forma cataplasmatis contusæ parti imponere: & livorem cito discutit. J. Rajus pulverem radicum cum aceto, & stercore vaccino ad formam cataplasmatis redactum podagricos dolores lenire asserit.

Usurpatur in pulvere ad puerorum enterocelem *Pauderoni*, & in Empl. Diabotano D. Blondel, *Collectaneor. Pharmaceuticor.*

## BUGLOSSUM.

BUGLOSSUM, & Buglossa, *Off.* Buglossum angustifolium majus flore cæruleo, *C. B. P.* 256. *Inst. R. H.* 134. Buglossum vulgare majus *J. B.* 3. 578. Buglossa Italica, *Tragi* 232. Buglossa vulgaris, *Dodon Pempt.* 628. Cirsium Italicum, *Fuchs*: Lycopsis *Anguill*: vulgo, *Euglose*.

Ex radice oblonga, terete, digitali crassitudine, pluribus annis restante, foris rubente aut nigricante, intus candida, lentoque succo prædita, caules plures exserit sesquicubitales aut cubitales, teretes, pilis rigidulis asperos, sum-

ſumma parte ramoſos : quibus abſque pediculis adnaſcuntur folia crebra, anguſta, oblonga, ex viridi glauca, non ut Borraginis rugoſa, in acutum mucronem deſinentia, conſimilibus pilis utrimque hirſuta, ad margines æqualia. Flores in faſtigiis caulium & ramorum, e calyce quinque oblongis, anguſtis, acutis, piloſis ſegmentis compoſito, exeunt monopetali, infundibuliformes, in quinque ſegmenta obtuſa ſeu orbiculata e cæruleo purpuraſcentia, diviſi, cum umbone medio obtuſo, villoſo; quinque ſtaminibus compoſito. Piſtillum oblongum ex imo calycis fundo naſcitur poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, & quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina viperini capitis æmula, in acutum mucronem ad latus ſpectantem faſtigiata, per maturitatem pulla, rugoſa, quæ in calyce ipſo longe ampliato matureſcunt. Summitates caulium & calyces florum purpuraſcunt. Surculi floriferi, antequam flores expandantur, reflectuntur, ſeu contorquentur caudæ ſcorpii in modum. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur, & in hortis ad uſum medicum colitur. Tota enim planta uſitata eſt.

Analyſi chymica, ex folior. Bugloſſi recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi, ſaporis & odoris herbacei, obſcure alcali ℔ij. ℥xij. gr. lxvij. humoris limpidi, tum obſcure acidi, tum obſcure alcali ℔j. ℥x. gr. xl. humoris limpidi ſubſalſi, tum obſcure acidi, tum obſcure alcali ℥iij ʒij. gr. xxxvj. humoris rufi, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ʒvij. ſalis volatilis urinoſi concreti gr. lx. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ʒvij. gr. lxij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvij. gr. lxvj. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒvj. gr. xlij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥j. ʒiiij. gr. xxiij. in calcinatione ℥j. gr. vj.

Bugloſſi radicum ſuccus glutinoſus eſt, & chartam cæruleam rubram efficit. Non adeo lentus eſt florum & foliorum ſuccus, & longe debiliorem rubedinem conciliat. Præterea folia exſiccata & prunis impoſita accenduntur, & leves emittunt fulgurationes, quales ex ſale nitri in prunas projecto exſurgere ſolent. Ex quibus concludere licet, ſalem huic plantæ ineſſe eſſentialem, nitroſum, ammoniacalem, quadam mucagine involutum, & multo phlegmate dilutum. Sed acidum in radicibus magis eſt evolutum, minus vero in floribus & in foliis.

Bugloſſum eaſdem obtinet virtutes, quas Borrago: cum illa ſæpe conſociatur aut illi ſubſtituitur. Borragine minus ſuccoſum videtur. Ratione ſalis nitroſi tenuis & volatilis qui in illo deprehenditur, ſanguinis æſtum & efferveſcentiam bilioſam temperat & coercet: ejus lentorem ſale ammoniacali blando reſolvit: ſicque ſanguineum laticem reſolvendo, fermentatitium ejus motum compeſcendo, ejuſdem circuitionem expeditiorem efficit, ſecretiones excretioneſque imminutas aut interruptas reſtituit. Ea ratione utiliter exhibetur in affectionibus melancholicis & hypochondriacis, in febribus inflammatoriis, pleuritide, peripneumonia, & aliis.

Flores ſunt e numero florum cordialium quorum pugillus unus aut alter in liquoris idonei cyatho uno infuſus inſtar Theæ præſcribitur, aut eorum

con-

conserva a ℥ij. ad ℥ß. Folia & radices in decoctis bechicis, in jusculis alterantibus & refrigerantibus usurpantur. Buglossi succus sicut & Borraginis expressus & defœcatus ad ℥iiij. vel ℥vj. pro dosi sumitur in pleuritide: & tertia vel quarta quaque hora iteratur, ut diximus articulo de Borragine. Sæpe sudorem movet, sanguinem spissum & fere coagulatum resolvendo.

Extractum Buglossi in officinis præparatur, & aqua distillata quæ inter aquas cordiales temperatas recensetur.

Succus Buglossi usurpatur in syrupo Mercuriali, de longa vita dicto, syrupo de Fumaria *Mesuæ*, syrup. de Pomis composito *Charas*, Electuar. de Psyllio *Ejusdem*, Pilulis angelicis *Collectaneor. Pharmaceutic.* Flores adhibentur in syrupo Elleborato *Quercetani*: Conserva florum in opiata *Salomonis* & in Electuario de Citro solutivo.

## BUGULA.

BUgula, Consolida media, & Symphytum medium, *Off.* Bugula, *Dodon. Pemptad.* 135. *I. R. H.* 209. Consolida media pratensis cærulea, *C. B. P.* 260. Consolida media, quibusdam Bugula, *J. B.* 3. 430. Prunella Germanis, *Tragi* 311. Herba Laurentiana, *Cast. Dur.* Arthetica *Pandectar. Anguill.* Chamæcissus quorumdam, *Lugd.* 109. Symphytum medium *Lonicer*: Sylvatina vulgaris cærulea, *Hort. Oxon. Morisson*: vulgo, *Bugle* ou *petite Consoude*.

Radice est tenui, fibrosa, albida, styptica: foliis duabus unciis longis, subrotundis, mollibus, sinuatis, leviter incisis, nitidis, obscure virentibus, & in apricis & saxosis nonnumquam inferiore parte purpurascentibus, sapore primo occursu subdulci, mox amarescente & adstringente: duplici caulium genere, aliis tenuibus, teretiusculis, humi repentibus quibus se propagat, aliis erectis, palmam superantibus, quadrangulis, non ex omni parte hirsutis, sed duobus oppositis tantum lateribus, idque alternatim ad singula internodia, in quibus folia bina ex adverso nascuntur inferioribus minora. Flores in foliorum alis verticillatim oriuntur monopetali, unilabiati, cærulei, in tres divisi partes, quarum media bifida est, labii superioris locum occupantibus denticulis, cum pistillo & apicibus cæruleis: calyci insident sessili, brevi, hirsuto, cyaneo, monotomo, quinquepartito: ex quo surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum & quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina subrotunda, in capsula quæ calyx floris fuit recondita. Delectatur pratis & locis umbrosis. Herba integra in usum venit.

Analysi chymica plurimum præbet spiritus urinosi, phlegmatis acidi & olei, mediocrem vero salis volatilis & terræ quantitatem; unde exsurgit sal essentialis aluminosus ammoniacalis cum oleo spisso bituminoso & aliquantisper aromatico consociatus.

Vulneraria est adstringens tam intrinsecus quam extrinsecus adhibita. Commendatur in hæmorrhagiis quibuscumque, cruenta exspuitione, dysen-

dysenteria, fluore albo mulierum. In infusis, apozematibus, juscu-lis & potionibus vulnerariis, folia ad M. j. flores ad P. j. aut ij. præscribuntur vel sola, vel cum Sanicula, Brunella, aut aliis herbis vulnerariis permixta. Succus foliorum expressus & defœcatus ad ℥iiij. vel ℥vj. ad eadem valet. Insuper sanguinis concretiones ubicumque sint dissolvere & circulationi denuo reddere dicitur. Qua ratione propinatur ab alto devolutis, item cæsis, ruptis confractisque, & iis qui externa, intestinave vulnera acceperunt. Idem succus externe adhibitus vulnera ulceraque sanat. Utiliter quoque adhibetur in collutionibus ad aphthas, oris & gingivarum ulcera, sicut & pudendorum utriusque sexus.

Quidam huic plantæ vim diureticam & aperientem tribuunt. Camerarius & Dodonæus eam in hepatis obstructionibus, ictero, urinæ suppressione utilem esse asserunt. Poterius decoctum Bugulæ in jusculo vervecis factum maxime in phthisi, commendat & internis ulceribus. Hepati quoque conferre mirifice asserit: & observat eam parum & clementer ventrem laxare, contra naturam Consolidarum inter quas reponitur.

℞. Folior. Bugulæ, Saniculæ, Alchimillæ, Vincæ Pervincæ, Pyrolæ, Veronicæ ana P. j. seu ʒß. Affunde vini rubri generosi ℔. Infundantur per sex horas in vase clauso: deinde superaffunde aq. comm. ferventis ℔iij. Macerentur adhuc simul per aliquot horas, & colentur. Dosis erit ℔ß. mane & sero propinanda, in cruenta exspuitione, casu ab alto, &c.

℞. Radicum Aristoloch. rotundæ & Gentianæ ana ʒiij. Radicis Rubiæ tinctor. ʒjß. Minutim incidantur, & bulliant per horæ quadrantem in aq. commun. ℔iiij. Tum adde foliorum Bugulæ, Saniculæ, Brunellæ, Alchimill. ana ʒß. flor. Centaur. minor. & Hyperici ana P. j. Bulliant leviter, & colatura servetur ad usum. Dosis ℥v. vel ℥vj. cum syrupi de Hedera terrestri ℥ß. Est potio vulneraria insignis ad vulnera, ulcera, & casum ab alto.

Aqua distillata Bugulæ servatur in Officinis, iisdem fere virtutibus instructa ac planta ipsa sed debilioribus. Extractum quoque conficitur in Officinis non contemnendum.

Parkinsonus unguentum e foliis Bugulæ, Scabiosæ & Saniculæ tusis, in axungia bullitis ad siccitatem usque, deinde expressis, ad omnis generis ulcera, contusiones, & vulnera sananda plurimum valere scribit.

Bugula usurpatur in aq. vulneraria *Lemerii*; Balsamo polychresto *Bauderoni*, & mundificativo de Apio *Charas*.

## BURSA PASTORIS.

Bursa Pastoris, *Off.* Capsella, Sanguinaria, & Crispula, *Quorumdam*: Bursa pastoris major, folio sinuato *C. B. P.* 108. *Inst. R. H.* 216. Bursa pastoria *J. B.* 2. 936. Pastoria Bursa *Dodon. Pemptad.* 103. Bursa pastoris major, capsula cordata, foliis laciniatis, *Morisson. Oxon*: Thlaspi fatuum, Bursa pastoris dictum *Raii Histor.*

*Histor.* 838. vulgo, *Tabouret*, *Boursette*, *Bourse* ou *Malette à Berger*.

Radice est alba, recta, fibrosa, exili, sapore subdulci & nauseoso: caule cubitali singulari vel multiplici, in ramulos alternatim positos diviso: foliis inferioribus modo integris, plerumque tamen profunde utrimque laciniatis, & Dentis leonis pene modo dissectis, ex angusto principio sensim dilatatis, asperis; quæ vero caulem amplectuntur, minora sunt, lata basi, cum auricula utrimque producta, nec omnino laciniata. Flores longa serie in summis ramulis oriuntur parvi, cruciformes, seu e quatuor petalis subrotundis, albidis constantes, cum staminulis aliquot apices luteos gestantibus, calyce quadrifolio & pistillo abeunte in fructum compressum & quasi cordatum, aut latiusculam bifidam crumenulam referentem, tres lineas longum, septo intermedio cui valvæ utrimque adhærescunt, in duo loculamenta divisum, in quibus continentur semina minutissima per maturitatem fulva aut subrufa. In agro Parisiensi secus vias, locis incultis & desertis ac in ruderibus passim provenit. Herba integra in usu est.

Analysi chimica, hujus plantæ floridæ ℔v. præbuerunt humoris primo flavescentis, deinde limpidi, odoris & saporis quasi sulphurei & alcalini ℔iij. ℥viij. ʒij. gr. xxxviij. humoris primo limpidi, obscure salsi & urinosi, ac tandem rufescenti, intense alcali, urinosi & obscure acidi ℥xij. ʒvj. gr. xij. humoris rufescentis sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒiiij. gr. xlviij. salis volatilis urinosi concreti ʒij. gr. lvj olei ℥j. ʒvij. gr. xlviiij. Massa nigra in tetorta residua pendebat ℥v. ʒij. gr. lx. quæ calcinata reliquit cinerum ℥iij. ʒj. gr. vj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvj. gr. iiij. lixivio extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒv. gr. xxvj. in calcinatione ℥ij. ʒj. gr. liiij.

Herba integra saporem herbaceum, subsalsum, nonnihil adstringentem, aliquantisper glutinosum refert. Succus foliorum chartam cæruleam rubro tingit colore. Parum tamen acidi analysi chymica exhibet, plurimum vero alcali tum volatilis, tum fixi, non parum terræ & olei quibus alcalini sales involvuntur. Salem igitur ammoniacalem continet cum aluminosi portione & cœteris principiis implicitum.

Inter plantas vulnerarias, adstringentes & refrigerantes recensetur. Hinc in hæmorrhagiis quibuscumque utiliter adhibetur, necnon etiam in diarrhæis, dysenteriis, alvi profluviis & gonorrhæa. In aqua vel vino rubro cocta vel infusa ad M. j. vel succus defæcatus ad ℥iiij. vel ℥vj. vel folior. siccator. & pulverator. ʒj. præscribuntur & in jusculis, apozematibus, & clysteribus recipiuntur.

In mictu cruento specifica habetur. Theodorus Turquet Mayerne refert quemdam in paroxismis nephriticis, & etiam extra paroxismos urinas cruentas fundere sæpius solitum, pluribus frustra tentatis, intra decem dies curatum fuisse sequenti methodo.

℞. Folior. virid. Bursæ pastoris, Plantagin. Centinod. & summ. Hyperici ana q. l. Concisis affundatur in vesica stannea lactis vaccini recenter mulcti q. s. Fiat distillatio & aqua reservetur ad usum.

℞. Hujus aquæ ℥vj. syrup. Althææ vel Symphyti ℥j. M. Capiat æger ter in die

die, videl. mane, hora quinta pomeridiana, & hora somnj, per duodecim vel quindecim dies.

In gonorrhæa succus vel decoctum ejus ad ℥ij. cum granis tribus vel quatuor Camphoræ epotum confert præmissis præmittendis.

Ipsi quoque febrifuga virtus tribuitur. Succum vel decoctum bis die febricitantibus propinant in febribus intermittentibus.

Externe in usu est contra quasvis hæmorrhagias: in primis planta contusa & naribus indita, vel in nucha, vel sub axillis utrisque applicata, vel in ea manu detenta ex quo latere nares sanguinem fundunt, narium hæmorrhagias sistit. Quidam succum expressum naribus attrahunt, aut turundam succo intinctam naribus applicant. Eamdem in cataplasmatis formam redactam cum aceti tantillo vel cum foliis Plantaginis contusam, regioni pubis contra nimium mensium fluxum cum successu sæpius adhibui. Herba contusa vulneribus recentibus pro sistendo sanguine, & ad inflammationem præcavendam utiliter apponitur, vel pulverata iis inspergitur, vel ejus succo vulnera eluuntur. Cum aceto contusa, & imposita tumores calidos, inflammationes, & erysipelata sedat, & a nonnullis cum Sempervivo consociatur. Abdomini imposita etiam dysenteriæ confert. Item cum aceto, & sale adhibetur a mulierculis carpis manuum pro febribus intermittentibus, imminente paroxismo, vel sola, vel cum Plantagine contusa ac tantillo Croci, & Camphoræ in cataplasmatis formam redacta. Tota planta a quibusdam in ictero commendatur calceis indita, & nudis pedibus admota. Decoctum in gulæ affectionibus purulentis pro gargarismate inservit.

♃. Folior. Bursæ pastoris, & Plantaginis ana M. ij. Aceto irrorata contundantur, & in sartagine decoquantur ad consistentiam cataplasmatis regioni pubis calide applicandi, in uterinis hæmorrhagiis. Expertum.

♃. Folior. Bursæ pastoris, Erysimi, Plantaginis, & Millefolii ana q. s. Contusa instar pultis plantis pedum applicentur ineunte paroxismo in febribus intermittentibus cum cephalalgia. Ab Emmanuele Konig commendatum

## BUXUS.

BUxus, & Buxum, *Off.* Buxus arborescens *C. B. P.* 471. *Inst. R. H.* 578. Buxus J. *B.* 2. 496. *Dodon. P.* 782. vulgo *Bovis* vel *Buis*.

Radice est magna ex parte nodosa tuberosaque: caudicibus subinde humani cruris, raro femoris crassitudine, non alte assurgentibus, densis ramis, cortice scabro albicante, materie densa, dura, ponderosa valde æquali, flava, nulla intus medulla: foliis creberrimis, semper virentibus, lævibus, splendentibus, oblongo-rotundis, crassis, rigidis, & interdum concavis, odoris & saporis ingrati amaricantis. Flores ex foliorum alis secundum ramulos racematim nascuntur distincti a fructibus qui in aliis ejusdem plantæ locis oriuntur, ut primus observavit Clariss. Tournefortius. Apetali sunt seu plurimis staminibus constantes e fundo plerumque tetragono calycis foliati flavescentis surgentibus. Steriles sunt: fructus enim aliis in partibus

nascuntur ollæ inversæ quodammodo similes, virides, in tres partes apice dehiscentes, in tria divisi loculamenta, quibus singulis bina plerumque continentur semina oblonga, lucida, spadicea, in capsula vi elastica munita recondita. In agro Parisiensi sponte nata reperitur in via, quæ ducit ad Pagum *Marcoussy*, & circa vicum *Chevreeuse*. Necnon etiam in hortis colitur.

Analysi chymica, ex *Barchusen Acroamarib.* ex folior. Buxi viridium ℔v. prodierunt humoris primo limpidi, odoris ingrati, obscure acidi, ac tandem flavescentis, empyreumatici, subausteri, & alcali urinosi ℔iiij. ℥vij. ʒvj. gr. xlviij. olei spissi ℥vij. ʒvij. gr. xliiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥x. gr. lx. quæ igne aperto cremata reliquit cinerum albidorum ℥ij. gr. viij. ex quibus salis fixi salsi ʒj. gr. lxviij. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥vj. gr. lxiiij. in calcinatione ℥viij. gr. lij.

Hæc folia amara sunt, fœtida, & chartam cæruleam debili rubore tingunt: salem essentialem tartareo-vitriolicum continere videntur cum multo oleo crasso, & narcotico conjunctum.

Ex ligno Buxi multum spiritus acidi, & olei fœtidi crassi extrahitur, parum vero spiritus urinosi. Quidam, ut Amatus, erronee Buxum cum Guaiaco eamdem esse arborem putaverunt. Amatus, Prævotius, & alii in lue venerea idem præstare decoctum ligni ejus cum decocto Guaiaci asserunt. Lobelius virgulta ejus, lignum, & folia decocta Guaiaci modo sudores elicere scribit, & hoc decocto famulam pauperculam a lue venerea vindicatam fuisse. Sunt quoque nonnulli, qui in decoctis sudoriferis, & antivenereis Buxum pro Guaiaco, pro ligno Sassafras Juniperinum, radices Bardanæ, & Caryophillatæ pro China, & Sarsaparillia substituunt. Sed quid opus est nova, & incerta medicamenta in locum certiorum & longo usu comprobatorum medicaminum sufficere?

Fernelius folia Buxi inter purgantia medicamenta recenset. Verum tanta est purgantium medicamentorum, & quidem præstantiorum multitudo, ut a nemine hodie præscribantur.

Quidam ajunt, Buxei ligni scobem adstringere, & exsiccare: unde decoctum in aqua, alvi profluvia sanare tradunt, & cum vino rubro prodesse in doloribus dentium a frigidis fluxionibus?

Oleum nigrum, & empyreumaticum ex Buxeo ligno arte chymica distillatur eodem modo quem exposuimus articulo *de Guaiaco*. Huic oleo vis narcotica, & antispasmodica tribuitur. In epilepsia, & in hystericis atque spasmodicis affectionibus magnopere commendatur. Mira de hoc oleo prædicat Quercetanus *in Tetrade cap.* 16. *p.* 211. *&* 215. illudque tantæ virtutis esse asserit, ut omnis generis dolores edomare, corruptiones, & putrefactiones corrigere, vermes enecare, & expellere, malignosque vapores ex quibus sympathicæ epilepsiæ nascuntur, quæ facile tandem in idiopathicas transeunt, arcere, & absumere valeat. Ab eodem Quercetano, & aliis habetur pro oleo Heraclino genuino Rulandi, sed perperam, contra affirmante Friderico Hoffmanno, qui oleum esse ex visco Corylino distillatum pronunciat. Usurpatur ad dolorem dentium compescendum, & eorum cariem emendandam, guttulam in cavum cariosi dentis instillando.

Cum

Cum autem fere intolerabilis sit ejus fœtor, rectificatur iteratis distillationibus, & cohobationibus cum aqua simplici, cum calce viva aut cum sale communi, vel etiam cum vini spiritu. Sic multum de suo fœtore empyreumatico deponit. Hoc oleum rectificatum intus sumptum anodynum est, & diaphoreticum; a gutt. x. ad xx. præscribitur. Illitum impetigines sanat. Cum oleo Hyperici permixtum ad rheumaticos dolores, sub forma linimenti commendatur.

Buxeum lignum ad opera quævis conveniens est, & summe expetitum.

Alia est Buxi species minor, quæ Buxus foliis rotundioribus *C. B. P.* 471. *J. R. H.* 579. Chamæpyxos *Tabern. Icon.* 1050. vulgo, *Bouis a Partere*, quæ ad hortorum areolas, & pulvillos limitandos magni usus est. A priori nonnisi magnitudine discrepat.

## CALAMINTHA.

Calaminthæ species tres quatuorve occurrunt in Officinis: Calamintha nempe vulgaris, Calamintha Pulegii odore, Calamintha magno flore, & Calamintha arvensis.

Calamintha vulgaris *Off.* Calamintha vulgaris vel Officinarum Germaniæ, *C. B. P.* 228. & *I. R. H.* 194. Calamintha flore magno vulgaris *J. B.* 3. *P.* 2. 228. Calamintha montana *Dod. P.* 98. Nepeta montana *Cordi*: vulgo, *Calament.*

Radice est fibrata: caulibus palmaribus, & altioribus, quadrangulis, ramosis, in quibus folia bina nascuntur ex adverso posita unciam aut sesquiunciam longa, subrotunda, obtuse acuminata, leviter serrata, pilosa, saporis acris, odoris grati. A medio ad summum usque ramorum ex alis foliorum pediculi duo in plures minores divisi flores sustinent monopetalos labiatos, quorum labium superius surrectum est, subrotundum, bifidum, inferius vero tripartitum; semiunciales, & longiores, purpurascentes, odore jucundo prædito. E calyce hirsuto, striato, surgit pistillum posticæ floris parti infixum, & quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina subrotunda, lævia, nigricantia, in capsula quæ calyx floris fuit recondita. Frequens occurrit in Sylvis Regii Castelli Sangermaniaci. Herba integra usu est.

Calamintha Pulegii odore. *Off.* Calamintha Pulegii odore, sive Nepeta, *C. B. P.* 228. & *I. R. H.* 194. Calamintha flore minore, odore Pulegii, *J. B.* 3. *P.* 2. 229. Pulegium sylvestre sive Calamintha altera *Dod. Pempt.* 98. Nepeta agrestis *Cordi*.

Priori haud absimilis est, at foliis, & floribus minoribus, & sapore ac odore Pulegii ab illa discrepat. In calidioribus Galliæ Narbonensis regionibus sponte nascitur.

Calamintha magno flore, *Off.* Calamintha magno flore *C. B. P.* 229. & *I. R. H.* 194. Calamintha montana, flore magno ex calyce longo, *J. B.* 3. *P.* 2. 229. Calamintha montana præstantior *Lobel. Icon.* 512.

Gignitur in herbidis Alpium, & Pyrenæorum collibus, prioribus minor si caulis spectetur: sed foliis ac floribus longe amplioribus, & suavius olentibus.

Calamintha arvensis, *Off.* Mentha arvensis verticillata hirsuta J. *B.*

3. *P*. 2. 219. & *I. R. H.* 189. Calamintha arvenſis verticillata *C. B. P.* 229. Calamintha arvenſis 1. *Tab. Icon.* 352. Polycnemon *Lobel. Lugd.* 332. Nepeta agreſti *Tragi* 16. Pulegium agreſte Serap. *Eidem* 17. vulgo, *Pouliot-Thim* quorumdam.

Calaminthæ vulgaris ſimilis eſt foliorum figura & odore: ab ea vero florum figura diſcrepat quæ ad Menthæ genus reducitur. Flores enim ejus verticillatim naſcuntur monopetali labiati, quorum labium ſuperius fornicatum eſt, inferius vero tripartitum: ſic tamen ambo ſecantur ut flos quadripartitus primo aſpectu videatur. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur.

Calaminthæ ſpecies ſale eſſentiali ammoniacali donantur cum oleo aromatico copioſo conjuncto.

Viſcidos humores potenter incidunt: appetitum excitant, ciborum concoctionem juvant, flatus diſcutiunt, menſes, & urinas movent, ulcera renum detergunt, lochia, & ſecundinam expellunt, expectorationem promovent, aſthmaticis conferunt, & pulmonibus exulceratis auxiliantur, ex infuſo Thææ modo aſſumptæ.

Externe diſcutiunt, attenuant, & reſolvunt, præſcribuntur vel in balneo vel in fomentis. Herbæ aqua vel vino maceratæ abdomini in affectibus inteſtinorum flatulentis, vel regioni pubis ab ciendos menſes, & ſiſtendos mulierum dolores poſt partum, vel capiti in vertigine aut veterno admoventur. Earum decocto partes paralyſi tentatæ utiliter foventur.

Oleum eſſentiale diſtillatur utile ad flatus diſcutiendos, & colicos dolores ſedandos, Menſes quoque ab uteri infarctu ſuppreſſos promovet. Aqua diſtillata fragrans in officinis ſervatur, & ſyrupus ex earum ſucco præparatur.

Uſurpatur in decocto cephalico *Charæ*, Lohoch ſano *Ejuſdem*, ſyrup. de Artemiſia, de Stœchade, de Praſſio, & Theriaca *Andromachi*.

## CALCITRAPA.

CAlcitrapa & Carduus ſtellatus, *Off.* Carduus ſtellatus ſive Calcitrapa *J. B.* 3. 89. *I. R. H.* 440. Carduus ſtellatus foliis Papaveris erratici *C. B. P.* 387. Spinatella *Tab. Icon.* 701. Hippophæſtum *Columm. Phytobaſan.* 107. vulgo *Charddon etoille* ou *Chauſſetrappe*.

Radicibus eſt albidis, longis, mollibus, ſuccoſis, intus nervoſis, digitum craſſis: caulibus ſeſquicubitalibus, anguloſis, & ramoſis, in quibus folia naſcuntur villoſa in profundas lacinias Papaveris rhœados more diviſa. Extremis in ramulis capitula florida naſcuntur compoſita ex floribus floſculoſis, purpuraſcentibus, embryoni inſidentibus, & calyce ſquammato aculeatoque, cujus ſquammæ in unciales, & ſeſquiunciales, rigidas, mordaces, recta foras minantes ſpinas deſinunt, ut radiatam ſtellam imitari videantur. Embryones deinde abeunt in ſemina lubrica, parva, oblonga, pappis inſtructa. In agro Pariſienſi frequens occurit. Radices, folia, & ſemina in uſum veniunt.

Analyſi chymica, Calcitrapæ ℔v. præbuerunt humoris limpidi, abſque odore, & inſigni ſapore, obſcure ſalſi ℔j., ℥vj. ʒv. humoris limpidi primo obſcu-

obscure acidi, deinde manifesti, postea rufescentis, leviter empyreumatici, austeri ℔iij. ʒiiij. humoris fusci sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥j. gr. xxiiij. salis volatilis urinosi concreti gr. xx. olei spissi, extracti ad instar, ℥j. ʒiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. gr. lx. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xl. extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒiiij. gr. lxiiij. in calcinatione ℥j. ʒv. gr. xlviij.

Calcitrapæ folia insigni amarore donantur & chartam cœruleam levi tingunt rubore. Radix vero sapore dulcis magis intensum ruborem ipsi conciliat. Unde liquet, salem essentialem continere ammoniacalem, tartareum cum sulphure crasso conjunctum. Ammoniacalis copiosior est in radicibus. Tartareus vero uberior in foliis.

Calcitrapa diuretica est, vulneraria & febrifuga. Succus foliorum expressus ineunte paroxysmo ad febres intermittentes sedandas propinatur ad ℥iiij. vel ℥vj. Extractum ad ʒij. vel pulvis foliorum & florum exsiccatorum ad ʒj. ad eadem valere dicitur. Ejusdem succus externe vulnera consolidat.

Tota planta in decoctis & jusculis diureticis & aperientibus utiliter præscribitur. Semen contusum ad ʒj. vino per noctem maceratum & mane jejuno ventriculo potum urinas pellit, & urinarias vias a muco viscido liberat. Sed caute his utendum est, ne mictum cruentum afferant.

Cortex radicum mense Septembri effossarum exsiccatus & pulveratus insigne præbet remedium ad dolores nephriticos præcavendos summopere commendatum. Hæc est illius remedii præparandi & exhibendi ratio.

♃. Cortic. radic. Calcitrapæ ʒj. Infunde per noctem in vini albi ℥v. Infusum capiat mane jejuno ventriculo, die 28. mensis lunaris. Postridie potus sequens mane propinandus est.

♃. Foliorum Parietar. M. j. ligni Saffafras, Semin. Anisi ana ʒj. Cinnamomi ʒß. Bull. leviter in aq. comm. ℥viij. Infunde per noctem. Summo mane ad ignem admoveantur ut incalescant. Fiat colatura cum expressione, qua dissolve Sacchari candidi ʒij. Fiat potio calidissime propinanda, nullumque exhibeatur alimentum nisi tribus post elapsis horis. Hoc remedium veluti specificum a D. *De Lamoignon de Bavillé* in Gallia Narbonensi summo Præfecto publici juris factum fuit, ejusque jussu typis mandatum.

## CALENDULA.

Calendulæ vel Calthæ duæ species in officinis usitatæ sunt, hortensis scilicet & sylvestris.

Calendula hortensis, Caltha vulgaris. *Off.* Caltha vulgaris flore pallido *C. B. P.* 275. *Inst. R. H.* 498. Caltha flore simplici *J. B.* 3. 101. Calendula *Dod. Pempt.* 254. Chryzanthemum & Caltha Poetarum, *Lobel. Icon.* 552. vulgo, *Soucy*.

Radice est surculosa, in fibras multas crassiores oblongas divisa: caulibus tenuibus, teretibus, aut nonnihil angulosis, hirsutis & tactu nonnihil viscidis, in crebros ramos divisis: foliis sine pediculis, caulem amplexis,

oblongis, ad basim angustioribus, summitate latioribus & subrotundis; pinguibus, hirsutis, incanis, dilute virentibus, gustu herbaceo, mox calidiusculo, odore gravi. Flores in summis ramulis nascuntur cum gravitate quadam aliquantulum odorati, coloris aurei, radiati, quorum discus ex plurimis flosculis tubulosis, in summitate quinquefariam divisis; corona vero ex semiflosculis in summo crenatis componitur, embryonibus insidentibus, & calyce multifido, hirsuto, comprehensis. Embryones autem deinde abeunt in capsulas incurvas & marginatas, semine foetas oblongo. In hortis colitur. Flores & folia usitata sunt.

Calendula sylvestris *Off.* Caltha arvensis *C. B. P.* 276. & *I. R. H.* 499. Caltha minima, *J. B.* 3. 103. Calendula arvensis, *Tabern. Icon.* 335. vulgo, *Soucy de vigne* ou *Soucy sauvage*. A priori magnitudine tantum differt. In agro Parisiensi sponte nascitur.

Analysi chymica, ex Calendula multum extrahitur olei & humoris acidi; parum vero salis volatilis & spiritus urinosi.

Flores Calendulæ annotante Riverio *observ.* 30. a Pachequo communicata, odorem sanguinis menstrui bene valentis exhalant. Calendulæ arvensis folia, observante Cl. Tournefortio, amara sunt, fœtida & chartam cœruleam levissimo rubore tingunt. Exsiccata dum comburuntur, fulgurationes nonnullas nitrosas edunt. Unde liquet has plantas salem essentialem continere nitrosoammoniacalem multa terra & sulphure copioso permixtum.

Utrique Calendulæ eædem virtutes tribuuntur. Sylvestris ut valentior a nonnullis anteponitur. Aperiendi & resolvendi vim obtinent. Obstructiones hepatis, lienis & uteri resolvunt. Ictero medentur, menses cient, partum promovent. Humores crassos ac viscidos attenuant; necnon inter alexipharmaca recensentur. Succus totius plantæ ab ℥j. ad ℥iiij. propinatur. Infusum florum & foliorum contusorum in vino albo ab ℥iij. ad ℥vj. extractum a ʒj. ad ʒij. conditum a ʒij. ad ℥j. præscribuntur. In scrophulis flores & folia cruda vel cocta comesta, & decoctum pro potu solito commendantur. Decoctum florum Calendulæ in Zythogalo ad variolas expellendas, teste J. Rajo, apud Anglos usitatissimum est. Pestilentia, eodem narrante, floribus Calendulæ cum oleo & aceto comestis præcavetur, eademque sanatur sudoribus provocatis per succum florum Calendulæ calide potum. Acetum Calendulatum tanquam prophylacticum in peste a plurimis laudatur, si mane jejuno ventriculo os primum abluatur, & cochlear hujus aceti unum aut alterum potetur.

♃. Succi florum Calendulæ ℥ij. Pulver. lumbricor. terrestrium ʒj. Salis ammoniaci gr. xij. Fiat haustus in ictero.

♃. Extracti Calendulæ ʒj. Aloes gr. xij. Boracis pulver. ℈j. Olei Cinnamom. gutt. j. Syrup. de Absynth. q. s. Fiat bolus in remora mensium.

Aqua ex floribus distillatur quæ oculis instillata eorum rubori & inflammationi medetur.

Folia contusa & tumoribus admota eos resolvunt: callosis ulceribus, verrucis & clavis pedum utiliter applicantur.

Florum extractum & conditum in opiatis aperientibus usurpantur.

Flos perinde atque ipsa herba secundas educit mirifice, teste Trago, si aridus suffitibus admotus fuerit.

CAM-

## CAMPHORATA.

CAmphorata *Off.* Camphorata hirſuta, *C. B. P.* 486. *& Commentariorum Regiæ Scientar. Academ. Pariſienſis anni* 1705. 238. Camphorata Monſpelienſium *J. B.* 1. *P.* 2. 379. Camphorata Monſpelienſ. an Chamæpeuce ſive humilis Picea Plinii, *Adverſarior. Lobel.* 174. Selago Plinii ſive Camphorata *Lugd.* 1207. vulgo, *Camphree*.

E radice lignoſa, longa, pollicari, cauliculos plures emittit lignoſos, craſſiuſculos, cubitales, ramoſos, ſubhirſutos, albicantes, cum nodulis alternatim poſitis, ex quorum ſingulis confertiſſima prodeunt foliola trientem unciæ non excedentia, tenuia, piloſa, mediocriter rigida, odore aromatico dum inter digitos teruntur, ad Camphoram accedente, ſapore aliquantulum acri. Flores profert apetalos ſeu quatuor conſtantes ſtaminibus, cum apicibus roſeis ex calyce monophyllo herbaceo, modo trifido, modo quinquifido ſurgentibus, & piſtillo quod deinde abit in ſemen exiguum, nigrum, oblongum, ſubrotundum, in capſula quæ calyx floris fuit reconditum. In Gallia Narbonenſi & in Gallo-provincia ſponte naſcitur. Planta integra in uſum venit.

Lobelius inter Botanicos fere ſolus de hujus plantæ virtutibus mentionem fecit. Vulnerariam & adſtringentem virtutem illi tribuit. Vir Doctiſſimus Claudius Burlet, Doctor Medicus Pariſienſis & quondam primarius Hiſpaniarum Regis Medicus *in Commentariis Academicis anni* 1703. eam aliis dotibus inſtructam oſtendit. Urinas ciet, ſudores aut blandam diaphoreſim excitat & menſes provocat. Recentes viſcerum obſtructiones tollit & in morbis chronicis proficit. Aſthmati humido prodeſt. Apud Monſpelienſes adverſus hydropem uſitatiſſima eſt. At vero non omni hydropi confert, obſervante Cl. Burlet. Illis tantum conducit in quibus nulla ſitis, nullus ardor deprehenditur; in hydropiſi inveterata fere ſemper inutilis eſt. Hujus plantæ uſus diuturnus eſſe debet, & identidem catharſi opus eſt. In decoctis ad ℥j. in aquæ ℔ij. coquenda vel in vino maceranda præſcribitur: necnon etiam ejus infuſum inſtar Theæ propinatur. Multum autem calefacit, quapropter ea caute utendum eſt.

## CANNABIS.

CAnnabis nomine duæ ſunt plantæ non genere ſed ſpecie tantummodo diverſæ, fructifera ſcilicet & florigera, ex eodem ſemine natæ.

Cannabis fructifera, *Off.* Cannabis ſativa, *C. B. P.* 320. *Inſt. R. H.* 535. Cannabis mas, *J. B.* 3. *P.* 2. 447. Cannabis fœcunda, *Dodon. P.* 535. vulgo, *Chanvre*.

Cannabis florigera, *Off.* Cannabis erratica *C. B. P.* 320. *Inſt. R. H.* 535. Cannabis fœmina, *J. B.* 3. 2. 447. Cannabis ſterilis, *Dod. P.* 535.

Radice eſt ſimplici, alba, lignoſa, fibrata: caule quadrato, hirſuto,

ad tactum aspero, intus concavo, singulari, quinque aut sex pedes alto, cortice in fila ductili: frondes contrariis inter se pediculis bini, in quatuor, quinque vel plura segmenta ad pediculum usque dividuntur angusta, oblonga, acuminata, serrata, venosa, atro-virentia, aspera, odore gravi caput tentante. Flores & fructus non in eadem planta nascuntur, sed in stirpibus diversis. Florigera dicitur species quæ flores gerit, ab aliis sterilis seu fœmina improprie nuncupatur: altera vero fructifera quæ fœcunda seu mas ab aliis. Flores in florigera stirpe ex alis foliorum exeunt in quatuor surculis seu racemulis decussatis, apetali, quinque staminibus & apicibus subluteis calyci quinque foliolis exterius purpurascentibus, intus albicantibus composito insidentibus constantes, & steriles sunt. Fructus in fructifera stirpe copiosi nascuntur ullo præeunte flore secundum caules conferti: pistillis constant capsula membranacea ex luteo virente involutis, quæ abeunt in semen subrotundum, nonnihil compressum, glabrum, sub testa tenui, ex cinereo spadicea, lucida, albidam, teneram, dulcem & oleosam medullam, odoris dum recens est gravis, caput ferientis, continens, & capsula seu pellicula univalvi, in apicem desinente, inclusum. Ex ejusdem plantæ seminibus utraque species nascitur. In omnibus fere regionibus in agris seritur, ob culmorum filamenta valida & tenacia ad funes & linteamina texenda idonea. Folia & semen in usum medicum veniunt.

Analysi chymica, ex foliorum & summitatum recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi plantæ odorem aliquantisper referentis, saporis subacris, obscure salsi ℔ij. ℥iiij. ʒiiij. gr. xviij. humoris limpidi, obscure salsi, obscure acidi, deinde rufescentis, empyreumatici, obscure acidi ℔j. ℥iiij. gr. xlij. humoris fusci, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥iij. ʒij. olei spissi syrupi ad instar ℥iij. ʒij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥xj. ʒiij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥iiij. ʒvj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xlv. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥v. ʒiiij. gr. xij. in calcinatione ℥vj. ʒv.

Hæc planta sale essentiali ammonicali videtur instructa cum multo oleo crasso & narcotico conjuncto.

Nulla fere planta hominibus magis necessaria occurrit propter fila, funes, linteamina & papyrum quæ cunctis populis suppeditat. Cannabis utriusque fasces lacunis & scrobibus aqua plenis immerguntur, ubi macerantur eluunturque multum & diu, deinde siccantur in sole & tunduntur: ac demum cortices staminei tundendo idonei fiunt, ut pectine separentur a lignosis culmorum partibus fungosaque substantia ad filum postea inde parandum. Sed aqua in qua intabuit tantopere viru nocet, ut epota præsentissimo sit sitientibus exitio, cui antidotis præstantissimis & tempestive etiam datis occurri vix possit. Itaque vi inebriante & stupefaciente Cannabis folia donata videntur. Siquidem ex illis aut saltem ex Cannabis specie in nonnullis Indiæ orientalis locis nata & nostrate paulo minore. Kæmpferus *in Amœnitat. Exotic.* refert parari potum inebriantem apud illos populos usitatum, terendo nempe Cannabina folia in aqua fervida, & aquam cum pulvere permixtam ac turbidam statim hauriendo.

Se-

Semen Cannabinum a nonnullis inter cœteros cibos quotidie decoquitur non aliter quam hordeum. At caput vaporibus replet, & immodice si estur, delirium facit ut Coriandrum, referente Rajo.

Idem lacte decoctum tussi opitulari dicitur. Franciscus Sylvius a solo Cannabis semine in lacte ad crepaturam cocto, & colato atque bis terve die ad ℥v. vel ℥vj. sumpto plures curavit ictericos. Idem præstat emulsio ex eodem semine parata, si quando icterus ex sola obstructione & citra febrim exoritur, observante Dodonæo: eadem quoque gonorrhææ & ardori urinæ conducit.

Ex hoc semine contuso oleum exprimitur non solum lucernis idoneum, sed etiam ad tumores resolvendos utile. Idem cum cera in unguenti consistentiam redactum plurimum commendatur ad ambusta, quorum dolorem sedat.

Ferunt, Elisabetham Angliæ Reginam contractas variolarum suppuratione maculas in sepsa delevisse emulsione lactea ex semine Cannabino, detractis corticibus, cum aqua Rosarum parata, & cum gossypio sæpius die admota. Folia & semina contusa & in cataplasmate apposita tumores potenter resolvunt. Ettmullerus pro uvulæ inflammatione aut relaxatione gargarisma ex semine Cannabino proponit.

℞. Semin. Cannabin. ℥j. Contund. in decoct. rad. Chelidonii maj. Fragar. & Oxalyd. ℔ij. Colatura cum expressione facta propinetur per cyathos in ictero & in hepatis obstructionibus.

Matthiolus Cannabinum semen Gallinas ovorum feraciores reddere experientia sese comperisse scribit, adeo ut hoc semine pastæ, etiam hyeme sæviente quo tempore rarius parere solent, ova frequentius multo ponant. Verum easdem, ut observat Lobelius, ob alimenti copiam quam suggerit, postea steriles & quasi pinguedinis mole obrutas reddit. Aviculis omnibus cibus est optimus & valde expetitus.

## CAPPARIS.

Capparis, *Offic.* Capparis spinosa, fructu minore, folio rotundo *C. B. P.* 480. *Inst. R. H.* 261. Capparis spinosa, *J. B.* 2. 63. Capparis retuso folio, *Lobel. Icon.* 635. vulgo, *Caprier*.

Ex radice lignosa, grandi, numerosa, crassiore cortice circumvestita, plures stolones bicubitales profert hic frutex, aculeis duris & acutis munitos, in quibus folia alternatim nascuntur, circinatæ pene rotunditatis, semiunciam lata & peramara. Ex eorum alis pediculis exeunt singulares, longi, quibus flores insident rosacei, tetrapetali, candidi, quorum medium occupat numerosa staminum congeries, cum pistillo longiori, e calice tetraphyllo, viridi, surgente, cujus extrema pars abit in fructum turbinatum & quasi pyriformem, Olivæ aut Glandis magnitudine, in quo nidulantur semina plurima, parva, albida, veluti reniformia. In Italia sponte nascitur in muris ac ruderibus. Circa Tolonam in Gallo-provincia ad muros & macerias culta reperitur. In foraminibus scilicet murorum lapideorum trium vel quatuor pedum intervallo prope terram ad id factis Cappares plantant. Radicis cortex & florum gemmæ in usum veniunt.

Gem-

Gemmas florum adultas, quas vulgo *Capres* dicimus, antequam explicentur colligunt, & per trium quatuorve horarum spatium in umbra sparsas relinquunt, donec flaccescere incipiant, ad impediendum, ne se aperiant. Tum vasi immittunt & acetum superaffundunt, asserculo imposito vas contegentes, adeoque contectas octiduum servant. Deinde exemptas leniter premunt & recenti aceto infundunt: per alterum octiduum. Eamdem operationem iterum repetunt expressis gemmis & novo aceto tertium affuso, quo peracto eas in dolia cum aceto recondunt, Nonnulli salem aceto admiscent. Gemmæ hoc modo conditæ in frequenti usu sunt in acerariis & ad intinctus.

Cortices ex radicibus delibrantur, & Cinnamomi modo in tubulos exsiccati contorquentur colore cinereo, lienis quibusdam & rugis transversis notati, amari sunt, acres, acerbi.

Analysi chymica, ex corticis radicum Capparis ℔v. per retortam distillatis, prodierunt humoris primo rufescentis, inodori, subacidi, deinde fusci, odoris empyreumatici, manifeste acidi ac austeri ℔j. ℥ij. ʒiij gran. xxxvj. humoris fusci, saporis & odoris empyreumatici, intense acidi, subsalsi, obscure alcali, urinosi & austeri ℥ix. gr. xxxvj. humoris fusci, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥ij. ʒj. xxiiij olei ℥ij. ʒij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℔j. ℥ix. ʒvj. quæ per horas octo calcinata reliquit cinerum fuscorum ℥vij. gran. xxxvj. ex quibus lixivio salis fixi salsi ℥ij. ʒiiij. gr. xij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℔j. ℥vj. ʒij gr. xlviij. in calcinatione ℔j. ℥ij. ʒij. gran. xxxvj.

Totus ille frutex saporis est subamari, adstringentis, & salem essentialem continet nitroso-aluminosum cum oleo copioso conjunctum.

Conditæ Capparis gemmæ palato pergratæ invitant ad epulas & languentem revocant appetitum, unde inter irritamenta gulæ recensentur. Verum illarum sapor ascititius est a muria aut aceto: ipsæ vero difficilis sunt coctionis. Unde stomacho imbecilliori nocivæ a nonnullis habentur. Hepati autem & lieni obstructis ob vim suam abstergentem, incidentem & resolventem valde conducibiles existimantur. Schenckius *lib.* 3. *observationum* ex Benivenio refert quemdam a 7. annis splenetìcum liberatum fuisse solo usu Capparum adjuncto potu aquæ ferrariorum. Et Forestus *lib.* 20. *observ.* 2. simile quid refert de vetula 20. annorum splenetica a tumore ingenti solo usu Capparum curata.

Cavendum est, ne Cappare ab ærugine virorem suum contraxerint, tunc enim maxime nocerent. Quandoquidem sæpius mercatores ob elegationem colorem viridem Capparibus conciliandum eas in vase aheneo cum aceto macerant: acetum autem cuprum erodendo viridescit & eodem virore. Cappares inficit.

Externe acetum quo gemmæ conditæ fuerunt, utilissime cum linteo seu spongia lateri sub hypochondrio sinistro apponitur ad tumores splenis discutiendos. Ettmullerus semen Sinapi huic aceto admiscet.

Cortex radicum diureticus est, & vulgo refertur inter aperientia & resolventia. Nitroso suo sale humores viscidos dissolvit, urinas provocat: styptica sua terra viscerum tonum laxiorem restituit, & firmat. Unde omnibus fere morbis chronicis conducit. Sed in hepatis, pancreatis, ute-

uteri & potissimum lienis obstructionibus & in hypochondriacis affectionibus plurimum laudatur. Menses provocat & ad paralysim utilis dicitur. Pulvis ad ʒj. intus sumitur, infusum vero vel decoctum ℥j. in ℔j. aquæ vel vini.

℞. Cortic. Cappar. ℥iij. Capparum muria conditar. ℥j. Coq. in aq. mulſ. vel vini aut oxymelit. ℔iij. Fiat apozema ad induratum lienem.

℞. Cortic. Capparis, medii Fraxini, Tamarisci ana ℥j. Cuscutæ, Epithym. summitatum Lupul. & folior. Scolopendrii ana. M. j. Capparum conditar. ℥ß. Fiat decoctum ex aqua ad ℔iiij. quo dilue syrup. Capillor. vener. ℥ii. Dosis ℥iiij sexta quaque hora in morbis ex viscerum obstructionibus, & in affectionibus hypochondriacis.

Gemmæ, & cortex radicis usurpantur in oleo de Capparibus *Mesuæ* ad tumores resolvendos perutili. Cortex radicis usurpatur in Trochiscis de Capparibus, Syrupo hydragogo *Charas*, & in oleo Scorpionum composito *Mesuæ*.

## CAPRIFOLIUM.

Caprifolium, & Matrisylva, *Off.* Caprifolium Germanicum, *Dod. Pempt.* 411. *R. H.* 608. Periclymenum non perfoliatum Germanicum, *C. B. P.* 302. Periclymenon non perfoliatum, *J. B.* 2. 104. Matrisylva, *Schroderi* vulgo, *Chevrefeville*.

Radice est lignosa, repente, in plures fibras crassiores divisa, longis, tenuibus, lignosis, repentibus cauliculis in ramulos partitis: circa quæ ex intervallis folia nascuntur bina, ex adverso posita, oblonga, acuta, mollia, dilute virentia, subtus incanescentia. Flores in summis ramulis complures emicant candicantes, interdum flavescentes, suavissime olentes, monopetali, tubulati, ex corniculato angusto principio in latius orificium fatiscentes & in duo labia dehiscentes, quorum superius multifidum, inferius linguiforme, plures in orbem positi, & calyci insidentes monotomo viridi. Calyx autem abit in fructus molles seu baccas conglomoratas acinis Sambucinis similes, per maturitatem rubentes, seminibus fœtam duriusculis, subrotundis, & compressis. In agro Parisiensi sponte nascitur & in hortis colitur. Folia, flores, & baccæ rarioris sunt usus.

Analysi chymica, ex florum Caprifolii recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi, odorati nec ingrati saporis, obscure acidi ℥xv. ʒiiij. gran. xxxvj. humoris manifeste acidi, deinde austeri ℔iij. ℥v. ʒvj. gr. lxvj. humoris rufescentis, subsalsi & sale volatili urinoso impraegnati ℥iij. gran. lx. olei spissi ad instar extracti ʒvij. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. ʒj. gran. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ʒvj. gran. xij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiij. gr. lviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒij. gr. liiij. in calcinatione ℥iij ʒiij gr. xxiij.

Caprifolii folia distillatione plurimum humoris tum acidi, tum salsi, tum austeri præbuerunt, parum spiritus urinosi, non mediocrem olei portionem, nec parum salis fixi mere alcali.

Insu-

Insuper folia saporis sunt fatui, styptici, odoris gravis, ingrati, cimicem redolentis: eorumque succus chartam cæruleam levissimo rubore tingit. Intensior fit rubedo a radicum succo. Earum cortex gustu est acris, salsus, stypticus & odoris ingrati. Hæc planta salem essentialem continere videtur tartareum cum salis ammoniacalis aliquantulo & multo oleo tum tenui, tum fœtido crasso conjunctum.

Omnibus Caprifolii partibus vis diuretica tribuitur. Vetus est a Dioscoride traditio fructum maturum in umbra siccatum ʒj. pondere in vino exhibitum per quadraginta dies, lienem absumere, lassitudinem discutere; sed urinam ciere statim a sexto die cruentam: quapropter illius usum reformidarunt, nec immerito, si Caprifolium nostrum sit Periclymenon Græcorum. Ejus decoctum in Cerevisia paratum Ettmullerus in arthritide vaga laudat.

Ex foliis succus expressus vulnerarius est & abstergens. Ad capitis vulnera & ad impetigines aliaque cutis vitia sananda commendatur. Foliorum decoctum in tonsillarum & faucium affectionibus, gulæ inflammatione, exulceratione & aphthis, in gargarismatibus usurpatur.

Baccæ maturæ contusæ in balneo maris vel in fimo equino in vase clauso digestæ resolvuntur in liquorem oleosum, qui a G. Agricola *in Chirurgia parva* 110. velut catholicum balsmum magnopere commendatur in omnibus vulneribus, non vero in ulcere sanando.

Aqua ex floribus distillatur, quæ oculorum inflammationi confert, & a Rondeletio ad partum accelerandum plurimi æstimatur, præsertim si seminis Lavandulæ triti ʒj. in hujus aquæ ℥iij. propinetur.

Alia Periclymeni species in hortis nostris colitur, quæ Caprifolium Italicum, *Dodon. Pempt.* 411. Periclymenum perfoliatum. *C. B. P.* 302. Periclymenum perfoliatum, *J. B.* 2. 104. A priori differt foliis pene glaucis, rotundioribus, & pediculis brevissimis, quorum quædam sunt sæpe continua & a viticulis trajecta pertusave, suprema autem acetabuli instar modice concava, floribus ex purpura albescentibus aut in luteum languescentibus, brevioribus & minoribus. In Italia & Gallia Narbonensi sponte oritur. Eædem virtutes ipsi tribuuntur.

## CARDIACA.

CArdiaca & Agripalma, *Off.* Cardiaca, *J. B.* 3. 320. *Inst. R. H.* 186. *Dod. Pempt.* 94. *Lobel. Icon.* 516. Marrubium Cardiaca dictum, forte Theophrasti, *C. B. P.* 230. Lycopsis Branca lupina, *Anguill.* Cardiaca vel Lycopus, *Fuchsii*; vulgo, *Agripaume*.

Plurimæ pro radicibus fibræ ab uno veluti capite descendunt: plures quoque ex eodem assurgunt quadrangulares caules, crassi, duri, duos tresve pedes alti, obscure & ex nigro rubentes. Folia longis insidunt pediculis, venosa & rugosa, brevi adeo lanugine utrinque obsita ut nihilominus glabra videantur: quæ infimum occupant, subrotunda sunt, pallidius virentia, in tres insigniores lacinias profunde divisa, laciniis circa margines dentatis; quæ in caulibus sunt obscurius virent, sensim angustiora fiunt & integra fere in lon-

longam cuſpidem deſinunt, ad latera utrinque unico dente inciſa. Calyces monotomi, duri, in quinque ſpinulas rigidas, pungentes diviſi, plurimi denſe ſtipati, nullis pediculis, ex alis foliorum orti verticillatim caules ad nodos ampleꝺuntur, & flores ſuſtinent ex albido purpureos, exterius lanugine alba, denſa, hirſutos, parvos, monopetalos, labiatos, quorum labium ſuperius imbricatum & multo longius eſt inferiore tripartito. Ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, & quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina parva, oblonga, angulata, lævia, ſpadicea, totam capſulam, quæ floris calyx fuit, occupantia. Tota planta gravi ſatis odore prædita guſtu amaricat. Ruderibus & locis incultis ac aſperis gaudet agri Pariſienſis incola. Planta integra ex uſu eſt.

Analyſi chymica, ex foliorum & ſummitatum floridarum recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi, odoris & ſaporis herbacei, ſubacidi ℔ij. ℥ix. ʒvj. gr. lxvj. humoris acidi manifeſti, deinde auſteri ℔j. ℥vj. ʒij. gr. xxxvj. humoris rufi, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥j. ʒij. gr. xxiiij. olei ℥ij. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥v. ʒvj. quæ calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥ij. ʒiiij. gr. xij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒvij. gr. xij. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥vj. ʒv. gr. lxvj. in calcinatione ℥iij. ʒj. gr. lx.

Cardiaca ſalem eſſentialem continet tartareum multo ſulphure tenui & craſſo conjunctum. Nomine longe quam uſu celebrior eſt hæc planta quam nonnulli cordis affectibus convenire dicunt. Eam autem Schroderus & Ettmullerus ſic dictam tantummodo putant, quod moleſtiis cordis, ut vulgus loquitur, ſeu potius ventriculi ſuccurrere ſoleat. Medetur enim puerorum cardialgiis ab inflatione & diſtenſione hypochondriorum & ventriculi cataplaſma ex foliis contuſis & coctis præparatum & abdomini applicatum, viſcidos nempe humores quorum efferveſcentia flatus producit reſolvendo. Fertur convulſis mederi, obſtructiones viſcerum tollere, ventris tineas & lumbricos interimere, & ejus pulverem ad ʒj. cum vino exhibitum non modo urinam & menſes evocare, ſed etiam difficulter parientibus prodeſſe.

Decoctum Cardiacæ, ejuſve ſiccatæ pulvis cum Saccharo mixtus & hauſtus in palpitatione cordis lienis morbis & affectibus hyſtericis, ut admirandæ virtutis & efficaciæ medicamentum a J. Raio proponitur.

A Veterinariis & Mulo medicis ad quoſdam Boum & Equorum morbos uſurpatur cum ſucceſſu.

## CARDUUS BENEDICTUS.

Carduus Benedictus & Carduus ſanctus, *Off.* Cnicus ſylveſtris hirſutior ſive Carduus benedictus, *C. B. P.* 378. & *Inſt. R. H.* 450. Carduus benedictus. *J. B.* 3. 75. *Dod. Pempt.* 737. Carduus ſanctus Attractylis Dioſcorid. *Cæſalpini* 354. Attractylis hirſutior, *Fuchſii* : Acanthium *Cordi* : vulgo, *Chardon benit.*

Radicem habet albam, multifidam, fibratam; folia laciniata Dentis leonis pene

pene modo sed minus profunde incisa, amara valde, hirsuta & in spinulas breves & molles desinentia, alternatim in caule posita. Is autem sesquicubitalis, ramosus, supinus, villosus, striatus, flores magnos sustinet flosculosos, plurimis scilicet flosculis luteis constantes quinquepartitis, pistillo trifido, quod quinque staminula apicibus longis, fuscis, sibi invicem adnatis, & velut tubulum quemdam efformantibus donata amplectuntur, cum calyce pyriformi squammoso, spinis ramosis munito, foliis amplioribus capitelli instar obvallato & multa lanugine instructo. Semina longa sunt striata, sublutea & papposa. Tota planta amarore insigni prædita est, radice excepta quæ vix leviter amaricat. Hujus Cardui capitula antequam flores pandantur, & florida recisa succum sanguineum paucum fundunt. Colitur vulgo in hortis. Folia, capitula & semina usitata sunt.

Analysi chymica, ex foliorum & summitatum Cardui benedicti ℔v. prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis herbacei, obscure salsi, obscure acidi ℔j. ℥viij. ʒvij. humoris limpidi, subacidi, deinde rufescentis, austeri ℔ij. ℥xv. gr. lvij. humoris fusci, empyreumatici, sale volatili urinoso copioso impraegnati ʒvij. gr. xxxvj. salis volatili urinosi concreti gr. xv. olei ʒvij. gr. xij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. gr. xlviij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒv. gr. xv. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. gr. lj. in calcinatione ℥ij. gr. xlviij.

Carduus benedictus salem essentialem continet tartareo ammoniacalem cum pauco oleo admixto. Diaphoresim & sudores potenter movet. Alexiterius est, antipleuriticus & febrifugus. In omnibus malignis febribus utiliter usurpatur, & in ipsa peste a Palmario plurimum commendatur. Succus ad ℥iij. iiijve exhibetur; decoctum ad ℥vj. sæpius die iteratum; pulvis ad ʒj. in vino vel in ejusdem plantæ aqua distillata; extractum ad ℈j. vel ʒß. quod Ettmullerus cum tantillo Laudani opiati propinatum sudores adeo promovere asserit ut ægri sudore quasi diffluant. Pleuriticis opitulatur statim initio una aut altera præmissa venæ sectione. Febres intermittentes sæpissime sanat continuato aliquamdiu usu ante paroxismum, præmissis universalibus, in primis vomitorio, vel solus vel cum Centaurio minori aut Asaro usurpatus. Conducit quoque ad sanguinem in corpore grumosum dissolvendum, præsertim in casu ab alto, illum autem resolutum per urinas expellere dicunt. Notatu sane dignum est quod Ballonius *Lib.* 2. *Consil.* 2. observat, decoctum Cardui benedicti ad ℥iij. vel ℥iiij. assumptum urinam reddere crassam & fœtidam.

In morbis chronicis summitatum infusum cum aliis amaris plantis sæpius die utiliter propinatur.

Semen in emulsionibus cum aqua stillatitia Papaveris rhæados paratis adversus pleuritidem & rheumatismum sæpe felici cum successu usurpatur. Sudorem enim copiose prolicit. Eadem emulsio in variolis & morbillis, aliisque morbis mali moris utiliter præscribitur: exanthematum enim eruptionem faciliorem efficit & feliciorem.

Virtus quoque vulneraria huic plantæ a nonnullis tribuitur. Simon Paulli in *Quadr. Botanico* scribit vix huic secundam aliquam reperiri herbam

bam in consolidandis putridis, & contumacibus ulceribus, etiam in cancro ipso. At Schroderus tempus colligendi hanc plantam pro usu vulnerario observandum esse existimat. Si enim, inquit, sub initio Junii collectus fuerit Carduus benedictus, vulnera recentia mirabiliter sanat, sin alio tempore, numquam id præstabit. Quandoquidem eo tempore succo illo sanguineo balsamico turget, quod in hac planta aliis temporibus non reperitur.

℞. Folior. Card. bened. M. ß. Contund. in vini alb. generos. ℥v. Colatura hauriatur ad sudorem proliciendum in pleuritide.

℞. Semin. Card. bened. ʒiij. Contund. in aq. Card. bened. ℥vj. In colatura dilue syrup. Meliss. vel Caryophyllor. ℥j. F. emulsio ad sudorem provocandum in pleuritide, & ad variolar. aut morbillor. eruptionem promovendam.

In Officinis aqua distillata servatur quæ sudorifera est, & in julapiis ac potionibus cardiacis & sudoriferis præscribitur. Sæpe Pharmacopœi aquam ex alia planta sub Cardui benedicti nomine distillant, quæ dicitur Attractylis lutea, *Off.* Cnicus Attractylis lutea dictus, *H. Lug. Bat.* & *Inst. R. H.* 451. Attractylis vera *J. B.* 3. 83. Attractylis, *Dod. Pempt.* 736. Chartamum sylvestre, *Cæsalp.* 532. Attractylis lutea, *C. B. P.* 379.

Cardui bened. folia usurpantur in aceto theriacali *Charas*: Ol. Scorp. *Matthiol.* Ung. Martiato *Charas*, semina in opiata *Salomonis* & in decocto amaro *Pharm. Londin.*

## CARDUUS MARIÆ.

Carduus Mariæ, Carduus Marianus, Carduus lacteus, *Off.* Carduus albis maculis notatus vulgaris, *C. B. P.* 381. *Inst. R. H.* 440. Carduus Marianus sive lacteis maculis notatus, *J. B.* 3. 52. Carduus Leucographus, *Dod. Pempt.* 722. Leucacantha, *Lacun*: Sylibum Carduus Mariæ, *Lobel. Icon. T.* 2. *p.* 7. Spina alba hortensis, *Fuchs.* vulgo, *Cardon Marie, Chardon de Notre-Dame, Artichaut sauvage.*

Radice est longa, crassa, succulenta: foliis latis, longis, sinuatis, ambitu crenatis, multis duris aculeis horrentibus, nitidis, glabris, dilute virentibus, notis, & lineis varie ductis, candidis, ac lactei coloris maculatis: caule digitum crasso, striato, lanugine villosa incano, bicubitali aut tricubitali, ramoso. Summi ramuli sustinent flores capitatos flosculosos, plurimis scilicet flosculis purpureis constantes tubulosis, in summitate quinquifariam divisis, quorum singuli singulis insident embryonibus, & calyce squammato aculeatoque comprehensos. Embryo autem abit deinde in semen læve, Carthami magnitudine, ovatum, & aliquantisper compressum, pappis instructum, gustu dulce. Agri Parisiensis incola sponte nascitur in campestribus, & incultis locis, secus itinera, & agrorum margines. Semen in usum venit, raro folia, & radices.

Analysi chymica Carduus Mariæ plurimum humoris acidi, non mediocrem olei & alcalini humoris portionem, parum terræ præbet. Folia amara sunt, & adstringentia. Eorum succus intenso colore rubro chartam

tam

tam cæruleam inficit. Salem eſſentialem in hac planta Tournefortius continerì ſuſpicatur enixum, ſeu alcalinum acido ſale pluſquam ſaturatum, quale eſt Oxyſal Diaphoreticum *Angeli Salæ*.

Hujus Cardui folia tenera, demptis ſpinis a nonnullis inter olera recenſentur.

Eædem ipſi tribuuntur virtutes quibus Carduus benedictus inſignitur. Sudorem & urinas promovet.

Foliorum & radicum decoctum ad hepatis & viſcerum infarctus utiliter præſcribitur. In hydrope, ictero, nephritide a Matthiolo commendatur.

Seminis inſignis eſt uſus in pleuritide & rheumaticis pectoris doloribus. In emulſionibus propinatur, aut pulveratum ad ʒj. aut ʒij. ex vino aut aq. diſtillata ſumitur. Lindanus *ſuper praxim Hartmanni*, hoc ſemen ut ſpecificum adverſus hydrophobiam proponit: quod egregie ſudorem movet. Succus febrifugus dicitur: ineunte paroxiſmo ad ℥iiij. propinatur.

℞. Semin. Card. Mariæ & ſemin. Card. bened. ana ʒij. Semin. Naſturtii ʒj. Contund. ſenſim affundendo aq. ſtill. Card. bened. ℥viij. Fiat colatura cum expreſſione, qua dilue ſyrup. Meliſſ. ℥j. Fiat emulſio sudorifera, in pleuritide & rheumaticis doloribus punctoriis.

Externe hujus Cardui decoctum vel aqua diſtillata in phagedænis, nomis & ulceribus erodentibus, in cancro narium utilia cenſentur.

## CARYOPHYLLATA.

CAryophyllata, *Off.* Caryophyllata vulgaris, *C. B. P.* 321. *Inſt. R. H.* 294. Caryophyllata vulgaris, flore parvo luteo, *J. B.* 2. 398. Vulgaris Caryophyllata, *Lobel. Icon.* 693. Herba Benedicta, *Brunsfels*: Gariofilata, vulgo *Cœſalpi*: Sanamunda, *Quorumdam*: vulgo, *Benoite*, *Herbede S. Benoit*, *Galiot*, *Gariot*, *Recise*.

Radice eſt fibrata, ſubrufa, acri, aromatica, verno tempore Caryophyllum olente: caulibus cubitalibus, hirſutis, alternatim ramoſis: foliis inferioribus veluti conjugatis cum extremo impari claudente, cœteris ampliori, trifido ſuperioribus vero cauli adnexis, tripartitis, & duabus pinnulis minoribus ad pediculi baſim ſtipatis, obſcure virentibus & villis tenujoribus aſperſis. Flores in ſummis ramulis adſunt aurei, roſacei, pentapetali, quorum umbilicum occupat piſtillum globoſum & quaſi echinatum, quod mutatur in capitulum ſphæricum e pluribus ſeminibus conflatum villoſis, compreſſis, in orbem poſitis, acutis & in filum quoddam rigidum extremo reflexum uncinatumque abeuntibus. Calyx monotomus in decem partes acutas, majores, minoreſve alternatim poſitas dividitur. Naſcitur in ſepibus & ſylvis agri Pariſienſis. Radix & folia in uſu ſunt. Radix non ſemper æque odorata eſt: verno tempore & in aridis calidioribus locis collecta longe fragrantior eſt.

Analyſi chymica, ex plantæ integræ recentis cum radicibus ℔v. prodierunt humoris limpidi, leviter aromatici, obſcure acidi ℥vij. ʒiij. gr. xxxvj. humo-

humoris primo limpidi, manifeſte acidi, ac tandem rufeſcentis auſteri ℔iij. ℥ij. ʒj. gr. xij. humoris fuſci ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥iij. gr. xxxvj. olei adipoſi ℥j. ʒiiij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥ix. ʒij. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥iij. ʒv. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒvj. gr. xxxviij. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ix. ʒiij. gr. lx. in calcinatione ℥v. ʒv. gr. xxxvj.

Radices ſolæ recentes diſtillatæ plurimum humoris acidi, odorati, aromatici præbuerunt, parum ſpiritus volatilis urinoſi, mediocrem olei portionem, ſed adeo gravis ac denſi ut aquæ fundum peteret. Caryophyllatæ folia amara ſunt, & ſtyptica: & eorum ſuccus chartam cæruleam intenſo rubore tingit. Itaque hæc planta ammoniacalem ſalem continet acido pluſquam ſaturatum, oleo tum tenui, tum craſſo involutum.

Radix recens, & in calidioribus locis nata, blandumque aroma Caryophyllatum ſpinas adverſus catarrhos, & capitis obſtructiones commendatur ob ſalem volatilem quo donatur: ſicca vero, & ſale volatili fere orbata magis adſtringit, & utiliter uſurpatur ad fibrarum ventriculi, & inteſtinorum tonum firmandum in diarrhæis, & alvi profluviis cruentis, in cruenta exſpuitione, & hæmorrhagiis. Decoctum radicum recentium ℥j. vel herbæ integræ M. j. in aq. communis ℔jß. ad medias; vel eorumdem contuſorum infuſum in vini ℔ß. per noctem, deinde percolatum, & ineunte paroxiſmo hauſtum ſudorem potenter provocat, & ſæpius febres abigit. In variolis, morbillis, aliiſque malignis morbis ejuſdem radicis decoctum cum raſura Cornu Cervi utiliter propinatur, ubi alvi profluvium metuendum eſt. Eadem radix in ſanguine coagulato reſolvendo in illis commendatur qui ex alto deciderunt pulverata ad ʒj. in vino calido. Folior. ſuccus ad eadem valet. Ad ℥iij. propinatur,

℞. Radic. Caryophyllatæ exſiccatæ, & contuſæ, Raſur. Cornu Cervi ana ℥ß. Radicis Scorſonn. taleolatim conciſæ ℥j. Coquantur in aq. comm. ℔ijß. ad ℔ij. Detur pro potu ſolito in dyſenteriis, & morbis malignis alvi fluxu ſtipatis.

℞. Rad. Caryophyllatæ recentis & Acori veri ana ℥j. Infunde per noctem in vini generoſi ℔j. Sumat æger ad ℥iiij. quarta quaque hora in catarrho.

Folia contuſa carpis admota ante paroxyſmum febres intermittentes nonnumquam profligaverunt.

## CARVI.

CArvi, *Off.* Carvi, *Cæſalpini* 291. *Inſt. R. H.* 306. Cuminum pratenſe, Carvi Officinarum, *C. B. P.* 158. Caros, *J. B.* 3. 2. 69. Carum, *Dod. Pempt.* 299. Careum, *Fuſch. Ger*: vulgo, *Carvi*.

Radice eſt ſingulari, longa, pollicem craſſa, acri & aromatica, fibris nonnullis ſtipata: caulibus cubitalibus & ſeſquicubitalibus, ſtriatis, glabris, ramoſis frondibus partim e radice partim ex ramulorum alis enatis, compoſitis ex longo carinato pediculo, ſed anguſto & foliis conjugatis tenuiſſime inciſis, nitidis & obſcure virentibus. Flores in umbellis naſcuntur parvi, odorati,

rosacei, e quinque petalis cordiformibus, inæqualibus, & nonnihil ad fissuras crispis, in orbem positis, & calyci viridi insidentibus, staminibus tenuissimis, albicantibus, & apicibus virentibus constantes. Calyx mutatur in fructum ex duobus seminibus compositum exiguis, longiusculis, hinc gibbis, & striatis, inde vero planis, subnigricantibus, acribus, aromaticis. Nascitur in pratis circa Parisios, tum & in Alpibus, & Pyrenæis. Semen in usum venit, nonnunquam etiam radix.

Analysi chymica, semen Carvi plurimum exhibet olei tum essentialis, tum empyreumatici crassi, nec mediocrem portionem humoris tum acidi, tum volatilis urinosi. Oleum essentiale acre, aromaticum, & exurens paratur ex semine cum aquæ magna copia distillato.

Semen Carvi passim in Germania, Batavia, & Anglia usitatissimum est: nam cum panibus quos biscoctos vocant, pinsitur, & caseis adjicitur, jusculis, placentis, aliisque ferculis incoquitur, & Saccharo obducitur.

Stomachicum, & diureticum dicitur. Inter quatuor semina calida majora recensetur, quæ sunt Anisi, Fœniculi, Carvi, & Cumini semina. Minora vero sunt semina Ammeos, Amomi, Apii, & Dauci. Humores crassos ac tenaces incidit, flatus discutit, colicos dolores sedat, ciborum concoctionem juvat, urinas promovet, & menses. Sed actuosis suis partibus, oleosis, & acribus æstum accendit in sanguine, & ardorem invehit in partibus, & eas ad inflammationem disponit. Quapropter hæc oleosa, aromatica, & acria remedia prorsus evitanda sunt ubi adest in visceribus ardor, & inflammatio. Semen pulveratum a ℈j. ad ʒj. usurpatur, vel infusum ʒj. in vino aut vehiculo idoneo. Ejus oleum essentiale a gutt. iij. ad vj. præscribitur, cum Saccharo.

Radix dum adhuc tenera est non minus efficax censetur quam semen. In apozematis, & enematibus carminantibus nonnunquam præscribuntur.

℞. Sem. Carv. pulver. ℈j. Sacchar. alb. ʒij. cum vini generosi ℥iiij. Sumat æger in colica flatulenta.

℞. Olei essential. Carv. gutt. v. Sumat ex aqua Menthæ vel vino.

Externe in colicis doloribus fomenta abdomini admoventur ex seminum, & radicum decocto; vel oleo essentiali Carvi cum oleo Amygdalar. amarar. vel oleo Absinth. permixto abdominis regio utiliter inungitur.

℞. Rad. Carvi, Acori veri, & althææ ana ℥j. Folior. Malvæ, Calamenth. Puleg. Majoran. & summ. Anethi ana M. j. Flor. Chamæmeli, & Melilot. ana P. j. Semin. Carv. & Cumin. ana ℥ß. Fiat decoct. in aq. comm. addendo sub finem vini albi ℥vj. Colatura foveatur abdomen, & ventriculi regio ad emolliendum, & discutiendum in colicis doloribus aliisque morbis a flatu.

Semen Carvi usurpatur in Electuar. de Baccis Lauri, El. Micleta, & Benedicta laxativa *Pharm. Reg. Charas*, necnon in Clareto vulgo dicto *Rossolis des six graines*, quod sic conficitur.

℞. Semin. Anisi, Fœniculi, Anethi, Coriandr. Carvi, & Dauci ana ʒj. Contusa macerentur ad Solem in vase vitreo clausa per tres hebdomadas cum sp. vini ℔iij. Fiat colatura cui adde syrupi præparati ex Sacchari albissimi ℔j. cum s. q. aq. Chamæmeli vel Menth. cris-

pæ.

pæ. Servetur ad usum. Dosis cochlear unum aut alterum ad cibor. concoctionem juvandam, dolores colicos flatulentos discutiendos, urinas provocandas, & menses ciendos.

## CARYOPHYLLUS.

CAryophyllus hortensis, Caryophyllea, Tunica, *Off.* Caryophyllus altilis major, *C. B. P.* 207. *Inst. R. H.* 330. Betonica coronaria sive Caryophyllus major flore vario, *J. B.* 3. 327. Caryophyllus multiplex, *Lob. Icon.* 441. Caryophyllea, *Trag.* 574. Herba Tunica, *Quibusdam*, Cantabrica, *Turneri*: Viola flammea, *Scaligeri*: vulgo, *Oeillet*.

Radice est simplici, fibrosa: caulibus numerosis, lævibus, teretibus, cubitalibus, raro altioribus, geniculatis, nodosis, ramosis: foliis e singulis geniculis binis, angustis, gramineis, duris, per extremum acuminatis, cæsio quasi vel glauco colore. Flores in summis caulibus nascuntur Caryophyllei seu plurimis constantes petalis, coloris diversi, coccinei, nigricantis, carnei, candidi vel variegati, in orbem positis, quinis, senis aut pluribus, lente fimbriatis, odore Caryophyllos aromaticos suaviter referentibus, staminibus, & apicibus candidis, in medio emicantibus, pistilloque in duo vel tria filamenta recurva desinente, ex calyce cylindraceo, membranaceo, ad exortum squammato, in summo denticulato, emergentibus. Pistillum autem abit deinde in fructum cylindraceum, apice dehiscentem, calyce ipso involutum, seminibus fœtum parvis, planis & quasi foliaceis, rugosis, per maturitatem nigris, placentæ affixis. Varia sunt horum florum genera magnitudine, colore, & petalorum numero differentia: quæ quidem varietates a diversa cultura emergunt. Coluntur in hortis ob florum elegantiam, & odoris suavitatem. Seruntur frequentius avulsis exiguis cum foliis surculis, seminibus rarius; nam e semine nati flores ad agrestem naturam redeunt, minores minusque odorati, & simplices, etiamsi prius multiplices, redduntur. Usus est florum. Coccinei, & odorati cœteris anteponuntur.

Analysi chymica, florum a calycibus separatorum ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris limpidi, odore, & sapore Caryophyllos aromaticos referentis, obscure acidi ℥ix. ʒij. gr. xij. humoris primo odorati, subacidi, deinde empyreumatici, manifeste acidi, & austeri ℔iij ℥viij. gr. xxxvj. humoris rufescentis, sale volatili urinoso impraegnati ℥j. ʒvj. gr. xlij. olei spissi ad instar extracti ℥ij. ʒiij. gr. liiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥v. ʒiiij. gr. xlviij. quæ per decem horas calcinata reliquit cinerum nigricantium ℥j. ʒvij. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒv. gr. xxxvj. lixivio extracta fuerunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gran. xxiiii. in calcinatione ℥iij. ʒiiij. gr. xlij.

Caryophylli flores non mediocrem olei tenuis, & subtilis portionem continent ut ex eorum odore fragranti conjicere licet, multum olei densi, & rarescentiæ capacis, & salem tartareum ammoniacalem. Copioso suo sulphure acres sanguinis sales involvunt ac demulcent. In omnibus capitis, & cordis affectionibus commendantur, sed præsertim in morbis malignis, & pestilentialibus. Nonnulli succum totius plantæ vel etiam

radicum ut alexipharmacum commendant. Verum solus flos hac virtute donatus videtur, nec quidem tota substantia, sed solum infusum vel decoctum quod C. Hoffmannus præsertim commendat. Simon Paulli testatur, innumeros solo decocto florum a febribus malignis liberavisse, & asserit hoc decoctum sudores, & urinas potenter provocare citra magnos naturæ motus, cor simul corroborare sitimque sedare.

Ex his floribus syrupus, conditum, acetum in officinis præparata servantur, & aqua distillatur odorata. Syrupus in julapiis ac potionibus cardiacis frequenter usurpatur ad ℥j. vel ℥ij. conditum ab ℥ß. ad ℥jß. in electuariis cephalicis, cardiacis, & antispasmodicis. Aqua distillata ad sudores proliciendos aut exanthematum eruptionem promovendam utilis censetur. Flores in aceto macerati illud colore rubro, odore suavi, sapore grato, & virtute cardiaca insigniunt. Tempore pestilentiæ ad contagium arcendum lintea hoc aceto Caryophyllato madefacta gestanda, & identidem olfacienda sunt, nec non etiam illius aceti cochlear unum aut alterum mane utiliter assumitur ad contagium præcavendum.

## CASTANEA.

CAstaneæ arboris duæ sunt species in Officinis, altera sativa, sylvestris altera.

Castanea sativa, *Off.* Castanea sativa, *C. B. P.* 418. *Inst. R. H.* 584. Castanea, *J. B.* 1. 121. Castaneæ majores, *Lugd.* 31. vulgo, *Marronier*.

Arbor est magna, procera, ramosa, surculosa, tantæ nonnumquam amplitudinis ut truncum ejus tres homines vix complecti potuerint: ligni materie solida, durabili, non obnoxia putredini, & in igne multum crepitante, cortice lævi, maculoso, subnigro aut ad cinereum vergente. Folia gerit ampla, uncias duas plus minus lata, quatuor aut quinque longa, tenuja, aspera, rugosa, ambitu incisa, transversis multis venis in dorso eminentibus a media insigni costa extensis. Flores e ramulis dependent amentacei, plurimis staminibus e calyce quinquefolio viridi surgentibus cum luteis apicibus constantes, tenui capillamento seu axi affixis, steriles. Fructus echinati, pungentes, erinaceis similes, in eadem arbore a floribus separati nascuntur subrotundi, quadrifariam dehiscentes, intus villosi, in quibus continentur binæ aut ternæ Castaneæ, alias uncia, unciales circiter, subrotundæ, ex lata basi veluti in acumen desinentes, ab uno latere planæ, ab altero plerumque gibbosæ, cortice exterius obductæ veluti coriaceo, duro ac lento, exterius spadiceo ac lævi, excepta basi scabriore & subcinerea qua parte adhæsit, interne incana, lanugine molli pubescente, cui subjacet alia tenuior membrana rufa, crispa, fragilis, amaricans & adstringens, nucleum seu medullam continens albam, solidam ac duram satis, sed dulcem, & gratam palato, præsertim si cocta fuerit. Maturo fructu echinati cortices sponte dehiscunt & Castaneas maturas dimittunt. In Galliæ meridionalis provinciis colitur. Materies arboris ædificiis atque aliis domesticis utensilibus admodum apta est. Castaneæ in cibos veniunt.

Casta-

Castanea, *Off.* Castanea sylvestris quæ peculiariter Castanea, *C. B. P.* 419. *Inst. R. H.* 584. Castanea, *Dod. Pempt.* 814. vulgo, *Chataignier.*

Magnitudine tantum a priori differt ratione culturæ. Fructus enim & cœteræ arboris partes minores sunt. In agro Parisiensi sponte nascens reperitur.

Analysi chymica, ex Castanearum sativarum decorticatarum ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere insipidi, sub finem obscure acidi ℥xij. ʒiij. humoris subacidi & austeri ℔j. ℥xv. ʒij. gr. xxiiij. humoris fusci, empyreumatici, intense acidi, austeri ℥ij. ʒiiij. gr. xlviij. humoris fusci, empyreumatici, intense acidi, subsalsi ℥ix. olei ℥ij. ʒij. gr. xlvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥x. ʒiij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ex quibus salis fixi mere alcali ʒv. gr. xx. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥xj. ʒvij. gr. vj. in calcinatione ℥ix. ʒiiij.

Castanearum medulla dulcis est, aliquantisper styptica, & chartam cœruleam rubro colore tingit: unde liquet abundare sale essentiali aluminoso multo sulphure involuto.

Castaneæ gentium multarum apud nos opes sunt: adjuvant in primis rem escariam. Integræ vel in aqua coquuntur, vel igne torrentur, idque duobus modis, vel in sartagine aut perforata patina ad ignis flammam, vel sub prunis & cineribus candentibus. Prius tamen quam cineribus aut igni credantur, cultello obiter vulnerari debent, ut e plagæ hiatu flatus igne citatus evadat: alioqui ubi flagrantes incaluerint, humore intus contento rariore facto, magno cum strepitu prosilient non sine adstantium periculo: & insuper æquabilius torrentur. A nonnullis posterior coquendi modus præfertur: nam in sartagine tostæ partim comburuntur, aut aliquid fuliginosi empyreumatis contrahunt. Apud lautiores Castaneæ sub cineribus tostæ & decorticatæ cum succo Aurantiorum vel Limonum & tantillo Sacchari mensis secundis inferuntur. In Gallia Lugdunenses prædicantur amplitudine & saporis suavitate commendatissimæ, non solum quæ in agro Lugdunensi nascuntur, sed etiam quæ ex Delphinatu, ubi maximus est earum proventus, a negotiatoribus Lugdunum devehuntur, unde in alios tractus deinde comportantur.

Multis populis pro pane Castaneæ sunt, præcipue Petrogoriis, Lemovicensibus & Gebennicorum montium incolis. Sic autem illas parare solent. Primum ut diutius servari possint spoliantur lento cortice coriaceo qui sub echinato calyce primo subest, deinde proxima corpori membrana, quæ infestat saporem, detrahitur: mox ut siccentur exacte, curant sedulo: nam cratibus sic delibratas imponunt, quas postea in caminis suspendunt, & siccatas in usus servant. Coquunt plerumque cum suilla in capaci cacabo: viceque pulmentarii ac panis jucundissime vescuntur.

Castaneæ quocumque modo paratæ flatulentæ sunt, difficile coquuntur: multum quidem præbent nutrimenti sed crassi, nec conveniunt nisi robustis & duris laboribus assuetis. Citra igitur satietatem comedendæ sunt: quippe valetudinem mire infestant si modus absit & potissimum eorum qui calculis renum, colicis doloribus, & viscerum infarctibus obnoxii sunt.

Adstringunt cum ipsæ nuces & præsertim crudæ, tum quoque membrana sub-

subrufescens quæ carnem ambit. Sistunt utique stomachi & ventris fluxiones, & sanguinem excreantibus prosunt. Earum farina cruda vel medulla cocta cum melle & sulphure subacta tussientibus & cruenta expuentibus utile præbent electuarium. Diarrhæis decoctum Castanearum vel earum cortex exsiccatus & pulveratus conferunt. Interior membrana rubens commendatur ad alvi profluvia & sanguinis rejectiones seu in aqua decocta & pota, seu in vino austero ʒij. pondere: quin etiam cum pari pondere eboris rasi alba fœminarum profluvia cohibet. Emulsio Castanearum & seminum Papaveris albi cum decocto Glycyrrhizæ extracta, confert iis, qui ardoribus urinæ laborant.

Externe cataplasma cum Castanearum medulla, farina Hordei & aceto mammis admotum earum duritiem resolvit & lac coagulatum dissolvit.

## CENTAURIUM.

DUæ in Officinis occurrunt plantæ Centaurii nomine insignitæ, genere tamen prorsus diversæ: Centaurium majus & Centaurium minus.

Centaurium majus, Centaurea major, Rhaponticum vulgare seu Pharmaceuticum, *Off.* Centaurium majus folio in plures lacinias diviso *C. B. P.* 177. *Inst. R. H.* 449. Centaurium majus Juglandis folio *J. B.* 3. 38. Centaurium magnum *Dodon. Pempt.* 334. Rhapontica quæ hodie Centaurea major *Tragi* 138. vulgo, *Grande Centauree* ou *Rhapontique vulgaire*.

Ex radice crassa, ponderosa, solida, tripedali, foris nigricante, intus rubescente, succo sanguineo prægnante, cum dulcedine & adstrictione nonnihil mordaci, caules edit rotundos, teretes, bicubitales aut tricubitales, ramosos cum multis adnatis; frondes gerit amplissimos in plures particulas divisos & in alæ formam dispositos, quorum folia oblonga, spithamam fere longa, tres vel quatuor uncias lata, Juglandis foliis fere similia, in ambitu serrata, nervosa, glabra, saturate virentia. Surculorum extrema capitula sustinent seu flores flosculosos, plurimis nempe flosculis constantes cœruleis, quinquifidis, embryoni insidentibus & calyce squammoso non aculeato comprehensis. Embryo autem abit deinde in semen oblongum, glabrum, Cnico fere simile & pappis instructum. In Alpibus sponte nascens reperitur, unde radix quæ usus est, affertur. In hortis colitur.

Analysi chymica, radicum recentium ℔v. præbuerunt humoris limpidi, saporis aliquantisper herbacei, obscure subsalsi ℥vij. ʒiij. humoris limpidi primo obscure acidi, deinde manifesti, ac tandem austeri ℔iij. ℥vij. ʒv. gr. xxiiij. humoris rufi, empyreumatici, tum acidi, tum urinosi & sale volatili urinoso imprægnati ℥iiij. ʒj. gr. xxiiij. olei adiposi aqua gravioris ℥j. ʒiij. gr. xij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥viij. ʒij. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒv. gr. xxiiij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. vj. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. gr. xlviij. in calcinatione ℥vj. ʒv. gr. xij.

Centaurii majoris radix cum quadam adstrictione ac dulcedine acri, sale donatur essentiali tartareo aliquantisper aluminoso cum olei crassi portione non mediocri, unde concretum exsurgit salinoresinosum.

Virtu-

Virtutes contrariæ huic radici tribuuntur, ob acrimoniam crassos humores incidit, viscerum obstructiones resolvit & menses movet: ratione adstrictionis profluvia sistit; prodest in hernia & exspuitione sanguinis. Ad vulnera recentia conglutinanda efficax admodum dicitur. Hepatis obstructiones reserat & hujus visceris tonum firmat ac roborat, unde hydropicis & ictericis auxiliatur tum vino macerata, vel aqua decocta, tum in pulvere pota. Ad ℥j. usurpatur in infusis aut decoctis vulnerariis, adstringentibus necnon etiam aperientibus. Pulvis ad ʒj. præscribitur in vino vel alio liquore idoneo.

Usurpatur in Pulvere antipodagrico *Principis Mirandolani.*

A nonnullis hæc radix pro Rhapontico vero sumitur, sed perperam, ut jam alibi diximus.

Centaurium minus, Centaurea, Fel Terræ *Off.* Centaurium minus *C. B. P.* 278. *Inst. R. H.* 122. *Dodon. Pemptad.* 336. Centaurium minus, flore purpureo *J. B.* 3. 353. Centaurea *Brunsfels*: Gentiana dydropica *Hoffm. Altorf.* vulgo, *Petite Centauree.*

Radice est parva, candida, lignosa, fibrata, insipida: caule spithameo, anguloso, ramoso: foliis aliis in terram sparsis, aliis in caule binis ex adverso positis, Hypericis forma, sed majora, glabra, nervosa, dilute virentia. Flores in summis ramulis velut in muscarium nascuntur monopetali, infundibuli forma, quinquepartiti & suave rubentes. Calyx florum e quinque foliis acutis constat, & pistillum, quod infimam floris partem perfodit, mutatur in fructum semiunciam longum, cylindraceum, membranaceum, bicapsularem, in duas carinas hiantem & semina fundentem minutissima. Folia & flores intenso amarore donantur. In agro Parisiensi sponte nascitur. Usus est herbæ cum floribus.

Analysi chymica, ex plantæ floridæ ℔v. demptis radicibus, prodierunt humoris limpidi, fere inodori, saporis acris, linguam pungentis, subacidi ℥xij. ʒvj. gr. xxxvj. humoris primo limpidi, acris, deinde rufescentis, minus acris, intense acidi, tandem odoris & saporis empyreumatici, intense acidi & austeri, ℔ij. ℥ix. gr. xxj. humoris fusci, odoris & saporis empyreumatici, fumum referentis, austeri, alcalini ac tandem sale volatili urinoso imprægnati ℥iij. ʒiij. gr. xlij. olei spissi ℥j. ʒv. gr. vj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥viij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiij. gr. liiij. ex quibus salis fixi alcali ʒiij. gr. xl. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥xij. ʒvij. gr. xxxix. in calcinatione ℥vj. ʒiiij. gr. xviij.

Centaurii minoris folia & flores insigni amarore donantur, chartam cœruleam intenso rubore tingunt: salem continere videntur essentialem Tartaro vitriolato haud absimilem cum ammoniacali consociatum & multo oleo acri & crasso conjunctum.

Centaurii minoris summitates floridæ, ratione salis digestivi quo donantur, viscidos humores potentissime incidunt & obstructiones viscerum reserant. Hinc in affectionibus chronicis & febribus intermittentibus plurimum valent. Ratione olei tenuioris & acris sanguinem in vasis infimi ventris expandunt & fermentant: hæmorrhoidales venas aperiunt & menses provocant. Summitates floridæ ad pugillum unum aut alterum in vino macerantur, vel in aqua Card. Benedict. decoquuntur pro

haustu. Pulvis earumdem exsiccatarum ad ʒj. præscribitur, & conditum ad ℥ß.

Rulandus, referente Ettmullero, febres intermittentes fere omnes, præmisso vomitu, solo ejus florum, vel etiam herbæ decocto curabat: in chronicis vero radicem Asari cum Centaurio minori consociabat. In ictero & mensium suppressione utiliter exhibetur. Centaurium minus ad suppressum hæmorrhoidum fluxum revocandum tum interno usu tum externa affrictione conducit. Ventriculum roborat, ciborum concoctionem juvat, vermes enecat. A Palmario in morbis contagiosis, veluti specificum laudatur: si pulveris Centaurii minoris ʒj. in vino vel aqua Cardui benedicti hauriatur, sudorem moderate provocat.

Licet stirpes nostrates cum veterum plantis comparare nolim, non possum tamen quin hic obiter dicam, veteres tanti fecisse Centaurium minus ut inter opera Galeno adscripta, integer libellus reperiatur *de virtute Centaureæ* inscriptus, in quo Simon Paulli duo observavit notatu digna; primum scilicet veteres aut saltem auctorem illius libri extracta conficiendi modum non ignoravisse, quippe qui Centaurii extractum præparandi modum accuratissimum proponit: alterum quod ingens præsidium idem collocet in hac planta tanquam specifica in curandis canis rabidi aliorumque venenatorum animalium morsibus. Hac ratione Julianus Palmarius illud usurpat in præparatione insignis sui pulveris contra rabiem, quem adeo probatum esse dicit, ut nullum umquam animal hoc usum se vidisse scribat, quod non atrocis morbi periculum evitarit quacumque uteretur victus ratione, illæsis tamen capitis partibus quæ dentes superant: his enim vulneratis exigua spes est, ut & vulnerata parte statim a morsu frigida elota annotante eodem Palmario. Hæc est illius pulveris præparandi ratio.

♃. Foliorum Rutæ, Verbenæ, Salviæ minoris, Plantaginis, foliorum Polypodii, Absinthii vulgaris, Menthæ, Artemisiæ, Melissophylli, Betonicæ, Hyperici, & Centaurii minoris, p. æq. Legantur singula quo tempore viribus pollent maximis, id est circa Junii plenilunium, & cœlo sereno. Papyraceis dein chartis conclusa siccentur seorsim in loco ad quem neque sol, neque pluvia pertingat, ne vel nimium exarescant, vel situm contrahant. Siccata ad futuros usus asserventur ea lege ut quotannis renoventur.

Cum autem utendi necessitas incidet, singulorum æquale pondus in pulverem tenuissimum redigatur, qui a ʒß. ad ʒj. demorsis quotidie exhibeatur, idque ex cochleari cum duplo Sacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex jusculo, vel ex butyro aut melle electuarii forma jejuno stomacho tribus horis ante cibum. Quamquam autem ʒß. aut ʒij. satis sint tum homini tum omni animali quantumvis crudeliter sauciato; nihil tamen obfuerit ad tres quatuorve processisse, cum præsertim vel longo post morsum tempore, vel jam nata etiam hydrophobia curationem aggredimur. Nonnulli hujus pulveris ʒj. cum pulveris Viperarum ʒß. in vini albi generosi haustu quotidie propinant per novem, nonnunquam etiam per quindecim dies. Interim vulnus non aqua frigida lotum, sed siccis linteis aut spongia exsiccatum vino aut hydromelite in quo supradicti pulveris ʒß. soluta sit bis terve quotidie fovetur. Deinde unguentum aut emplastrum inducitur quale aliis vulneribus ex usu est.

Ferne-

Fernelius ad ischiadicum dolorem Centuarii minoris decoctum per clysterem infusum plurimum commendat.

Confert quoque Centaurium minus glutinandis vulneribus recentibus, & ulceribus inveteratis, quæ abstergendo siccandoque glutinat & carne replet. Contra furfures, & crustosam capitis scabiem vix præstantius ullum decoctum S. Paulli reperiri asserit quam Centaurii minoris ex Pisorum brodio paratum. Illo enim decocto si lavetur caput, insigniter furfures & scabiem detergit, imo una myriades pediculorum enecat.

Sal ex ejus cineribus extrahitur qui tertianam fugare dicitur & menses suppressos restituere. Ad ʒß. exhibetur.

Aqua arte distillatoria ex Centaurio parata in usum venit, sed exiguæ virtutis est. Usurpatur in Theriaca *Andromachi*, aceto theriacali, syrupo de Arthemisia, Pulvere *Comitis Mirandolæ* antiarthritico, decocto amaro *Ph. Londinens.* & mixtum reperitur cum cœteris plantis vulnerariis quæ ex Helvetia sub *Faltran* titulo advehuntur.

## CEPA.

Separum diversæ sunt species ratione coloris, magnitudinis, formæ &c. quarum usitatæ sunt, Cepa vulgaris candida & rubra, Cepa Ascalonica, & Cepa fissilis.

Cepa vulgaris candida vel rubra, *Off.* Cepa vulgaris floribus & tunicis candidis vel purpurascentibus *C. B. P.* 71. *Inst. R. H.* 382. Cepæ sive Cepa rotunda, alba vel rubra *J. B.* 2. 547. vulgo *Oignon.*

Radice nititur bulbosa, ex variis tunicis contexta, interioribus carnosis, exterioribus membranaceis, modo rubra, modo alba, interdum orbiculari, alias oblonga, alias depressa, pendulis ab imo fibris albis, subtili & acerrimo turgida succo oculos mordicando lacrymas eliciente: ex qua folia assurgunt longa, pedalia, fistulosa, teretia & acuminata, acri sapore, & caulis nudus, rectus, duorum triumve cubitorum alitudine, circa medium in ventrem utrinque turbinatum turgescens, qui glomeratum in summo fastigio gestat florum caput pugni magnitudine. Flores liliacei sunt ex petalis sex compositi, quorum meditullium occupant stamina sex & pistillum, quod deinde abit in fructum subrotundum in tria loculamenta divisum seminibusque fœtum subrotundis, angulosis, atris. Ab omnibus aliis bulbosis differt quod ejus radix nullam omnino sobolem edat, unde & Unio latinis dicta est olim, referente Columella. Unde forte gallicum *Oignon.* In hortis olitoriis ad usum culinarium colitur. Radix usus est.

Analysi chymica, Ceparum albarum a tunicis membranaceis mundatarum ℔v. per B. V. distillatæ præbuerunt humoris limpidi, fere insipidi, odore Cepas referentis, obscure salsi ℔j. ℥xij. ʒvij. humoris limpidi, obscure acidi, ℔ij. ℥vij. ʒv. gran. xlviij. Massa residua per retortam distillata præbuit humoris rufi, subsalsi, & obscure austeri ℥iij. ʒij. humoris rufescentis, obscure acidi, & alcali urinoso imprægnati ʒiiij. gran. vj. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gran. xxxvj. olei adiposi ʒiij. Massa nigra

nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. ʒij. quæ per duodecim horas calcinata reliquit cinerum fuscorum ʒij. gr. lxiiij. ex quibus salis fixi salsi ʒj. gr. viij. extracta sunt.

Cœpæ rubræ minorem salis volatilis & olei quantitatem præbuerunt; scilicet gr. xxxvj. & olei ʒijß.

Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒvj. gr. liiij. in calcinatione ℥ij. ʒvij. gr. viij.

Cœpa itaque salem continet ammoniacalem cum olei crassi portione mediocri, & spiritu quodam oleoso essentiali tenuj, & acerrimo conjunctum.

Cœpæ ad escarum condimenta frequenter hodie in culinis usurpantur. Nonnulli eas devorant crudas: Delicatiores tamen coctis magis delectantur, quia non adeo fœtidum spirant odorem.

Coctæ enim asperum & acrem saporem amittunt. Appetitum languentem excitant, palatum irritant, & conducunt stomacho frigidis, crassis, glutinosisque humoribus referto: hos enim coquunt, incidunt, attenuant, atque detergunt, urinas & menses movent, sed nil aut parum nutrimenti suppeditant: succi sunt pravi, flatus gignunt, largiori esu capitis dolores invehunt, somnia efficiunt turbulenta, halitibus multis & acribus caput implendo quibus nervosæ cerebri membranæ commoventur, sitim pariunt, alvum faciunt lubricam acredine sua intestinorum membranas vellicando. Oculis nocere dicuntur, & animi functionibus obesse intus sumptæ. Venerem irritant, sanguinem inflammant & biliosis nocent.

Cœpæ cum melle coctæ asthmati & pulmonum affectionibus a pituita crassa & lenta oriundis conveniunt. Succus bulbi & foliorum ad ℥vj. cum Saccharo epotus a nonnullis velut diureticum præstans commendatur in urinæ suppressione & hydrope. Adversus nephritidem Cœpa alba taleolatim secta in vini albi ℥viij. per noctem maceratur, infusum mane percolatum propinatur, jejuno ventriculo, quod per tres mensis lunaris ultimos dies iteratum a D. Chomel Med. Parisiensi tanquam comprobatum remedium prædicatur.

Cœpa non secus ac Allium rusticorum est Theriaca, & Prophylactica existimatur in peste & morbis contagiosis mane comesta. Quidam Cœpam excavatam Theriaca replent, sub cineribus coquunt, & comedendam præbent peste correptis, vel ejus succum propinant ut remedium antipestilens, & diaphoreticum. Eadem simili modo cocta, tusa, & cataplasmatis ritu imposita pestilentes bubones efficacissime attrahit, emollit, & aperit. Nonnulli Cœpam in aquæ pauco coctam, & cum porcino adipe non salso contusam & Theriacæ ʒij. ad bubonem pestilentem potenter attrahendum supra partem affectam imponunt, & mane ac vesperi illud cathaplasma renovare solent.

Fernelius Cœpas cum sale contusas parti impositas ambustæ sanare scribit. Easdem quoque Ambrosius Paræus mirecommendat, modo ne Epidermide pars sit spoliata vel ulcerata. Cœpæ contusæ ad Alopeciam ab omnibus prædicantur, unde Schola Salernitana canit:

*Contritis Cœpis loca denudata capillis*
*Sæpe fricans poteris capitis reparare decorem.*

Mane & vesperi caput iis confricetur dum prorsus rubescat & mox melle oblinatur vice cathaplasmatis.

Ad

Ad Cephalæam Cepa alba per medium incisa & in spiritu vini macerata applicata supra partem dolentem valde prodest . Auditus difficultatem tollit succus Ceparum cum æquali portione spiritus vini mixtus & ad aliquot guttas auribus instillatus.

Cepæ contusæ plantis pedum admotæ œdematosos pedum tumores tollunt urinas promovendo , ventri vero applicatæ ascitidi , necnon & leucophlegmatiæ medentur. Cepæ contusæ & in catahplasmatis formam redactæ a Riverio commendantur ad urinæ suppressionem . Vel etiam placenta ex Cepis minutim concisis , cum ovis agitatis , in axungia porcina frixis calide applicetur parti dolenti ; si urinæ suppressio sit renalis , renibus ; si vesicalis , regioni pubis ; necnon etiam perinæo admoveatur.

Cepa alba sub cineribus assata & cum butyro insalso in cathaplasmatis formam redacta hæmorroidum dolorem sedat & tumorem discutit, narrante Riverio . Suppositoria ex Cepa parata hæmorrhoides aperiunt.

Cepa Ascalonica & Ascalonia *Obsoniorum* : Cepa Ascalonica *Matthiol.* 556. *Inst. R. H.* 382. Cepa Ascalonica sive fissilis *J. B.* 2. 551. vulgo : *Echalottes*.

Plures simul conjunctos bullos nuce avellana paulo majores , ab uno radicum fibrosarum cespite prodeuntes habet, sapore Cepæ vulgaris admodum acri , haud tamen ingrato , ex quibus folia exeunt tenuia , fistulosa , teretia , glabra , eodem sapore prædita. Seritur in hortis olitoriis ad ciborum condimenta.

Analysi chymica , bulborum recentium a tunicis mundatorum per retortam distillatorum ℔v. præbuerunt humoris limpidi , odoris sapidi , obscure alcali , obscure salsi , ac tandem subacidi ℔j. ℥iij. ʒj. humoris primo limpidi , deinde rufescentis , ejusdem odoris & saporis , acidi & subausteri ℔ij. ℥xiij. ʒv. gr. vj. humoris rufi , sale volatili copioso imprægnati ℥ij. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gr. xxxvj. olei spissi ad instar extracti ʒv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒvj. gr. xlviij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. gr. lx. ex quibus lixivio salis fixi parum alcalici ʒiiij. extractæ sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒv. gr. liiij. in calcinatione ℥vj. ʒiiij. gr. lx.

Cepæ Ascalonicæ salem ammoniacalem continent oleo crasso conjunctum & cum spiritu quodam acri tenui conjunctum . Major terræ copia in illis quam in Cepa vulgari reperitur.

Eadem præstare dicuntur quæ cœtera Ceparum genera . Cibi appetentiam excitant . Ab illis qui sitim quærunt summe prædicantur . Vermes intestinorum earum esu necari vulgo creditur . At iisdem ac Cepæ vitiis obnoxiæ sunt.

Cepula & Cepa fissilis *Obsoniorum* : Cepa fissilis *Matthioli Lugd.* 1539. *I. R. H.* 382. vulgo ; *Ciboule*.

Facie tota Ascalonicam refert , nisi quod omnibus suis partibus major spectatur . Bulbi plures ab una tantum radicum coma oriuntur longa tenuique cervice nitentes , Ascaloniæ modo , sed acredine differentes. In hortis olitoriis seritur.

Analysi chymica , ex Cepularum recentium per retortam distillatarum ℔v. prodierunt humoris limpidi primo plantæ contusæ odorem & saporem referentis , deinde saporis & odoris debilioris , obscure salsi , obscure acidi & ob-

& obſcure urinoſi ℔iij. ʒvj. gr.xij. humoris limpidi ejuſdem odoris & ſaporis debilis,deinde manifeſte acidi, ac tandem auſteri ℔j.℥xj.ʒiiij. humoris rufeſcentis empyreumatici, ſale volatili urinoſo copioſo ſimprægnati & obſcure acidi ʒv. gr. ix. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gr. xij olei adipoſi ʒvj. gr. l. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥j. ʒiij. gr. xlviij. quæ calcinata reliquit cinerum ʒvij. gr. xviij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒij. gran. xxviij. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ʒv. gr. xiij. in calcinatione ʒiiij. gr. xxx.

Cepula ſale ammoniacali & tenuj ſpiritu donatur.

Ea omnia poteſt, quæ cœtera Ceparum genera. Folia minutim inciſa pro olere uſurpantur.

Cruda Acetariis admiſcentur ad ſaporem acutum communicandum; item ſalitis piſcibus & carnibus bubulis. Cocta vero placent in aliis eſculentis ut ovis frixis. In ventriculo difficile coquuntur, & comedentibus tædium eſt ex eorum halitu & ructibus ingratis quos pariunt.

## CERASUS.

PLurimæ ſunt arborum, quæ Ceraſia vel Ceraſa proferunt, varietates ex fructus potiſſimum forma, colore, & ſapore & magnitudine deſumptæ. Aliæ tamen ſativæ ſunt, aliæ ſylveſtres, quæ etiam ratione habitus totius arboris aliquantiſper variant. Diſtinguuntur pomi figura turbinatiore, longiore, rotundiore, cordis etiam figura, alia pediculo longiore, alia breviore, ſingulis vel pluribus una coeuntibus. Diſtinguuntur etiam colore albo, ſed rarius, partim rubro, partim candicante, quædam pallide rubente, quædam plane cereo, alia rubro, rufeſcente, nigricante, nigro, & quædam etiam nigerrimo & ſucco ſanguineo labia & manus inficiente. Diſtinguuntur quoque ſapore dulci, acido, auſtero, & ex dulci acido admixto: nonnulla amaritudinis quid retinent; alia nimia ſua dulcedine faſtidium pariunt; alia ob nimium acorem reſpuuntur; alia ob aquei ſucci redundantiam inſipida ſunt: ſimiliter alia carne ſunt prædura, alia carne molliore & teneriore ſive aquoſa conſtant, & in quibuſdam caro pertinacius adhæret nucleo qui in aliis fragilior & medulla non inſuavi eſt.

Ex his apud nos potiſſimum veniunt in uſum Ceraſa acida & vulgaria, *les Ceriſes ordinaires*; Ceraſa ſativa majora Agriotta nonnullis, *les Griottes*; Ceraſa duracena, *les Bigarreaux*; Ceraſa aquea, *les Guignes*; Ceraſa nigra, *les Meriſes* ou *Ceriſes noires*.

Ceraſia acida & vulgaria fructus ſunt arboris, quæ dicitur Ceraſus ſativa, fructu rotundo, rubro & acido *Inſt. R. H.* 625. Ceraſa ſativa, rotunda, rubra & acida, quæ noſtris Ceraſa ſativa *C. B. P.* 449. Ceraſia ſativa *Tab. Icon.* 985. vulgo, *Ceriſier*.

Arbor eſt haud procera nec recta, multis brachiata ramis fragilibus, caudice mediocriter craſſo, cortice e puniceo nigricante, ligni materie intus ſubnigricante, ad circumferentiam ſubalbida: foliis magnis, oblongis, venoſis, ambitu crenatis, cœteris ſpeciebus minoribus magiſque rotundis. Flores profert

fert rosaceos, plurimis scilicet petalis albidis in orbem positis & aliquot staminibus concoloribus mediis constantes, ex quorum calyce in quinque segmenta recurva diviso surgit pistillum quod abit in fructum longis & tenuibus pediculis adhærentem, subrotundum, carnosum, carne non admodum dura vel compacta, sed succosa, sapore dum bene maturuit grato, non nimium acido sed quodammodo vinoso: in carnis meditullio ossiculum continetur lignosum, durum, cum nucleo amaricante haud ingrato. Gummi ex se fundit lucidum, flavescens, insipidum & inodorum. In hortis colitur & magna est harumce arborum copia in valle *Montmorency*.

*Analysi* chymica, ex carnis Cerasorum maturorum ab officulis separatæ ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis expertis, obscure subsalsi ℔j. gr. xxiiij. humoris limpidi, sapore aliquantisper subamaricantis, nucleorum Cerasi contusorum amarorem leviter referentis, obscure subacidi ℔j. ℥iiij. ʒvij. gr. xxxvj. humoris primo subacidi, subausteri, deinde manifeste acidi, subausteri & amaricantis ℔j. ℥ij. ʒvj. gr. xxx. humoris rufescentis, acidi & salsi ℥j. ʒij. olei spissi ad instar syrupi ʒij. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ʒiiij. gr. xlij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒj. gr. lvj. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒiiij. gr. liiij. in calcinatione ℥iij. ʒiij. gr. lxvj.

Liquor ex Cerasis expressus & rite fermentatus vinosum præbet liquorem non ingratum, licet non admodum spirituosum ob magnam phlegmatis copiam quo salia & sulphura diluuntur.

Cerasa sativa majora, Agriotta nonnullis, fructus sunt arboris quæ dicitur, Cerasus sativa fructu majore *Inst. R. H.* 625. Cerasa sativa majora *C. B. P.* 449. Cerasa acida rubella *J. B.* 1. 221. Cerasia hispanica *Tabern. Icon.* 984. vulgo, *Griottier.*

Arbor est priori haud dissimilis, humilior multo, quarum & minimæ atque ideo paucorum annorum fructum ferre consueverunt. Fructus brevi pendet pediculo, & quam reliquorum fere crassiore. In hortis, pomariis & campis colitur.

Cerasa inter fructus horarios maxime commendantur. Acida corpori succum alibilem tenuem sed laudabilem suppeditant, sitim sedans, humorem biliosum fervidiorem contemperant & jecoris infarctus tollunt. Febricitantibus utilia censentur & dicitur vulgo febres apud plebem desinere statim atque Cerasa matura fiunt. Bene matura recentia ventrem subducunt, viridia diarrhæas excitant, siccata vero sistunt.

Cerasorum succus aqua dilutus & saccharo edulcatus potum præbet diebus æstivis refrigerantem & stomacho gratum & febricitantibus utilem. Cerasa coquuntur ex aqua cum tantillo sacchari: Et esca est non modo sanis perjucunda, sed etiam ægrotantibus & convalescentibus biliosis præsertim perutilis: sapore enim dulci & subacido languentem ventriculum excitat & ciborum appetentiam promovet. Majori vero sacchari copia condita, ut per longum tempus servari queant, secundas mensas subeunt & inter præstantissima dulciaria habentur: nec adeo facile in ventriculo debiliori corrumpuntur ut cruda, imo ventriculum roborant ac firmant.

Qui-

Quibus ventriculus debilior eſt, aut acidis ſcatet humoribus, qui diarrhæis obnoxii ſunt, ab his fructibus abſtinere debent, qui facillime aceſcunt & alvi profluvia provocant. Ceraſa acida ſole vel furno exſiccata febricitantibus maſticanda conceduntur ad ſitis ardorem extinguendam eorumque os refrigerandum. Eorumdem decoctum in hypochondriorum affectu ſummopere valere, imo hoc unico remedio complures convaluiſſe liquido aſſeverare non veretur Fernelius, *Conſil. 43. ad D. de Morigni*.

Ex Ceraſis potiones fermentatæ a nonnullis conficiuntur quæ vinum mentiuntur. Si cum carne nuclei contuſi fermenteſcant, vis lithontriptica his vinis tribuitur. Ex iiſdem vinis ſpiritus ardens diſtillationis ope extrahitur qui cum nucleis Ceraſorum contuſis maceratus blando ſuo amarore palato & ventriculo non eſt ingratus.

Nucleis Ceraſorum vis diuretica adſcribitur; unde utiles cenſentur in nephritide & urinæ ſuppreſſione, ad renes ab arenulis & mucagine liberandos. Ex his emulſiones præparantur. Quin etiam oleum ex his nucleis expreſſum contra eoſdem nephriticos affectus a quibuſdam commendatur.

Gummi ex arboribus diſtillans ad eadem valet quibus Gummi arabicum conducit, inſuper vi lithontriptica donatum cenſetur. At perperam hæc vis illi tribuitur, ſiquidem nullum adhuc medicamentum hac virtute donatum novimus. Revera urinæ ardores demulcere valet mucoſis ſuis partibus urinæ ſalia involvendo, & urinarias vias magis lubricas efficiendo, ſicque urinæ aut mucaginis aut arenularum excretionem faciliorem & feliciorem efficit.

Ceraſa Duracena fructus ſunt arboris quæ dicitur Ceraſus major, fructu magno cordato *Raii Hiſtor.* 1538. *Inſt. R. H.* 626. Ceraſa craſſa, carne dura *C. B. P.* 450. Ceraſa duracena, oblonga *J. B.* 2. 221. Ceraſia Pliniana *Tabern. Icon.* 985. vulgo, *Bigarotier*.

Hujus arboris folia majora ſunt quam Ceraſi vulgaris acidi, ad Caſtaneæ folia quodammodo accedentia, deorſum fere dependentia. Fructus magnus eſt, oblongus, ad cordis figuram aliquatenus accedens, carne dura ſolidaque, dulci, coloris ex albo rubelli, nucleo magno. Hæc arbor in hortis ſatis frequens eſt: variat fructus colore rubro, albo, nigricante.

Analyſi chymica, carnis Duracenorum a nucleis ſeparatæ ℔v. per retortam diſtillatæ, præbuerunt humoris, odoris & ſaporis expertis, obſcure ſalſi & obſcure alcali ℥iij. ʒvij. gr. xlij. humoris limpidi fere inſipidi & inodori, obſcure acidi ℔j. ℥viij. ʒiiij. humoris primo limpidi ſub finem rufeſcentis, manifeſte acidi, auſteri ℔ij. ℥viij. ʒij. gr. xij. humoris rufeſcentis, ſale volatili urinoſo imprægnati ℥ij. gr. xxxvj. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ʒij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iiij. ʒvj. quæ calcinata reliquit cinerum rufeſcentium ʒiij. gr. xlviij. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒij. gr. xxiiij. ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒj. gr. liiij. in calcinatione ℥iiij. ʒij. gr. xxiiij. Duracena itaque ſale tartareo multo oleo craſſo implicito donantur.

Duracena matura ut plurimum vermibus ſcatent & facile putreſcentia ſunt; in ventriculo difficile coquuntur, viſcidos humores & putrefactioni obnoxios in ventre generant, qui, cum per inteſtina tardius deſcendant, facile corrumpuntur & vermium generationem promovent: idcirco ab

illis

illis quorum ventriculus imbecillior est, quorum viscera glutinosis humoribus infarcta sunt, rejici debent.

Cerasa Aquea fructus sunt arboris quæ dicitur Cerasus fructu aquoso *Inst. R. H. 626.* Cerasa carne tenera & aquosa *C. B. P.* 450. Cerasia aquea *Tabern. Icon. 986.* vulgo, *Guignier.*

A priori tantum differunt fructu molliori, magis succoso & obscurius rubente.

Analysi chymica, minorem olei portionem quam Duracena suppeditant; unde liquet, sale essentiali tartareo donari multo phlegmate diluto.

Cerasa aquea non adeo ventriculum gravant ut Duracena & facilius digeruntur, sed facilius corrumpuntur quam acida Cerasa.

Cerasa Nigra fructus sunt arboris quæ nuncupatur Cerasus major ac sylvestris fructu subdulci, nigro colore inficiente *C. B. P.* 450. Cerasus sylvestris fructu nigro *J. B.* 1. 220. Cerasia nigra *Tabern. Icon. 986.* vulgo, *Merisier.*

Arbor est procera, caudice recto, cortice exteriori spadiceo aut cinereo, maculoso, lævi, interiori virenti, materie firma subrufa, foliis oblongis Pruni foliis longioribus, dense crenatis, splendidis, subamaris. Flores ex eadem quasi vagina plures simul juncti, ex pediculis tenuibus, longis, nonnihil rubentibus pendent cœterorum similes, quibus succedunt fructus rotundi fere, parvi, carne pauca, dulci, aliquantisper amaricante, haud ingrata, succo nigro colore inficiente.

Cerasa nigra in morbis capitis, epilepsia, apoplexia, paralysi peculiariter proficua censentur. Fructus recentes comedendi offeruntur: vel aqua ex his fructibus non fermentatis distillata exhibetur, vel etiam aqua spirituosa præparatur, sive recentes fructus cum nucleis contusos vino generoso irrorando & distillando, sive eorum succum expressum novis Cerasis contusis affundendo & rite fermentando donec vinosum saporem adipiscatur, & inde spiritum ardentem distillando. P. Joan. Faber in balbutie & aliis loquelæ vitiis os hoc spiritu sæpius lavari commendat. Ch. Keslerus *in sua Chymia c. de fructibus*, asserit, quemdam apoplecticum, qui loqui non poterat, spiritu Cerasorum hausto loquelam recuperavisse. J. Raius refert, Cerasorum nigrorum aquam stillatitiam valde celebrari, & in frequenti usu esse apud Anglicas Matronas ad motus convulsivos præcipue infantium. In febribus malignis ad motus convulsivos compescendos sæpe a Medicis apud Anglos præscribitur.

℞. Sp. Cerasor. nigrorum, aquæ flor. Tiliæ ana ℥iij. pulver. de Gutteta ʒß. M. F. potio. Sumat æger cochlear unum alterumve singulis bihoris. In convulsion. infantium, in epilepsia & paralysi.

Cerasa nigra usurpantur in aq. Cerasor. nigror. comp. *Ph. Bateanæ*, in aq. paralytica & apoplectica *Ph. Reg.*

## C E T E R A C H.

CEterach, Asplenium, Scolopendrium sive Scolopendria, *Offic.* Asplenium sive Ceterach *J. B.* 3. 749. Ceterach Officinarum *C. B. P.* 354. Asplenium *Dod. Pempt.* 468. vulgo, *Ceterac.*

Radicibus est capillaribus & nigricantibus, ex quibus plurima folia in orbem

orbem sparsa oriuntur tres uncias longa, semiunciam circiter lata, sinuata & undulata fere ad costam, superne glabra & viridia, inferne squammulis obducta inter quas erumpunt acervuli capsularum sphæricarum annulo elastica vi donato munitarum, cujus contractione rumpuntur, seminaque fundunt aurea minutissima. Delectatur maceriis & rupibus. In agro Parisiensi sponte nascitur.

Analysi chymica, ex Asplenii foliis plurimum educitur phlegmatis acidi & austeri, non mediocris olei & terræ portio, parum vero sdiritus urinosi. Saporem præbet herbaceum, mucaginosum, aliquantisper asperum seu adstringentem.

Itaque Asplenium mucagine sua humores acres demulcet, adstrictione vero partes roborat, viscerum tonum laxum firmat. Sic expectorationem promovet, cœterasque functiones in visceribus restituit. Unde Asplenium pectorale & aperiens habetur. In tussi, asthmate, ictero, liene tumido, urinæ suppressione conducit in vino maceratum vel in aqua aut jusculis decoctum. In liene tumido juvat præcipue, non quod splenem absumat ut quidam falso reputant unde Asplenium dici volunt, sed quod spleni ut cœteris obstructis visceribus ferat opem. In cruenta exspuitione & alvi fluxu creditur prodesse: sed debilior est illius adstrictio, unde his in affectionibus parum levaminis affert.

Tradit Matthiolus aurei illius pulveris qui invenitur in aversa foliorum parte ʒj. cum albi Succini farinæ ʒß. ex succo Portulacæ aut Plantaginis potam gonorrhæa laborantes mirifice juvare.

Schroderus refert Asplenii folia externe admota mundificare vulnera ac ulcera.

Cœterach cum cœteris plantis Capillaribus in decoctis & jusculis sæpius usurpatur.

Usurpatur quoque in syrupo Capillorum veneris, *Renaudæi*.

## CHÆROPHYLLUM.

Chærophyllum, Chærephyllon, Chærefolium, Cerefolium, & Gingidium, *Off.* Chærophyllum sativum *C. B. P.* 152. *Inst. R. H.* 314. Chærephyllon *J. B.* 3. *p.* 2. 75. Chærefolium *Dod. Pempt.* 700. Cerefolium *Matthiol*: Gingidium *Fuchs*: vulgo, *Cerfeuil*.

Radice est singulari, alba, fibrata, subacri: caule sesquicubitali, tereti, striato, inani, geniculis longius distantibus nodoso, glabro & ramoso: foliis Cicutæ similibus sed minoribus, tenujoribus & dilute rubentibus, pediculis sæpe rubentibus, nonnihil hirsutis, saporis & odoris aromatici. Flores summis ramis insident umbellatim digesti, rosacei, e quinque petalis albis, inæqualibus, cordatis, in orbem positis, totidemque staminulis albis compositi, cum calyce abeunte in duo semina oblonga, hinc gibba, inde plana, glabra, per maturitatem nigricantia, rostro aviculæ similia, sapore dulci aromatico. Crescit in hortis, in quibus seritur singulis mensibus ut tenerius sit.

Analysi chymica, ex Chærophylli foliorum & caulicor. ℔v. per B. V. distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore Chærophyllum referentis, subsalsi & obscure acidi ℔ij. ℥xj. humoris manifeste acidi, deinde austeri

ſteri ℔j. ℥vij. ʒvj. gr. lx. Maſſa reſidua in alambice exſiccata pendebat ℥xij. quæ per retortam diſtillata præbuit humoris rufi, epyreumatici, manifeſte acidi, ſubſalſi, auſteri, & obſcure alcali urinoſi ℥j. ʒv. gr. lviij. humoris, & fuſci, ſale alcali urinoſo copioſo imprægnati ʒiij. gr. xxiiij. ſalis volatilis urinoſi concreti gr. x. olei ſyrupi ad inſtar ſpiſſi ℥j. ʒvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iiij. ʒiij. gr. xxxvj. quæ per quindecim horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum leucoph. ℥j. ʒvij. gr. lx. ex quibus lixivio ſalis alcali fixi ʒvj. gr. xlvj. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillationibus fuit ℥iiij. ʒvj. gr. xxviij. in calcinatione ℥ij. ʒiij. gr. xlviij.

Chærophyllum recens odorem herbaceum tenuem ac blandum ſpargit, ſaporemque refert ſubacrem, aromaticum cum quadam adſtrictione; nec ingratum: exſiccatum ſuper prunas candentes projectum fulgurationes quaſdam nitroſas emittit: unde concludendum eſt, illud ſale eſſentiali ammoniacali nitroſo donari cum oleo ſubacri aromatico copioſo conjuncto.

Olus eſt familiare ſuaveolens, & ſapidum, ori proinde, & ventriculo gratum. Eſtur crudum cum aliis herbis in acetariis; diſſectum etiam brodiis incoquitur ſolum vel cum aliis oleribus, eaque palato gratiora reddit: ſed propter partium tenuitatem diuturnam coctionem ferre nequit. Incidit, attenuat, aperit, urinam movet, menſes evocat, calculos pellit, viſcerum obſtructiones recludit, cutaneis affectibus medetur, chronicis morbis opitulatur, grumos ſanguinis ex caſu vel ictu collectos egregie reſolvit, tum interne tum externe adhibitum. Succus ex herba recenti contuſa exprimitur, & levi ebullitione defœcatur: vel herba in vaſe fictili incluſa furni calentis calori exponitur, deinde ſuccus cum expreſſione extrahitur. Ad ℥iij. quatuorve propinatur reiterando ſi opus ſit tertia vel quarta quaque hora. Decoquitur etiam in aqua, & decoctum ad ℥v. vel vj. hauritur. A nonnullis infunditur in vino. Ejus ſuccum ſolum vel cum nitro defœcato, & ſyrupo de 5. radicibus aperientibus quarta quaque hora aſſidue ſumptum in qualibet hydropiſi maximei proficuum expertus ſum. Hydropicorum enim urinas fere ſuppreſſas reſtituit, turbidas, & fœculentas defœcat, ardentes, & igneas pallidiores reddit. Diureticum eſt blandum, nequaquam irritans, imo inflammationes compeſcens, & ſedans. Hoc ſi medicamento non curetur hydrops, vix alio ſanabitur modo. Idcicirco illud ſpecificum antihydropicum cenſeo. Obſervandum eſt tamen Chærophyllum ſale nitroſo donari; cujus ope ſuos effectus exerit, & iiſdem vitiis obnoxium eſſe, quæ in nitro deprehenduntur. Siquidem ex largo, & diuturniori illius uſu tuſſis excitatur; quapropter tuſſientibus non adeo convenit utrumque; nec cruenta exſpuentibus niſi cum cautione præſcribenda ſunt. In apozematibus aut juſculis carnium cum aliis herbis, Cancris fluviatilibus, ſalibus aut aliis medicamentis idoneis incoquitur, præſertim vere novo; humorum enim ferociam, & impetum compeſcit. Dolæus ſuccum Chærophylli aut ejus aquam diſtillatam terque ſuper novam plantam cohobatam ſæpius epotam tanquam ſpecificam contra vertiginem commendat. Idem ſuccus febres intermittentes ſæpe profligavit copioſo ſudore prolicito ad ℥vj. epotus paulo ante paroxiſmum, & a nonnullis in pleuritide ad ſudorem excitandum præſcribitur.

Extrinsecus in urinæ suppressione Simon Paulli usum Chærophylli, Parietariæ & Petroselini in butyro insulso simul frixorum, & pectini calide applicatorum proponit. Ettmullerus ejus decoctum ad dolores internos post partum sedandos, si ex retentione sanguinis grumosi oriantur, plurimum valere asserit. Idem decoctum solum vel cum tantillo aquæ vitæ inflammationes, & vitia cutis erysipelatosa demulcet, & mundat. Herba contusa hæmorrhoides cœcas sanat podici calide apposita.

♃. Chærophylli recenter collecti M. vj. carnis vitulinæ taleolatim sectæ ℔j. Stratum super stratum disponantur in olla fictili, addendo salis Prunell. ʒj. Olla operculo accurate obturata bulliat in cacabo aqua repleto per horas quatuor vel quinque. Tunc succus exprimatur, & ad ℥vj. propinetur quarta quaque hora in hydrope. Vel

♃. Succi Chærophylli defœcati ℥xij. Quo dilue Nitri puri ʒß. Syr. de 5. rad. aper. ℥ij. Dividatur in quatuor doses quarta quaque hora sumendas.

Aqua Chærophylli distillata servatur in Officinis.

## CHAMÆDRYS.

Chamædrys, *Off.* Chamædrys minor repens, *C. B. P.* 248. Chamædrys repens minor, *Dod. Pempt.* 43. Chamædryus vulgaris sive 2. *Clus. Hist.* 351. Trissago, Trixago, Quercula Calamandrina, *Germanor.* vulgo, *Germandrée, petit Chene, Chenette.*

Radicibus mire repit fibrosis in sylvosis, caules hinc inde spargens supinos, quadrangulos, ramosos, dodrantales, lanuginosos, in quibus folia bina ex adverso nascuntur læte virentia, semiunciam longa, duas aut tres lineas lata, basi angusta, a media parte ad extremam usque crenata, & amara, aliquantisper aromatica. In eorum alis flores nascuntur monopetali, labiati, purpurascentes, labio superiori carentes, cujus loco stamina gerunt incurva cum pistillo bicorni. Labium inferius præter cervicem in duas appendices acutas abeuntem trilobatum est. Calyx monotomos, cytiniformis, & quinquifidus quaterna semina subrotunda continet e pistillo nata. Folia, & flores in usum veniunt. In sylva Bononiensi agri Parisiensis sponte nascitur.

Analysi chymica, ex hujus plantæ floridæ recentis ℔iiij. & ℥x. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori, subacidi ℥xij. ʒj. humoris manifeste acidi, sub finem austeri ℔ij. ℥v. ʒv. gr. xviij. humoris rufi, empyreumatici, intense acidi, austeri, subsalsi, deinde tum acidi, tum alcali, & sale volatili urinoso impraegnati ℥vj. gr. xlviij. olei adiposi ℥iij. ʒj. gr. xxiiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥x. gr. xviij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gr. xxxvj. ex quibus lixivio, salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. liiij. sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvij. gr. xxxvj. in calcinatione ℥vij. ʒvj. gr. liiij.

Hujus pantæ folia amara sunt, & subaromatica. Chartæ cæruleæ colorem nullo modo mutant. Salem essentialem continere videntur sali mirabili Glauberi similem cum ammoniacali conjunctum, & multo oleo aromatico involutum.

Hu-

Humores crassos, & tenaces incidit, attenuat, laxiorem partium solidarum tonum firmat, & roborat; urinam, & sudorem potenter movet. Intus assumpta confert in viscerum obstructionibus, ictero, tumoribus lienis, mensium suppressione, febribus contumacibus, hydrope incipiente, scorbuto, & arthritide. Matthiolus asserit eam in pestilentia juvare, lumbricos necare, & capitis affectibus frigidis mederi. J. Rajus scribit hanc plantam in agro Cantabrigiensi Theriacam Anglicam nuncupari, procul dubio quia alexipharmaca censetur.

Vesalius *in Epistola de china*, narrat decoctum Chamædryos fuisse commendatum a Medicis Genuensibus Carolo quinto Imperatori pro perpetuo podagræ auxilio, facto decocto sive ex vino, sive ex aqua stillatitia. Experiatur qui volet, inquit C. Hoffmann. eam tamen utiliter decoctis aperientibus utiliter admisceri annuit, & J. Rajus refert in Anglia apud mulierculas idem decoctum creberrimi esse usus in mensium suppressione. Idem profert quemdam celebrem ob scrophularum curationem exhibuisse decoctionem Chamædryos in vini albi ℔ij. ad ℔j. consumptionem, & sumebat æger cochlearia vj. mane & vesperi per mensem. Ejus summitates infusæ in modum Theæ ad P. j. aut ij. usurpantur in morbis chronicis & viscerum obstructionibus. Ejus pulvis ad ʒj. exhibetur, & celebratur apud Ægyptios adversus febres intermittentes, referente Alpino *De Med. Ægypt. fol.* 146. 147. Multi rustici curant febres quartanas ejus pulvere sumpto in jusculis per aliquot dies. Adversus febres contumaces D. Chomel infusum Chamædryos, & Centaurii minoris in vino commendat.

Ejusdem plantæ extractum in Officinis conficitur ad eosdem affectus utile. Exhibetur ad ʒj.

℞. Chamædryos, & Centaurii minor. pulverator. ana ʒß. Infunde per noctem in vini generosi cyatho uno. Hauriat æger ante paroxismum in febribus intermittentibus.

Usurpatur in Theriaca *Andromachi*, hiera Diacolocynthidos, syrup. de Arthemisia *Rhasis*, syrup. Chamædryos *Bauderon.* syrupo Hydragogo, & aperiente cachectico *Pharm. Regiæ*, Pulvere arthritico *Comitis Mirandolani*, Oleo Scorpionum composito *Matthioli*, Ung. Martiato, Unguento mundificativo de Apio.

## CHAMÆMELUM.

Tres Chamæmeli species in usum medicum veniunt, scilicet Chamæmelum vulgare, Chamæmelum odoratum & Chamæmelum fœtidum.

Chamæmelum vulgare, Chamomilla, *Off.* Chamæmelum vulgare, Leucanthemum Dioscor. *C. B. P.* 135. *Inst. R. H.* 494. Chamæmelum vulgare, amarum *J. B.* 3. 116. Chamæmelum vulgare *Dodon. Pempt.* 257. Anthemis *Matthiol. Cord.* Chamæmelum Parthenii 3. species, *Brunsfelsii*: vulgo, *Camomille*.

Radicibus est tenuibus, fibrosis, cauliculis tenuibus in alas multas divisis, dodrantalibus aut altioribus: foliis tenuissimis, & dissectis, numerosis. Flores in summis caulibus, & ramulis singulares pediculis prælongis insident radiati, quorum discus ex plurimis flosculis aureis, corona vero ex semiflosculis candidis componitur embryonibus insidentibus, & calyce

 squam-

ſquammoſo comprehenſis. Embryones autem abeunt in ſemina tenuia, oblonga, pappo deſtituta, & thalamo infixa. Tota planta odorem ſpirat medicatum non adeo ingratum. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur.

Chamæmelum odoratum, Chamæmelum Romanum, Chamæmelum nobile, Chamomilla Romana odorata, *Off.* Chamæmelum nobile ſive Leucanthemum odoratius *C. B. P.* 135. *Inſt. R. H.* 494. Chamæmelum odoratiſſimum repens, flore ſimplici *J. B.* 3. 118. Chamæmelum odoratum *Dodon. Pempt.* 260. vulgo, *Camomille Romaine.*

Ex radice fibroſa caules profert multos non erectos ſed procumbentes, & quaſi per terram repentes, folia ut Chamæmeli vulgaris ſed majora, & virentiora, flores quoque ſimiles. Referunt folia, & flores pergratum ac jucundum cum gravitate quadam odorem, aromaticum. In hortis colitur.

Eſt & hujus generis quoddam, ſemifloſculos candidos medium floris ambientes denſiſſime multiplicans, luteis floſculis in anguſtum orbem coactis, quod odore & forma præcedenti per omnia ſimile alias eſt. Dicitur Chamæmelum nobile flore multiplici, *C. B. P.* 135. & *Inſt. R. H.* 494.

Chamæmelum fœtidum, Cotula fœtida, *Off.* Chamæmelum fœtidum, *C. B. P.* 135. *Inſt. R. H.* 494. Chamæmelum fœtidum ſive Cotula fœtida, *J. B.* 3. 120. Cotula alba, *Dodon. Pempt.* 258. Buphtalmum minus, *Cordi*: Parthenium, *Fuchſii*: vulgo, *Camomille puante*, ou *Maroute.*

Ex fibroſis radicibus caules promittit rotundos, virentes, fragiles, & ſucculentos, in alas multas diviſos: craſſiores, & altiores quam Chamæmeli vulgaris, folia ſimiliter ampliora in virore nigricantia, flores forma & colore ſimiles. Fœtet herba tota, gravemque ſpirat odorem. Naſcitur ſponte in agro Pariſienſi.

Analyſi chymica, Chamæmelum vulgare præter phlegma acidum copioſum, non mediocrem olei tum tenuis ſeu eſſentialis, tum craſſi, ſicut & ſpiritus urinoſi quantitatem, & aliquantulum ſalis volatilis urinoſi concreti ſuppeditat. Præterea ſucco ſuo chartæ cæruleæ rubrum colorem conciliat, & aromaticum eſt amarumque. Salem igitur eſſentialem continet ammoniacalem acido ſaturatum, & ſulphure copioſo tum tenui, tum craſſo involutum. Chamæmelum odoratum multo plus olei eſſentialis poſſidet. Fœtidum vero Chamæmelum odorem quaſi bituminoſum ſpargit. Chartam cæruleam rubro colore leviter admodum tingit, ac proinde ſale gaudet eſſentiali ammoniacali cum multo oleo craſſo ac fœtido implicito.

Utriuſque Chamæmeli, ſcilicet vulgaris, & odorati, floridæ ſummitates, & folia uſurpantur. Digerunt, laxant, molliunt, flatus diſcutiunt, dolores mitigant, & nervoſis partibus utiliſſima deprehenduntur. Romanum potentius calefacit, & attenuat, digerit, & rarefacit, remiſſius vero emollit, & dolores mitigat quam vulgare. Utriuſque uſus eſt inſignis in dolore colico flatulento, in cruciatibus ſpaſmodicis, & convulſionibus, cardialgia, adverſus calculum, ad febres intermittentes profligandas. Interne, & externe uſurpantur. Florum pulvis exhibetur ad ʒß. vel ʒj. ſuccus expreſſus, & defœcatus ad ℥ij. iij. iiijve: infuſum vel decoctum ex aqua aut vino ad ℥vj. Ettmullerus *in Praxi*, *p.* 1. *c.* 9. Chamæmelum præ aliis omnibus antiſpaſmodicis

com-

commendat, adeo ut in nephritide, doloribus gravidarum, torminibus puerperarum post partum, aliisque cruciatibus mirabile sit remedium. A Simone Paulli in pleuritide ejus aqua distillata plurimum laudatur ad dolorem discutiendum, intus sumpta, & decoctum calidum in vesica suilla supra latus dolens applicatur. Ad cardialgiam a Foresto & Ettmullero ejus decoctum aut tinctura ex floribus cum spiritu Chamomillæ fermentatæ, vel cum spiritu quocumque carminativo extracta, veluti specificum valde prædicatur.

Nonnulli adversus calculum ejus decoctum propinant: Simon Paulli plurimos nephritide laborantes insigne levamen ex infuso florum Chamæmeli in vino Rhenano percepisse testatur, si præsertim in balneo Avenæ & Artemisiæ sederent. Illud autem infusum sic præparari jubet.

> ℞. Flor. Chamæmeli vulgaris M. ij. Quibus affunde vini Rhenani, vel vini albi generosi ℔ij. Digerantur in cineribus calidis per duas horas. Infusum cum forti expressione coletur, & duobus aliorum florum Chamæmeli manipulis affundatur. Digerantur iterum super cineres calidos per totidem horas: fiat fortis expressio novis adhuc floribus affundenda & pro tertia vice maceranda eodem modo: tandem bulliant leviter & hoc decoctum ultimo coletur. Hujus decocti duo vel tria cochlearia sumat æger cum haustulo vini calido permixta. Sic non tantum mitescebant gravissima nephritica symptomata, sed etiam calculi nonnunquam ejiciebantur.

Hoc infusum adeo salsum gustu deprehenditur, inquit S. Paulli, ut si quis degustaret inscius, pugillos aliquot salis culinarii in eo esse liquefactos asseveraret.

A veteribus & neotericis vis febrifuga Chamæmeli valde prædicatur. Richard. Morton refert, febres intermittentes rebelles & Cortici Peruviano haud cedentes pulvere florum Chamæmeli ad ℈j. vel solo exhibito, vel cum sale Absynthio & Diaphoretico minerali permixto feliciter curatas fuisse. J. Rajus succi Chamæmeli cochlearia duo vel tria cum guttulis aliquot spiritus Vitrioli in jusculo exhibita in febre quacumque intermittente paulo ante accessum instantem paroxysmum sæpe avertere & febrem ipsam sanare scribit. Ejusdem decoctum vel aquam distillatam ad ℥vj. propinatam idem præstare Riverius asserit. Hujus plantæ infusum vel decoctum, annotante Rajo, ad scrophulas felici cum successu propinantur. Forestus decocto florum Chamæmeli & lacte bubulo se senem dysuria laborantem curasse testatur.

> ℞. Decocti Chamæmeli ℥vj. Syrup. Menth. ℥j. Sp. carminativ. Sylv. ℥ß. M. F. julapium in colica flatulenta propinandum.

> ℞. Flor. Chamæmel. subtilissim. pulverator. ℈j. Diaphor. miner. & sal. Absynth. ana ℈ß. M. F. pulvis sumendus in haustu vini aut alio liquore idoneo, vel in formam boli cum syrup. Caryophyllor. hortens. q. s. redactus, sexta quaque hora per biduum vel triduum reiterandus.

Externe hæc planta in fomentis & cataplasmatibus emollientibus, resolventibus ac demulcentibus, vel sola, vel cum Melitoto consociata usurpatur. In clysteribus ad intestinorum dolores sedandos, quacumque ex causa procedant, magnopere conducit. Ad duritiem mammarum ex lactis coagulatione, ejus decocto pars affecta lavetur bis die & superponatur cata-

cataplasma ex summitatibus Chamæmeli, foliis Enulæ, Marrubii & semine Lini contusis & axungiæ permixtis ad emplastri consistentiam.

Oleum Chamæmelinum duplex in Officinis deprehenditur, scilicet vulgatissimum quod per infusionem, alterum elegantissimum quod per vesicam arte chymica paratur, coloris cœrulei elegantia & amœnitate ipsi saphyro non cedens. Primum tumores duros emollit & dissipat, dolores sedat, lassitudinem spontaneam tollit. Idem quoque clysteribus admiscetur, ut omnis generis dolores infimi ventris in utroque sexu leniat & compescat.

Posterius oleum arte chymica ex Chamæmeli Romani floribus calidioribus præsertim in regionibus collectis elicitum & eorum dotibus instructum, illis qui decoctum florum Chamæmeli fastidiunt, cum tantillo Sacchari in conveniente vehiculo contra colicos dolores & calculum propinatur ad guttas aliquot.

Observandum est cum S. Paulli hoc oleum essentiale Chamæmeli florum infuso vel decocto dotibus præstantius non esse, ut quidam volunt. Imo experientia compertum habuit quemdam nephriticum post usum olei essentialis Chamæmeli frustra tentatum tandem ejusdem plantæ infuso suprascripto sanatum fuisse. Idem auctor observat insuper post C. Hoffmannum olea essentialia stillatitia ventriculo esse infesta. Reipsa hæc olea usu diuturno & intempestivo ardorem accendunt in ventriculo & in renibus, hepatis obstructiones pariunt, sanguinem inflammant, in quibusdam sitim perpetuam excitant, in aliis cachexiam biliosam, in aliis calidum hypropem inducunt. Quapropter nonnisi maxima cautione eorum usus præscribendus est, & calidis naturis atque biliosis interdicendus.

℞. Radic. Althææ, Calami aromatici ana ℥ij. folior. Malv. Calamenth. Puleg. summitatum Aneth. flor. Chamæmel. & Melilot. ana M. j. Fiat decoctum in aq. commun. q. s. ad ℔ij. addendo sub finem vini albi ℔j. Colatura foveatur abdomen tepide cum linteis crassioribus quadruplicatis, vel pannis laneis, aliquando cum spongiis dicto liquore imbutis & mutatis quoties refrixerint, vel etiam vesicis bubulis aut suillis dicto liquore semiplenis, in colicis doloribus præsertim flatulentis.

℞. Rad. Alth. & Brion. ana ℥ij. Bulbos Lilior. contusor. n. iiij. Radices mundentur & concidantur. Bulliant deinde in s. q. aq. donec insigniter mollescant. Deinde adde folior. Malvæ utriusque, Violar. Acanthi, Mercurialis ana M. j. Caricar. ping. paria vj. Coqu. omnia ad putrilaginem, deinde setaceo trajiciantur. Trajectis adde flor. Chamæmeli & radices Ireos Florentin. pulverat. ana ℥ß. Olei Lilior. ℥ij. F. cataplasma emolliens.

℞. Quatuor farinar. resolvent. ℔ij. Coquantur in lixivio leni sarmentor. Tum remoto lixivio adde pulver. flor. Chamæmel. Meliloti, Sambuci & radic. Ireos Florentin. pulver. ana ℥ß. cum olei Chamæmelin. s. q. Fiat cataplasma resolvens.

℞. Olei Chamæmelini ℥ij. Ung. de Althæa ℥j. Fiat linimentum in pleuritide quo latus dolens illiniatur.

℞. Folior. Malv. Althææ, Violar. Flor. Chamæmeli, Melilot. Origan. ana M. j. Semin. Fœnicul. P. ij. Fiat decoct. in cujus ℔j. dissolve

Diaph.

Diaph. vel Bened. laxativ. ℥j. Mellis anthosat. ℥jß. Fiat clyster. ad flatus discutiendos in colicis doloribus. Addi potest Therebenth. vitello ovi dissolut. ℥ß. Olei Chamæmel. ℥ij. in dolore nephritico.

Chamæmelum usurpatur in Ung. Martiato, Empl. de Meliloto, Emplastro pro utero *Nicolai*, de ranis, *J. de Vigo*.

Chamæmeli fœtidi decoctum, auctore Trago, in passionibus hystericis insessu, fomentis & odoratu saluberrimum est. Adeo acris est hæc herba, inquit Matthiolus, ut cutem exulceret alligata. Quo fit, ut qui in campis alvum exonerant, ac deinde hac herba sedem abstergunt, paulo post intolerabili vexentur ardore.

## CHAMÆPITYS.

Chamæpitys seu Iva duplex in Officinis, scilicet Chamæpitys lutea vulgaris, seu Iva arthritica, & Chamæpitys moschata seu Iva moschata.

Chamæpitys lutea vulgaris, Iva arthritica, Arthetica, *Off.* Chamæpitys lutea vulgaris sive folio trifido, *C. B. P.* 249. *Inst. R. H.* 208. Chamæpitys vulgaris odorata, flore luteo, *J. B.* 3. 295. Ajuga sive Chamæpitys mas Dioscoridis, *Lobel. Icon.* 382. Peristerona crateræ, *Anguillar*: vulgo, *Ivette*.

Planta est vulgatissima in agro Parisiensi sponte nascens, radice exili, fibrata, alba: caulibus supinis & humifusis, villosis, in orbem sparsis & dodrantalibus, in quibus folia ad nodos bina oriuntur unciam superantia, trifariam laciniata, acuta, ex luteo virentia & villosa. Flores in alis adsunt monopetali, unilabiati, lutei, labio inferiori in tres partes diviso, quorum media bifida est, labii superioris locum occupantibus aliquot denticulis, cum staminibus dilute purpurascentibus. Calyx cytiniformis, quinquifidus, villosus, quaterna semina includit triquetra, fusca, e pistillo nata. Herba tota usitata est, odore resinam piceam aut larignam refert.

Analysi chymica, ex totius plantæ floridæ ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis aromatici, subacidi ℥xj. gr. xxxvj. humoris primo limpidi, deinde rufescentis ac tandem rufi & sub finem empyreumatici, manifeste acidi & austeri ℔iij. ℥j. ʒvij. gr. xxxvj. humoris rufi sale volatili urinoso impraegnati ℥ij. ʒij. gr. lx. olei crassi adiposi ℥j. ʒvij. gr. xij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥x. ʒv. gr. xij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥v. ʒvij. ex quibus lixivio salis fixi salsi ʒj. extracta fuit. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. gr. lx. in calcinatione ℥iiij. ʒvj. gr. xij.

Amara est & aromatica hæc planta, & succo suo chartam cœruleam rubro colore inficit. Sale essentiali tartareo aliquantisper aluminoso multo oleo & terra implicito instructa videtur.

Chamæpitys moschata, seu Iva moschata, *Off.* Chamæpitys moschata, foliis serratis, an prima Dioscoridis, *C. B. P.* 249. *I. R. H.* 208. Chamæpitys sive Iva moschata Monspeliensium, *J. B.* 3. 296. Chamæpitys spuria prior, sive Anthyllis altera, *Dodon. Pempt.* 47. Chamæpitys altera & major, *Cæsalp.* 456. Anthyllis Chamæpitydes minor, *Lobel. Icon.* 384. Anthyllis altera, *Clus. Hist.* 166. vulgo, *Ivette musquée*.

Humi serpit instar prioris Chamæpityos quam tenuibus sed tamen durioribus cauliculis & foliis satis refert: flos similis sed colore purpureus. Semina in singulis calycibus quaterna, nigra, crispa, sublonga, vermiculi instar aliquantulum incurva in utriculis lanuginosis. Tota hæc herba admodum hirsuta est, sapore amaricante, odore gravi, resinoso prædita, haudquaquam grato, ad moschum nonnunquam accedente præsertim diebus æstivis & calidis in regionibus, ut observat D. Garidel in *Historia Plantarum agri Aquisextiensis*. Circa Monspelium in Occitania & Gallo-provincia sponte crescit.

Iisdem fere principiis donatur ac prior, sed paulo plus olei essentialis continet. Utraque in Officinis fere indiscriminatim usurpantur, cum iisdem virtutibus præditæ censeantur. Inter plantas aperientes, vulnerarias, cephalicas, hystericas & nervinas numerantur. Foliorum & florum infusum, decoctum & pulvis intus sumuntur. In catharralibus affectionibus, doloribus rheumaticis, ischiadicis, artuum tremore & paralysi earum pulvis ad ʒj. solus vel cum pulvere Chamædryos in vino rubro, vel earum decoctum in sero lactis, si vinum minus conveniat, quotidie mane propinatur. A nonnullis in asthmate convulsivo, ab aliis in mictu cruento laudantur. A quibusdam earumdem decoctum ex lacte vaccino in vesicæ exulceratione commendatur ter die sumptum. A S. Paulli adversus paralysim valde prædicantur pilulæ a Matthiolo præscriptæ in *Commentar. Dioscorid. c. ultimo L. 3.* quarum hæc est descriptio.

℞. Chamæpityos, Betonic. Stæchad. flor. Rorismarini ana ʒj. Turpeth. ʒjß. Agaric. ʒij. Colocynthid. ʒß. Zingiber. Sal. gemm. ana gr. x. Rhabarbar. ʒjß. Spicæ indic. gr. vij. pulv. Hieræ simpl. ℥ß. Diacr. ʒj. Omnia in mortario Chamæpityos succo excipiantur & in massam redigantur, e qua catapotia formentur ex qualibet drachma novem. Ex quibus si quotidie tria sumantur a paralyticis, cum se cubitum recipiunt, præsentaneum fere sentient auxilium.

Insuper Chamæpitys in ischiadicis & arthriticis affectionibus præcipuæ est æstimationis cum Chamædry instar Theæ pota vel in pulverem redacta: Quamquam ex his podagrici nonnisi parum solatii sibi promittere possint, observante Ettmullero.

℞. Chamædryos & Chamæpityos ana M. j. summ. Centaur. minor. M. ß. Coquantur in aq. ℔iij. ad ℔ij. Propinetur ad ℥iiij. calide quater die in arthriticis & ischiadicis doloribus.

℞. Chamæpityos M. ij. flor. Salviæ & flor. Betonic. ana ʒj. Rad. Pœoniæ mar. ℥j. Coqu. in aq. comm. ℔iij. ad ℔ij. Colatura dilue syrup. de Stæchad. ℥ij. Sumatur ℥vj. ter vel quater die in artuum tremore & paralysi.

Hepatis & lienis obstructiones reserare dicitur & ictero mederi, menses suppressos revocare, fœtum mortuum & secundinas pellere, & adeo potenter, ut usus ejus in utero gestantibus omnino interdicatur, ne abortum faciat.

Ejusdem extractum in Officinis paratum servatur ad eosdem usus. Ad ʒj. exhiberi potest.

Externe abstersione vulnerum & ulcerum solidationem promovent utraque & tumores discutiunt.

Chamæpitys lutea usurpatur in Theriaca *Andromachi*, syrupo de Artemisia,

missa, Pulvere arthritico *Comitis Mirandulani*, Pilulis de Iva arthritica *Nicolai Salernitani*, & Ung. Martiato.

## CHELIDONIUM.

CHelidonium duplex in Officinis habetur, majus & minus.

Chelidonium majus, Chelidonia major, Hirundinaria major, *Off.* Chelidonium majus vulgare, *C. B. P.* 144. *Inst. R. H.* 231. Chelidonia *J. B.* 482. Chelidonium majus, *Dod. Pempt.* 48. Papaver corniculatum luteum Chelidonia dictum, *Raii Syn. Histor.* 857. vulgo, *Eclaire*, *Chelidoine*, *Felougne*.

Radicibus est fibrosis, multo capillitio stipatis, ex uno capite pendentibus, miniati coloris, succo croceo intensiori, acri, turgentibus: folia inferiora ampla sunt, spithamam longa, lobata, superne pulchre virentia, subtus glauca, & villis nonnullis aspersa: lobi subrotundi sunt, auriti, ex adverso quandoque positi, venosi, venis amplis & incisuris distincti, majoresque fiunt quo magis a pediculo recedunt. Caules cubitales sunt & ampliores, nodosi, fragiles, fistulosi, ramosi, foliis alternatim donati, quæ in inferioribus sæpe ampliora sunt; ex eorum alis in summo oriuntur pediculi palmo longiores qui flores velut in umbella sustinent cruciformes, e quatuor petalis aureis conflatos, calyce bifolio, & facile decidente. Pistillus florum mutatur in siliquam sesquiunciam longam, teretem, gracilem, bivalvem quidem, sed monocapsularem, glabram, & quasi corrugatam, primum viridem deinde rufescentem, quæ semina effundit nigra, lucida, rotundiora, compressa, semilineam lata. Tota planta graveolens est, & quacumque parte læsa, aut vulnerata crocei coloris succum acrem mordacemque ac nonnihil amaricantem fundit. Delectatur locis aquosis & umbrosis. In agro Parisiensi sponte nascitur. Folia & radix usitata sunt.

Analysi chymica ex Chelidonii folior. & stirpium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere insipidi & inodori, subacris, obscure acidi ℔j. ℥xj. ʒiij. gr. xviij. humoris limpidi, manifeste acidi, & obscure austeri ℔ij. ℥xiij. gr. xviij. humoris rufescentis, subsalsi, alcali, urinosi ℥j. ʒvij. gr. xxxvj. salis volatilis urinosi concreti ʒj. olei spissi ad instar extracti ʒiv. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥ij. ʒvij. gr. xviij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvj. gr. xxvij. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. gr. xviij. in calcinatione ℥j. ʒiv. gr. liv.

Tota planta & radix potissimum succo turget amaro, acri, deurente. Chartam cæruleam nonnisi leviter rubro colore tingit, & odore ova putida aliquantisper refert. Unde conjicere licet hunc succum ad lac sulphuris accedere; ac proinde salem essentialem continere ammoniacalem, vitriolicum oleo bituminoso implicitum.

Chelidonium majus intus sumptum obstructiones aperit, urinas & sudores movet, cachexiæ, & hydropi medetur, febrifugum est, & ictero præsertim dicatum. Radicis exsiccatæ pulvis ad ʒß. vel ʒj. ejusdem recentis ℥j. infusum

in vini

in vini ℔ij. vel decoctum ex aqua ad ℥vj. epotum; ſucci crocei guttæ tres vel quatuor in vini hauſtu vel alio vehiculo idoneo præſcribuntur.

Dicunt nonnulli ejus radicem fuiſſe ſpecificum remedium Helmontii adverſus hydropem aſcitem.

Pro ſudorifero quoque egregio cum aceto decocta in febribus malignis, & peſtilentialibus propinata habetur. Radix, inquit Tragus, quantum ejus manus capere poteſt purgata, in ſextario aceti roſacei decocta, ita ut deinceps percoletur, decoctoque adjiciatur Theriacæ ℥jß. cyathique vulgaris menſura exhibita a peſte correptos liberabit, ſi in lectum ſe compoſuerint & ſudaverint. Jul. Palmarius *Tractatu de Morbis contag. c.* 18. *p.* 456. ejus ſuccum his verbis commendat. Succus radicis Chelidonii majoris ex vino albo, & aceti roſacei momento expreſſus nonnullis præſentaneum auxilium attulit, & virus ſudore foras depulit.

Garencieres *Tractatu de Tabe Angelica*, Chelidonium majus multum celebrat in hac tabe, illudque in omnibus pulmonum affectionibus utiliſſimum & convenientiſſimum prædicat. At eo in affectu Simon Paulli obſervat pulmones nonniſi ſecundario affici, hepar vero primario & in eo viſcere præcipuam latitare morbi cauſam, ut apud auctorem *in Quadr. Botanico*, videre licet: ac proinde Chelidonium tunc tabidos juvaſſe non tam pulmones quam jecur ab infarctu liberando.

Emmanuel Konig *in ſuo regno Vegetabili* monet, ne Chelidonium nimia doſi exibeatur. Si enim radix ad ℥ij. infuſa propinetur, eam horrenda inducere ſymptomata aſſerit. Lobelius raro intus ſumendum eſſe putat. J. Rajus in eadem eſt ſententia: nec ſuccum, cum acerrimus ſit ad oculorum affectus adhibendum eſſe exiſtimat, niſi eis additis, quæ acrimoniam ejus retundant, cujuſmodi eſt lac muliebre.

♃. Folior. Chelidon. major. P. j. cremor. Tartari ʒj. Macerentur in ſeri lactis ℥vj. Colatura dilue ſyr. de Cichor. comp. c. Rh. ℥j. Fiat potio mane jejuno ventriculo propinanda in ictero & in menſium ſuppreſſione.

♃. Rad. Chelidon. maj. minutim incif. q. v. Affunde vini albi vel Rhenan. ad ſupereminentiam trium vel quatuor digitor. Digerantur frigide in vaſe bene clauſo per dies aliquot, ſæpius agitando, donec tintura extrahatur, quæ per chartam bibulam tranſcolata ſervetur uſui. Doſis ℥iv. vel ℥vj. mane & quarta pomeridiana in ictero.

♃. Radic. Chelidon. major. M. ij. Baccar. Juniperi M. j. Contund. cum vini Rhenan. ℔j. Deinde exprimatur ſuccus, cujus capiat æger ℥iv. bis in die.

♃. Rad. Chelidon. major. Urtic. urentis, & Ariſtoloch. rotund. ana ʒij. Radic. Gentian. ʒjß. ſumm. Abſynth. roman. & Scord. ana M. ß. ſemin. Aquileg. & Cannabis contuſor. ana ʒjß. flor. Hyperic. Centaura minor. ana P. j. Croci martis aper. nodulo incluſ. ℥ß. ſalis Tartar. ʒj. Coquantur per ſemihoram in ℔iv. aq. comm ad medias Colatura dividatur in 4. doſes. Exhibeantur duæ quotidie, una ſero circa octavam, altera circa ſextam matutinam, addita cuilibet ℥ß. ſyr. de Praſſio albo. In ictero.

♃. Rad. Chelid. major. ℥j. Tinctur. Martis ℥v. albi ℔j. Digerantur per 24. horas. F. colatura cujus ℥iij. pro ſingula doſi bis die ſumantur.

Chelidonium majus externe adhibitum vulnera præſertim vetuſtiora & ulcera abſter-

abſtergit & mundat ſeu foliis contuſis admotis, ſeu pulvere inſperſo, ſeu ſucco inſtillato. Croceus ejus ſuccus verrucis applicatus eas tollit. Idem præſtat herba trita cum axungia. Cataplaſma ex contuſis & bis die parti admotum herpetem miliarem efficaciter compeſcit & ſanat.

In oculorum affectionibus Chelidonium plurimum celebratur. Succus ejus luteus ex rupto caule exſtillans oculis inſtillatus a nonnullis commendatur ad oculorum ulcera detergenda & pro panniculis aut nubeculis removendis. Sed quia eſt admodum acris vel diluitur cum liquore quolibet idoneo, vel ejus aqua diſtillata uſurpatur quæ longe mitior eſt. Fabricius Hildanus *Cent. Epiſtolar.* 59. teſtatur extractum Chelidonii non ſolum in externis nubeculis, ſed etiam incipiente ſuffuſione proficuum eſſe, veluti ſæpiſſime expertus. At non ultra magnitudinem capitis aciculæ ſingulis vicibus imponendum eſſe monet propter acredinem.

In Officinis proſtat aqua diſtillata Chelidon. major. quæ a Rulando, & Quercetano mirum habetur ophtalmicum, ſi in ea infuſum fuerit antimonium crudum vel crocus metallorum. Herba aut radix recens contuſa imponitur plantis pedum in tumoribus œdematoſis ex febribus intermittentibus pertinacibus aut aliis morbis chronicis oriundis, quos diſſipare valet.

Uſurpatur in Orvietano *Frideric. Hoffmann.* Ung. mundificativo de Apio, Emplaſtro Diabotano, Aq. diſtillata uſurpatur in aqua ophtalmica *D. Daquin Ph. Reg.*

Chelidonium minus, Scrophularia minor, Ficaria, Hæmorrhoidum herba *Off.* Ranunculus verus, rotundifolius, minor, *Inſt. R. H.* 286. Ranunculus præcox rotundifolius granulata radice, *Moriſſ. Hiſt.* 446. Ranunculus latifolius, *Lugd.* 1036. Chelidonia rotundifolia minor, *C. B. P.* 309. Scrophularia minor ſive Chelidonium minus vulgo dictum *J. B.* 468. Chelidonium minus, *Dod. Pempt.* 49. Malacociſſus minor, *Fuchſ.* Favagello, *Cæſalp.* 546. Strumea, *Plin.* vulgo, *Petite Scrophulaire*, ou *petite Chelidoine*.

Radice eſt ex multis tenuibus & candicantibus compoſita fibris quibus adhærent aliquot tubercula, granis triticeis magnitudine ſimilia, ſubrotunda vel oblonga, foris pallida, intus alba: cauliculis palmaribus, tenuibus humi plurima parte procumbentibus: foliis ſubrotundis, lævibus, glabris, virentibus ac ſplendentibus, quam Hederæ minoribus. Summo caulicorum faſtigio inſidet flos unus Ranunculi æmulus roſaceus, ex octo ſcilicet aut novem petalis aureo flulgore micantibus, cum unguibus Chloris, in orbem poſitis, ſtaminulis multis croceis medium occupantibus & calyce triphyllo compoſitus. Ex floris meditullio ſurgit piſtillum, quod abit in fructum ſubrotundum, echinatum, e viridi luteum, cujus placentæ multa ſemina tenuja adhæreſcunt. Agri Pariſienſis incola hæc planta in pratis, ſecus vias in ſcrobium foſſarumque marginibus creſcit. Herba integra & potiſſimum radicis tubercula uſitata ſunt.

Analyſi chymica, ex foliorum Chelidon. minor. ℔v. per retortam diſtillatis, prodierunt humoris limpidi, inodori, at initio ſeminis Sinapi ſaporem fere & leviter referentis, ſub finem ſaporis prorſus expertis, primo obſcure acidi, deinde manifeſti ℔iij. ℥vj. ʒj. gr. xxxvj. humoris limpidi, primo inodori, deinde empyreumatici, auſteri ℔j. ℥j. ʒiij. xlviij. humoris fuſci, empyreumatici, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥j. ſalis volatilis urino-

urinosi concreti ʒiiij. gr. xxx. olei spissi ad instar syrupi ʒvij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ij. ʒvij. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒij. gr. xviij. ex cineribus lixivio ʒv. gr. ix. salis alcali fixi sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒvij. gr. lxvj. in calcinatione ℥j. ʒv. gr. xviij.

Radicum recentium ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris limpidi, odore tenui sed acuto, sapore Sinapi fere referente, absque ullis acidi aut alcali signis ℔j. ℥viij. ʒiij humoris limpidi, odore simili, sapore vero debiliore, primum obscure acidi, deinde manifesti ℔ij. ℥x. ʒij. gr. xxiiij. humoris fusci, empyreumatici, acidi, austeri, ac tandem obscure alcali urinosi ℥ij. ʒiij. gr. xxxvj. olei spissi ad instar extracti ℥j. gr. liiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. gran. xxx. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. xxvij. ex quibus lixivio salis alcali fixi ʒiij. gr. lxij. fuerunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvj. in calcinatione ℥iij. ʒij. gr. iij.

Chelidonii minoris folia saporem herbaceum referunt: nec in eis ulla acrimonia manifesta gustu deprehenditur. Folia, & radices spiritum quemdam acrem, & sinapizantem obtinent, qui in primis phlegmatis portionibus manifestum se præbet. Insuper salem essentialem continere videntur ammoniacalem, vitriolicum, magna olei, & terræ copia implicitum. Folia plus salis ammoniaci seu volatilis urinosi, radices plus salis acidi vitriolici continent. Idcirco folia magis resolvunt quam radices.

Schroderus scribit radices hujus plantæ refrigerare, & humectare: verumtamen distillatione spiritum acrem fundunt tum folia tum radices, ut per analysim manifestum est. Idcirco nonnulli hanc plantam calidam esse potiori jure pronuntiant.

Inter plantas antiscorbuticas temperatas non infimum locum obtinet. Vel folia recentia in acetariis comeduntur, vel infusa in vino, vel condita Saccharo præscribuntur, vel etiam succus expressus usurpatur.

Radices ad hæmorrhoides, & strumas tam intus sumptæ quam externe admotæ commendantur. Hæmorroides earum succo cum vino aut ægrotantis urina permixto sæpius ablutæ contrahuntur, & dolore sopito resiccantur. Nonnulli hæmorrhoidas inungunt unguento ex radicibus recentibus cum butyro recente contusis parato. Sunt etiam qui existimant vel gestatam solummodo herbam prodesse adversus earumdem dolores posse. Neque exterius tantum extinguunt dolores, sed & interius consuetum illarum fluxum promovent, auctore C. Hoffmann.

Radices recentes contusæ, & impositæ a Cæsalpino ad scrophulas curandas commendantur, vel etiam comedendæ a Sylvatico præscribuntur. Boyleus radices contusas in axungia porcina incoquit ad radicum siccitatem, his rejectis novas radices cum axungia expressa coquit iterum atque iterum, ut radicum succo axungia imprægnetur; sic præstantissimum obtinet unguentum adversus hæmorrhoides, & strumas, quo partes affectæ mane, & sero inungantur.

Tragus herbam ipsam contusam, ejus pulverem, succum, aut aquam distillatam mariscas aut ficos ani curare scribit impositu, collutu, aut inspersu.

Succus radicum per nares attractus caput per ipsas nares expurgat.

CI-

## CICER.

Ciceris species plures in hortis coluntur quæ non differunt nisi fructuum vel etiam florum colore. Duæ in primis in usum veniunt tum medicum, tum culinarium, scilicet Cicer sativum seu arientinum, & Cicer rubrum, quæ nonnisi varietates ejusdem plantæ a nonnullis existimantur.

Cicer sativum sive arietinum nigrum, rubrum, vel album, *Off.* Cicer sativum flore candido *C. B. P.* 347. *Inst. R. H.* 389. Cicer arietinum *J. B.* 2. 291. *Dodon. Pempt.* 525.

Cicer rubrum *Off.* Cicer floribus, & seminibus ex purpura rubescentibus *C. B. P.* 347. vulgo *Pois chiches* ou *Pois becus*.

Radix tenuis, albida, nonnihil rufescens, fibrosa, & capillacea, caulem promit erectum, patulum, hirsutum; folia conjugata ultimo impari claudente, subrotunda, serrata, villosa. Flores papilionacei sunt in foliorum alis pediculis tenuibus insidentes, colore aut candidi aut ex purpura rubescentes. Calyx villosus, in sex partes acutas divisus. Pistillum abit in fructum tumidum, vesicam referentem, unciam pene longum, & in filum tenuem abeuntem, in quo semen adest unum vel alterum Piso majus, subrotundum, angulosum, unico angulo acuto præditum colore albido, aut subrubro, & fere capitis arietini forma. Semina seu Cicera rubra præ aliis seliguntur ad usum medicum: cœtera inter legumina esculenta recensentur. Seruntur in arvis in plurimis Gallicæ meridionalis provinciis, ut & in Italia, & Hispania.

Analysi chimica, Cicera præter phlegma acidum, salsum, & subausterum, plurimum olei, nec mediocrem salis volatilis urinosi quantitatem præbent. Salem itaque essentialem ammoniacalem continent multo sulphure implicitum.

Legumen est flatuosum, copiosi nutrimenti, sed crassi, alvo movendæ habile, ciendæ urinæ idoneum. A quibusdam non tantum maturum sed etiam viride, non solum coctum, sed etiam crudum esitatur, ut Pisa, & Fabæ. Sed difficile concoquitur in ventriculo, nec nisi rusticis, utpote valentioribus ac robustis convenit, non vero delicatioribus hominibus.

Veteres Medici illud inter potentiora lithontriptica numerabant. Eorum sane promissis delusi Empyrici nonnulli calculum frangere ejus decocto promittunt, sed sæpius malis ægri rebus. Sæpius enim Cl. Tournefortius compertum habuit decoctum Ciceris dolores atroces afferre, si revera in vesica vel renibus calculus adsit. Abstergit enim, & urinas crassas, limosas ac turbidas educit, dum remanet letalis calculus mucagine sua denudatus. Ideo caute eo utendum est.

Apud nos ejus decoctum solum usurpatur in urinæ suppressione a muco copioso vel tenaci vias urinarias fere occludente. Monent autem practici, ne usurpetur frequentius ab illis, in quibus illæ partes exulceratæ sunt. Idem decoctum ad vermes enecandos, & ejiciendos a nonnullis prædicatur, menses etiam promovet, & lochias.

℞. Cicerum rubror. ℥j. Carnis vitulinæ ℔ß. Coq. in q. s. aq. comm. Fiat jufcu-

juſculum in urinæ ſuppreſſione, vel ad mucum & arenulas ex veſica vel renibus expellenda.

♃. Semin. Cicer. rubr. ℥ß. Stipitum Fabarum crematar. M. j. Rad. Gramin. Petroſel. ana ℥ij. Coq. in aq. comm. ℔iiij. ad medias. P. decoctum diureticum, cui adde ſyrup. de Ibiſco Fernel. ℥jß.

Externe Cicer rubrum vi pollet reſolvendi, attenuandi, emolliendi & abſtergendi. Ejus farina in cataplaſmate pſoras & lichenes detergit, tumores mammarum ac teſtium diſcutit.

Uſurpatur in ſyrupo de Althæa *Fernelii*.

## CICHORIUM.

Cichorium ſylveſtre, Cichorium erraticum, Cichorea ſylveſtris, *Off.* Cichorium ſylveſtre ſive officinar. *C. B. P.* 125. *Inſt. R. H.* 479. Cichorium ſylveſtre, Picris *Dodon. Pempt.* 635. Cichorium ſylveſtre *J. B.* 2. 1007. Seris Picris Dioſcoridis, Amarugo Theophaſti, Hippochæris *Dalec. Lugd.* 563. Hieracium latifolium *Gerard*: Cichorium Intybus erratica *Tabern. Icon.* 170. vulgo, *Chicoree ſauvage*.

Radix pedem longa, pollicem craſſa, obliqua & fibroſa, ſucco lacteſcente prægnans, caulem profert firmum, hirſutum, tortuoſum, ſeſquicubitalem, ramoſum, cum foliis Dentis leonis foliis ſimilibus ſed majoribus, pillis hirſutis & obſcure virentibus. Flores in foliorum ſupremorum alis naſcuntur ſemifloſculoſi, plurimis ſcilicet ſemifloſculis cæruleis conſtantes, embryoni inſidentibus & calyce comprehenſis, qui deinde contrahitur & in capſulam abit ſeminibus fœtam angulatis, brevibus, pappo carentibus. Diffluit ex caule, foliis aut radice vulneratis albicans & amarus ſuccus. Amari vero ſaporis folia & radices ſunt. Non modo hic in hortis ſeritur, ſed etiam ſecus vias & in locis incultis naſcitur, ac potiſſimum folia habens profundioribus inciſuris lacinata, quod & reliquis amarius eſt. In uſum veniunt radices, folia, flores & ſemina.

Analyſi chymica, ex foliorum tenerorum recentium ℔v. per B. V. diſtillatis prodierunt humoris limpidi, ſaporis & odoris herbacei, obſcure acidi ℔ij. ℥xiij. humoris limpidi, manifeſte acidi, ℔j. ℥vij. ʒij. Maſſa ſicca in alambice reſidua pendebat ℥x. ʒvij. quæ per retortam diſtillata præbuit humoris rufeſcentis, empyreumatici primo acidi auſteri, deinde ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥ij. ʒv. gr. xxxvj. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gr. xl. olei adipoſi ℥j. ʒiiij. gr. vj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iiij. quæ calcinata per vij. horas reliquit cinerum nigricantium ℥j. ʒvij. gr. xlviij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒvj. gr. lx. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in prima diſtillatione fuit ℥vij. in ſecunda diſtillatione ℥ij. ʒiij. gr. lxij. in calcinatione ℥j. gr. xxiiij.

Radicum tenerarum recentium ℔v. per B. V. diſtillatæ præbuerunt humoris limpidi, odoris & ſaporis herbacei, obſcure acidi ℔ij. ℥xij. humoris manifeſte acidi ℔j. ℥iiij. ʒv. Maſſa ſicca in alambice ſuperſtes pendebat ℥xiij. ʒvj. ex qua per retortam diſtillata prodierunt humoris rufeſcentis, empyreumatici, acidi, auſteri & ſub finem alcali urinoſi ℥iiij. ʒvj.

gr.

gr. lxiiij. olei adipofi ʒvj. gr. lxvj. Maffa nigra in retorta refidua pendebat ℥iiij. ʒij. quæ per decem horas calcinata reliquit cinerum fufcorum ℥j. ʒij. ex quibus falis fixi mere alcali ʒvj. lixivio fuerunt extractæ. Partium jactura in prima diftillatione fuit, ℥j. ʒv. in fecunda ℥iij. ʒvj. gr. xiiij. in calcinatione ℥iij.

Planta & radix moderate amara funt cum aliqua ftypticitate, flores minus amari funt, & faporem glutinofum referunt. Radicum & foliorum fuccus chartam cæruleam colore rubro vix tingit. Folia falem effentialem continere videntur falfum, vitriolico ammoniacalem, multo fulphure involutum. Radices minus falis volatilis urinofi continent, ac proinde majore ftypticitate donantur.

Frequentior eft Cichorii fylveftris ufus in pharmacopoliis quam in culinis. Crudum & viride in acetariis a nonnullis comeditur. Alii vero ob infignem amaritudinem ab ejus ufu abhorrent. At olitorum cura ac diligentia, maxima ex parte amaritudinem deponit, eximium candorem & fuavem teneritudinem adipifcitur; quo fit ut ab omnibus fere in acetariis cum oleo, fale & aceto, aut cum fauccharo & fucco Citriorum vel Aurantiorum fumatur. At vero Cichorium fylveftre toto fuo amarore atque virore ftipatum tanquam polychreftum tum alimenti, tum medicamenti loco variis in morbis laudatur, præcipue ubi refolvendum, abftergendum & temperandum eft. Humores craffos attenuat, glutinofos refolvit, fpiffos fluidiores efficit, folidas partes aliquantifper conftringit & roborat, fecretiones omnes promovet, elegantioremque faciei colorem reddit, calidam vifcerum intemperiem temperat, oriundam nempe ab obftructionibus & ab acrium humorum ftagnatione. Hinc in incipientibus hepatis, & vifcerum obftructionibus, in ictero, cachexia, melancholicis affectionibus, faucium, pectoris, vel aliarum partium inflammationibus feliciter adhibetur, five foliis recentibus crudis aut coctis comeftis, five fucco ad ℥iij. quatuorve, five aqua ftillatitia aut decocto ad ℥vj. haufto, five foliorum exficcatorum pulvere ad ʒj. affumpto. Solum etiam, vel cum aliis plantis idoneis confociatum, five folia, five radices, five tota planta in apozematis & jufculis alterantibus & aperientibus incoquitur. Nec pauci funt qui pro potu folito utuntur levi decocto vel infufo foliorum Cichorii in calida vifcerum intemperie & in affectionibus melancholicis & cachecticis. Blando enim fuo amarore laxiores ventriculi fibras firmat, appetitum excitat, ciborum concoctionem juvat, vias urinarias expurgat, fæpe etiam diaphorefim aut expectorationem promovet. Commendatur etiam in febribus. Novi qui folo ufu foliorum Cichorii fylveftris affidue in acetariis comeftorum diuturnas & contumaces febres intermittentes profligarunt, plurimis febrifugis antea fruftra tentatis. Ufum radicis Cichorii fylveftris in febre hectica infigniter laudat Crato ab experientia edoctus. In febribus inflammatoriis & malignis fuccus defœcatus inter jufcula, tertia vel quarta quaque hora, propinatur ad ℥iij. folus, vel cum fuccis Borraginis, Chærophylli, & cum fyrupo Violarum aut alio conveniente confociatus. Idem fuccus in hepatis, lienis vel vifcerum obftructionibus cum tinctura Martis vel cum fale quocumque digeftivo utiliter quoque præfcribitur.

Ex Spigelio & Simone Paulli ejus folia vere novo collecta exficcata, in

in pulverem redacta & bis die ad ʒj. assumpta mane & sero, podagram præsertim biliosam levant. A Joanne Rhodio adversus melancholiam hypochondriacam juscula Cichoracea plurimum laudantur.

Ex Cichorio sylvestri præparantur in Officinis aqua & extractum: Aqua ex floribus cæruleis distillata inflammationibus & caligini oculorum medetur; cardiaca etiam censetur.

Extractum ad omnia usurpatur quibus Cichorium convenit, solum vel cum aliis extractis amaris & aperientibus, necnon martialibus conjunctum, in electuariis aperientibus, ad ʒß. aut ʒj.

℞. Succi defœcati Cichor. sylvestr. ℥iiij. Tinctur. Martis ʒß. Syrup. de quinque radic. aper. ℥ß. F. potio bis terve die reiteranda in cachexia & viscerum obstructionibus.

℞. Extracti Cichor. sylvestr. ʒij. Extractor. Gentianæ, Centaur. minor. Fumar. Nasturt. Corticis Peruviani & Rhabarbar. Croci Martis aper. & cremor. Tartar. ana ʒj. Salis Martis River. ℈j. Syrup. de Absinth. q. s. M. F. Electuarium. Dosis ʒj. bis terve die. In cachecticis & melancholicis affectionibus, mensium suppressione, & viscerum infarctu.

Folia nomen dederunt syrupo de Cichor. simpl. *Codic. Parisiensis*, & syrupo de Cichor. composito cum Rheo *Ph. Regiæ*.

Semina inter quatuor semina frigida minora numerantur, scilicet Cichorii, Intybi, Lactucæ, Portulacæ.

## CICUTA.

Cicuta, *Off.* Cicuta major *C. B. P.* 160. & *Inst. R. H.* 306. Cicuta *Dod. Pempt.* 461. & *J. B.* 3. 2. 175. Cicutaria vulgaris *Clas. Hist.* 200. *Tragi* 474. vulgo, *Cigue*.

Radice est pedali, digitum crassa, multifida, priusquam caulem ferat; solida, cortice tenui flavescente, carne alba, fungosa, odoris gravis, saporis subdulcis, quando caulem facit interius cava: caule fistuloso, striato, tres cubitos alto, inani, lævi, dilute virenti, nonnullis tamen subrubentibus veluti serpentum maculis resperso: foliis alatis multifariam partitis, glabris, atrovirentibus, graveolentibus, ad Apium hortense accedentibus. Flores umbellatim congesti fastigia occupant, rosacei, quinque scilicet petalis constantes candidis, cordiformibus, inæqualibus, in orbem positis & calyci insidentibus, qui abit in fructum fere globosum, ex duobus seminibus compositum exiguis, hinc gibbis & striatis, inde vero planis, pallide virentibus. Ingratum, gravem virosumque tota planta odorem spirat. Agri Parisiensis incola in umbrosis vulgo nascitur.

Analysi chymica, ex foliorum & caulium tenerorum ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris primo albicantis & turbidi, deinde limpidi, odore & sapore Cicutam referentis, aliquantisper acris, obscure subsalsi, obscure acidi ℔j. ℥viij. ʒiiij. gr. xlviiij. humoris limpidi, ejusdem odoris & saporis acidi & obscure austeri ℔ij. ℥xv. ʒij. gr. xxj. humoris rufescentis,

ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥j. ʒj. gr. xxxix. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gr. xx. olei ℥j. ʒj. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iij. ʒiij. gr. xviij. quæ rite calcinata reliquit cinerum nigricantium & fuſcorum ℥j. ʒiiij. gr. xij. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒvj. gr. lvj. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. xliiij. in calcinatione ℥j. ʒvij. gr. vj.

Totius plantæ ſapor herbaceus ſalſus eſt, odor narcoticus, fœtidus. Succus chartam cœruleam rubro colore perparum inficit. Unde conjicere licet, Cicutam ſale ammoniacali donari cum multo oleo & terra permixto.

Cicutam intus ſumptam venenum eſſe, & publica Athenienſium pœna inviſam præcipueque morte Socratis celebrem, fere inter omnes conſtat. Kircherus *Tr. de Peſte* gravia & admiranda ſymptomata ex radicibus Cicutæ pro Petroſelini radicibus a duobus religioſis viris comeſtis excitata refert. Vix enim in ventriculum deſcenderat cibus, ſtatim virulentam ac mortiferam ſuam virtutem explicat, caput utriuſque tam horrendis fuliginum exhalationibus opplevit, ut uterque protinus mente captus, alter in vicinum lacum ſe præcipitaverit, in anatem ſe tranſmutatum exiſtimans, alter, omnibus ſpoliatis diſruptiſque veſtibus, in publicum prorumpens, nihil niſi flumen ad inteſtini incendii vehementiam extinguendam appetens; in anatem ſe transformatum ſine aquis vivere non poſſe clamaret. Paulo poſt totum corpus livore perfuſum apparuit. Tandem diverſis admotis remediis mortem quidem effugerunt, ſed paralytico membrorum tremore afflicti nonniſi languidam & miſeram vitam per triennium adhuc protraxerunt; denique ambo ſummis doloribus cruciati extincti ſunt. Unde conjicere licet Cicutam non adeo frigidam eſſe, ſicut nonnulli exiſtimaverunt. Nec ſemper noxia eſt hæc planta, imo ſalutifera quandoque deprehenditur, ſiquidem J. Rajus *in hiſtor. plantarum* aſſerit poſt obſervationes Doct. Bovvle pulverem radicum Cicutæ ad grana viginti in febribus malignis & quartana ante paroxyſmum exhibitum omnibus Diaphoreticis antecellere. Et Renealmus *in obſervationibus 3. & 4.* intus hunc pulverem a ℈j. ad ʒß. in vino, vel ejuſdem infuſum a ʒj. ad ʒij. idque felici cum ſucceſſu in ſcirrhis hepatis & lienis ut & pancreatis graviſſimis exhibuit. Caute tamen tali medicamento utendum eſſe cenſemus. Qui vero ab eo abſtinet, prudentior eſt.

Inter Cicutæ antidota commendantur Acetum, Abſynthium, Daucus, Gentiana, Urtica. Tragus refert, quamdam mulierem, cum inter Paſtinacas Cicutæ radicem decoctam forte comediſſet, ebriam quaſi ac inſanam redditam fuiſſe, ut in altum ſcandere ac ſubvolare conaretur, cui hauſtu aceti ſubventum eſt, ut ad mentem rediret. Sennertus folia Abſynthii vel radices Gentianæ aut ſemina Dauci vel Urticæ in pulverem redacta & ex vino generoſo hauſta, vel eorumdem decoctum in vino factum proponit.

Externe frequentior eſt ejus uſus. In primis Cicutæ ſuccus expreſſus, vel ipſa contuſa planta, aut cum decocto applicata mammarum incrementum coercet, duras & parvas reddit, auctore Ettmullero: verum hanc applicationem temerariam & periculo plenam eſſe Dodonæus exiſtimat. Sunt qui non inepte ad nimium lactis proventum mammis puerperarum quæ

lactare nolunt, vel sub metu coagulationis lactis coerciti & indurationis mammarum, plantam hanc contusam & in lacte vel aqua Caprifolii vel in aqua & aceto decoctam, sub forma cataplasmatis, vel succum cum aceti tantillo temperatum applicant.

Henricus ab Heer *in observ.* 7. magnopere commendat Cicutam ad inflammationem & tumorem lienis ex nimia venere, discutit enim & tumorem resolvit. Cicutæ nempe folia si recentia, contusa, si exsiccata, macerata vel decocta in aqua florum Sambuci cum tantillo Camphoræ immittantur intra præputium.

Eadem folia in lacte cocta commendantur ad dolores podagricos & hæmorrhoidales mitigandos; cataplasma ex foliis cum Cochleis & quatuor farinis resolventibus plurimum laudatur adversus hydrocelem & dolorem ischiadicum. In emolliendis tumoribus, tam lienis & hepatis, quam etiam partium externarum duris, nempe schirrosis, strumosis, grumosis, folia & radices potissimum, quocumque modo applicentur, remedia sunt egregia.

♃. Folior. Cicutæ M. ij. Contund. cum limacibus terrestribus n. 24. sensim addendo farinar. resolv. ℥ij. F. cataplasma in tumoribus testiculorum vel mammarum.

In Officinis emplastrum de Cicuta præparatur quod ad strumas & omnes tumores duros & schirrosos emolliendos & præsertim lienis aut hepatis schirrum resolvendum plurimum laudatur, si cum oleo Succini subigatur.

Cicuta usurpatur in empalstro Diabotano *D. Blondel.*

Alia est Cicutæ species, quæ huic in officinis nonnunquam substituitur & dicitur.

Cicuta minor, *Off.* Cicuta minor, Petroselino similis *C. B. P.* 160. Cicutaria Apii folio *J. B.* 3. 2. 279. Cicutaria fatua *Lobel. Icon.* 280. Petroselini vitium *Tragi* 459. Sed viribus priori longe debilior est.

## CINARA.

Cinara vel levis est, nullis neque in foliis, neque in capite spinis seu aculeis armata, vel aculeata seu spinosa; unde duo Cinaræ genera exsurgunt quæ plurimas species seu varietates sub se continent. Duæ potissimum ad culinarum cupedias coluntur.

1. Cinara hortensis, *Off.* Cinara hortensis, foliis non aculeatis *C. B. P.* 383. *Inst. R. H.* 442. Carduus sive Scolymus sativus non spinosus *J. B.* 3. 48. Cinara *Dodon. Pempt.* 724. Scolymus non aculeatus *Tab. Icon.* 695. vulgo, *Artichaut.*

Radice nititur crassa, firma, non insuavi, folia promit pedem & sesquipedem longa, semipedem fere lata, in lacinias latas sublectas divisa, incano & cinereo tomento obsita, potissimum parte prona, spinis carentia aut omnino paucis obsita. Caulis cubito altior, striatus, tomentosus, ramis aliquot donatus, in singulorum cacumine caput gerit hic turbinatum seu in gracilescentem metam productum, ille magis compressum & rotundum, squamis magnis, glaucis, carnosis, acumine obtuso, ungue infimo crassiusculo, tenero, vesco, albicante compactum. Caput illud squamosum seu calyx sensim divulsis squamis superius latescit & se

pan-

pandit, tandemque in medium profert flosculosos flores plurimis scilicet flosculis ex subcœruleo colore eleganter purpureis, quinquefariam divisis, & embryoni insidentibus, qui abeunt deinde in semen oblongum, tumidiusculum, lævi cortice obtectum cinereo, pappis candicantibus & lanuginosis instructum. Floris seu calycis ima pars seu placenta seminum carnosa est esculenta.

2. Cardones, *Off.* Cinara spinosa cujus pediculi esitantur *C. B. P.* 383. *J. R. H.* 342. Scolymus aculeatus *Tabern. Icon.* 696. Cardones *Cæsalp.* 526. vulgo, *Cardons*.

Hæc a priore non differt, nisi quod hujus foliorum omnes anguli & calycis squamæ duris, pungentibus spinis armentur. Caules seu foliorum costæ terra obruuntur, qua ratione mirum candorem contrahunt, teneritudinemque; sicque demptis utrinque foliosis costarum lateribus in cibos vel pretiosos lautioresque transeunt. Utraque planta in hortis colitur.

Analysi chymica, ex placentarum carnosarum Cinaræ tenerarum & recentium ℔v. per retortam distillatis, semotis squamis & seminibus papposis, prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis herbacei, fatui, obscure acidi ℔ij. ʒiiij. gr. xxxvj. humoris primo limpidi, acidi manifeste, sub finem intense acidi, austeri, rufescentis, empyreumatici, ℔j. ℥xj. ʒ. ij. gr. ix. humoris empyreumatici rufi, primo intense acidi, deinde subsalsi & sale alcali urinoso copioso impraegnati ℥ij. ʒiij. gr. lx. olei ad instar syrupi ʒiiij. gr. xlviij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ʒv. gr. xxxvj. quæ per decem horas calcinata reliquit cinerum ℥j. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xviij. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥xj. ʒiij. gr. xxvij. in calcinatione ℥iiij. ʒv.

Carnosa hæc substantia saporem obtinet subdulcem, austerum & vitrioli solutionem nigro colore tingit. Salem igitur essentialem continet tartareum cum terra adstringente copiosa & oleo subdulci conjunctum.

Cardones ab hac carnosa substantia plurimum differunt. Cum phlegmate copiose plurimum salis volatilis urinosi præbent, mediocrem olei & terræ portionem, acidi vero perparum.

Cinara cruda estur plerumque cum adhuc tenera est cum sale & pipere. Sic stomacho grata & amica est, ciborum appetentiam dejectam recreat, potatoribus vero vini potum suaviorem efficit. Ubi vero grandior evasit, coquitur, rejectis squamarum duriore parte & lanugine intus contenta, & ex butyro liquato, aromatis, aceto vel omphacio parata comeditur, vel ex pingui carnium jure elixa, vel per frustula secta & in sartagine frixa additis sale & Petroselino, vel ex oleo & aceto supra cineres cocta. Asservantur quoque placentæ illæ carnosæ in hiemem, si insolentur vel in fumo exsiccentur; atque in loco sicco reponantur, ne situm contrahant, & ad intinctus & carnium condimenta usurpantur.

Quocumque modo præparetur aut coquatur Cinara parum nutrit & succi est crassi & flatulenti, qui fit ut quidam eam venerem stimulare existiment. Concoctu tamen facilis est in ventriculo, si moderate comedatur, ratione stypticitatis suæ qua ventriculi fibræ roborantur. Urinam ciere præcipue traditur, eamque turbidam ac putidam, quem tamen effectum Rajus ipsi denegat.

Foliorum costæ & caules teneri & candidi difficilis coctionis dicuntur, quod verum deprehenditur, nisi ab illis qui eos butyro saturant.

Radices Cinaræ urinas potenter provocant. In decoctis & jusculis diureticis usurpari possunt. A quibusdam earum decoctum ad urinas ciendas in enematibus præscribitur.

## CITREUM ET LIMON.

CItreum, Citrum & Malus Medica, *Off.* Citreum vulgare *Inst.R. H.* 621. Malum Citreum vulgare *Ferrarii hesperid.* 61. Malus medica *C. B. P.* 435. Medica Malus sive Cidromela *Advers. Lob. Icon.* 143. vulgo, *Citronier.*

Arboris modus nostratibus in hortis modicus est. Radix ramosa, alte lateque diffusa, lignosa & corticosa, foris lutea, intus albicans: truncus gracilis, ligno albo duroque, cortice coloris e viridi pallentis: rami numerosi, prolixi, tenues, ductilique lentitia obsequentes: ex his vetustiores diluto virore flaventes, pallidisque aculeis armati, recentiores vero læta viriditate nitidi: summa ramorum foliorumque teneritas rubente virore fusca. Folium ad Juglandis folii magnitudinem accedens, persæpe obtusum, interdum etiam acuminatum, triploque fere in longitudinem quam in latitudinem porrectius, supina parte quam prona viridius, oris leviter incisis serratum, fibris a medio crassiore nervo excurrentibus venosum, nonnunquam corrugatum & veluti bullans, spisso ambitu ramos convestiens & tota hyeme exornans, bene odoratum, gustatu amarum, soli si objiciatur instar foliorum Hyperici foraminibus vel potius punctulis translucidis undique respersum: spina foliorum plerisque superne contigua, gemmæque finitima, acumine subrubens, cœtero viridis, apprime rigida & satis longa. Flores confertim summis ramulis velut odorarium in fasciculum frequenter cohærentes, rosacei, petalis carnosis, persæpe quinis per ambitum resupinatis, foris interfusis rubore, cœterum candidis, in orbem positis, ex caliculo viridi, quinquifido emergentibus constantes, albentibus flavo sub apice, staminibus numerosis bene capillati, languide olentes, gustu primo subdulces, mox amari, partim frugiferi, exstante inter stamina longulo pistillo fructus rudimento, partim citra hoc indicium infœcundi, & hi quidem cito decidui, at illi tenacius hærentes. Fructuum figura sæpius oblonga, nonnunquam globosa, fastigio alias mucronato, alias retuso, superficie rugosa tuberosaque, longitudine non raro dodrantali, imo quandoque majori; magnitudo enim varia, pondusque diversum, siquidem nonnulli ad sex, novem, imo ad triginta usque libras proveniunt: cortex exterior coriaceus, tenuis, amarus & fervidus, colore primum viridi, in maturitate vero aureo seu citrino, odore fragranti: cortex interior seu caro crassa, veluti cartilaginea, firma, candida, subdulcis, aliquantisper acida & leviter odorata; intus divisa in varia loculamenta succi acidi vesiculis membranaceis contenti plena: denique semina cuique pomo complura, alicui quinquagena supra centena in medullæ vesicularis sinu inclusa, oblonga, semiuncialia, utrinque fere acuminata, duriuscula & membranacea

ama-

amara, foris flava, ſtriataque cute veſtita, nucleo duplici, candido, amaricante cum quadam admixta dulcedine referta. In eadem arbore ſæpe viſitur eodem tempore tempeſtivum, & pulchre confuſum floriferum ver cum pomifero autumno, pomis aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis ſubnaſcentibus. Sed per autumnum proventus uberior. In Gallo-provinciæ hortis colitur hæc arbor ab Aſſyria, & Media primum in Græciam, & inde in meridionales Europæ regiones translata. Unde fructus Mala Medica, Mala Aſſyria dicuntur. Fructus partes omnes, cortex exterior ſeu flavedo Citri, cortex interior ſeu caro, pulpa ſeu ſuccus, & ſemina eximii uſus ſunt in medicina.

Analyſi chymica, ex corticis exterioris Citri ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, odorati, & ſapidi, primo obſcure ſalſi, deinde obſcure acidi, cum oleo eſſentiali limpido flaveſcente, odoratiſſimo, ℔iij. ℥iij. ʒj. gr. xviij. humoris limpidi, citrei odoris ſaporiſque grati, manifeſte acidi, & auſteri, cum oleo eſſentiali limpido, flaveſcente, grato, ſub finem rufo ℥xv. ʒiiij. gr. xxxviiij. humoris rufi, empyreumatici, intenſe acidi, auſteri cum levi acrimonia ℥ij. ʒvij. olei tum tenuis, & eſſentialis, tum craſſi, & empyreumatici ℥j. gran. lij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥v. ʒvij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. xxxvij. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒiij. gr. xxxiij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒiij. gr. xxxvj. in calcinatione ℥iiij. ʒv. gr. xxxv.

Ex ſucci Citrei recenter expreſſi ℔v. prodierunt humoris limpidi, ſaporis, & odoris fere expertis, obſcure ſubſalſi, & obſcure acidi ℔j. ℥v. ʒiij. gr. vj. humoris limpidi ſaporis, & odoris expertis, neque manifeſte neque obſcure acidi ℥xiij. ʒiij. gr. xxxvj. humoris primo obſcure acidi, deinde manifeſte acidi, auſteri, ſubſalſi ℔ij. ℥viij. ʒiij. gr. xxx. humoris rufi, leviter empyreumatici, intenſe acidi, auſteri, cum acredine quadam, obſcure ſubſalſi, & alcali ʒvj. gr. xij. olei ſpiſſi ʒij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ij. ʒvij. gr. xviij. quæ calcinata reliquit cinerum ℥iiij. gr. lxj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒij. gr. xxiiij. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ʒvj. gr. xlij. in calcinatione ℥ij. ʒij. gr. xxix.

Itaque cortex Citrei mali plurimum olei continet, cum ſale eſſentiali ammoniacali ſubadſtringente conjuncti. Econtra medulla ſeu ſuccus olei portionem exiguam, & ſalis acidi evoluti plurimum obtinet.

Citrea mala menſis non tam ut alimenta, quam condimenta apponuntur. Saporis, & odoris gratia in taleolas conciſa multis ciborum veneribus intermiſcentur ſola, vel ſacchari polline conſperſa. Succo eorum carnes irrorantur: ejus enim aciditas appetitum languentem excitat, & ciborum concoctionem juvat, modo modicus ſit illius uſus. Cortex exterior propter duritiem in ventriculo difficile concoquitur, quemadmodum & cortex interior ſeu caro alba.

Commendantur integra contra venena febreſque malignas, & peſtilentiales: & a pluribus Medicis Theriacæ, Mitridatio, & confectionibus quibuſcumque alexiteriis in ipſa peſtilentia potiora, & magis proficua cenſentur. Inſuper inſigni donantur antiſcorbutica virtute, ita ut pro hujus morbi ſpecifico remedio habeantur. Equidem ſolo ſucco Citri vel malorum

Citreorum esu scorbutici etiam gravissimi sanantur. Eorumdem succo scorbuticorum gingivæ exulceratæ sæpius collutæ citissime absterguntur. Batavi certe post diuturniores navigationes in Indiam orientalem, aut alia absita loca, ubi scorbutum sæpissime contrahunt, statim atque Lusitanicas oras attingere possunt, & mala Citria vel Aurantia obtinere, ab eo citissime liberantur. In febribus ardentibus & malignis plurimum conferunt ad sitim extinguendam, bilis aut sanguinis æstum & effervescentiam coercendam, vires prostratas restituendas. His nominibus in potum frustulatim secta conjiciuntur. Succus cum saccharo aqua diluitur, & potum præbet refrigerantem, palato gratum, sanis & ægris saluberrimum. Præterea succus Citri diureticus est, arenulas pellit, & ad affectus nephriticos commendatur: vomitiones cohibet, quas biliosi humores movet: affectionibus melancholicis, & hypochondriacis opitulatur: cordis palpitationes spasmodicas sistit: languores quos utriusque bilis fervidi vapores faciunt, discutit.

Externe quoque hæc Mala valde prædicantur in peste, & morbis contagiosis ad contagium arcendum. Pomum Citri solum vel Caryophyllis aromaticis confixum manu assidue gestant, identidem naribus admovent, & interdum morsicant. Equidem hoc modo non tam arcetur contagium, quam compescuntur nauseæ, & vomiturritiones, vel ex pravis ægrotantium halitibus, vel ab imaginatione læsa oriundæ, quibus ventriculus debilitatur, & ciborum concoctio depravatur.

Exterior cortex flavescens valde odoratus est, & aromaticus, quod vesiculis constet innumeris oleo essentiali repletis. Masticatus oris halitum emendat, amarore ventriculum roborat, vermes necat. Ipsi exsiccato vis cardiaca, & alexiteria tribuitur. Flatus potenter discutit, humores crudos in ventriculo aut in intestinis contentos concoquens, ac digerens. Exsiccatus cardiacum vel alexiterium habetur præstantissimum. Saccharo conditus inter bellaria mensis secundis infertur. Electuariis etiam cardiacis admiscetur adversus morbos contagiosos, vel ad ventriculum roborandum, necnon etiam electuariis, & medicamentis purgantibus ad purgantium medicamentorum vehementiam temperandam.

Ex eodem cortice flavo oleum essentiale extrahitur duplici ratione: vel corticis exterioris recentis tæniæ tenuissimæ inter digitos exprimuntur super vitrum latum vel infundibulum vitreum, in quod ros oleosus cadit qui sensim in olei essentialis summe volatilis, penetrantissimi, & suavissimi guttas majores coalescit, & in aliud vas recipiens stillat: vel iidem cortices ærea vesica cum magna aquæ copia, ignis ope distillantur, ut cœtera olea essentialia dicta. Ex his olæosaccharum conficitur quod utiliter julapiis cardiacis, stomachicis, vel extractis purgantibus admiscetur. Sed cavendum est ne immodicus sit horum oleorum essentialium usus, ut jam diximus. Alia est elæosaccharum conficiendi ratio compendiosior, & facilior; affricantur nimirum integra Citrea poma durissimo, & siccissimo sacchari frusto tamdiu donec inde extimus flavescens cortex oleosus plane abrasus sit. Saccharum flavo, & oleoso hoc succo imbutum cultro abraditur, & in vase probe clauso reservatur ad usum.

Syrupi tum ex succo acido, tum ex cortice flavo Citri conficiuntur. Ille dicitur syrupus e succo Citri: potenter refrigerat seu sanguinis æstum compescit, bilis effervescentiam coercet, & urinas promovet. Hic syru-

pus flavedinis Citri nuncupatur, & inter cardiaca, & stomachica numeratur. Nonnulli etiam syrupum totius Citri præparant qui utriusque virtutes in seipso retinet.

Cortex interior seu caro alba rarioris est usus in medicina, & difficile coquitur in ventriculo. Nonnulli tamen vim diureticam, imo lithontripticam ipsi tribuunt, sed illam cœteris diureticis valentioribus consociant. Saccharo rite condita inter dulciaria locum tenet.

Ex pulpa Citri seu medulla acida conditum præparatur quod inter alexipharmaca, & antiscorbutica medicamenta annumeratur.

Semina alexipharmaca existimantur. In quibusdam compositionibus alexiteriis usurpantur. Ventriculi, & intestinorum vermes enecant, menses provocant, flatus discutiunt, humores viscidos attenuant, & dividunt. Ex his emulsiones conficiuntur vermifugæ, & cardiacæ, in morbis malimoris, & pestilentialibus.

Etiamsi in prædictis morbis acida utiliter usurpentur, quia insignem vim habent refrigerandi, aperiendi, pituitam crassam incidendi, putredini resistendi, inflammabilitatem humorum, & eorum acrimoniam demulcendi; advertendum tamen in pleuritide, peripneumonia, hæmoptoe, phthisi, cœterisque pulmonum affectionibus, ventriculi, & intestinorum inflammatione, dysenteria, sanguinis mictum, renum, & vesicæ ulceribus, plurimum nocere. Tunc igitur ab illis abstinendum est. Tussim enim provocant, ventriculi, & intestinorum tormina pariunt, diarrhæas aut hæmorrhagias provocant. Speciatim vero de succo Citri, & Limonum Riverius observat cautum esse debere illius usum; quia frequentius aut nimia copia exhibitus aphthas facit in ventriculo, & excoriationes, unde lienteria succedit.

℞. Cryftall. mineral. ʒj. Sacchar. albi ℥iiij. Coccinillæ gr. xvj. Bulliant in aq. comm. ℔ijß. ad despumationem. In decocto per subsidentiam purgato & per inclinationem a fœcibus separato ac refrigerato mali Citrei succus exprimatur, & sæpius de vase in vas transfundatur liquor pro potu palato grato, in febribus ardentibus, biliosis, malignis, & pestilentialibus perutili.

℞. Folior. or. ʒijß. Mann. Calabr. ℥ij. Sal. vegetabil. ʒjß. Liquiritiæ rasæ & contus. ʒj. Coriandr. ʒß. Folior. Pimpinell. Mij. Malum Citreum unum taleolatim sectum. Affund. bull. ℔ij. Macerentur per noctem. Fiat colatura, & erit ptisana laxans distribuenda in quatuor doses tertia vel quarta quaque hora sumendas.

℞. Radicis Raphani rusticani recentis, & minutim concisæ ʒij. Folior. Cochlear. P. j. Passulas exacinatas n. vj. Liquir. rasæ, & contus. ʒß. Dimidium Citri cum cortice taleolatim concisi, vini, albi, & aq. comm. ana ℔j. Macerentur frigide per 24. horas in vase vitreo rite clauso, identidem agitando. Sit pro potu ordinario in scorbuto.

℞. Spir. Cochleariæ, & Sp. vini ana ℥j. Succi Citri ℥ij. Aq. Nasturtii ℥iij. Fiat gargarisma in scorbuto ad gingivarum exulcerationes abstergendas.

℞. Conserv. Cochlear. ℥ij. Conserv. Lujulæ ℥j. Pulver. Ari comp. ʒvj. Syrup. e Succo acido Citri q. s. F. electuarium de quo sumat æger ter die ad magnitudinem nucis moschatæ in scorbuto, servatis servandis.

♃. Aquæ Parietar. ſtillatit. ℥iiij. quibus dilue ſyrup. e ſucco Citri vel Limonum ℥j. Adde olei Amygdalar. dulc. ℥j. F. potio oleoſa in doloribus nephriticis perutilis.

Obſervabunt Tyrones in julapiis cardiacis, & diaphoreticis Stibii præparationes diaphoreticas cum acido ſucco Citri vel Limonum permiſcendas non eſſe, ne emeticæ fiant. Caveant pariter ne acida emulſionibus commiſceant: quippe ſubſtantiam lacteſcentem facile præcipitant.

Cortex Citri tum conditus, tum ſiccus uſurpatur in opiata *Salomonis*, electuar. de Citro ſolutivo, Tabellis contra vermes laxativis *Penicher. collectan. Pharm.* Pulver. lætificante, & digeſtivo *ejuſdem*. Semina uſurpantur in diamargarito frigido *Codicis Pariſ.* Tabellis contra vermes, Pulver. Pannonico *Charas*, confectione, & Hyacinthis, & opiata *Salomonis*.

Limon, mali Limonia *Off.* Limon vulgaris *Ferrarii heſperid.* 193. *I. R. H.* 621. Malus Limonia acida *C. B. P.* 436. Limonia malus J. *B.* 196. Limones *Lobel. Icon.* 143. vulgo, *Limonier* cujus fructus *Limon.*

Citro congener eſt malus Limonia quam ea de cauſa hìc adjungimus. Arbor enim ſatis procera, nec tamen admodum plerumque ramoſa: oblongo Citri folio, ſed breviore: crebris ſæpe aculeis, at minoribus, & venenatis: languidi odoris flores propemodum æquali, fructu in ovatam figuram conglobato ſed contractiore, remiſſius flavente, ac levius odorato Citrum ex parte repræſentat. Ab eo tamen diſtinguitur fructu minore, cortice carnoſo ſeu interiore tenuiore, copioſiore pulpa, & ſucco uberiore, ut interdum nihil fere niſi ſuccum contineat, eoque magis acido quam quæ mandi facile queat. In hortis Galliæ meridionalis colitur. Poma in uſum veniunt, & medicum, & culinarium.

Limonia mala, cum Aurantiis, & Citreis ſint guſtu acidiora, ideo magis refrigerantia eſſe veriſimile eſt. Valent ad eoſdem uſus atque Citrea; ad venena tamen ut minus efficacia, ita ad æſtuantes morbos valentiora habentur. Cortices Limonum ſaccharo condiuntur pro bellariis. Fructus integri parvi, & virides condiuntur quoque, & inter ſtomachica recenſentur. Quidam Mala hæc taleolatim ſecta, aſperſo multo ſaccharo, comedunt, ſicque appetitum languentem excitant, ſitim potenter extinguunt, & febrilem ardorem compeſcunt. Succus Limonum admodum efficax in diſſolvendis calculis, & detergendis viis urinariis cenſetur. Sed ne quid nimis.

Syrupus de ſucco Limonum in officinis præparatur commendatus ad calculum, & obſtructiones renum: item ad ſitim, & æſtum in febribus ardentibus: cordi, & ventriculo robur addit, & bilis efferveſcentiam compeſcit; ideoque haud infeliciter imbecillitates, lipothymias, vomitus, & ſingultus febribus ardentibus ſupervenientes curat.

Succus Limonum tinctoribus utilis eſt ad colores multos tranſmutandos, aut fixiores efficiendos. Quæ hoc ſucco exarantur ſuper chartam litteræ occultæ, igni admotæ manifeſtæ fiunt.

CI.

## CITRULLUS.

Citrulus, & Anguria, *Offic.* Anguria Citrullus dicta *C. B. P.* 312. *Inst. R. H.* 106. Citrullus folio Colocyntidis secto, semine nigro, quibusdam Anguria *J. B.* 2. 235. Anguria, Cucumis, Citrullus *Dod. Pempt.* 664. Cucumer, vel Cucumis Citrullus *Fuchs.* vulgo, *Citroville*.

Radices habet tenues, rectas, fibratas, capillatasque, spargit per terram sarmenta fragilia, hirsuta, foliis vestita amplis, in profundas lacinias dissectis, asperis, & hirtis, e quorum sinu exeunt capreoli, necnon pediculi, flores sustinentes luteos, campaniformes, patentes, quinquifidos, quorum alii steriles sunt, alii fœcundi seu insidentes embryoni qui deinde abit in fructum magnum, & rotundum, quem vix ambabus ulnis ambias: cortex duriusculus sed lævis, nullis tuberculis inæqualis, atro-viridis, dilute virentibus maculis aut albicantibus perfusus: caro Cucumeris vulgaris, alba vel subrubra, firma, grati saporis. Semen fungosa meditullium occupante substantia immergitur oblongum, latum, compressum, rhomboideum, flavescens aut subrubens, rugosum, duriusculo cortice præditum, sub quo medulla alba esui grata ut Cucurbitarum. Hortos olitorios locupletat. Caro edulis est, & semen e numero quatuor frigidorum majorum.

Analysi chymica, ex carnis Citrulli ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis, & odoris herbacei, obscure subsalsi, ℥vij. ʒvij. gr. xlviij. humoris limpidi, obscure subacidi ℔ij. ℥v. ʒiiij. gr. xlij. manifeste acidi ac tandem intensi ℔ij. ʒij. gr. lxvj. humoris rufescentis, alcali, urinosi ʒv. olei spissi, & gravis ʒij. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes, & jam semi-calcinata pendebat ʒvij. gr. lxij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ʒiiij. gr. xij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒij. gr. xxvj. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ʒj. gr. xxxiiij. in calcinatione ʒiij. gr. l.

Citrullus plurimum phlegmatis continet, mediocrem salis essentialis tartarei, & ammoniacalis portionem, olei vero aliquantulum a sale essentiali ita divisum, ut liquorem aliquantisper mucaginosum constituat. Hic liquor fermentatione saporem nonnihil vinosum adipiscitur, evolutione nempe salis acidi, & olei, sed multo phlegmate obrutorum.

Citrulli caro, quæ cortici subest, a nonnullis cruda, sed frequentius cocta comeditur. Nutrimentum autem confert exiguum, sanguinemque producit aquosum, qui internarum partium inflammationes mitigat, & bilis acrimoniam ac fervorem contemperat. Infinitis modis culinæ eam parant, elixant, frigunt, assant; butyro, lacte, sale, cepis, aromatis, & saccharo condiunt. Imo & Citrulli pulpæ admixta triticea farina, panis conficitur qui flavescit, sapit suaviter, & in refrigerium salubriter assumitur.

Semina refrigerant, & eam ob causam inter semina frigida majora recensentur. Urinas movere dicuntur, vel potius urinarum acrimoniam demulcent, & sanguinis effervescentiam compescendo ejus seri secretionem per renes juvant. Eapropter emulsiones ex his parantur cum decoctis vel

aquis

aquis convenientibus in febribus ardentibus, dysuria, ischuria, ardore urinæ, calculo, renum aut vesicæ exulceratione, arthritidis doloribus; & cum aliis seminibus frigidis consociari solent. Cum medicamentis purgantibus nonnunquam admiscentur ad eorum vehementiam retundendam.

Oleum ex seminibus expressum cutim emollit, ejus inæqualitates lævigat & vitia delet, in pomatis cosmeticis sæpe usurpatur.

℞. Seminum Citrull. & Melonum ana ʒj. Semin. Papaver. alb. ʒß. Contunde in mortario marmoreo sensim affundendo aq. Lactucæ, Portulacæ, vel Papaver. rhæad. ana ℥vj. Colatura cum expressione facta dilue syrup. de Nymphæa, vel Diacodii ʒvj. F. emulsio hora somni propinanda ad sanguinis æstum coercendum & somnum conciliandum.

℞. Semin. Citrull. Cucumer. Cucurbitæ & Melon. ana ʒj. Amygdalar. dulc. decorticatar. paria vj. Contundantur sensim affundendo decocti Hord. vel aquar. Lactuc. Portulacæ ℔ij. Expressione dilue syrup. de Althæa vel Nenuphar. ℥ij. F. emulsio. Sumat æger per cyathos inter juscula, in febribus ardentibus, renum aut vesicæ affectionibus.

℞. Quatuor semin. frigidor. major. ℥ß. Semin. Card. bened. ʒj. Decoct. Scorsonner. vel aquar. Ulmar. Scabios. aut Buglos. ℥xij. F. emulsio qua dilue syrup. Caryophyllor. hortens. vel syrup. flavedin. Citri ℥j, pro duabus dosibus. Unicuique addi potest Diaphor. mineral. ad gr. xv. aut conf. Alkermes ad ʒß. in febribus malignis aut pestilentialibus.

Usurpantur semina Citrulli in pulvere Haly *Pharm. Lond.* Pulvere Diatraganthi frigidi, *Charas*, Electuario Diapruno, El. de Psyllio & El. de succo Violar. *Charas*.

℞. 4. S. Semin. frigidor. major. ℥j. Contusa insuantur in ventre pulli gallinacei & coquantur in aq. communis ℔iij. ad ℔ij. Aqua Pullastri dicitur, quæ per cyathos propinatur in juscula.

## COCHLEARIA.

Cochlearia, *Off.* Cochlearia folio subrotundo, *C. B. P.* 110. *Inst. R. H.* 215. Cochlearia, *J. B.* 2. 942. *Dodon. Pempt.* 594. Cochlearia major Batavica subrotundo folio, *Moriss. H. Oxon.* Britannica, *Gesner.* vulgo, *Herbe aux Cuilliers*.

Radice est candida, crassiuscula, recta, fibrata & capillata: foliis multis, sature virentibus, rotundioribus, auritis, unciam longis, cochlearis fere in modum nonnihil cavis, succi plenis, crassis & pediculis palmaribus insidentibus, acribus, pungentibus, amaricantibus, odoris nidorosi ingrati: caules ramosi sunt, supini, cubitales, glabri, foliis onusti magis laciniatis, longioribus & sine pediculis, floribus ornati tetrapetalis, cruciformibus, candidis, cum calycee quadrifolio & pistillo abeunte in fructum membranaceum, sphæricum, duas lineas longum, bicapsularem, in quo semina continentur parva, subrotunda, rufa. Nascitur in Pyrenæis & in ora maritima Belgii. Planta integra usu est.

Analysi chymica, Cochleariæ floridæ ℔v. demptis radicibus præbuerunt

runt humoris primo albicantis, deinde limpidi, saporis acris, linguam pungentis, odoris penetrantis, Cochleariam crudam referentis, tandem saporis minus acris & acidi ℔ij. ℥xiiij. ʒiiij. gr. lx. humoris primo limpidi, deinde rufescentis, acidi, empyreumatici, postea acidi austeri ℔j. ℥x. gr. lx. humoris rufescentis, sale volatili urinoso impraegnati ʒvij. gr. xxiiij. olei spissi adiposi ʒvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iij. ʒj. gr. liiij. quae calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. vj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒvj. gr. xlviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒij. gr. xliiij. in calcinatione ℥j. ʒiij. gr. xlviij.

Phlegma quod primum in distillatione prodit, turbidum est ab oleo quodam tenui, acri, pungente & summe volatili, a quo plantae odor & sapor acris praecipue pendebat. Praeterea sale essentiali ammoniacali donatur haec planta copioso phlegmate diluto. His principiis Cochlearia humores lentos & crassos incidit & attenuat, illisque morbis medetur qui ab hoc humorum lentore originem ducunt, in primis vero scorbuto, cujus peculiare seu specificum, ut vocant, medicamentum est, unde & Germanice & Anglice inde nomen sumpsit. Usurpari solet a nonnullis in jure carnium lacte aut vino decocta. Verum quia partes illae, in quibus praecipua vis & utilitas hujus herbae consistit, admodum volatiles sunt, & coctione facile evanescunt; J. Raius multa cum ratione satius esse putat succum herbae expressum aut ejus infusum exhibere quam decoctum.

Herba recens leviter contusa vel potius incisa cerevisiae, vino vel aquae infusa in vitro probe obturato, intra tres quatuorve dies totam suam vim antiscorbuticam seu spiritum volatilem eis communicat. J. Raius experientia fretus cerevisiam sic praeparatam pro potu ordinario scorbuticis commendat. Minus proficua est, observat idem auctor, in qua Coclearia diu infusa fuerit: nam diuturna infusione partes terrae & fixiores herbae eliciuntur & cerevisiae communicantur, partesque volatiles vel avolant, vel cum fixioribus complicatae vim suam amittunt. Herba exsiccata nil vel parum habet virtutis. Extractum a nonnullis laudatur, sed in eo parum energiae deprehenditur: diuturna enim evaporatione spirituosae hujus plantae partes avolaverunt.

Licet autem in scorbuto curando Cochlearia apud septentrionales populos primatum ducat, attamen non omnibus naturis conducit. Nam illis, qui phlogosi vagae, observante Ettmullero, rubori faciei, palpitationibus cordis, hypercatharsi, cephalalgiis, & aliis symptomatibus sunt obnoxii, acria haec non conducunt, sed potius nocent; nisi cum Acetosa, Acetosella, Beccabunga, vel lacte, vel sero lactis aut vino propinentur, ut ita temperetur acrimonia eorum volatilis. Unde iis qui laborant febre intermittente scorbutica, cujus norma est typus erraticus, medicamenta antiscorbutica praescribit in sero lactis quod egregie abstergit.

Joannes Junckerus *in Medicinae conspectu*, pro variis naturis varias antiscorbuticorum classes constituit. Temperamentis phlegmaticis acriora & & penetrantiora, Cochleariam scilicet, Nasturtiorum genera, Raphanacea Armoraciam, Sinapi, Coepas, Allium proponit: melancholicis amara, scilicet Beccabungam, Fumariam, Trifolium fibrinum, Chelidonium minus, Cichorium, Chaerophyllum assignat: sanguineo-cholericis acida vel

sola

ſola vel cœteris conſociata, qualia ſunt Acetoſa, Oxytriphyllum, ſuccus Citri, Limonum, Ribium, Berberum, &c. præſcribit. Verum quamplurimi & magni nominis Medici acribus medicamentis antiſcorbuticis acida conſociare amant. Uſu Felici Th. Sydenham cum Cochleariæ condito Malorum Citreorum vel Aurantiorum pulpam adjungit; Martinus Liſter *Exerc. de Scorbuto*, acidos omnes fructuum ſuccos, acetum & ipſum vitrioli ſpiritum; Simon Paulli mixturam ſimplicem ad ℈j. cum ſucco Cochleariæ permiſcet; & Groenlandi populi diuturna experientia edocti ad ſcorbutum curandum Cochleariam & Acetoſam promiſcue apud eos ſponte naſcentes uſurpant. Reipſa in ſcorbuto incipiente ſanguis & lympha ſpiſſiora ſunt, motu circulari per artus lente admodum circumferuntur, & vitali fere deſtituuntur fermentatione, ac proinde acribus & ſpirituoſis medicamentis indigent, ad torpidas fibrarum ſolidarum oſcillationes concitandas, ad humorum lentorem diſſolvendum, & eorum motus tum circularem, tum fermentatitium concitandum; verumtamen in ſcorbuto jam confirmato humores ſtagnatione & mora quamdam ſuſceperunt putredinem, qua ſales in illis contenti urinoſam indolem contrahunt, & evolvuntur, ut in ſanguine, ſero, & urina putreſcentibus obſervare licet, & ſui juris fiunt. Tunc autem urinoſi ſales, ſi ſpirituoſis & actuoſis antiſcorbuticorum medicamentorum partibus concitentur, & agitentur, ſulphureas humorum partes carminant & dividunt, ſpiſſam & viſcidam humorum craſim deſtruunt coagula diſſolvendo, partes ſolidas corrodunt, unde tot ſcorbuti ſymptomata. At vero acidorum ſubtilium & volatilium ex vegetabili potiſſimum deſumptorum intromiſſione hi ſales urinoſi a ſpiculis acidorum irretiuntur, & ex amborum conſociatione exſurgit ſal ſalſus non amplius reformidandus, qui ut plurimum per vias urinarias blande & placide ſecernitur. Actuoſis vero partibus quæ inter acida vegetabilium ſpicula latent, vel quæ cum illis a prudente Medico conſociantur, ſpiſſior humorum craſis diluitur, & blanda vitaliſque fermentatio reſtituitur. Illis, qui hujus ſuccum faſtidiunt, S. Paulli Cochleariæ eſſentiam liquidam proponit in Germania celebratam, quam eo parant modo.

℞. Cochlear. recentis contuſæ q. v. Affunde ejuſdem plantæ ſuccum in quo tantillum fermenti vel fœcis cereviſiæ ſolutum ſit. Irrora, conſperge raro ſale. Hęc probe mixta reponantur vaſe optime operculato tamdiu in locum ſubterraneum uſque dum acriorem odorem ſpirent. Tunc diſtillentur per alambicem in balneo M. & obtinebitur ſpiritus Cochleariæ. Poſtea

℞. Recentia Cochlear. folia. Contunde & torculari valido ex iis ſuccum exprime, eumque in vaſe aut vitro optime lutato defœca & per chartam bibulam philtra.

Hujus hac arte depurati ſucci tribus partibus affunde partem unam ſpiritus Cochleariæ ſupra deſcripti. Digere & circula l. a. Quibus ſi addideris paululum Sacchari, eſſentia Cochelariæ parata eſt. Doſis ℥j. aut ℥ij. Adhuc præſtantior erit, ſi mixturæ ſimplicis dictæ aliquot guttulæ ad ℈j. pro doſi remiſceantur.

Spiritus antiſcorbuticus præſtans præparatur ex aliquot manipulis foliorum Cochleariæ contuſarum & totidem unciis radicis Raphani ruſticani raſæ ſimul mixtis, ſucco Cochleariæ irroratis, per 24. horas maceratis ac tandem blando ignis calore diſtillatis. Hujus ſpiritus unum aut alterum cochlear juſculis vel potionibus antiſcorbuticis affunditur.

Spi-

Spiritus Cochleariæ, annotante J. Junkero; concitat facile sanguinem, infert anxietates, æstuosam cephalalgiam, & maculas nimium expellit. Major *in Chirurgia infusoria, p.* 270. observat spiritum Cochleariæ quibusdam cephalalgiam concitare. Ideo cum acidis liquoribus hunc spiritum semper miscendum esse Ettmullerus existimat.

♃. Radicum Raphani rusticani, Scrophular. minor. Helenii, & Acetosæ ana ℥ß. Folior. Fumariæ, Becabung. Nasturtii aquatic. ana M. j. Summitatum Pini & Abietis, florum Centaur. minor. & Genist. ana P. j. Seminum Erucæ & Aquilegiæ, Bacchar. Juniper. contus. ana ʒj. Coquantur in aq. comm. ℔vj. ad ℔v. addendo sub finem folior. Sempervivi minor. P. ij. Cochlear. M. j. Apozema coletur ad usum. Dosis ℥vj. cum syr. Limon. ℥ß. quater die in scorbuto.

♃. Aquar. stillatitiar. Raphan. rusticani, Nasturtii, Becabung. ana ℥ij. Succi Cochlear. ℥j. Mixtur. simplicis gutt. xxx. Syr. Limon. ℥ß. F. julap. in scorbuto.

♃. Folior. Cochlear. Becabung. Nasturtii Cichor. sylvestr. Oxytriphyll. & Acetosæ rotund. ana M. j. cum frustulo carnis vitulinæ: Fiat jusculum in baln. Mariæ in vase probe obturato.

♃. Rad. Raph. rustican. ℥j. fol. Cochlear. & Nasturtii contusor. ana M. ij. Passular. exacinatar. ʒvj. Fiat infusio ex vini albi vel seri lactis ℔ij. De qua capiat ℥iv.

Externe in scorbuticis oris affectionibus, tumore cruentato gingivarum, earumdem inflammatione, exulceratione, dentium vacillatione, Cochleariæ succus vel ejus spiritus apprime conducunt. His humectetur linteum, quod postmodum affricetur gingivis & partibus oris scorbuto affectis. Vel etiam in gargarismatis recipiuntur. Quidam in succo Cochleariæ aluminis usti tantillum dissolvunt & sic parant gargarisma in excrescentia gingivarum scorbutica egregium.

Cochleariæ succus cum herba contusa & imposita faciei maculas intra breve spatium tollit: postea vero decocto furfuris abluenda est.

Cochleariæ conditum & aquam distillatam in Officinis præparant ad scorbutum & in viscerum obstructionibus perutilia.

## COLCHICUM.

Colchicum vulgare, *Off.* Colchicum commune, *C. B. P.* 67. *Inst. R. H.* 348. Colchicum, *J. B.* 2. 649. *Dodon.* 460. Colchicum Anglicum purpureum, & Anglicum album, *Prakins*, & *Gerard.* vulgo, *Colchique*.

Paulo ante autumni æquinoctium flores erumpunt, nullis jam apparentibus foliis, liliacei, monopetali, ab ipsa radice emergentes sub tubi tenuissimi, tenerioris, albicantis forma in sex partes sensim ampliati: Croci flosculis, & forma, & colore assimiles, dilutius tamen cærulei; staminibus internis pallide luteis & pistillo e floris fundo surgente, & in capillamenta tenuia desinente. Postquam unum aut alterum diem duraverint, flaccescunt. Deinde post sequentis veris initium folia profert terna aut quaterna, oblonga, lata,

lata, lævia, pinguia, Lilii albi foliis, & forma & lævore satis similia: inter quæ medii in brevibus pediculis exeunt duo, tres aut quatuor instar siliquarum foliculi triangulares, crassi, oblongi, in tria loculamenta divisi, & per maturitatem in tres sese explicantes partes, semine pleni rotundiusculo, & rufo colore nigricante, quo maturo folia una cum cauliculis intercidunt.

Radice nititur bulbo simili, turbinata, ab una parte in planum compressa, rimam sive sulcum cum floret habente, reliquo tempore non apparentem, tunicis convestita nigricantibus & fibris aliquot inferius donata. Bulbus ipse carnosus, candidus, lacteo succo manans dum quidem viret & recenter e terra erutus; siccatus etenim rugosus, & foris interiusque nigricat, aut obscure rubescit. Sapore autem est dulci, amaritudinis tamen exiguum salivam eliciens subsequitur. Odorem vero omnes partes gravem & nauseabundum spirant. In pratis agri Parisiensis sponte nascitur.

Medici veteres & Neoterici unanimi consensu Colchici radicem venenatam esse & in cibo acceptam necare pronuntiant. Ferunt eos, qui Colchici radicem comederunt, pruritu per totum corpus affici, in internis partibus morsum, & circa stomachum cum multa gravitate æstum percipere: invalescente vero affectione per alvum cruenta cum ramentis admixti excernere. D. Ludovici narrat unicam Colchici radicem rustico cuidam robusto exhibitam validissime & ad necem usque purgavisse. Petrus Garidel *in Histor. Plant. Aquisextiens.* refert quosdam rusticos tres quatuorve Colchici flores febri intermittente laborantibus comedendos offerre & sæpe felici cum successu. At ipse quamdam vidit ancillam quæ hocce a rusticis acceptum remedium sumpserat, diris anxietatibus circa præcordia & ventris torminibus per tres dies vexatam, quæ tandem post triduum interiit. Legitur apud Historiæ Lugdunensis auctores, Turcas Colchici floribus uti cum inebriari volunt: eos enim vino macerant, quo epoto adeo stupidi redduntur, ut in exstasim abeant. Unde liquet hanc plantam omnibus suis partibus deleteriam esse.

His, qui Colchici bulbum sumpserunt auxilium ferendum 1. per vomitum, per clysteres ex decoctis demulcentibus foliorum & radicum Althææ seminis Lini, &c. deinde lac quodcumque calidum magna copia propinandum est.

Externe vero non nocet, imo juvat. J. Bauhinus refert, quemdam Medicum ad verrucas ani Colchici bulbos tusos cataplasmatis modo superligare: quo remedio excidunt: eumdemque ad pediculos latos pudendorum eorumdem decocto ex aqua locum affectum abluere.

At præstantiorem hujus radicis energiam Georg. Volffgangus Vvedelius peculiari dissertatione nuperrime promulgavit sub hoc titulo *Experimentum curiosum de Colchico veneno & alexipharmaco simplici, & composito Genæ* 1718.

Celebris ille Medicus & summa eruditione & diuturna felicique praxi clarus narrat se ab anno 1668. in hunc usque annum 1718. hanc radicem pro amuleto collo appensam semper gestasse & optimo quidem cum successu, neque seipsum solum, sed & alios plurimos, neque solum in peste, sed etiam in morbis epidemicis quibuscumque, dysenteria, febribus malignis, variolis, morbillis, & similibus.

Oc-

Occasionem qua hoc amuletum sibi ipsi innotuit sic refert. Cum anno 1668. in urbe Gothana strages dysenterica sævire incipiebat, qua minimum quadringenti ipsi curandi incumbebant homines malignis symptomatibus affecti, cum petechiis, deliriis, faucium inflammationibus decumbentes & quotidie invisendi per duos menses & ultra, ipsi occurrit dissertatio, quædam antiloimica de peste universali anno 1637. grassante cum quibusdam remediis & arcanis. Auctor nomine Caspar narrat, quemdam præfectum militum in bellis Hungaricis suos milites solo hoc amuleto a sævienti peste immunes semper fecisse, quod a rusticano didicerat, qui asserebat omnes vicini cujusdam pagi incolas ab eodem præfecto hic degente eodem amuleto præmunitos, pestifera lue affectos non fuisse, dum in pagis, & urbibus vicinis dire sæviret. Laudata experientia inducti Vedelius, & socii appendere cœperunt radicem, & nullus eorum contagiosa hac pestilente dysenteria affectus fuit.

Cum ante aliquot annos, addit Videlius, in urbe Hamburgensi grassaretur pestis, illustris Magistratus a facultate Medica nostra desiderabat duos Medicos pestilentiales, quos illuc mandabamus divinæ tutelæ commissos, & hoc amuletum ipsis appendendum suadebamus. Bene gesta re, liberata urbe, salvi utrique & incolumes redierunt.

Grassantibus variolis ejusdem amuleti efficaciam deprehendisse testatur. Data enim essentia præservativa interne, & amuleto hoc munito corpore vel non correpti sunt quamplurimi, vel levius affecti felicius evasere.

Huic bulbo idem auctor Plantaginis majoris radicem sæpius adjunxit pro amuleto antipestilentiali valde commendatam. Has radices suo tempore collectas, exsiccatas, & contusas cum tantillo pulveris Lavandulæ admixto, ut res coletur, & sacculo inclusas distribuere solebat & Arcanum duplicatum catholicum nominabat. Hoc tandem comprobata quinquaginta annorum experientia publici juris facere non dubitavit velut alexipharmacum pestis, febrium ardentium, malignarum, variolarum, morbillorum purpuræ simplicis puerperarum, dysenteriæ & similium: ita ut vel non corripiant homines, vel minori copia, minori molestia, & periculo.

Attamen Vedelius observat legitimam diætam insuper requiri, vitando noxia & moderationem servando in rebus dictis sex non naturalibus, aere, cibo & potu, somno, motu, & vigiliis, & quiete, excretis & retentis, & animi pathematibus.

Colchici bulbi colligi debent circa festum Sancti Michaelis seu autumnale æquinoctium, dum flores marcescere incipiunt. Tunc enim radix succo turget. Taleolatim concisi in umbra exsiccantur. Cum uno Colchici bulbo crassiuscule contuso radicis Plantaginis majoris seu latifoliæ exsiccatæ, & contusæ ʒj. permiscetur. Sacculo serico incluso de collo suspenduntur, ita ut circa cordis scrobiculum pendeant. Nonnulli his radicibus Camphoræ tantillum addunt: post tres menses amuletum renovandum est.

Jacobus Vvolffius Medicinæ Professor Jenensis in tractatu cujus titulus est *Curiosus Amuletorum scrutator*, testatur hoc amuletum a plurimis laudatum & commendatum fuisse variis temporibus in Germania grassante peste.

peste. At exemplum deficientis hujus amuleti refert in quodam Theologo insigni in Thuringia qui hoc amuleto præmunitus nihilominus febre maligna correptus fuit & interiit. At non ideo omnis virtus huic amuleto deneganda. Non ideo enim medicamentum rejiciendum est, & reprobandum quod una aut altera vice inefficax deprehendatur, modo sæpius profecerit. D. Aug. Quirinus Rivinus *Tractatu de Peste Lipsiensi anno* 1680. de hoc amuleto sibi ipsi communicato mentionem facit tanquam certissimo contra pestem: & postea suam de his amuletis mentem aperit: & non alium esse eorum usum, nisi quod his confisi præsidiis plebeji præsertim magnanimi reddantur, minusque contagium perhorrescant, existimat. Omnes autem norunt quid valeat terror, quantum pestilentiæ vires adauget.

## CONSOLIDA.

PLantæ plurimæ Consolidarum nomen acceperunt propter virtutem vulnera consolidandi, quæ ipsis tribuitur. Sex septemve in Officinis usitatæ sub hoc nomine prostant: scilicet Consolida major, seu Symphitum: majus consolida media, quæ duplex; Bugula una, altera Bellis major sive Leucanthemum: consolida minor quæ etiam duplex; Brunella & Bellis minor: Consolida rubra sive Tormentilla: denique Consolida Sarracenica quæ Virga aurea. De Bugula, Brunella, Ballide majori, & minori suo loco jam egimus: de Consolida rubra differemus sub nomine Tormentillæ, & de Consolida Sarracenica sub nomine Virgæ aureæ. Hic vero Consolidam majorem tractabimus. Alia consolida in hortis sæpius colitur ad ornamentum, quæ Consolida regalis seu regia, sed nullius fere usus est.

Consolida major, Symphytum majus, *Off.* Symphytum, consolida major, *C. B. P.* 259. *Inst. R. H.* 138. Symphytum magnum, *J. B.* 3. 593. *Dod. Pempt.* 134. Consolida major, *Trag.* 240. Symphytum Alum seu Alus. *Lobel. Icon.* 538. vulgo, *Grande Consoude, Oreille d'ane.*

Radicibus est crassis, multifidis, carnosis, toris nigris, intus albis, viscidis, & glutinosis: caulibus sesquicubitalibus, inanibus, hirsutis, asperis, & alatis. folia duas spithamas longa sunt, aspera, hirsuta, obscure virentia palmam lata, mucronata. Flores in summis ramulis & caulibus oriuntur multi, eleganti serie dispositi, antequam aperiantur caudæ scorpii in modum revoluti, penduli, monopetali, albidi, aut purpurascentes, infundibuliformes oblongi & quasi campaniformes, quatuor lineas longi, leviter quinquepartiti, cum calyce quinquifido & pistillo longo flori concolori e centro calycis oriundo abeunte, in quaterna semina caput viperinum referentia, nigricantia & splendentia. Agri Parisiensis incola nascitur in pratis, & secus rivulos. Folia, flores; sed radix potissimum in usum veniunt.

Analysi chymica, ex radicum recentium Symphyti majoris ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis, & odoris herbacei, obscure subsalsi ℥ix. ʒj. gr. xij. humoris subacidi ℔j. ℥xij. ʒvij. gr. xlij. humoris limpidi, sub finem rufescentis, acidi, subausteri ℔j. ℥xij. ʒvij. gr. xlviij. humoris rufescentis, empyreumatici, intense acidi, subacris ac tandem urinosi, & sale

ſale volatili urinoſo, parco tamen impraegnati ℥iij. ʒvj. gr. xxiiij. olei ſpiſſi, gr. lx. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vj. ʒiij. quae rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒv. gr. liiij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒv. gr. xxx. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒv. gr. xxx. in calcinatione ℥iij. ʒv. gr. xviij.

Ex foliis pariter plurimum phlegmatis ſubacidi extrahitur, olei portio exigua, aliquantulum ſpiritus urinoſi, nullus ſal volatilis urinoſus concretus; remanet vero terra copioſa cum mediocri ſalis alcali fixi quantitate. Succus foliorum & radicum fatuus eſt & mucaginoſus, chartam cœruleam leviſſimo colore rubro tingit. Tournefortius ſalem hujus plantae eſſentialem ſali Coralliorum comparat cum aliquanta ſalis ammoniaci portione conjuncto. Ex eorum & pauci olei miſcela compoſitum exſurgit mucaginoſum, unde ejus vires praecipue emanant.

Radix craſſiore mucagine pollet quam Althaea cum qua convenit. Speciatim vulnerarium eſt, antidyſentericum & antihaemoptoicum. Adſtringit autem, conſolidat, incraſſat, & egregie temperat, ſerum ſalſum & acre corrigit. Pulvis radicis exhibetur ad ʒj. In infuſo vel decocto praeſcribitur ab ℥ß. ad ℥j. Conditum quoque ex ea paratur in Officinis, ad ʒij. vel ℥ß. ſumendum. Obſervandum eſt decoctionem hujus radicis mediocrem eſſe debere, ne decoctum mucilaginoſum fiat & nimis glutinoſum ac proinde palato & ſtomacho ingratum & noxium. Eadem radix in ulcere pulmonum & in aliis eorum affectionibus quae a tenui, ſubtili, acri, & calida materia eveniunt, commendatur; ſanguinis ſcreatum & fluorem ſiſtit, renum & veſicae exulcerationibus medetur, dyſenteriae prodeſt tam per os ſumpta, quam ſub enematis forma injecta. Externe & interne exhibita enterocelas cohibet, oſſibus fractis mederi dicitur, vulneribus conſolidandis efficax eſt. Florum decoctum ex vino bis in die ſumptum in cruenta urina optimum ſcribit Camerarius.

℞. Radic. Symphyt. maj. taleolatim ſectae ℥j. Orizae lotae ℥ß. Liquir. raſ. & contuſ. ʒj. Coq. in aq. fluv. ℔iiij. ad ℔iij. F. ptiſana in haemoptoe.

℞. Pulmonis vitulini dimidiam partem minutim ſectam, Orizae cochlearia duo, radicis Symphyti maj. ℥ij. fol. Urtic. urentis & Plantag. ana M. j. Coq. in aq. comm. q. ſ. F. juſcula duo in ſputo cruento. Vel

℞. Pulver. ad. Symph. major. Terrae japonic. ana ʒj. Succin. pp. Maſtiches pulver. ana ʒß. ſyr. Corallior. q. ſ. M. F. opiata. Doſis ʒj. ter quaterve die.

℞. Pulver. Symph. major. & Tormentill. ana ʒj. fol. Alchimill. Plantag. ana M. j. flor. Hyperic. M. ß. Coq. leviter in aq. comm. ℔j. Colatura dilue ſyrup. de Symph. Fernel. ℥j. F. tres doſes quarta quaque hora ſumendae in haemorrhagiis.

℞. Rad. Conſolid. major. ℥j. radic. Tormentill. & Biſtortae ana ℥ß. folior. Pyrol. Alchymill. & Sanicul. ana M. j. Coq. in aquae Chalybeatae q. ſ. Colaturae adde olei Hyperic. ℥j. F. enema antidyſentericum.

Externe admota Symphyti radix vulnera conglutinat, dolores compeſcit, fracturas oſſium conſolidat, herniis & luxationibus confert, atque potenter adſtringit. In luxationibus & fracturis oſſium Ettmullerus commendat cataplaſma factum ex radice Symph. major. contuſa, permixta

cum pulvere osteocollæ, vel etiam cataplasma ex radicibus Symphyti & foliis & radicibus Geranii rubri seu sanguinei. Parkinsonus & Rajus radices recentes minutim concisas, tusas & impositas ad dolores podagricos leniendos & ulcera serpentia aut etiam gangrænas compescendas plurimum laudant. Cataplasma sequens a Paulo Hermanno ad quamvis herniam recentem ex laxato peritoneo commendatur.

℞. Semin. Nasturtii hortens. ℥ß. Gumm. Carann. Mucaginis ex rad. Symph. extract. ana ℥j. F. cataplasma.

Ex Symphyti radicibus paratur syrupus de Symphyto simplex, seu syrupus Boyleanus a celeberrimo Roberto Boyle plurimum laudatus pro hæmoptoicis. Sic autem conficitur.

℞. Radic. Symphyt. major. ℥iiij. folior. Plantag. M. xij. Contusis exprimatur succus cui adde Sacchari pondus æquale & fiat syrupus s. a.

Usurpatur insuper radix Consolidæ in pulvere *Bauderoni* ad puerorum enterocelem, Balsamo polychresto *Ejusdem*, Aqua vulneraria *Lemery*, Unguento mundificativo de Apio, Emplastro ad herniam *Charas*, Emplastro pro fracturis & luxatione ossium *Ejusdem*, Emplastro Regio ad herniam, vulgo, *du Prieur de Cabrieres*.

## CORIANDRUM.

Coriandrum, *Offic.* Coriandrum majus, *C. B. P.* 158. *Inst. R. H.* 316. Coriandrum, *Lobel. Icon.* 705. *J. B.* 3. 2. 89.

Radice est tenui, candida, simplici, nonnullis fibris stipata: caule simplici, gracili, tereti, glabro, medulla farcto, sesquicubitali; ramoso: foliis inferioribus quasi conjugatis, rotundioribus, pulchre incisis; superioribus multifidis ac profunde dissectis. Flores in summis ramulis adsunt in umbellam digesti, rosacei, ex albo purpurascentes, ex quinque petalis inæqualibus & bifidis constantes, cum calyce in duo semina abeunte quæ simul juncta sphæram integram complent primo viridem, deinde pallide flavescentem. Odor totius plantæ aromaticus sed vehemens, gravis & ad cimicum odorem accedens. Seminum odor progressu temporis mitescit & suavior fit, gratusque sapor. In arvis circa Parisios colitur. Semen solum in usum venit.

Coriandri semen dum recens est, habet odorem gravem, aliquantisper virosum, caput tentantem, qui tamen per exsiccationem & progressu temporis evanescit & in gratum ac suavem odorem convertitur. Oleum essentiale tenue, odorum, & aromaticum analysi chymica suppeditat, cum phlegmate acido & aliqua spiritus urinosi portione.

Magna de Coriandri facultatibus inter auctores agitatur controversia. Plerique Arabes & Græcorum nonnulli Coriandro frigidam facultatem, narcoticam, stupefacientem atque deleteriam tribuunt. His adstipulatur Matthiolus, qui asserit semen in ciborum aut medicamentorum usum nunquam admitti debere, nisi prius triduo aceto fuerit maceratum. Tragus etiam, qui monet seplasiarios, ne semen cuiquam nisi prius dicto modo præparatum vel cum Saccharo vendant, nisi venenum loco remedii exhiberi velint.

His

His adversantur Lobelius & Alpinus, qui asserunt herbæ etiam virentis usum in cibo esse apud omnes Ægyptios familiarissimum. Hispani quoque, auctore Amato, frequentissime illa utuntur & pro cordiali habent. Nihilominus tamen experientia docuit, monachos in Mesnem propter hunc usum Hispanorum plurimos esse fatuos, ob quorum curam jam frequentia sunt valetudinaria publica. Malignitatem arguit fœtor plantæ digitis comminutæ teterrimus. Utcumque hoc medicamento propter malignam vim quæ ei a multis dubio procul non absque experientia tribuitur, præsertim non temere utendum censet J. Bauhinus. Verum Zvvelferus existimat noxiam seminis Coriandri qualitatem, si qua inest, a cruda ejus & excrementitia humiditate & immodico usu dependere. Siquidem semen viride virosum quid spirat quod evanescit dum siccatur. Quapropter utrum hæc noxia qualitas rectius aceto affuso, an vero sola & simplici exsiccatione corrigatur, inquirit: ac tandem concludit hanc qualitatis nocivæ, crudæ, excrementitiæ correctionem melius arescentia quam aceti maceratione & iterum exsiccatione perfici, quia vis seminis Coriandri carminativa & balsamica sic non destruitur, imo conservatur & augetur; olea enim essentialia in quamplurimis aromatis exsiccatione magis evolvuntur. Aceto autem potiore sua virtute spoliantur, dum acetum partes oleosas volatiles ac spirituosas figit, & in aliud compositum traducit, ut experientia quemvis edocere potest. In eadem sunt sententia S. Paulli, Fredericus Hoffmannus, Ettmullerus, Paulus Hermans quotidiana experientia edocti, quandoquidem populi plurimi Coriandrum tanquam gratissimum aroma cibis admiscent.

Laudatur autem semen Coriandri tanquam carminativum & stomachicum singulare. Viscidos incidit ventriculi succos & inde flatus ructusque enatos dissipat. Commendatur maxime illis quibus ex sympathia ventriculi caput dolet. Habet etiam aliquid adstrictionis qua ciborum concoctionem juvat, & in hæmoptisi, nimiis menstruis & ventris fluxibus conducit. Insuper strumas discutere creditur. Externe in flatulentis herniis laudatur.

℞. Semin. Coriandri, Anisi, Fœnicul. ana ℥ß. Cinnamom. acut. ℥j. Macis ʒj. Flavedin. cortic. Citr. ʒij.

℞. Semin. Coriandr. ℥ß. Anisi, Fœnicul. ana ʒj. Nuc. mosch. ʒß. Cinnamom. ℈j. Piper. long. ℈ß. Sacchar. alb. ℥j. M. F. pulvis post pastum sumendus ex vino. Dosis ʒj. ad ciborum concoctionem perficiendam, ructus, flatus, & colicos dolores discutiendos.

℞. Semin Coriand. ℥ß. semin. Cumin. Anis. ana ʒj. Alum. rup. ʒß. Vini rub. Aq. chalib. ana ℔ß. Coq. & applica decoctum in fotu herniæ flatulentiæ.

Semen integrum Saccharo obduci solet. Usurpatur in Clareto, vulgo dicto *Rossolis des six graines*: aqua Melissæ composita *H. R.* pulvere digestivo *Charas*.

## CORNUS.

Cornus & Cornus mas seu sativa, *Off.* Cornus hortensis mas, *C. B. P.* 447. *Inst. R. H.* 641. Cornus sativa seu domestica, *J. B.* 1. 210. Cornus, *Clus. Histor.* 12. *Camerar. Epitome* 159. vulgo, *Cornouiller*, *Cornier*: cujus fructus Cornum, *Cornouilles* dicitur, aut *Corne*.

Arbor eſt mediocriter procera , multis brachiata ramis , cortice ſubrubro vel cinereo , ſcabro , materie alba , firma , ſolida & dura : foliis lævibus , latis , mucronatis , venoſis per oras , æqualibus , ex viridi nigricantibus , Cotoneæ mali pene ſimilibus. Flores primo vere profert , antequam folia erumpant , in ramorum extremis ſurculis inſidentes , numeroſos , roſaceos ſeu quatuor petalis croceis conſtantes , cum ſtamulis exiguis , luteis , ex calyce tetraphyllo communi , purpuraſcente vel ſubluteo , ſex , octo, vel decem prodeuntes. Fructus ſubſequuntur oblongi , ad Olivam accedentes , graciliores , molles , carnoſi , primum virides , poſtea rubri , ſanguinei , majores , nonnunquam ceræ colorem referentes , raro albicantes , forma ſua ad Jujubas accedentes , guſtu primum acerbo, at ubi maturatione remollita fuerint , acido , dulci & ſuavi , cum quadam tamen adſtrictione , oſſicula condentes oblonga , teretia , qualia fere in Olivis , duriſſima , in duo loculamenta diviſa , in quibus nuclei latitant exigui , ſubdulces , graciles. In hortis colitur . Fructus edulis eſt, & in uſum medicum nonnunquam venit.

Analyſi chymica fructus nondum bene maturi plurimum præbuerunt phlegmatis acidi , auſteri & terræ , mediocrem olei craſſi portionem , nonnihil ſalis fixi mere alcali , fere nullum vero ſpiritum urinoſum. Fructus aciditate ſtyptica pollet & inſtar Aluminis cœruleam Heliotropii tincturam rubram efficit , adeo ut ejus ſalis eſſentialis cum ſale aluminoſo multa ſit affinitas.

Fructus nullo in ciborum honore niſi apud vulgus & ruſticos habentur . Refrigerant , exſiccant , adſtringunt quomodocumque ſumpti . Ob id contra alvi profluvia , menſium & hæmorrhoidum immoderatiorem fluxum exhibentur. Sed præſtat ad ſuavitatem ſuccum ex fructibus expreſſum cum Saccharo in Cydonitis conſiſtentiam coquere : tunc enim acidulo ſapore palato magis blanditur . Dyſentericis & aliis qui adſtrictione indigent non minimum proficit . Fit etiam ex iis Rob ſeu Sapa , ſed minus gratum . Nonnulli in diarrhæa & dyſenteria fructus exſiccatos & pulveratos ad ʒj. præſcribunt. Vinum quoque adſtringens a nonnullis paratur adverſus eoſdem morbos cum fructus contuſi ℔x. Vini rubri ℔. centum , aquæ ferratæ ℔xij. ſimul fermentatis . Corna frigido ventriculo nocent & ejus cruditates adaugent.

Corna ſicca contrita & cum oleo myrtino aut omphacino mixta in emplaſtri formam præſenti auxilio ſunt ad vomitiones ventriculo impoſita : contra fluxum autem alvi abdomini admota ; contra menſes immodicos pectini & coccygi applicata.

In Hetruria abſtinent demorſi a cane rabido per integrum annum a quorumdam lignorum præſertim Corni contactu : ſiquidem ſi harum virgæ tantiſper manibus teneantur , donec concaleſcant , illico demorſi rabie exagitantur , ſic narrante Matthiolo.

Folia quoque & germina guſtu acerba ſunt , valenterque deſiccant ; itaque maxima vulnera glutinare poſſunt.

Hujus arboris lignum omnibus lignis durius perhibetur , ad radios & dentes rotarum & cochleas utiliſſimum.

# CORYLUS.

PLurimæ ſunt Coryli ſpecies ratione fructuum ſive nucularum inter ſe diverſæ. Sunt enim vel domeſticæ ac cultæ, vel ſylveſtres. Ex domeſticis quibus hortorum pergulæ ornantur aliæ ſunt oblongæ, & abditæ latent in calycibus longis, calloſis, herbaceis, in extremo fimbriati: aliæ rotunditate inſignes, & calycem exteriorem breviorem, & magis patulum habenter. Inter longiores, quæ membrana rubente obvelantur, ſunt præſtantiores. Sylveſtres ſeu calvæ dictæ parvæ admodum ſunt, minus gratæ, & in ſepibus, dumetis, & ſylvis paſſim naſcuntur. Harum innumeræ fere in figura, magnitudine putaminum, craſſitie, nucleorum ſapore, matureſcendi tempore differentiæ ſunt. Duas tantum conſiderabimus apud nos magis uſitatas quæ colliguntur ex arbore pumila quæ dicitur Corylus.

Corylus, Nux Avellana, *Off.* Corylus ſativa fructu albo minore, ſive vulgaris, *C. B. P.* 417. *Inſt. R. H.* 581. Corylus ſativa, *J. B.* 1. 266. Corylus, *Cluſ. Hiſtor.* 11. vulgo, *Noiſetier.*

Corylus ſativa, fructu rotundo maximo, *C. B. P.* 418. *Inſt. R. H.* 581. Avellana Lugdunenſis major, *Camerar. Hort.* vulgo, *Aveline*, quarum fructus, Nuculæ Avellanæ, Nuces Ponticæ, Nuces Præneſtinæ, Nuces Heracleoticæ, *Avelines*, *Noiſettes*.

Corylus arbor pumila eſt, radice craſſa, alta, nodoſa, late diffuſa, craſſis caudicibus in multos ac robuſtos ſtolones diviſis, virgaſque lentas, enodes, obſequioſas, cortice, ubi annoſi fuerint, incano, & lævi obductis, materie candida, molli: foliis latis, majoribus, rugoſioribus quam Alni, modice ſerratis, colore virentibus, averſa parte albidioribus. Flores oblongi, tenues, compactique. Juli cum quibuſdam coccineis filamentis pro floribus dependent primum virides, deinde flavi, plurimis foliolis conſtantes axi ſquamatim affixis, quibus ſingulis ſubſunt denſo agmine apices flaveſcentes. Fructus in eadem arbore a floribus ſeparati naſcuntur aliquot ſimul juncti, involucris calloſis, ſuccoſis, herbaceis, barbatis, hirſutis, adſtringentibus, & acidis obſepti, magnitudine dimidio minores ut plurimum Juglande, oblongi, vel globoſi, putamine umbilicato per maturitatem flaveſcente aut rufo, lævi, lignoſo, & duro ſatis: cui ſubeſt pellicula in domeſticis quibuſdam coccinea, in aliis ſubrufa, nucleum obveſtiens albidum, firmum ſicut Amygdali nucleus, ejuſdemque ſapore dulci, lacteum remittentem ſuccum. In Avellanis nucibus antequam nucleus formetur aut perficiatur, ambiens pulpa eſt candicans, fungoſa, ſaporis acidi. Domeſticæ habentur in hortis, vineis, & viridariis. Sylveſtres vero ubique proveniunt, in ſylvis, & ſecus itinera. Fructus uſu ſunt.

Analyſi chymica Avellanæ nuces mediocrem phlegmatis tum acidi tum urinoſi portionem continent, plurimum olei tum tenuis tum ſpiſſi, & reſinoſi pluſquam dimidiam partem, parum terræ, & ſalis fixi.

Alimentum copioſius præbent Avellanæ quam Juglandes, ſed craſſum. Potiſſimum expetuntur recentes, nondum perfectam maturitatem aſſecutæ, quo tempore magna humiditate excrementitia donantur; tunc palato gratiores

 ſunt,

ſunt, ſed nullo modo concoquuntur in ventriculo. Bene maturæ, & per aliquod tempus aſſervatæ ſalubriores ſunt. Incruſtantur Saccharo, & inter tragemata accenſentur. Quidam ſcribunt novem vel decem Avellanas perpurgatas, ante paſtum per aliquod tempus comeſtas, a nephriticis doloribus liberare. Bechicam quamdam vim obtinent ob copioſum earum oleum dulce, nec inepte medicamentis thoraci dicatis admiſcentur, aut ex his lac exprimitur Avellanatum dictum, non ſolum tuſſientibus, ſed etiam cœliacis & dyſentericis prodeſſe fertur. Adſtringentis enim quid obtinent.

Nuces Avellanas ſtomacho infeſtas eſſe, & difficulter concoqui, necnon caput gravare, præſertim largius ſumptas Medicorum veterum, & recentiorum communis eſt ſententia. Si quis poſt cibos illas edat, ſitim, & inflationem moleſtam percipiet. Vulgaris eſt opinio nuces Avellanas pinguedini corporis conferre: ac etiam anhelofos, & aſthmaticos efficere ad ſatietatem eis veſcentes vulgo perſuaſum eſt. Quod alvum ſiſtant, & dyſentericis proſint, nonnulli ſcribunt: alii, & verius dyſenteriæ aut diarrhææ obeſſe potius quam prodeſſe tradunt, ideoque in ejuſmodi morbis ab iis omnino abſtinendum. Inteſtinis infeſtas eſſe experientia docere conatur Tragus. Pueri namque, inquit, ſi Auguſto menſe Avellanas nuces avide devorant, facile in dyſentericum morbum incidunt. Ad dyſenteriam etiam peſtilentialem nocuas eſſe vulgo perſuaſum eſt.

Oleum ex Avellanis nucibus per expreſſionem extrahitur, quod ad tuſſim veterem, & diſtillationes utile Tragus ſcribit. Hoc oleo mulierculæ infantium caput inungunt, ut capilli majori copia creſcant.

Avellanarum juli, cortices exteriores virides, & putamina adſtringere, & ventris fluores ſiſtere affirmant qui, de illis ſcripſerunt. Putaminum pulverem cum pulvere ſeminis Aniſi mixtum Ettmullerus ad fluorem album commendat.

Ligno Corylino vis ſudorifera & diuretica a nonnullis tribuitur. Sed præſtantiora habemus ligna ſudorifera in Guaiaco, & Saſſafras. Ex hoc ligno oleum per diſtillationem extrahitur, quod ſæpius ſuper calcem vivam diſtillatum, aut ut ajunt, rectificatum, amittit odorem empyreumaticum, colorem limpidum aureum adipiſcitur, & eſt oleum Heraclinum a Rulando Medico Cæſareo magnopere decantatum ut antiepilepticum, anodynum & anthelminthicum. Doſis a guttulis ij. ad x. cum mica panis vel in quolibet condito idoneo. Ad epilepſiam infantium etiam commmendatur a nonnullis ſpiritus acidus qui in eadem diſtillatione cum oleo prodit.

In Corylo viſcum nonnumquam naſcitur quod epilepticis aliiſque capitis affectibus obnoxiis Querno longe utilius a nonnullis habetur: a ℨß. ad ℨj. ratione ætatis ejus pulvis exhibetur. Illud autem certo tempore collectum, nempe luna creſcente, inter duos dies B. Mariæ expoſtulant. Nam tale viſcum amuleti inſtar collo appenſum contra epilepſiam, paralyſim, & morbos ab incantatione ortos plurimum valere credunt. Ex eodem parant unguentum ad veneficiorum infringendam vim mirabile, cujus deſcriptio apud Henricum ab Heer *L. primo Obſerv. octava* videri poteſt; ſed has nugas ne dicam impoſturas aniculis delirantibus relinquimus. Ejuſdem farinæ eſt virgula divinatoria qua vulgus metallicorum ad venas metallorum inquirendas utitur, & ex ligno Corylino parat.

Lignum Corylinum ad varios uſus mechanicos utile eſt.

COTO-

## COTONEA MALUS.

PLures sunt hujus arboris species, quæ quidem inter se nonnisi fructus magnitudine, & forma different. Harum duo genera constituuntur potissimum, sativa, & sylvestris; sativa duplex, fructu nempe majore, & minore.

Cotonea malus fructu majori, *Off.* Cydonia fructu oblongo læviori, *Inst. R. H.* 632. Malus Cydonia fructu oblongo, & læviori. *H. R. P.* Mala Cotonea majora, *C. B. P.* 434. Cydonia majora, *Raii Histor.* 1453. Cotonea malus, *J. B.* 1. 27. vulgo, *Coignier femelle*.

Cotonea malus fructu minori, *Off.* Cydonia fructu breviore, & rotundiore, *Inst. R. H.* 633. Malus Cydonia fructu breviore, & rotundiore. *H. R. P.* Mala Cotonea minora, *C. B. P.* 434. Cydonia minora, *Raii Hist.* 1453. vulgo, *Coignier femelle*.

Cotonea malus sylvestris, *Off.* Cydonia angustifolia vulgaris, *Inst. R. H.* 633. Malus Cydonia angustifolia vulgaris, *H. R. P.* Cotonea sylvestris, *C. B. P.* 434. vulgo, *Coignassier*.

Arbor est humilis sæpiusque tantum instar fruticis assurgens, radice copiosa, fusco cortice vestita, alias recta, alias oblique acta, e cujus summo multi stolones virgati sese exerunt: ligno contorto, intus pallente, & albicante, firmo satis & æquabili, cortice obtecto mediocri, non rimoso nec valde scabro, inferna parte subfusco, superne subcinereo, læviore atque glabro, foliis Malo vulgari æqualibus, subrotundis mucronatis, nulla in ambitu crena incisurave dissectis, prona parte cana lanugine ubertim obsitis, supina vero viridantibus, & lævibus fere, rarius, & nonnisi tenellis foliis lanuginosis, quæ lanugo facile affrictu digiti deraditur. Flores non multi simul ut in Malis, sed in surculis singulares, rosacei, Rosis sylvestribus persimiles, quinque petalis subrotundis ac semiuncia latioribus, carneo colore præditis, in orbem positis constantes: in quorum medio stamina multa purpurascentia, apicibus luteolis, calyci insident composito ex quinque foliis ex viridi canescentibus, villosis, quæ postmodum fructus Πθάκεν seu umbilicum foliatum efficiunt, & embryone tumido, oblongo, lanuginoso, qui cadentibus florum petalis incrementum capescit donec fructus perficiatur magnitudine Mali, figura varius, turbinatus, modo circa pediculum, modo circa umbilicum angustior, alias subrotundus, & torulis (*Godron*) eminentibus tuberosus, parvus, magnus, mediocris, densa lanugine rasili obducta, carne firma, melina, odora, adstringente, & subacida. Semina in ipso pomi centro quinque cellulis distincto continentur, cortice spadiceo, medulla alba, Pyri seminibus non multum dissimilia, viscido quodam lentore lubrica, quem in aquam dejecta deponunt, & ipsam mucilaginosam reddunt: fructus odorem gratum quidem sed vehementem spargunt, & qui quorumdam capita ita percellit ut ipsis dolorem moveat, præsertim si conclavi inclusi habeantur. Arbor in hortis, & viridariis passim colitur. Ex usu sunt fructus, & semina.

Analysi chymica, ex pulpæ malorum Cydoniorum rasæ ℔v. per vaporarium distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis, & odoris tenuis mali Co-

li Cotonei, primo obscure acidi, deinde subacidi ℔ij. ʒiij. humoris limpidi, & subausteri, ℔j. ℥viij. ʒiiij. gr. lx. Massa in vaporario residua, fusca, fere exsiccata pendebat ℥xviij. ʒvj. quæ per retortam distillata præbuit humoris primo limpidi, rufescentis, deinde fusci, odoris, & saporis empyreumatici ℥vij. ʒij. gr. xxxvj. olei ℥j. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ʒvj. quæ per 29. horas calcinata reliquit cinerum fuscorum subrubentium ʒiij. gr. xxxvj. Partium jactura in distillatione fuit ℥viij. ʒvij. gr. xlviij. in calcinatione ℥v. ʒij. gr. xxxvj.

Cotonea mala sapore acido austero donantur. Odorem spargunt haud dissimilem illi, qui ex olei vitrioli, & spiritus vini mixtura per aliquam digestionem exhalat. Salem continent essentialem acidum, stipticum, pauca terra implicitum, ac multo phlegmate dilutum.

Crudorum malorum Cotoneorum vix ullus est esus. Cocta palato gratiora, & naturæ amica magis. Adstringunt valide, præsertim quæ cruda; ventriculum firmant: vomitiones arcent, alvi profluvia sistunt. Propterea cœliacis, lientericis, dysentericis, diarrhæa conflictatis, sanguinolenta, & purulenta exscreantibus, vel fluore mensium aut hæmorrhoidum immoderatiore affectis utilia sunt: venenorum vires frangere dicuntur. Ante cibum sumpta alvum constipare creduntur, econtra a pastu laxare. Certum est alvum movere, si avidius, & copiosius ingerantur. Apponuntur mensis secundis vel sub cineribus cocta, vel saccharo condita. A nonnullis in veru assantur, & tostarum carnium succo irrorantur. Frustulatim secta, seminibus, & cortice mundata, caryophillis confossa, cum vino, cinnamomo, & saccharo elixantur.

Officinæ pharmaceuticæ varia ex Cydoniis conficiunt. Ex his fructibus tusis, expressis, & cum melle fermentatis fit vinum melites vel cydonites, quod paratur etiam ab aliis conjiciendo tantum Cydonia mala frustulatim secta in dolium vino repletum. Mivam, & gelatinam parant ex succo expresso defœcato, & ad mellis aut gelatinæ consistentiam cocto, cum vel sine saccharo. Ex fructuum pulpa tusa, & cum saccharo cocta fit Cydoniatum vel Cotoneatum aut marmelata. Syrupus ex eorum succo paratus in officinis servatur; oleum quoque ex malis cotoneis nondum maturis in oleo communi decoctis.

Sylvius de Leboe *Method. Medend. lib.* 2. *c.* 10. refert se effectum mirabilem & valde laudabilem percepisse non sine admiratione ex syrupo seu miva Cydoniorum ex solo succo ad syrupi consistentiam igne blando decocto. Hujus, inquit, si cochlear semis vel plus adultioribus exhibeatur, pituitam glutinosam incidit, & nunc tussi ex pulmonibus educit, nunc vomitu e ventriculo tenuique intestino, nunc dejectione ab iisdem partibus expellit; quodque maximi faciendum, robur simul affert ægris, adeo ut hoc uno remedio plures restituerim ægros a plerisque medicamentis abhorrentes. Pituitæ autem in primis conducit tum evacuandæ, tum corrigendæ. Est & seminibus sua præstantia. Aqua infusa seu macerata mucilaginem præbent quæ lenit & vitiosorum humorum acrimoniam demulcet. Gargarismatibus admiscetur hæc mucilago cum aqua rosacea vel alia quacumque extracta ad linguæ ariditatem in febribus ardentibus leniendam, collyriis ad ophtalmiam sanandam, enematibus ad dysentericorum tormina placanda, & dolores hæmorrhoidum sedandos: scissuris mammarum, & ambustis insuper illinitur utiliter.

24. Mu-

℞. Mucilaginis semin. Cydonior. & sem. Psyllii extractæ cum aqua rosarum ana ℥ij. albumin. ovi dilutissime agitati, & aq. Plantag. ana ℥j. Camphoræ gr. iij. F. collyrium in ophtalmia.

℞. Mucilag. sem. Cydonior. Psyllii & Hormin. cum aq. Semperviv. vel Plantag. extract. ana ℥ij. Pulpæ malor. Cydonior. sub ciner. coctor. & pomor. dulc. ante ignem coctor. ana ℥iij. Camphor. ℈j. sacchar. saturni ℥ß. F. cataplasma ad ambusta, oculorum contusiones & ophtalmias.

Succus Cydoniorum malorum usurpatur in syrupo de Absynthio & syrupo Emetico *Charas*, & semina in syrupo jujubino *Ejusdem*.

## C R U C I A T A.

CRuciata & crucialis, *Off.* Cruciata hirsuta *C. B. P. 335. Inst. R. H.* 115. Cruciata *Dod. Pempt.* 357. Gallium latifolium, Cruciata quibusdam, flore luteo, *J. B.* 3. 717. vulgo, *Croisette*.

Radice plurimis fibris subluteis, e geniculis emissis capillata reptat. Caules profert plures, pedales interdum & longiores, quadratos, hirsutos, tenues, infirmos, crebris geniculis interceptos: ad quorum singulos folia quaterna cruciatim disposita, decussata, hirsuta, paulo latiora quam Aparines, mucrone obtuso, absque pediculis cauli adnata. Flores ex alis foliorum egrediuntur verticillatim. Non tamen, si curiose observes, e foliorum omnium sinubus egredi advertes, sed ex oppositis duobus tantum, tres fere ex uniuscujusque folii sinu surculos pluribus floribus exiguis, monopetalis, campaniformibus, patentibus, quadrifidis, flavis onustos. Eorum calyx abit deinde in fructum siccum ex gemellis seminibus subrotundis & sub cortice tenui, hirsuto reconditis constantem. Ad sepes & in dumetis frequens nascitur. Herba usu est. A Callio & Aparine differt solo foliorum numero, quæ quaterna tantum decussatim ad caulium nodos oriuntur.

Analysi chymica, ex totius plantæ recentis floridæ, dempta radice ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis & odoris fere expertis, seu aliquantisper herbacei, obscure subacidi ℥xj. ʒiij. humoris primo acidi manifesti, deinde intensi & austeri, postea rufescentis, ac tandem fusci, empyreumatici, intense acidi, austeri ℔iij. ℥ij. ʒij. gr. xxx. humoris rufescentis, sale volatili urinoso copioso impregnati ℥j. ʒij. gr. xxiiij. olei spissi extracti ad instar ℥j. ʒiij. Massa nigra residua pendebat ℥vj. ʒj. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒij. gr. liiij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒvj. gr. xij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒiij. gr. liiij. in calcinatione ℥iij. ʒj. gr. xxxvj.

Hæc planta salem continet essentialem aluminosum cum aliqua portione salis ammoniacalis & multo oleo involutum.

Cruciata inter plantas vulnerarias dictas numeratur. Siccat enim & adstringit tum interne sumpta, tum externe adhibita. Dicunt, ramices hac curari posse, decocto ejus aliquot diebus epoto, herba vero ipsa loco imposita. Jungken ejus fotum in schirro hepatis commendat. Joannes Cruso *in suo medicamentorum euporiston Thesauro* affirmat se rusticum, qui fal-

ce superiorem manus partem vulneraverat, hac planta inter duos lateres trita & cataplasmatis forma vulneri admota feliciter curavisse, sine ulla alia applicatione.

## CUCUMIS.

Cucumis aut sativus est, aut sylvestris, qui etiam asininus nuncupatur.

Cucumis vel Cucumer, & Cucumer satiuus seu esculentus *Off.* Cucumis sativus vulgaris maturo fructu subluteo *C. B. P.* 310. *Inst. R. H.* 104. Cucumis vulgaris viridis *J. B.* 2. 245. Cucumis vulgaris *Dod. Pempt.* 662. Citreolus vulgo, *Cæsalpin.* 199. vulgo, *Concombre*.

Ex radicibus rectis, multisque candidis capillamentis fibratis, hirsuta sarmenta, crassa, longa, ramosa per terram huc illuc reptant, quibus alternatim adnascuntur folia palmi unius aut alterius amplitudine, angulis hederaceis cæsa, ambitu serrata, tactu aspera, e quorum alis exeunt capreoli & flores monopetali, campaniformes, patentes, quinquepartiti, semiuncia majores, ex luteo pallentes; ex quibus alii steriles sunt nulli embryoni adhærescentes; alii fœcundi insidentes embryoni qui deinde abit in fructum semipedem & amplius longum, teretem, utrinque turbinatum sæpius incurvatum, angulosum, verrucosum, primo viridem, deinde flavescentem vel albicantem, carnosum, cortice tenujore, carne firma, translucida, candida, succosa, sapore non ita grato ac Melonum, sed peculiari quodam & agresti, in terna vel quaterna loculamenta divisum, medullosa quadam & laxa carne repleta quæ semina continet copiosa, oblonga, plana, Melonum seminibus fere similia, paulo tamen angustiora, & ab illis pusillo apiculo subtus protenso distincta, medulla lactescente, suavi. Seritur in hortis. Fructus crudus vel coctus edulis est. Semina officinis multi sunt usus.

Analysi chymica, ex hujus fructus nondum bene maturi ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore primo herbam viridem, deinde Cucumeris fructum referenti, obscure acidi ℔iij. ℥viij. ʒiiij. gr. xviiij. humoris limpidi, manifeste acidi, subausteri, ℔j. ℥v. gr. xviij. humoris rufi, sale volatili urinoso imprægnati ʒv. gr. lxvj. olei fluidi ʒij. gr. xviij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥j. ʒiij. gr. xxiiij. quæ calcinata reliquit cinerum ʒiiij. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒij. gr. xxxvj. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit fere nulla; in calcinatione ʒvj. gr. xlviij.

Salem essentialem tartareum obtinet parcum multo phlegmate viscido dilutum.

Cucumeres exiguum & aquosum corpori præbent nutrimentum. Crudi licet bene maturi difficile coquuntur in ventriculo, ejus fibras viscido suo succo laxant, & ad cœterorum alimentorum concoctionem perficiendam inhabilem eum reddunt. Virides & parum ventricosi vulgo *Cornichons*, licet gula erudita suaviores judicet, nullo modo coquuntur, imo sæpe ventriculum lædunt, si præsertim aceto vel muria conditi fuerint. Facile autem Cucumeres in ventriculo & intestinis corrumpuntur, & ex eorum esu assiduo pravi congeruntur succi, qui exiguam ad putrescendum occa-

occasionem nacti febres accendunt contumaces, ut in seipso Petrus Gonterius expertus est, referente eodem *lib. de sanitate tuenda*. Attamen J. Rajus refert semetipsum per multos annos Cucumeres copiose comedisse, quamdiu tempestivi, & esui idonei erant, nec tamen ullam vel levissimam noxam aut incommodum inde percepisse, licet sexagenarium. Narrat insuper cum Florentiæ in Italia febri laboraret, præscribente quodam Medico Anglo ibi degente, pulpam Cucumerum jusculis incoctam non sine insigni solatio, & levamine esitasse.

Verum crudi cum comeduntur, cortice cartilagineo resecato, in orbiculos tenues concisos, & sale aspersos duplici paropside exceptos, eo usque exagitare convenit, inquit Rajus, donec humor aqueus copiosus eliciatur, & extillet; quo effuso, aceto, oleo, & pipere condiendi sunt; quo modo, & palato, & ventriculo gratissimi evadunt, & certe non insalubres. Alii Cucumeres in taleolas sectos, manibus atterunt, deinde contritam pulpam succo madentem per noctem servant, postea succum exprimunt, pulpamque oleo, sale, aceto, & pipere conditam non solum innoxiam, sed etiam calidioribus naturis, & æstuantibus visceribus utilem asserunt. Revera quadam inchoata fermentatione, agrestis, & viscida pulpæ substantia inciditur ac dividitur, ac proinde coctioni fit magis apta.

Quandoquidem autem viscida hæc substantia coctione melius quam ullo alio modo resolvitur, multos Cucumerum coquendorum modos culinæ invenerunt. Cortice mundati, & per frustula secti, cum aliis oleribus in carnium jure elixantur. Quandoque cum aliis herbis, & speciebus aromaticis saporati in offas apparantur. Alias elixati, & aqua expressa, in sartagine friguntur ex butyro multo. Infarciuntur quoque purgati seminibus. Farctura cum carne vitulina, suilla, caponum, perdicum, aut alia quacumque, lardo insulso, medulla bubula, ovis, & aromatis omnibus concisis paratur: jure carnium infarcti coquuntur, & offis immixti apponuntur. Quin etiam illud farcimen ex carnibus piscium quorumlibet butyro conditis concinnantur, tum cum multo butyro coquitur, & nutritur jure ex carnibus residuis, capitibus, squamis, pelliculis, spinis parato.

A nonnullis commendatur Cucumerum usus internus in affectibus renum, & vesicæ, maxime calculosis.

Externe Cucumerum caro capiti applicata in pleuritide multum laudatur a Borello. Bartholetus *in Tractatu de Respiratione*, in fervida maxime phrenitide commendat carnem Cucumeris aut Cucurbitæ tusam, niveque refrigeratam, abrasis capillis capiti impositam.

Semen Cucumeris inter semina quatuor frigida majora refertur, adeoque solet ingredi emulsiones refrigerantes, quas vocant, in febribus ardentibus, nephritide, urinæ ardore. Minus tamen refrigerat quam fructus ipse.

Cucumis agrestis, Cucumis asininus, Cucumis sylvestris, *Off.* Cucumis sylvestris, asininus dictus *C. B. P.* 314. *Inst. R. H.* 104. Cucumis sylvestris sive asininus *J. B.* 2. 248. Cucumis sylvestris *Dod. Pempt.* 663. Cucumer elaterii sylvestris *Adversor. Lobel. Icon.* 646. vulgo, *Concombre sauvage*.

Radicem habet duas tresve uncias crassam, pedem longam, in varias fibras divisam, albam, carnosam, amaricantem, & nauseosam, ex qua caules oriuntur humi fusi, asperiusculi, crassi, in quibus folia nascuntur

ex

ex rotundo acuminata, palmo longiora, ad basim aurita. Ex eorum alis emergunt flores monopetali, campaniformes patentes, semiunciam superantes, in quinque partes profunde divisi, flavescentes cum venis virescentibus. Fructus sesqui unciam vel duas uncias longi sunt, cylindriformes, bullis asperiusculis echinati, divisi in tria loculamenta tenuibus septis distincta, succi amari plena: qui maturi levissimo attactu virosum succum cum lubrico semine violenter ejaculantur. Semina lata sunt, lævia, & nigricantia. In meridionalibus Galliæ provinciis sponte secus vias, & in ruderatis nascitur: hic in hortis colitur. Ejus succus expressus, & inspissatus, quod elaterium dicitur, in usum venit.

Analysi chymica, ex totius plantæ floridæ, & cum aliquot fructibus ℔v. per retortam distillatis, prodierunt humoris primo aliquantisper turbidi, flavescentis, saporis, & odoris subacris, deinde limpidi, saporis, & odoris expertis, obscure salsi ℔j. ℥vij. ʒvj. gr. xlviij. humoris limpidi, acidi ℔ij. ℥xj. ʒiiij. gr. lx. humoris rufescentis sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥vij. ʒiij. gr. xviij. salis volatilis urinosi concreti gr. xij. olei spissi extracti ad instar ℥j. gr. liiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gr. liiij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒvij. gr. lxij. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit gr. lx. in calcinatione ℥j. ʒiiij. gr. liiij.

Hæc planta igitur abundat sulphure tum tenui, & acri, tum crasso; ac sale ammoniaco cum mediocri quantitate salis nitrosi. Tota planta exsiccata, & prunis injecta fulgura quasi nitro copioso turgida, & odorem fœtidum spargit, ab illo oleo crasso.

Omnes plantæ partes catharsim vehementer movent. Radicum vis cathartica major est, quam foliorum, minor vero quam fructuum. Ejus succus expressus, & inspissatus a veteribus græcis Elaterion dicitur, quo nomine non solus hic succus, sed omne per inferiora purgans designatur medicamentum. Græci eo frequentissime ceu valido aquas, pituitam bilemve superne ac inferne evacuante medicamento, usi sunt; rarius vero neoterici.

De duplici elaterio mentionem faciunt auctores, viridi, & albo. Viride ex pulpa fructus leviter expressa, & per cribrum adacta; album vero ex liquore albicante, & seroso ex fructu frustulatim secto sponte sua exstillante, absque ulla pressura fit. Viride elaterium minorum virium est, minusque violenter sursum deorsumve purgat quam album. Hujus enim vel granum unum liquore aliquo solutum in corpore teneriore potenter operatur. Imo Parkinsonus, narrante Rajo, testatur, dimidium granum medicamento cuidam cathartico inditum, ad illud acuendum, ventriculum conturbasse mirum in modum, vomitus crebros excitasse, & postea per sedem violenter purgasse. Fructus ad elaterii præparationem eligendi sunt non immaturi; succum enim tunc dant virosum, qui hypercatharsim, & dysenteriam inducit, sed pene maturi, non vero ad hunc maturitatis gradum eo usque perducti ut ad primum contactum dissiliant: sic enim periret, quod ad purgandum validissimum est.

De quodam elaterio ex semine contuso, & expresso veteres mentionem faciunt, nunc ignoto.

Elaterium purgat pituitam, & interdum bilem, si vacuari parata est, serosos-

rososque humores etiam evulsu contumaces vomitu & dejectione dejicit atque etiam e juncturis mirifice trahit; adeo ut tunicas etiam intestinorum erodat, & vasorum oscula aperiat. Movet menses, fœtumque expellit: unde rarus ejus usus, præcipue cum nec malignitate careat. Hinc factum ut multis annis, ejus usus evanuerit. Massarias tamen observat, si quando contingit ut aqua thermarum pota in corpora detineatur, nullum præstantius hoc medicamento repertum iri.

Veteres elaterium exhibebant a gr. vj. ad xxx. hodie longe parcior dosis præscribitur a gr. ß. ad gr. ij. quæ stimuli loco tantummodo cum aliis extractis purgantibus admiscetur, licet Mercurialis *Tom 3. consultation.* 75. scribat, elaterium facilius erumpere & evacuare si paulo plus illius, quam paulo minus exhibeatur, aut viscosis gummatibus misceatur. Populi enim sub calidis climatibus viventes vehementiora purgantia facilius ferunt quam qui sub frigidis degunt. Non utimur autem eo, utpote stomacho & intestinis venisque mesenterii valde infesto, nisi stomachicis corrigatur. Attamen ex recentioribus nonnulli in hydrope illud commendant. S. Paulli narrat se in contumaci hydrope, viribus constantibus, uni & alteri hydropico aquas elaterio eduxisse, moxque eosdem roboratis visceribus pristinæ sanitati restituisse: sed nihilominus medicinæ candidatos commonefacit tam ex Colocynthis quam ex Cucumere asinino parata medicamenta, ceu canem caveant; nec iis nisi irritis benignioribus iisque tutioribus unquam utantur. Acerrimi quoque sunt elaterii patroni Sydenhamus, & Lyster utrinque apud Anglos Medici spectatissimi: ille palmarium illud vocat hydragogum in hydrope: hic elaterio tribuit vim calefacientem, digerentem & exedentem, ac citra inflammationem, & sitim. Mercurialis & Heurnius elaterium laudant in illius hydropis specie, quæ Anasarca dicitur sub duabus conditionibus; 1. modo multa sit aqua: 2. modo non adsit febris: ab illis dissentientes qui illud in ascite usurpant, ubi, monente Vvillisio, sæpius ad patientis noxam quam emolumentum cedit.

Egregiam adhuc illius operam laudat Saxonia in fluore albo, & Ettmullerus in hydrocele. Verum Capivaccius frequentiori in usu elaterium habuit. Elaterio utebatur incipiens a gr. ß. postea exhibens grana duo, tria. ad quinque, sed sensim, nec augendo dosim, nisi evacuanda materia postulet & vires ferant: formula talis est.

♃. Elaterii gr. ij. vel iij. &c. Pilular. alœphanginar. ℈j. cum succo Iridis. F. pilulæ.

Hydropicis vero qui elaterium admittere non poterant, idem ipsis radicem vino maceratam exhibebat. Dosis radicis a gr. xv. ad ʒß. in pulverem redactæ.

♃. Radic. Cucum. asinin. exsiccatæ & pulveratæ ʒß. Vini Malvatici vel Hispanici ℥xij. Macerentur per triduum. Vinum hoc cum pulvere tribus partitis viscibus per dies continuos mane, jejuno ventriculo propinetur. Deinde tribus aliis vel quatuor intermissis diebus, rursus aliud vinum hydragogum per tres alios dies exhibeatur. Sic citra molestiam plurimos hydropicos Capivaccius sanavit.

Michaelis ex hac radice Tincturam extrahit cum spir. vini tartarizato, quam speciatim in hydrope uteri commendat: eam a ʒj. ad ʒij. exhibet cum oleo Cinnamomi vel alio quocumque temperatam.

Suc-

Succus Cucumeris asinini naribus attractus ad guttas aliquot multum seri educit. A nonnullis utilis dicitur ad icterum solvendum sic exhibitus. Vulvæ ex pesso inditus fœtum mortuum expellit, sed vivum enecat, quapropter ab eo abstinendum est.

Cucumeris asinini succus multum facit externo usu in tumoribus duris emolliendis & scirrhis discutiendis, uti & scrophulis & strumis resolvendis.

Elaterium usurpatur in extracto pancymagogo *Crollii*, unguento Agrippæ *Nicol. Salernitani*, unguento aregon *ejusdem*, ung. de Arthanita *Mesuæ*, & Empl. Diabotano *Blondel. Penich*.

## CUCURBITA.

Cucurbita, *Off.* Cucurbita longa, folio molli, flore albo *J. B.* 2. 214. *Inst. R. H.* 107. Cucurbita oblonga, flore albo, folio molli *C. B. P.* 313. Cucurbita longior, *Dod. Pempt.* 669. Cucurbita sive Zucca omnium maxima, anguina *Adversarior. Lobel.* 366. vulgo, *Courge* ou *Calebasse*.

Viticulas digitali crassitudine, angulosas, orgyias aliquot longas, e radice tenera, candida, in multas tenues partes distracta emittit, quæ per terram sparguntur, alioqui pergulas, & perticas Capreolorum ope scandunt: folia rotunda, pedem aut sesquipedem lata, molli lanugine tomentosa, crenis subinde nonnullis per ambitum incisa & pediculo tereti oblongo, concavo. Flores ex foliorum sinu exeunt albidi, campaniformes, patentes, & plerumque ita secti ut ex quinque petalis constare videantur, intus villosi, exterius brevi pilo obsiti. Horum alii steriles sunt, nulli embryoni adhærescentes, alii vero fœcundi seu insidentes embryoni, qui deinde abit in fructum insignis magnitudinis; pedes quinque aut sex nonnumquam longum, cervice crassa, in ventrem modice turgescentem, cortice recentis tenero, herbaceo, adulti vero duro flavescente: medulla sua carne alba, insipida, modice fungosa, in sex loculamenta plerumque divisum, quibus semina continentur uncialis fere longitudinis, oblonga, plana, compressa, una parte lata, duobus angulis seu auriculis conspicua, altera quæ germinare solent angustiora, quasi introrsum emarginata, & sub tunica duriuscula quasi cartilaginea, alba, medullam includentia alba, dulcem, esui gratam. In hortis seritur & colitur. Fructuum pulpa edulis est. Semina in numero quatuor seminum frigidorum majorum recensentur.

Analysi chymica, ex seminum Cucurbitæ a cortice mundatorum ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris, & saporis expertis, obscure subsalsi ℥vij. ʒiv. humoris flavescentis, odoris empyreumatici, primo subacidi, salsi, deinde urinosi ℥j. ʒiv. gr. xxix. humoris rufescentis sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥viij. ʒj. gran. xv. olei rufescentis ℔ij. ℥v. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥xij. gr. xviij. quæ per 20. horas calcinata reliquit massam nigram ac densam, ponderis ℥v. ʒiij. gr. liv. ex qua salis fixi leviter alcali gr. xv. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥xiij. ʒvj. gr. x. in calcinatione ℥vj. ʒiv. gr. xxxvj.

Hæc semina multo oleo donantur quod etiam per expressionem extrahitur. Præterea ammoniacalem salem continent.

Cu-

Cucurbitæ caro vel pulpa quam veteres Medici aquam coagulatam esse dixerunt, frigidum, humidum & exiguum corpori præbet alimentum, stomachum relaxat, & omne bibendi desiderium restringuit. Ideo calidis naturis utilis est, frigidis noxia. Cito per alvum secedit. At quoniam insuavis est, fatua & insipida, raro nostris mensis apponitur. Cœterum ut hæ plantæ valde sunt affines, Cucumer scilicet, Melo, Cucurbita, & Citrullus, ita viribus non multum differunt. Semina ex illis collecta, quæ a Medicis quatuor frigida majora appellantur, adversus febres morbosque ab humorum æstu vel acredine oriundos usurpantur. Ex his emulsiones præparantur quæ urinæ acrimoniam contemperant, eamdemque mediocriter provocant, somnum conciliant. Ex his oleum per expressionem elicitur, ejusdem cum aliis seminum frigidorum majorum virtutis & energiæ.

## C U M I N U M.

CUminum, Cyminum, *Off.* Fœniculum orientale, Cuminum dictum *Inst. R. H.* 312. Cuminum semine longiore *C. B. P.* 146. Cuminum sive Cyminum sativum *J. B.* 3. 22. Cuminum Dioscoridis *Lobel. Icon.* 742. vulgo, *Cumin.*

Planta est umbellifera, annua, vix pedem assequens, radice tenuj, alba, fibrata; foliis paucis, raris, capillaribus, Fœniculi similibus, sed longe minoribus, nisi, quod laciniæ crassiores sint. Flores candidi, rosacei, exigui & in umbellis parvis rotundis congesti, quibus semina oblonga, angusta striata, e cinereo spadicea, longitudine quartam fere unciæ partem æquante, ex duabus partibus composita, una parte gibbis, inde vero planis, saporis subamari, aromatici, acris, ingrati, odoris admodum gravis, & vehementis, non insuavis, columbis maxime grati. In Melita Insula copiosæ seritur. Semen usus est.

Analysi chymica, semen Cumini plurimum præbet olei phlegmatis tum acidi, tum urinosi. Salem igitur essentialem obtinet ammoniacalem, oleosum, aromaticum.

Cumini semen ciborum concoctionem juvat, flatus discutit unde utiliter a quibusdam pane incoquitur & caseis inditur. Utile est in colica flatulenta, tympanite & vertigine a prava digestione oriunda, tam interne quam externe. Ad usum internum tamen semen Carvi, Cumini semini utpote minus grato & vehementiori anteponitur, externe vero Cuminum potius adhibetur.

♃. Semin. Cumini contusi q. l. Sacculo involv. & irroretur cum vino calido aut aqua vitæ & ventriculo flatibus distento vel abdomini contra tormina admoveatur.

Oleum essentiale arte chymica extrahitur quod iisdem viribus donatur, quibus oleum Carvi, sed præstantioribus. Ad guttas tres præscribitur tantum. Confert affectibus flatulentis præsertim uterinis. Ejus guttæ aliquot affunduntur pani tosto, qui statim calide umbilico imponitur.

## C U P R E S S U S.

CUpressus duum est generum, mas alterum, alterum fœmina. Hæc fastigatio est culmine; illa ramos in latum spargit. De cœteris conveniunt.

Cu-

Cupreſſus fœmina *Offic.* Cupreſſus meta in faſtigium convoluta, quæ fœmina Plinii *Inſt. R. H.* 587. Cupreſſus *Dod. Pempt.* 856. vulgo, *Cypres femelle*.

Cupreſſus mas, *Off.* Cupreſſus ramos extra ſe ſpargens, quæ mas Plinii *Inſt. R. H.* 587. Cupreſſus *Matthioli* 119. vulgo; *Cypres male*.

Utraque procero, recto craſſoque caudice ſurgit, cortice fere ſpadiceo; ligni materiæ ſolida, compacta, pallida aut rubeſcente, undulis nonnihil criſpata, ſaturationibus, vehementer ac ſuaviter odorata, Santalorum fere modo. Supra medium in ramos abit fœmina metam acuminatam concurſu ſuo effingentes, mas in latum undequaque ſparſos. Foliis viret perpetuis, Sabinæ bacciferæ, aut Tamariſci proximis; quæ ſurculi ſunt breviſſimis veluti ſquamis toti conveſtit. Flores amentacei ſunt plurimis ſcilicet fotiolis ſeu ſquamis conſtantes, ſed ſteriles: in earum alis adſunt apices pulverem tenuiſſimum effundentes. In aliis ejuſdem arboris partibus fructus naſcuntur ſubrotundi, confragoſi, ſapore acerbi, rimas agentes, in plura clavata tubera dehiſcentes, inter quarum commiſſuras ſemina continentur rufa, ſublonga, altera parte rotunda, altera acuminata, ſemiculmo latiora, medulla donata. In Creta inſula, & in plagis orientalibus ſponte naſcitur: hic in hortis colitur. Calidis in regionibus reſinam fundit, ſed modicam odore haud ingrato. Fructus fere ſoli uſitati ſunt; nuces Cupreſſi, Pilulæ Cupreſſi, Galbuli, & Gallulæ in officinis nuncupantur.

Analyſi chymica, ex nucum Cupreſſi recentium ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, odoris reſinoſi, terebinthinati, ſubacidi, deinde rufeſcentis, odoris, & ſaporis aliquantiſper empyreumatici, intenſe acidi, auſteri ℔ij. ℥xv. ʒv. gran. xxiv. humoris rufeſcentis, intenſe acidi ſubſalſi: auſteri ℥ij. ʒiv. gr. xij. humoris rufeſcentis, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥iij. ʒiij. olei partim fluidi & flaveſcentis, aquæ ſupernatantis, partim adipoſi, aqua gravioris ℥iij. ʒv. gr. xxxv. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥xiv. ʒvj. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. gr. xviij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ℥j. gr. xlix. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥vij. ʒvij. in calcinatione ℥xij. ʒvj. gr. xviij.

Cupreſſi fructus ſeu Galbuli inter adſtrigentes ſunt celeberrimi uſus. In dyſenteria, alvi fluxibus, hæmorrhagiis, eorum pulvis vel decoctum exhibetur. Inſuper vis febrifuga ipſis tribuitur. Eorum pulvis ad ʒj. in vino maceratus propinatur in febribus intermittentibus, vel etiam in quartana, eamdem doſim quarta quaque hora reiterando.

Externe conveniunt ubi porulorum occluſione & fibrarum laxatarum conſtrictione opus eſt. Recentes virideſque fructus hernioſos magnopere juvant, ſi eorum decoctum ex vino paratum quotidie biberint trium unciarum pondere: interim tamen folia Cupreſſi trita teſticulis illinantur. Eſt enim hoc auxilium multis experimentis comprobatum, auctore Matthiolo.

Lignum cupreſſinum ex hoc maxime laudatur quod neque vetuſtatem, neque cariem ſentiat, & bonum ſemper odorem ſpiret.

CU-

## CUSCUTA.

Cuscuta duplex in officinis occurrit, major, & minor.

Cuscuta major, Cassutha major, & Cassytha, *Off.* Cuscuta major *C. B. P. 219. Inst. R. H. 653.* Cassuta sive Cuscuta *J. B. 3. 266.* Cassytha *Tabern. Icon. 901.* Androsaces vulgo Cuscuta *Tragi* 810. Cassuta *Dodon. Pempt.* 554. Cassitha *Quorumdam*: vulgo, *Cuscute, Goute de lin.*

Cuscuta minor, Cassutha minor, Epithymum, *Off.* Cuscuta minor *I. R. H. 553.* Epithymum sive Cuscuta minor *C. B. P. 219.* Epithymum *Tabern. Icon. 357.* vulgo, *Epithym.*

Cuscuta seu Epithymum est planta singularis quæ radicibus suis nititur, cum primum erumpit e semine, ut Fuchsius observavit. Hæ vero aridæ fiunt, & pereunt cum capillamenta Cuscutæ plantas vicinas amplexantur: foliis enim plane destituitur, nec aliud profert nisi cirrhos (seu capillamenta) subrubentes, fidibus testudinum, non absimiles, saporis acris, & subadstringentis, qui tuberculis quibusdam veluti cotyledonibus radicum vicem obtinentibus ita figuntur in corticem cœterarum plantarum, ut vasa succum nutritium deferentia lacerent: quo plane modo Hederæ vulgaris rami facere solent: idcirco inter plantas parasiticas recenseri debet. Flores in capitulum nascuntur hinc inde per capillamenta digesti, monopetali, albi vel subrubentes, campaniformes, urceolis similes, in quatuor vel quinque segmenta divisi, atque in fundo perforati, qua parte excipiunt pistillum, quod decidentibus floribus abit in fructum subrotundum: trigonum aut tetragonum, monocapsularem, transversim in duas partes hiantem, quarum superior inferiorem longe superat, semina autem continet minutissima, fusca. Cuscuta e semine in terram deciduo se quotannis renovat. Cum tamen adoleverit, radix penitus marcescit. Si semen in fictili seratur, emergit quidem plantula, sed brevi radicitus perit, si non sint in propinquo stirpes, quibus irrepat, unde alimentum suum exsugit.

Cuscuta proprie dicta ea est quæ Lino adhæret; quæ autem aliis plantis adnascitur, ab iisdem suam appellationem desumit: sic Epithymum, Epilavandula, Epimarrubium, prout has plantas amplectitur, dici solet. Ab illis proinde temperamentum, & vires mutuare existimatur pro varia plantarum a quibus alimentum recipit, natura. Hic super diversas plantas nascitur. Sed Cuscuta nostras rejicitur. Veneunt in officinis duo Cuscutæ seu Epithymi genera, Creticum, & Venetum. Creticum longioribus constat capillamentis, Veneti tuniores sunt citri, odoratiores, & quasi crispati.

Analysi chymica, ex Cuscutæ recentis floridæ ℔v. prodierunt humoris limpidi, fere insipidi, deinde subacidi, obscuri ℔j. ℥iij. ʒiij. humoris manifeste acidi, & austeri ℔ij. ℥xiv. ʒvij. gran. lx. humoris primo rufescentis, intense acidi, deinde rufi, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥iij. gr. xxx. olei adiposi extracti ad instar ℥j. ʒiij. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vij. ʒj. quæ per horas octo calcinata reliquit cinerum nigricantium ℥j. ℈ij. gr. xij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali fuerunt extra-

cta ʒiiij. gr. l. Partium jactura in diſtiliatione fuit ʒij. gr. xviij. in calcinatione ℥v. ʒvj. gr. lx.

Cuſcuta itaque abundat ſulphure & ſale eſſentiali tartareo ſubadſtringente.

Cuſcuta, Epithymum purgandi vim adeo debilem obtinent, ut eorum uſus plane obſoleverit. Rectius inter aperientia medicamenta quæ affectibus melancholicis, & hypochondriacis conveniunt, ſicut & ſcorbuticis, a Cl. Tournefortio reponuntur. Ab auctoribus in obſtructionibus lienis & hepatis, ictero, ſcabie, utilia dicuntur.

Plantarum quibus Cuſcuta innaſcitur temperamentum participare aliquatenus creditur. Sic humidior eſt quæ Lino implicatur, quæ Geniſtam ſuperat urinas potentius movet, adſtringendi facultatem admixtam habet quæ Rubiæ inſidet, quæ in Urtica nata eſt urinis potenter eliciendis efficax dicitur, adnotante Lobelio, & poſt eum Parkinſono. Præſcribitur a pugillo uno ad duos vel tres.

℞. Epithymi P. ij. Quinq. herbar. capill. M. j. Infunde per noctem ſupra cineres calidos in aq. font. q. ſ. In colaturæ ℥vj. diſſolve extract. Rhabarbar. ℈j. Syrup. de pom. c. ℥j.

℞. Epithymi P. iij. cortic. Cappar. & Fraxin. ana ℥ß. folior. Marrub. & Meliſs. ana M. j. Coquantur in aq. comm. q. ſ. Colatura diſſolve Tartar. chalybeati ſolut. ʒvj. F. apozema pro tribus doſibus in chloroſi aut in viſcerum obſtructionibus.

Uſurpatur Epithymum in pilulis tartareis *Quercetani*, Pulvere lætificante *Renedæi*, Electuario de Pſyllio, El. ſennato, confectione hamech, & ſyrup. cachectico *Charas*. Semina Cuſcutæ adhibentur in ſyrupo de Cichor. comp. *Charas*, in ſyrupo de Fumaria *Meſuæ*.

## CYANUS.

Cyanus, *Off.* Cyanus ſegetum flore cæruleo, *C. B. P.* 273. *Inſt. R. H.* 446. Cyanus hortenſis flore ſimplici *C. B. P.* Cyanus flos *Dodon. Pempt.* 251. Cyanus *J. B.* 3. 21. Lichnis agria, & flos frumenti *Brunsfelſii*: Baptiſecula *Tragi* 506. Papaver heracleum quorumdam *Chomeli*: vulgo, *Bleuet*, *Aubifoin*, *laveole*, *Peroole*, *Barboau*, *Caſſelunette*.

Cyano lignoſa eſt multiſque fibris capillata radix: caules plures cubitales, & ſeſquicubitales, anguloſi, cavi, lanugine incani, ramoſi: folia infima, acutis laciniis ſinuata, Scabioſæ aut Dentis leonis more alia longa, culmum lata, per longitudinem nervoſa, cæſia albicantiave: capitula in ſummis cauliculorum faſtigiis turbinata & in anguſtiis ſe contrahentia, ex multis parvis veluti ſquamis non aculcatis, ſibi invicem impoſitis, coni alicujus exigui modo compoſita, ex quibus flores erumpunt floſculoſi; plurimis ſcilicet floſculis ſed diſſimilibus conſtantes: alii enim qui meditullium floris occupant cœteris minores ſunt, in quinque lacinias æquales, diviſi, cœteri vero ad circumferentiam poſiti majores ſunt magiſque conſpicui, veluti bilabiati, & in extremitate profundius ſerrati: utrique colore communiter cæruleo, &, ut nomen loquitur, Cyaneo, alias albo, alias puniceo aut purpureo, embryoni inſident, qui abit deinde in ſemen parvum,

forma

forma oblongum, læve, splendidum, superiore parte pappis instructum, Centaurii majoris semini simile, sed minus, & candidus, quod in ipsis capitulis seu calycibus, inter eos qui in ipsis gignuntur molles pilos reconditur. Nascitur in agris frumentariis una cum Tritico, Secali, Hordeo, & aliis frugibus. Seritur & in hortis, ubi culturæ mangonio non tantum flores edit cœruleos, albos, purpureos, carneos, aut variegatos, sed etiam multiplices seu plenos. Flores fere soli in usum veniunt.

Analysi chymica, flores Cyani præbuerunt plurimum phlegmatis acidi, subausteri, aliquantulum spiritus urinosi, non mediocrem olei spissi ad instar extracti portionem, nonnihil salis alcali fixi, & terræ. Flores perperarum odoris spirant, & sapore subadstringente donantur: unde salem essentialem vitriolico-tartareum obtinere videntur multo cum oleo permixtum.

Plurimæ, & fere contrariæ inter se facultates huic plantæ tribuuntur, verbi gratia, æstus febriles extinguere, adversus venenatarum bestiolarum morsus, & puncturas prodesse, putredini resistere, contagium arcere, in palpitatione cordis, in suffocatione uterina prodesse, iis qui ex alto delapsi sunt aut contusi, & quacumque de causa sanguinem concretum intus habentibus utiliter exhiberi, viscerum obstructiones tollere, & aquas purgare; quæ quidem virtutes admodum incertæ sunt. Florum aqua distillata a plurimis commendatur in oculorum inflammationibus, rubedine, lippitudine, necnon etiam ad visum acuendum, & roborandum. Unde *Eau de Casseluneite* a plebe nuncupatur, quæ sic conficitur.

℞. Florum Cyani cum propriis calycibus collector. & contusor. q. l. Cum nivis vel aquæ nivis q. s. horis viginti quatuor macerentur, deinde simul igne arenæ moderato distillentur, & aqua servetur ad oculos pluries die abluendos.

Pulvis ex floribus una cum capitibus factus, ad ʒj. in vino per aliquod tempus assumptus adversus morbum regium a nonnullis commendatur. Rajus eumdem pulverem erysipelati inspersum utilem dicit, & eorumdem florum expressum succum ulcera putrida sanare.

Aqua stillatitia in officinis servatur.

## CYCLAMEN.

Cyclamen, Cyclaminus, Panis Porcinus, & Arthanita, *Off.* Cyclamen orbiculato folio inferne purpurascente, *C. B. P.* 308. *Inst. R. H.* 154. Cyclaminus folio rotundiore vulgatior *J. B.* 3. 551. Cyclaminus orbicularis rotundifolius *Dod. Pempt.* 337. Panis porcinus, & Artanita, Rapum terræ *Lobel. Icon.* 604. Cyclaminus minor, & umbilicus terræ *Tragi*: vulgo, *Ciclamen* ou *Pain de pourceau*.

E globulari radice crassa, carnosa, & aliquantulum depressa, foris nigricante, intus candida, nigricantibusque fibris prædita, saporis acris, pungitivi, exurentis, ingrati, inodora, multa circinatæ propemodum rotunditatis profert folia, palmaribus plus minus pediculis hærentia, Asari foliis haud multum dissimilia, non adeo tamen crassa superne atrovirentia, aspersis subinde maculis, lacteis, inferne purpurascentia, nonnihil per margines sinuata. Flores longis, & tenellis inhærent pediculis,

deorsum nutantes, monopetali, rotati, globosi, in quinque partes sursum revolutas divisi, coloris vel dilutius vel saturatius purpurascentis, odoris suavis. Ex calice quinquifido surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum, quod marcescente flore, & deciduo, pediculo cui insidet in multas spiras circumacto convolvitur, donec terram attigerit, cui incumbens paulatim augescit in fructum fere globosum, membranaceum, multifariam dehiscentem, seminibus fœtum oblongis, angulatis, ex fusco fulvescentibus, placentæ affixis. Semen terræ commissum in germen non abit, sed in tuberculum aut radiculam convertitur, præter reliquorum seminum naturam, unde postea foliola promit. Sub æstatis finem aut autumni initium flores emittit, deinde folia, quæ postquam tota hyeme perstiterunt, sub Aprilis finem aut mense Majo amittit. Hic in hortis colitur. Radices usitatæ sunt.

Analysi chymica, radicum recens effossarum ℔v. præbuerunt humoris limpidi, primo fere insipidi, odoris non ingrati, obscure salsi, deinde sub finem subacidi ℔ij. ℥ij. ʒvj. gr. xij. humoris primo rufescentis, manifeste acidi, subausteri cum quadam acredine, qualis est panis rustici sapor, & odor, deinde fusci, odoris, & saporis empyreumatici, intenni acidi, & austeri, ℔ij. ℥ij. gr. xix. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒij. gr. xxxvj. olei spissi extracti ad instar ℥j. ʒij. gr. xij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vij. ʒj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gran. xxxviij. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒiij. gr. lxv. in calcinatione ℥v. ʒvij. gr. xxiiij.

Radix recens valde acris est; ubi vero exsiccata est, nulla acredo percipitur. Salem essentialem obtinet tartareum cum oleo tum tenui, & acerrimo, tum crasso conjunctum.

Ciclaminis radix inter purgantia vehementiora refertur. Bilem, & serum educit. Licet cum summa violentia humores expurget, tardioris tamen est operationis propter particulas terrestres quibus donatur. Plebeji robustiores ejus pulverem ad ʒj. in decocto vero ℥ß. usurpant. Aromaticis stomachicis corrigitur, & Asaro, Diacrydio aut cremore Tartari stimulatur. Sed parum tutus est illius usus internus: faucium enim, ani, ventriculi, & intestinorum inflammationem excitat. Externus crebrior, & minus noxius est. Potenter enim incidit, resolvit, abstergit. Contusæ radices recentes utiliter scirrhosis durisque tumoribus, & strumis, lienibus duris aut tumentibus admoventur sub cataplasmatis forma. Succus radicis abdomini illitus ventrem subducit, aquas hydropicorum per alvum, menses suppressos movet, fœtum nonnunquam expellit, & vermes necat. Idem succus valet ad scirrhos, & tumores duros emolliendos, & resolvendos, item ad scrophulas, strumas, & tumores partium externarum. Unde gummi ammoniaco inspissatur, & coquitur a nonnullis ad emplastri consistentiam: & plurimis in emplastris, & unguentis emollientibus, & resolventibus recipitur.

Ex hoc succo celeberrimum illud conficitur unguentum de Artanita dictum ad scirrhosos lienis præsertim tumores emolliendos, & aquas hydropicorum educendas commendatum externe abdomini admotum. Hoc unguentum ventriculo impositum vomitum excitat, abdomini catharsim, re-

nibus

nibus urinas promovet, ſi præſertim oleum ex granis Tilli expreſſum admiſceatur.

Matthiolus aquam e Cyclaminis radicibus diſtillatam, ſi naribus excipiatur, fluentem inde ſanguinem ſiſtere refert, eamdemque potam ſex unciarum pondere, addita ſacchari uncia, manantem ex pectore, ventriculo, jecinore ſanguinem mirifice cohibere teſtatur.

Radices Cyclaminis uſurpantur in Empl. Diabotano *D. Blondel*, & Empl. ad ganglia *Charas*.

## CYNOGLOSSUM.

CYnogloſſum, *Off.* Cynogloſſum majus vulgare *C. B. P.* 257. *Inſt. R. H.* 139. Cynogloſſum vulgare *J. B.* 3. 598. Cynogloſſum *Dod. Pempt.* 54. Cynogloſſa major *Brunsfels*: Lycopſis *Lacunæ*: vulgo, *Langue de chien*, *Cynogloſſe*.

Cynogloſſo radix recta eſt, craſſa, Rapam exiguam repræſentans, foris ex atro rubens, intus albida, odore gravi, aliquid fœtidi canis redolente, narcotico, ſapore mucoſo, qui dulcedinem nonnullam fatuam linguæ offert: caules cubitales aut bicubitales, ramoſi, vetuſtate concavi, multa lanugine obſiti: folia longa & latiuſcula primo anno, ſecundo ubi caulem fert, ſtricta, acuminata, incana, mollia, lanuginoſa, odore gravi, viroſo, alternatim cauli adnata abſque pediculis. Flores monopetali, infundibuliformes, in quinque ſegmenta diviſi, colore ſordide rubentes, calycibus inſident hirſutis, quinquepartitis. Piſtillum ex calycis fundo ſurgit infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum quod deinde abit in fructum ex quatuor capſulis conſtantem nonnihil compreſſis, hiſpidis, que pertinaciter veſtibus adhæreſcunt, placentæ pyramidatæ & quadrilateræ affixis, ſemine fere plano fœtis. Agri Pariſienſis incola eſt. Radix & folia in uſum veniunt.

Analyſi chymica, ex folior. Cynogloſſi exſicator. ℔v. prodierunt humoris limpidi, odoris & ſaporis herbacei, obſcure ſalſi & alcali ℔iij. ℥iij. ʒvij. gr. viij. humoris limpidi, ſubſalſi, ſubacidi ℥vij. ʒvj. gr. xvj. humoris rufeſcentis, acidi, ſubſalſi ℥vij. ʒvij. gr. xvj. humoris rufi, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥j. ʒvj. gr. v. ſalis volatilis urinoſi concreti gr. lxvj. olei adipoſi ℥j. ʒv. gr. xl. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vj. gr. lxiiij. quæ poſt calcinationem reliquit cinerum ℥iij. gr. xlj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒv. gr. xliiij. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒvj. gr. j. in calcinatione ℥iij. gr. xxiij.

Radicis cortex ſubamarus eſt, ſalſus, ſtypticus, glutinoſus: chartam cœruleam rubro colore tingit: ſalem eſſentialem videtur obtinere ammoniacalem multo phlegmate, terra & oleo fœtido temperatum.

Cynogloſſum vi narcotica & anodina pollet; qua ratione ad catarrhos cohibendos commendatur. Præterea adſtrictio quædam in eo deprehenditur, qua ſiſtendis alvi profluviis, fluori albo, gonorrhϾ & hæmorrhagiis utile eſt. Nonnulli illud narcoſis virulentæ ſuſpectum habent & eapropter illius uſum reformidant, ſed immerito, ut J. Rajus obſervat; quandoquidem intus tuto ſumi poſſe arguunt pilulæ de Cynogloſſo quarum frequens & lau-

laudabilis est usus. Radix ad ℥j. folia ad M. j. in aqua vel jusculis decocta utiliter præscribuntur in catharris, tussi, diarrhæis, dysenteria & hæmorrhagiis.

℞. Folior. Cynogloss. M. iiij. Hyssop. Capillor. vener. Tussilag. ana M. j. Rad. Clycyrrhiz. ʒij. Oriz. ℥j. Coq. in aq. comm. ℔vj. ad ℔iiij. Sub finem adde Mell. Narbon. ℥ij. F. apozema per cyathos propinandum in tussi ferina.

Externe tumores emollit & resolvit, ad omnis generis vulnera & ulcera conducit, ubi in cataplasmatis & emplastris magno cum successu adhibetur. Hieron. Tragus unguentum ex illius succo cum Melle & Therebinthina paratum ad ulcera antiqua maligna & fistulosa valde extollit. In strumis & scrophulis Cyngloßi radix tum intus in decocto, tum extra in cataplasmatis forma a quibusdam commendatur. At J. Rajus refert mulieris cujusdam pauperculæ puerulum, cujus caput & vestes pediculis scatebant, suspensas Cynoglossi radices circa collum gestasse ad scrophulas quibus afficiebatur sanandas, pediculos quidem radicum fœtorem exosos procul aufugisse, at scrophulas obstinate restitisse.

Pilulæ de Cynoglosso præstantissimæ sunt ad catharros tenues sistendos, tusses ferinas sedandas, epilepticos puerorum insultus compescendos, somnum conciliandum & omnis generis dolores placandos. A gr. iiij. ad gr. x. exhibentur.

## DAUCUS.

SEmina duo sub Dauci nomine in Officinis occurrunt, scilicet, Dauci Cretici & Dauci vulgaris.

Daucus Creticus, *Off.* Myrrhis annua semine striato villoso incana, *Morisson. Umbellif.* 67. *Inst. R. H.* 315. Daucus foliis Fœniculi tenuissimis, *C. B. P.* 150. Daucus Creticus semine hirsuto, *J. B.* 3. 2. 56. Daucus Creticus, *Tabern. Icon.* 75. vulgo, *Daucus de Candie*.

Radice est longa, digitum crassa, fibrata, sapore Pastinacæ Germanicæ simili; dodrantali aut altiore caule, tereti, striato, hirsuto; foliis lanuginosis, cinereis, minutissime dissectis, nonnunquam, observante Rajo, penitus glabris atrovirentibus. Umbella mediocris magnitudinis summo cauli, extremisque ramis insidet florum exiguorum, rosaceorum, pentapetalorum, candidorum, quorum calyx abit in fructum e duobus seminibus compositum oblongis, striatis, superiori in parte acutioribus, hinc gibbis, inde vero planis, incanis, villosis, acribus, aromaticis, odoris debilis. In Creta insula & Germanicis Alpibus sponte nascitur. Semen in usum venit quod ex Creta insula nobis affertur.

Daucus vulgaris, *Off.* Daucus vulgaris, *Clus. Histor. cxcviij. Inst. R. H.* 307. Pastinaca tenuifolia sylvestris Dioscoridis, vel Daucus Offic. *C. B. P.* 151. Pastinaca sylvestris, sive Staphyilnus Græcor. *J. B.* 3. 2. 62. vulgo, *Chyrouis, Carotte sauvage*.

Pastinacæ sativæ similis, radice est minore & acriore: caules profert altitudine pares, sesquicubitales scilicet, striatos, hirsutos, medulla farctos, in alas divisos: folia minutim dissecta; atrovirentia, adversa parte hirsuta: flores in umbellis magnis consimiles, rosaceos scilicet, quinque petalis constantes candidis, cordiformibus, inæqualibus, in orbem

positis & calyci insidentibus. Flosculus umbellæ medius interdum purpura rubet. Umbellas autem obvallant folia in angusta, longa, acuta segmenta divisa. Delapsis floribus succedunt fructus subrotundi Dauco Cretico breviores, latiores, ex duobus seminibus compositi cinereis, striatis, circa marginem utrinque villo instructis & cinctis, saporis Dauco Cretico debiliori, odoris fragrantis: tum vero convoluta umbella cavitatem seu aviculæ nidum in medio efficit. In agro Parisiensi sponte nascitur. Semen in usum venit & pro Dauco Cretico substituitur.

Dauci utriusque semina sale oleoso aromatico pollent uberrimo & oleum essentiale copiosum in distillatione fundunt. Carminativa, diuretica & uterina censentur. Humores lentos & crassos attenuant & incidunt: flatus discutiunt, obstructiones aperiunt, menses & urinas provocant.

Semen Dauci in cerevisia tenui infusum & bibitum ad stranguriam & calculum renum ac vesicæ miris laudibus efferunt nonnulli. Verum de ejus vi lithontriptica nihil nobis constat, quidquid dicat Helmontius de quodam Consiliario lithiasi afflicto, qui ejus usu seminis ab hoc affectu liber per plures annos vixit.

Dauci Cretici semen in uterinis doloribus & affectionibus commendatur, in tussi chronica, singultu & colica flatulenta. Seminis ℥ij. vino albo infusæ & potæ hystericis paroxysmis medentur.

Dauci semen inter quatuor semina calida minora recensetur cum Ammeos, Apii & Petroselini seminibus.

Creticum usurpatur in Theriaca, Mithridatio, Triphera magna, Electuar. de Baccis Lauri, Philonio magno, Aurea Alexandrina *Nicolai Alexandri*, Syrupo de Calamintha *Mesuæ*, & Syrupo de Prassio.

Radix Dauci vulgaris primo vere comeditur & plebeis non injucundum alimentum præbet.

## DENS LEONIS sive TARAXACUM.

Dens Leonis & Tarxacum, *Off.* Dens Leonis latiore folio, *C. B. P.* 126. Hedypnois sive Dens Leonis Fuchsii, *J. B.* 2. 1035 Dens Leonis, *Dodon. Pempt.* 636. Aphaca Theoph. *Plinii*: Hedypnois major Fuchs. *Dalechamp Lugd.* 564. Caput Monachi, Rostrum porcinum & Ambubeja, *Nonnullis*: vulgo, *Dent de Lion*, *Pissenlit.*

E radice digiti fere minimi crassitudine, lactescente, folia promit oblonga, acuminata, utroque margine profundis incisuris veluti per lacinias divisis, sylvestris Cichorii æmula, sed læviora, humifusa: caule caret, sed pediculos habet nudos, fistulosos, teretes, palmares & plusquam dodrantales, non ramosos, aliquando hirsutos lanugine facile cedente, subrubentes, quibus insident singulis singuli flores semiflosculosi, patuli, lutei, exterioribus foliis prona parte ex fusco rufescentibus, calyce glabro multifido, extra quem quatuor, aut quinque folia viridantia reflexa conspiciuntur. Semiflosculus unusquisque embryoni insidet, qui, calyce dehiscente & circa pediculum reflexo, abit in semen rufum vel citrinum pappis instructum. Semina per maturitatem decidunt & avolant, nudumque thalamum porosa pellicula calvitium senile quodammodo imitante obductum relinquunt; unde a nonnullis Caput Monachi dicitur.

In agro Parisiensi frequens ubique nascitur, & in hortis colitur. Omnibus suis partibus amarus est & succo lacteo turget. Radix & folia usitata sunt.

Analysi chymica, ex Taraxaci floridi folior. ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori & insipidi, primo obscure salsi: deinde obscure acidi ℔j. ℥iiij. ʒv. gr. lx. humoris primo limpidi, manifeste acidi, deinde rufescentis, subausteri ℔ij. ℥xiiij. ʒij. gr. xviij. humoris rufi, empyreumatici, primo obscure acidi, subsalsi, austeri, ac tandem sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ij. ʒv. gr. xij. olei fluidi ℥j. ʒij. gr. xxiiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vij. quae rite calcinata reliquit cinerum rufescentium ℥iij. ʒvij. ex quibus salis fixi salsi aliquantisper alcali ʒiij. gr. xxxvj. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. gr. xxx. in calcinatione ℥iij. ʒj.

Ex radicum Taraxaci recentium ℔v. prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis debilioris ad herbaceum accedentis, obscure acidi ℥x. ʒv. gr. xlv. humoris primo limpidi, manifeste acidi, subausteri, deinde rufescentis, intense acidi & austeri ℔ij. ℥xiij. ʒij. gr. xxiiij. humoris rufi, tum intense acidi, tum alcali & sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ij. ʒiiij. gr. xxxvj. olei spissi extracti ad instar ℥j. ʒij. gr. lxiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ix. ʒvj. gr. ix. quae calcinata reliquit cinerum rufescentium ℥ij. ʒiiij. gr. vij. ex quibus lixivio salis fixi salsi ʒj. gr. xxxix. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥x. ʒij. gr. xxxix. in calcinatione ℥vij. ʒij. gr. ij.

Intense amara sunt hujus plantae folia, & chartam caeruleam rubro colore leviter tingunt: radices colorem rubentem magis intensum efficiunt: amarae sunt & adstringentes. Sal essentialis hujus plantae ad salem mirabilem Clauberi accedit; cum ammoniacali sale & oleo consociatur. Sal acidus in radicibus uberior est & magis evolutus quam in foliis.

Dens Leonis hepatis & viscerum obstructiones aperit, urinas movet, vulneraria & febrifuga censetur. Infusum vel decoctum ad ℥iiij. vel vj. usurpatur. Succus recenter expressus & defaecatus ad ℥iij. iiijve praescribitur. Succus in morbis chronicis hepatis & mesenterii obstructioni adscriptis, item in febribus intermittentibus & febribus putridis inveteratis ab Ettmullero commendatur. Laudatur quoque in curanda pleuritide, & sanguine grumoso solvendo, necnon etiam in aliis partium internarum inflammationibus cum febribus acutis conjunctis. Thomas Fuller succum defaecatum commendat in cutaneis affectionibus ad ℥iiij. vel vj. ter vel saepius die exhibitum. Radices in ptisanis & apozematibus aperientibus usurpantur. Universae plantae decoctum potum morbo regio laborantibus auxiliatur.

Externe succus in affectibus oculorum commendatur oculis instillatus: leniter morsicat quidem & pungit, attamen pro visu acuendo & roborando, & pro delendis maculis, nebulis & albuginibus oculorum, & abstergenda cornea, lacteus hujus plantae succus ab Ettmullero praedicatur sive solus, sive propter acrimoniam cum aqua Foeniculi dilutus. Lintea eodem succo madentia ad vulnera quoque & ulcera quaecumque mammillarum, aliaque putrida manantia & sordida pudendorum ac tibiarum abstergenda optime conveniunt; succum enim hunc post Nicotianam omnibus praeferendum idem Ettmullerus censet.

Aquam distillatam magnopere commendat Tragus in apozematibus & febri-

febri-

febribus ardentibus, trium aut quatuor cochlearium mensuram singulis vicibus sumptam, ex qua & optima collyria adversus oculorum maculas fieri asserit. Verum dum succus obtineri poterit, longe majoris erit efficaciæ. Extractum ex totius plantæ succo defœcato præparatur ad eadem perutile. Ad ʒj. exhibetur.

Folia teneriora in acetariis commeduntur, ventriculum roborant, appetitum excitant, ciborum concoctionem juvant, alvum nimis fluentem sistunt, & urinas provocant.

Taraxacum usurpatur in apozemate aperiente *D. De Lorme*, vulgo dicto *Bouillon rouge*, & in syr. de Cichorio comp. *Pharmacop. Regiæ*.

## DIGITALIS.

Digitalis, *Off.* Digitalis purpurea, *J. B.* 2. 812. *Dod. Pempt.* 169. *Inst. R. H.* 165. Digitalis purpurea folio aspero, *C. B. P.* 243. Campanula sylvestris, *Tragi* 889. Aralda Bononiensibus, *Gesner*: Virga regia major flore purpureo, *Cæsalp.* 348. Digitalis purpurea vulgaris. *Parkinsoni*: vulgo, *Digitale*, & *Gants de Notre-Dame*.

Ex radicibus multis, tenuibus, fibrosis, amaris, caulem promit cubitalem & bicubitalem, pollicem crassum, angulosum, hirsutum, subrubentem, concavum: folia oblonga, acuminata, hirsuta, in ambitu serrata, superne atrovirentia, inferne incana, Verbaci quodammodo similia, quæ ad radicem sunt, longis nituntur pediculis; quæ in caulibus, nullo ordine posita, crebra. Flores in thyrsi longioris morem, frequentes, ab uno caulis latere penduli, brevibus, hirsutis pediculis, quorum singulis est appositum foliolum acuminatum, innixi, monopetali, anomali, tubulati, utrimque patentes & quasi bilabiati, dactylothecis propemodum similes, colore foris coccineo, excepta inferiore parte, quæ propter admixtam nonnullam albedinem carneo est, intus vero similiter purpurei, inferiore parte, (quæ & longis pilis obsita est) versicolore, albis maculis nigro guttatis: floris basi penitus adnascuntur stamina alba aut purpurascentia contorta, quæ apices didymos, croceo guttatos sustinent. Ex calyce plerumque quinquifolio surgit pistillum tenue, purpurascens, posticæ floris parti ad instar clavi infixum, cujus basis crassior, oblonga, hirsuta abit in fructum seu testam e rotundo acuminatam, bifariam dehiscentem, in duo loculamenta divisam & seminibus fœtam exiguis, quodammodo angulosis, subrufis: variat interdum coloris flore albo. Agri Parisiensis incola ob florum elegantiam in hortis colitur. Tota planta in usum venit, licet rarius.

Analysi chymica, ex Digitalis foliorum recentium ℔v. per retortam distillatis, prodierunt humoris primo rufescentis, inodori; deinde, limpidi odoris, & saporis herbacei, subacidi, ℔j. ℥vj. ʒvij. gran. lx. humoris limpidi, inodori, intense acidi, austeri ℔iij. ℥ij. ʒvij. humoris rufi, empyreumatici intense acidi, austeri, & subsalsi ℥ij. ʒv. gran. xij. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso prægnati cum salis volatilis concreti granis aliquot ℥j. ʒij. olei spissi syrupi ad instar ℥j. ʒj. gr. xij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ʒiv. gr. xxx. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. gran. xxxvj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiij. gran. lx. lixivio extracta sunt. Quæ facta fuit

jactu-

jactura partium in distillatione non percepta est: imo substantiarum extractarum pondus herbæ sumptæ distillatæ quantitatem superavit ℥iv.ʒij. gr. xlij. Partium jactura in calcinatione fuit ℥v. ʒj. gr. lxvj.

Digitalis folia amara sunt. Salem essentialem obtinent austerum, ammoniacalem, similem fere vitriolico ammoniacali, cum multo oleo conjunctum.

Digitalem emeticam esse Rajus profert. Dodonæus refert quosdam cum placentas ex hujus plantæ & aliarum herbarum foliis cum ovis factas gustassent atque edissent, mox sese male habuisse & ad vomitionem excitatos fuisse. Lobelius *in Observationibus*, narrat Somerseti Angliæ rusticam turbam hujus decocto febricitantibus purgationem & interdum superpurgationes & vomitiones humidioribus alvo moliri. Parkinsonus efficacem contra epilepsiam affirmat, si duo ejus manipuli cum ℥iv. Polypodii quercini in cerevisiæ q. s. decoquantur & decoctum propinetur; quod bis in hebdomada iterandum. Qui enim, inquit, sex & viginti annos hoc morbo laboraverant, ut singulis mensibus, bis terve caderent, hujus decocti usu penitus liberati sunt, & saltem per integros sexdecim menses, ne unum quidem paroxysmum senserunt. Verum J. Rajus observat medicamentum hoc robustioribus tantum convenire, siquidem violenter admodum purgat & vomitiones immanes excitat.

Parkinsonus externe strumosis conducere tritam & impositam, succumve ejus in unguento experientia compertum esse affirmat. Novi plures (inquit Rajus post D. Batesium) qui in strumosis tumoribus Digitalis floribus valde confidunt, quos quidam in butyro majali, quali quot possunt immittentes curant insolandos per æstatem. Alii cum adipe suillo miscent, & sub terra defodiunt per quadraginta dies: utrinque flores cum unguento reservant, una cum linteis inducunt & tumoribus applicant. Hosce tumoribus discutiendis vel maturandis, ulceribus detergendis vel explendis sufficere ferunt se expertos. Quinto & sexto quoque die Diacarthamo purgant, interim continue herbæ Robertianæ decoctum præbent. Pars ulceris rubens parte unguenti tenuiore illinatur: pars autem crassior unguenti linteamini imponatur, quod numquam mutetur. Sunt, qui novella & primo erumpentia plantæ germina accipiunt, eorumque succum expressum in butyro coquunt ad succi consumptionem, atque novo succo addito bis terve repetunt.

Notæ 1. Oportet ut paretur sufficiens quantitas unguenti eo anni tempore, quo flores haberi possunt, cum nonnumquam integer annus aut amplius ad curam perficiendam requiratur. 2. Quamvis ulcera primo majora fiant, ne metuas; siquidem unguentum postquam humores omnes absumpserit & exsiccaverit, ea demum sanabit & cute obducet. 3. Unguentum hoc in scrophulis humidis & pure manantibus utile est, in siccis parum valet: sed ad Basilicum & Præcipitatum confugiendum est.

Vetus apud Italos adagium hoc quidem est: *Aralda che tutte piaghe salda*, hoc est, Digitalis quæ omnia vulnera sanat.

## DIPSACUS.

DIpsacus sativus & Carduus Fullonum, *Off.* Dipsacus sativus, *C. B. P.* 385. *J. B.* 3. 73. *Inst. R. H.* 466. Carduus Fullonum sive Dipsacus sati-

ſativus, *Lobel. Icon.* 17. Labrum vener. *Matthiol. Lugdunenſ.* vulgo, *Chardno a Bonnetier ou a Foulon.*

Duorum aut trium cubitorum, aut etiam majorem altitudinem aſſequitur, caule pollicari, recto, recte rigido, multis alis concavo, ſtriato, ſpinulis quibuſdam horrente: folia bina appoſita ita circa caulem conjuncta ſunt, ut concavum labrum excipiendæ roris vel pluviæ aquæ efficiant, ampla, longa, dilute virentia, marginibus ſpinoſa, dorſo vero eminente durioribus etiam ſpinis rigentia: ſcaporum faſtigia oblonga occupant capitula quæ pugnum implent, compoſita ex plurimis foliis imbricatis ſquamarum inſtar poſitis, cum mucronibus rigidiſſimis hamulorum inſtar reflexis, & axi medio favi æmulo affixis, & quorum alis ſurgunt floſculi multifidi, candidi aut albo purpuraſcentes, embryonis parti ſupremæ coronatæ inſidentes & abeuntes, deinde in ſemina ſtriata veluti Fœniculi, guſtu amaricantia. Inabelſcunt per vetuſtatem capitula, ac in ipſis per medium ſectis ſubinde parvuli quidam vermiculi reperiuntur. Radice nititur lævi, candida, mediocris longitudinis. Agri Pariſienſis incola in agris ſeritur, cujus echinata capitula utilia ad rudes pannos depectendos & expoliendos habentur, & expetuntur. Radix & folia in uſum veniunt medicum.

Scrophulas ſanare dicitur Carduus Fullonum. Omni putredini reſiſtit. Coctus in vino purgat per urinam non ſecus ac Aſparagus. Phtiſicis etiam quodammodo deſperatis, experimento Guidonis Helidei & Henrici Stromajeri, Achilles Gaſſerus *in Obſ.* mire proficuam comperit radicem tuſam, & melle exceptam.

Radicis decoctæ in vino uſus in rhagadibus ani conſolidandis commendatur & in verrucis abigendis.

Aqua quæ in foliorum concavo reperitur caliginoſis & rubentibus oculis prodeſſe creditur. Eadem maculas faciei emendat & exterit.

## DRACUNCULUS.

TRes plantarum ſpecies diverſæ in Officinis occurrunt ſub Dracunculi nomine, ſcilicet Dracunculus major ſeu Serpentaria, Dracunculus pratenſis ſeu Prarmica, & Dracunculus eſculetus ſeu Tarchon.

Dracunculus major, Dracontium, Dragontea, & Serpentaria, *Off.* Dracunculus polyphyllus, *C. B. P.* 195. & *Inſt. R. H.* 160. Dracunculus major vulgaris, *J. B.* 2. 789. Dracontium, *Dod. Pempt.* 329. Arum polyphyllum, Dracunculus & Serpentaria dictum, caule maculato; majus & elatius *Hort. Lugd. Batav.* Erva de ſancta Maria, ſive Dracunculus major *Piſonis* 240. Anguina, Dracontia, & Serpentaria Colubrina, *Lob. Icon.* 600. vulgo, *Serpentaire.*

Dracunculo majori profunde in terram depacta radix eſt, perennis, fere orbiculata, volam implens, bulbo ſimilis, multis candidis capillamentis ſtipata, candida, tenui cortice flaveſcente induta ſapore fervido, cujus lateribus parvi bulbi plures, quibus ſe propagat, adnaſci conſueverunt. Caulis unicus rectus, pollicaris & craſſior, ſeſquicubitalis & altior, teres, levis, verſicoloribus lituris veluti Serpentum maculis reſperſus, e tunicis convolutis conſtans. Ipſa vero folia pediculis dodrantalibus, fungoſis donata, in ſegmenta digitata, ſena, ſeptena vel plura, oblonga, anguſta, lævia, ſplen-

ſplendentia, glabra, finduntur; e quorum medio eluctatus ſcapus vix digiti minimi craſſitiem æquat, cujus faſtigium occupat vagina oblonga, pedalis, coloris foris herbacei, intus in purpura rubentis, odoris fœtidi admodum, quæ evoluta florem conſtituit monopetalum anomalum, auris aſininæ vel leporinæ forma, e ſinu ſuo piſtillum promens nigricans longum, craſſum, Ari majus, & in mucronem acutiorem deſinens, ad baſim plurium apicum congerie & plurimis embryonibus ſtipatum; qui ſinguli deinde abeunt in baccas fere globoſas, ſuccoſas, racematim diſpoſitas, primum virentes, deinde rubentes, ferventi ac mordaci guſtu, uno vel altero ſemine fœtas ſubrotundo, duriuſculo, quodammodo rugoſo. Calidarum regionum incola hic in hortis colitur. Radix & folia ex uſu ſunt.

Principia, quæ ex Serpentaria analyſi chymica extrahuntur, ab Ari principiis parum differunt: ſalem eſſentialem ammoniacalem multo acido ſaturatum continent & ſulphure acri copioſo implicitum.

Radix & folia Dracunculis Ari vires obtinent, ita ut unum pro altero ſubſtitui poſſit. Nos tamen Simon Paulli monet mitius eſſe Arum Dracunculo remedium; quare ubi fortius aliquantulum extergere animus eſt, Dracunculus anteponendus eſt. Eamdem ob cauſam frequentius in externis uſurpatur.

Interne ut Arum uſurpatus venenum a corde pellere dicitur. Craſſos ac lentos humores, in pulmonum & viſcerum glandulis hærentes incidit, & expurgat, obſtructiones aperit, menſes & urinas movet. In aſthmate pituitoſo, menſium ſuppreſſione, affectibus chronicis & cachexia a lympha tenaci & inſpiſſata utiliter uſurpari poteſt. Radix exſiccata & pulverata ad ʒj. aut ʒij. præſcribitur. Alvum nonnumquam ſubducit. Ex ea radice fœcula ſeu gerſa ſicut ex Aro præparatur.

Externe radix optimum eſt remedium contumacium ulcerum, quæ cacoethe nuncupantur. Expurgat enim abſtergitque ſtrenue. Folia quoque utpote ſimili facultate inſtructa ulceribus vulneribuſque recens inflictis accomoda ſunt; & quanto minus fuerint ſicca, tanto magis conglutinant: nam quæ ſicciora viribus ſunt acrioribus, quam ut vulneribus conveniant. Venenatorum animalium morſibus impoſita recentia venenum extrahunt, ac brevi tempore partes affectas ſanant. Fructus valentior eſt non foliis tantum, ſed & radice: proinde & cancros & polypos eliquare creditus eſt. Succum quoque ejus oculorum vitia expurgare dicunt. Recens radix ferventi cinere toſta & impoſita dolorificas, & tumentes hæmorrhaidas curat, ſcirrhoſos tumores reſolvit, ſtrumas & lienis duritiem emollit. Suppoſita menſes remorantes trahit. Eadem abſterguntur cutis maculæ quæcumq;

Radicis Serpentariæ pulvis recipitur in celebri ad cancrum pulvere cujuſdam Antonii Fuchſii, de quo mentionem faciunt Rodericus a Caſtro *L.* 1. *De Morbis mulierum*, & Daniel Sennertus *T. III. fol.* 758. Pulvis Benedictus a Fuchſio dicebatur: ſic autem ab illis deſcribitur.

℞. Sandaracæ græc. vel Arſenici albi ſubtiliſſime pulverati ℥j. Per quindecim dies de die tertio in tertium affundatur aqua vitæ ad ſupereminentiam unius tranſverſi digiti, identidem agitando. Poſt triduum aqua vitæ abjiciatur, & nova affundatur. Poſt quintam affuſionem pulvis exſiccetur. Tum adde radicis Dracunculi majoris menſe Julio vel Auguſto collectæ, in taleolas ſciſſæ, exſiccatæ, & pulveratæ ℥ij. Fuliginis camini

ſplen-

ſplendidi ℥iij. Redigantur omnia in ſubtiliſſimum pulverem ſuper lapidem marmoreum, & ſerventur in vaſe vitreo bene clauſo per longum tempus, ſaltem anni unius integri. Rodericus a Caſtro refert, Fuchſium hunc poſtquam ſuum pulverem inſperſiſſet, ſi intra triduum tumor non exacerbabatur, ſed in melius tendebat ſanari poſſe prædixiſſe, cum procul dubio conjiceret cancri radices non admodum alte eſſe infixas, nec humorem valde aduſtum: atque tum in uſu pulveris ad 30. diem perſtitiſſe, quo termino, ut referebat, radices extinctæ per ſe cadebant, ac ſi quid adhuc hæreret, ſcalpello præſcindebat.

Pulverem autem hunc ita applicabat. Mane ipſe jejunus ſputum ſuper bombacem apponebat: ſi cancer exulceratus, abſterſo prius vulnere ab omni ſanie, aſpergebat pulverem, adeo ut totus cancer tegeretur, & cum illa ſupra ſcripta bombace tegebat. Cum adhæret numquam cadit, niſi una ſecum radices tollat. Solet ut plurimum inferre dolorem non continuum ſed interpolatum, quando humor acris & mordax non poteſt purgari per ulcus. Et aliquando fit magnus tumor, quando ille acris humor purgatur per ulcus: eo tempore neque removendum medicamentum, neque aliud ſupra apponendum, ſed circum circa oleum illinendum roſaceum & poſtea dimittendum uſquedum per ſe cadat. Poſtea purgandum ſicut alia ulcera. Ipſe Fuchſius uſus eſt pulvere incarnativo & mundificativo hoc.

♃. Thuris, Sarcocollæ, Maſtiches, Mirrhæ, Aloes, Mumiæ, Ariſtoloch. rotundæ ana ℥iij. Mercurii præcipitati ℥jß. F. pulvis ſubtiliſſimus. Digeſtivi loco ſolum uſus eſt unguento ex Terebinthina & vitello ovi.

Dracunculus uſurpatur in emplaſtro Diabotano D. Blondel *Collectan. Pharm. Penicheri*.

Dracunculus Pratenſis, Ptarmica, *Off.* Ptarmica vulgaris, folio longo ſerrato, flore albo, *J. B.* 3. 147. *Inſt. R. H.* 496. Dracunculus pratenſis, ſerrato folio *C. B. P.* 98. Draco ſylveſtris, ſive Ptarmice, *Dod. Pempt.* 710. Pyrethrum, *Brunsfels*: Mentha ſarracenica Myconi, *Lugd.* 672. Tanacetum album ſeu acutum, *Trag.* 159. vulgo, *Herbe a eternuer*.

Hæc planta cubitalis eſt, nonnumquam bicubitalis & tricubitalis, radice oblique acta & velut geniculata, fibris majuſculis & longiſſimis donata, ſapore acri & fervido: caule ſingulari, tereti, glabro, fiſtuloſo, gracili, ſatis tamen rigido: cui alterno aut potius nullo ordine poſita adnaſcuntur folia forma & magnitudine Oleaginis ſimilia, ſed ab imo ad ſummum argutis aſperiuſculiſque denticulis circumquaque ſerrata, atro virore ſplendentia, ſapore fervido, Pyrethri mitiore. Summus ſcapus nonnihil anguloſus & ſubhirſutus in ſurculos aliquot dividitur, qui umbellatim fere flores geſtant candidos, radiatos, Millefolii terreſtris duplo vel triplo majores, odore non diſſimili ſed remiſſiore: quorum diſcus ex plurimis floſculis arcte ſtipatis & in quinque ſegmenta acuta diviſis, corona vero ex ſemifloſculis componitur trifariam diviſis, embryonibus inſidentibus & calyce ſquamoſo breviore quam in Millefolio comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina tenuia. Agri Pariſienſis incola in pratis udis & paluſtribus Julio menſe floret. Radix & folia in uſum licet minus frequentem veniunt.

Ptar-

Ptarmica sale essentiali oleoso acri donatur. Plantæ siccæ pulvis naribus inditus sternutamenta movet, unde ei nomen. Verum raro usurpatur, nec nisi cum aliis generosioribus capiti appropriatis remediis destituimur. Radix commansa caput purgat & dentium dolores mulcet pituitam eliciendo. Dicunt quoque contusa ipsius folia viridia, contusionibus imposita discutere livorem. Adduntur a nonnullis Lactucis aliisque acetariis hujus folia, quorum frigiditatem veluti Eruca & Draco, corrigunt quoque ac temperant.

Dracunculus esculentus sive Tarchon, *Off.* Abrotanum Lini folio acriori & odorato, *Inst. R. H.* 459. Dracunculus hortensis, *C. B. P.* 98. Dracunculus hortensis, sive Tarchon, *J. B.* 3. 148. Draco herba, *Dod. Pempt.* 709. Tarchon Avicennæ & Sethi, *Gesner. Hortor*: vulgo, *Estragon*.

Fruticosa promit duorum cubitorum & ampliora virgulta, dura, gracilia, nonnihil angulosa, inconditis ramis divisa: foliis primo orientibus divisis, ubi vero adolevit, foliis onusta Lini folia æquantibus aut Hyssopi, atrovirentibus, splendidis, omnis divisionis ignaris, sapore acri, aromatico, cum quadam dulcedine grata, Anisum conditum æmulante. Flores eo ordine per summos ramos quo in Abrotano, in corymbum digesti, flosculosi, sed exigui & vix conspicui, plurimis flosculis constantes tubulosis, in summitate quinquefariam divisis, embryoni insidentibus & calyce squamoso comprehensis. Embryo autem abit deinde in semen minutum, pappis nequaquam instructum. Radix perennis novam singulis annis stolonum sobolem emittit. In olitoriis hortis colitur.

Planta tota insigni acrimonia prædita est, & sale essentiali oleoso aromatico donatur. Valenter incidit, aperit, digerit, appetentiam excitat, flatus dissipat, urinam & menses ciet, obstructiones expedit, mansa pituitam ducit & salivam instar Pyrethri; hinc dentium dolores mulcet & humidum cerebrum purgat. Frequentissimus est apud nostrates usus ejus in acetariis ad temperandam & corrigendam aliarum herbarum quibus admiscetur frigiditatem & cruditatem. Prodest Tarchon, scribente Matthiolo, iis quibus ventriculus frigidior. Vehementer excalefacit: ad pestis contagia maxime & primæ laudis est ejus aqua stillatitia apud Anglos, auctore Lobelio: quæ tamen virtus J. Raio prorsus ignota fuit.

## DULCAMARA.

Dulcamara, Amaradulcis, Solanum Scandens, *Off.* Solanum scandens seu Dulcamara, *C. B. P.* 167. Glycypicros sive Amaradulcis, *J. B.* 2. 109. Dulcamara, *Dod. Pempt.* 402. Salicastrum, *Plinii*: Circæa, *Adversar. Lobel.* 104. Vitis sylvestris, *Camerar. Epitom.* 986. Solanum lignosum sive Dulcamara, *Parkinson. Raii Histor.* 672. vulgo, *Morelle*, *Douce amere*.

E radice modica, fibrosa, sarmenta lignosa, fragilia, tenuia, tres, quinque vel sex pedes longa, vicinis sepibus aut fruticibus scandendo se circumvolventia emittit. Cortex novellorum ramulorum viret, sed vetustiorum ipsorumque caudicum asperior cinericeo subcandicat colore, extrinsecus quidem, nam intrisecus pulchre etiam viret. Lignum fragilem medullam intus fungosam habet. Folia alternatim nascuntur oblonga, lævia mucronata, Smilaceis minora, atrovirentia, duabus pinnis nonnumquam ima parte aurita, pediculo circiter unciali. Flores in muscariis exiguis fœtidi, sed

sed pulchelli, monopetali, rotati, in quinque segmenta angusta, acuminata, extrorsum reflexa partiti, cæruleo-purpurei, quandoque candidi, in quorum medio apices lutei in umbonem compositi. Ex floris calyce surgit pistillum mediæ floris parti ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum mollem seu baccam succulentam per maturitatem coccinei coloris, sublongæ formæ, lenti & ingrati saporis, parvis granulis compressis, albentibus repletam. Aquosa & rigua amat. Tota planta usitata est.

Analysi chymica cum Solano officinali fere convenit. Chartam cæruleam folia rubro colore vix tingunt: sapore fatuo & odore narcotico donantur. Fructus vero vinosum saporem refert & chartam cæruleam rubro tingit colore. Salem essentialem continet ammoniacalem qui in foliis multo sulphure crasso narcotico involvitur, in fructibus vero hujus salis pars acida magis evoluta est. Unde fructus magis refrigerant & repercutiunt, folia vero magis resolvunt & abstergunt.

Intus sumpta efficax censetur ad hepatis & lienis obstructiones resolvendas. Urinam ciere dicitur, & contra hydropem utiliter exhiberi. Fertur a ruptis & ex alto præcipitatis aut etiam cæsis succum utiliter bibi. Creditur siquidem concretum alicubi in visceribus sanguinem dissolvere & partium læsarum sanitatem procurare. Parkinsonus scribit quoties ex Medicorum præscripto illum exhibuit, se comperisse satis violenter purgare. Et Prævotius *L. de Med. Pauperum*, ligno Dulcamaræ decocto inter bilem benigne evacuantia principem locum tribuit. Tragus hujus ligni decoctum præscribit in morbo regio præsertim inveterato.

℞. Dulcamaræ ligni ℔j. ac minutim in frustula tali ludicri instar concisam cum mensura vini albi in novam ollam, eamque operculo exiguo foramine in medio pertuso probe contectam & massa farinacea oblinitam reponas, superque carbones lento igne decoquito ad tertias, demumque his utare. Hæc potio mane una hora antequam surgas, & vesperi cum lecto te committere velis, cyathi vulgaris mensura sumpta, morbi regii causam, bilem nempe viscidam leniter per alvum & urinam exigit.

℞. Caulium virid. Solani lignosi concisor. ℥iiij. Coccinill. ℈j. vini albi ℔ij. Infunde calide in vase clauso per noctem. Colaturæ adde Syrup. Heder. terrestr. ℥iiij. Theriac. Androm. ℥ß. M. Dosis ℥iiij. vel vj. bis terve die.

Hoc traumaticum infusum a Th. Fullero singulariter commendatur ad casum ab alto, & contusiones. Cruorem quippe extravarsatum & grumescentem mire dissolvit, in massam sanguinis intra vasa majora circulantis denuo propellit; atque illinc partim per diaphoresim, per diuresim, partimque nonnumquam per catharsim exterminat. Tam potenter & specifice, inquit, operatur, ut aliquando (non sine stupore) notaverit ab ejus usu urinam (propter grumos solutos absorptos, & sero commixtos) plane nigricantem reddi.

Externe vi anodyna & resolvente plurimum valet. Sebizius viridem Dulcamaram contusam & cataplasmatis forma applicatam ait mitigare mammarum dolores, emollire earum duritiem, atque dissolvere in iis grumescens lac. J. Raius refert cataplasma ex foliorum Dulcamaræ concisor. manipulis quatuor cum ℥iiij. seminis Lini pulverati decoctor. in vino moscha-

ſchato cretico aut lardo porcino, calide applicatum, unius noctis ſpatio tumorem capitis humani magnitudine reſolviſſe, & contuſiones deploratas muſculorum ſanaviſſe.

Mulieres in Hetruria, narrante Matthiolo, Acinorum ſuccum uſurpant ad faciei nitorem, & lentigines, maculaſque delendas.

## E B U L U S.

EBulus, Sambucus humilis, Sambucus herbacea, Chamæacte, *Off.* Sambucus humilis, ſive Ebulus, *C. B. P.* 456. *Inſt. R. H.* 606. Ebulus ſive Sambucus herbacea, *J. B.* 546. Ebulus, *Dodon. Pempt.* 381. Chamæacte, *Dioſcorid.* vulgo, *Yeble.*

Hæc planta herbacea Sambuci æmula, raro hominis altitudinem aſſequitur, ſæpius ſeſquicubitalis: ex radice longa, digitalis craſſitudinis, non lignoſa, carnoſa, albida, late ſparſa, ſaporis amaricantis, ſubacris & nauſeoſi, caules herbaceos promit, ſtriatos, anguloſos, ac frequentibus articulis geniculatos, Sambuci ritu medulloſos, hybernis menſibus contabeſcentes: frondes ordinatius diſpoſitas, e tribus quatuorve conjugationibus ad creſſum, nervoſum pediculum annexis, imparique extremo folio compoſitas, quarum ſingula folia Sambucinis longiora, acutiora, ambitu ſerrata, odore graviore. Flores in umbellis naſcuntur parvi, numeroſi, odorati, & neſcio quid nucleorum Perſicorum magmatis ſpirantes, ſed eſu vix ferendi, candidi, monopetali, rotati, quinquepartiti, cujus meditullium a mucrone calycis tanquam a clavo perfoditur inter quinque ſtamina candida & totidem apices ferrugineos. Floribus deciduis calyces abeunt in fructus ſeu baccas, per maturitatem nigras, torulis multis anguloſas ante maturitatem & pene triangulas, poſt vero magis rotundas, ſucco ſuo manus rutila quadam purpura inficientes, ſeminibus fœtas oblongis, ternis, altera parte gibbis, altera anguloſis. Ad vias públicas & in agrorum limitibus non raro occurrit. Cortex radicis, folia, baccæ uſitata ſunt.

Analyſi chymica, ex folior. & ſummitatum Ebuli recentium ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, ſub finem rufeſcentis, odoris & ſaporis ingrati, primo obſcure acidi, deinde remiſſioris ac tandem ſubſalſi ℔j. ℥iiij. ʒv. gr. xlviij. humoris rufeſcentis, primo leviter alcali, urinoſi, ac tandem intenſi ℔ij. ℥v. ʒvij. gr. xxxvj. humoris rufi, ſale urinoſo copioſo impraegnati ʒvij. gr. xlviij. olei ℥j. ʒiiij. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vj. ʒiij. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij ʒv. ex quibus ſalis fixi leviter alcalini ʒiij. gr. ij. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥xij. ʒij. gr. xxiiij. in calcinatione ℥ij. ʒvij. gr. xxxvj.

Baccarum maturarum recentium ℔v. per retortam diſtillatæ præbuerunt humoris limpidi, odoris & ſaporis fatui, ingrati & obſcure ſalſi, deinde obſcure ſubacidi ℥ix. ʒvj. gr. xlviij. humoris rufi, odoris & ſaporis ingrati, primo ſubacidi, deinde acidi, ſubſalſi & auſteri ℥vij. ʒij. gr. xviij. humoris limpidi, rufeſcentis, acidi, alcali, urinoſi & auſteri ſimul ℥xj. ʒiij. gr. xxxj. olei ℥xiiij. ʒiiij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℔j. ℥ix. ʒvij. gr. xxxvj. quæ rite per 12. horas calcinata reliquit

cine-

cinerum albicantium ℥iij. ʒiij. ex quibus ſalis ſalſi talcoſi ʒj. gr. xxx. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥x. ʒvij. gr. xlij. in calcinatione ℔j. ℥vj. ʒiiij. gr. xxxvj.

Folia Ebuli amaricantia ſunt, baccarum vero magis intenſus eſt amaror, cum quadam adſtrictione: chartam cœruleam earum ſuccus non mutat. Sale eſſentiali ammoniacali cum oleo copioſo, baccæ præſertim donantur tum tenui, tum craſſo.

Ebulo facultas purgandi per alvum eximia & valida tribuitur: radices ad hunc ſcopum efficaciſſimæ ſunt ac præſertim cortex ejus. Alii ſumunt medianum ſtipitis corticem. Poſt radices ſunt baccæ & ſemina. Aſparagi ſeu turiones & folia mitiora cenſentur. Radicis ſubſtantia lignea interior adſtringit potius, & propterea in fluore albo & nimio menſium fluxu ex vino ſumpta a P. Hermans & Friderico Hoffmanno laudatur. Folia digerendi & diſcutiendi potentia præſtant. Educunt autem cortices non modo pituitam, ſed & aquoſos potiſſimum humores: utiles idcirco prædicantur ad hydropicorum purgationes; ſed tamen correctæ & ubi vires ſuffecerint. Purgant enim cum moleſtia, ventriculum ſubvertunt, vomitum nonnunquam promovent, interioraque viſcera omnia perturbant. Male omnibus uſus earum ſuccedit, quibus hepar obduruit, ut quando morbo regio aſcites ſucceſſit. Quamobrem nec temere nec niſi valde robuſtis & viribus adhuc integris ex Ebuli corticibus medicamentum aut potio danda.

Succus, cui vis purgandi valida, elicitur vel e radice vel e mediano ſtipitis cortice contuſo, affuſo Hordei vel uvarum paſſarum decocto cum Cinnamomi vel Nucis moſch. momento & Saccharo. Infuſum corticum radicis Ebuli, non adeo violentum eſt, decoctum vero minus. Coctura, auctore Fernelio, vis ejus purgandi perit & exſolvitur. Succus exhibetur ad ℥j. Cortex in vino maceratur vel decoquitur ab ℥ß. ad ℥ij. ſi cauſa morbi frigida, ſi febris abſit: alias pro affectus natura potio temperanda eſt.

Semen in pulvere præſcribitur ad ʒj. Seminum Ebuli ℥ß. in vini albi ℥vj. maceratur per noctem & colatura hydropicis propinatur. Vel etiam ex eorumdem ſeminum ʒvj. contuſis in aq. florum Parietariæ emulſio hydragoga conficitur. Fridericus Hoffmannus radicem, dempto cortice, tempore verno rubicundam collectam & pulverizatam a ʒß. ad ℈j. exhibitam nimio menſium fluxui mederi ſcribit. Ex baccis Rob conficitur ad aquas hydropicorum in robuſtioribus ſubjectis educendas ab ℥ß. ad ℥j. exhibitum.

Flores Ebuli ſicut flores Sambuci interne ſudores movent.

Ex Ebuli ſeminibus in aqua calida maceratis & fortiter expreſſis oleum aquæ ſupernatans obtinetur quod externe dolores podagricos demulcet & tumores optime reſolvit.

Aqua ſtillatitia radicum Ebuli commendatur a D. Duval Medico Pariſ. in doloribus, inflationibus & obſtructionibus lienis: propinatur ad ℥iiij. per decem aut duodecim dies mane, jejuno ventriculo.

Folia cocta ad cataplaſmatis formam ſopiendis podagricorum doloribus conferunt. Eadem tumores aquoſos & herniam in ſpecie aquoſam diſcutiendo ac reſolvendo tollunt. Contuſa & impoſita ambuſtæ parti eam perſanant. S. Paulli *Quadrip. Botanico* ingentem teſtium & ſcroti inflamma-

mationem in puero, cataplasmate ex foliis Ebuli & Agrimoniæ partibus æqualibus & vino rubro coctis curavit. Cortex radicum potenter discutit & emollit, unde externe in inflammationibus & erisypelate admovetur. Ad tumores pedum œdematosos resolvendos, aut dolores podagricos, rheumaticos sedandos, fotus foliorum Ebuli, Tanaceti, Salviæ in aqua vel vino coctorum commendatur.

♃. Cortic. radicum Ebuli ℥j. Baccar. Juniper. ℥j. flor. Sambuc. P. j. Macerentur in vini q. s. Colatura detur ad aquas per urinam & alvum educendas.

♃. Fol. Ebuli recentium ℔ij. Contunde & misce cum butyri majalis ℔j. Coq. ad herbæ siccitatem. F. colatura & unguentum erit efficacissimum ad tumores resolvendos, arthriticos dolores sedandos.

Radix & semina Ebuli usurpantur in hydragogo eximio *Renodæi*. Radix adhibetur in syrupo hydragogo *Pharmacop. Regiæ*, & in emplastro de Ranis cum Mercurio *Ejusdem*. Folia vero in extracto panchymagogo *Crollii*, & in ung. Martiato, *Pharmacop. Regiæ*.

## ELATINE.

Elatine & Veronica fœmina, *Off.* Linaria segetum, Nummulariæ folio villoso, *I. R. H.* 169. *Raii Hist.* 759. Elatine folio subrotundo *C. B. P.* 252. Elatine mas, folio subrotundo *J. B.* 3. 372. Veronica fœmina Fuchsii sive Elatine *Dod. Pempt.* 42. Verbasculum quorumdam, *Lugd.* 1301. vulgo, *Velvote* ou *Veronique femelle*.

Radix alba, simplex, tenuis, paucis fibris donata, recta in terram descendit. Caulis tenuis, rotundus, vix palmum altus: verum flagella quæ ad latus supra terram spargit, longitudine non raro spithamam excedunt. Folia quam Alsines mediæ majora, rotundiora, pallide viridia & canescentia, hirsuta & ad tactum mollia, circa margines plerumque æqualia, interdum tamen obiter dentata, pediculis brevissimis fulta, situ alterno. Ex alis foliorum emergunt pediculi singulares, longi, tenues, singulos flores sustinentes Linariæ similes, parvos, monopetalos, anomalos, personatos, posterius in caudam seu calcar tenue, incurvum desinentes, anterius in duo labia divisos, quorum superius colore pullo, bifariam, inferius vero, ex herbido flavescens trifariam secatur. Ex calyce pentaphyllo surgit pistillum posticæ floris parti infixum, quod deinde abit in fructum seu testam membranaceam, subrotundam, septo intermedio in duo loculamenta divisam, seminibusque pluribus minutis, subrotundis fœtam. Usu herba est quæ in sylva Bononiensi sponte crescit.

Analysi chymica, ex totius plantæ recentis ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, inodori, sub finem subacidi ℥xiij. ʒiiij. gr. xxxvj. humoris primo limpidi, magis ac magis acidi, deinde rufescentis, intense acidi & austeri ℔iij. ℥ij. ʒv. humoris rufescentis, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒj. olei ʒvj. gr. xlij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ix. gr. xlij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ponderosorum & terræ similium ʒvj. ʒj. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi salsi ʒij. gr. xxxvj. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gr. xviij.

Elatines folia intense amara sunt, subadstringentia, & aliquid oleosi spi-

ſpirant. Salem eſſentialem continere videntur Tartareo-aluminoſum mediocri olei portione involutum.

Summe vulneraria eſt, temperans & detergens, aperit & reſolvit. Ejus infuſum, decoctum vel aqua diſtillata uſurpari ſolent ad ℥iiij. vel ℥vj. Succus vero ab ℥iij. ad ℥v. bis terve die potus. Laudatur in cancro, podagra, impetigine, lepra, hydrope, ſcrophulis. Pena & Lobelius narrant, quemdam miſellum barbitonſorem, cum perdocti Medici complures naſum cujuſdam ægrotantis abſcindere decreviſſent, hoc remedium a quopiam ſuo hero edoctum, amputationem diſſuaſiſſe, & hujus plantæ ſucci litu & potu ſic effeciſſe, ut naſus non abſcinderetur & ut reliquo corpori in lepram prono mederetur. Ejus extractum præparatur & ad ʒj. exhibetur. Externe admota planta, vel ſuccus effuſus ulcera ſordida & cancroſa abſtergere, cohibere & ſanare dicitur. Unguentum ex ea conficitur a Tournefortio ad ulcera, hæmorrhoides, ſcrophulas, cunctaque cutis vitia prædicatum.

℞. Elatines floridæ q. v. Contundantur & macerentur per 24. horas in vini albi q. ſ. ut herba tegatur. Tum fiat colatura cum forti expreſſione. Coquatur ad tertias & affund. adip. porcini q. ſ. F. unguentum.

Utiliter quoque a nonnullis in enematum decoctis adverſus alvi profluvia & dyſenteriam uſurpatur.

## ENDIVIA ſive INTYBUS.

Endivia ſive Intybus Cichorii ſpecies eſt. Intybum tamen a Cichorio J. Rajus diſtinguit foliis brevioribus, non laciniatis & quod annua planta ſit, cum Cichorium perennet. Tres Endiviæ ſpecies uſitatæ ſunt, Endivia latifolia, ſeu vulgaris, Endivia anguſtifolia, ſeu Scariola vulgaris, & Endivia criſpa ſeu Romana.

Endivia latifolia, Endivia vulgaris, Intybus ſativa, Intybum latifolium, Scariola latifolia Seriola, *Off.* Cichorium latifolium, ſive Endivia vulgaris *Inſt. R. H.* 479. Intybus ſativa, latifolia, ſive Endivia vulgaris *C. B. P.* 125. Intybum ſativum latifolium *J. B.* 2. 1011. Intybus major ſativa, Cichorium domeſticum *Tabern. Icon.* 173. Seris domeſtica *Dioſcoridis*: Cichorea ſativa *Tragi* 273. Intubus *Turn:* Intubum latifolium ſativum Fuchs. *Dod.* Scariola Arabum, *interpretibus*: Gallice *Endive commune* ou *Chicoree blanche*.

Radicibus eſt fibroſis, lacte prægnantibus: foliis per terram ſparſis antequam cauleſcat, longis, latis, Lactucæ foliis ſimilibus, in ambitu ſubinde crenatis, ſubamaris: foliis quæ in caule ſunt quaſi hederaceis, minoribus: caule cubitali & ſeſquicubitali, lævi, ſtriato, inani, multis ramis brachiato, tortuoſo, vulnere lac fundente; floribus e foliorum alis naſcentibus, cœruleis, Cichorii ſylveſtris, ſeminibus quoque conſimilibus.

Endivia anguſtifolia ſeu minor, Intybus anguſtifolia, Scariola vulgaris ſeu anguſtifolia, Seriola & Endiviola: *Off.* Cichorium anguſtifolium, ſive Endivia vulgaris *Inſt. R. H.* 479. Intybus ſativa, anguſtifolia *C. B. P.* 125. Intybum ſativum, anguſtifolium *J. B.* 2. 1011. Serium, Cichorium ſativum minus *Tabern. Icon.* 174. Intybum ſylveſtre *Gerard.* Intybus ſive Endivia minor anguſtifolia *Parkinſon*: vulgo, *Petite Endive*.

Foliis est angustioribus, sapore amariore, caule ramosiore; in reliquis cum priore convenit.

Endivia crispa, seu Romana, Intybus crispa, *Off.* Cichorium crispum *Inst. R. H.* 479. Intybus *C. B. P.* 125. Intybum sativum crispum *J. B.* 2. 1011. Intybus crispa, Endivia crispa *Tabern. Icon.* 173. Seris seu Intybus crispa *Adv. Lobel*: vulgo, *Chicoree frisée*.

Foliis est quam Endivia vulgaris majoribus, ubique in ambitu crispis ac sinuatis: caule cœteris majore, crassiore, teneriore, semine nigro: cœtera similis.

J. Bauhinus hortulanorum mangonio Intybum crispam effici opinatur: J. Rajus Intybum crispam a sativa specie differre existimat. Seritur Intybus in hortis olitoriis, ad usum culinarium. J. Rajus observat quod vere sata celeriter adolescat, & ipsa æstate florens semina proferat & deinde intercidat: Julio vero sata in hyemem restet, Septembri aut Octobri terra obruta, colligatis prius foliis, nivis instar candida reddatur, ac deinde mensibus hybernis, aliorum acetariorum loco, mensis inferatur palato sapida & grata.

Analysi chymica, totius Intybi sativæ majoris recentis cum radicibus ℔v. præbuerunt humoris primo subturbidi, deinde limpidi, saporis & odoris herbacei, obscure salsi, obscure acidi, tandem manifeste acidi ℔ij. ℥xij. ʒj. humoris limpidi, manifeste & magis ac magis acidi, sub finem rufescentis, atque saporis odorisque leviter empyreumatici, austeri ℔j. ℥x. ʒvj. gr. xviij. humoris fusci, odoris & saporis vehementer empyreumatici subacidi, acris & salsi, sub finem rufi, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥j. ʒv. olei spissi ad instar extracti ʒv. gr. lx. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. ʒv. gr. viij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. ʒj. gr. xxxviij. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. gr. lviij. in calcinatione ℥ij. ʒij. gr. xliiij.

Ex Intybi sativæ candidæ foliorum recentium & a radicibus separatorum ℔v. prodierunt humoris limpidi, primo inodori & insipidi, obscure salsi, deinde subacidi ℔iiij. ℥iiij. ʒiiij. humoris limpidi, subsalsi, urinosi ℥v. ʒiij. gr. xiv. humoris fusci, empyreumatici, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥iij. ʒiij. gr. xxiiij. olei ʒv. gr. xxiiij. salis volatilis urinosi concreti gr. circiter xx. Massa nigra in retorta residua pendebat ʒvij. gr. xlij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ʒvij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒij. gr. viij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. gr. xx. in calcinatione gr. xlij.

Intybi viridis junioris foliorum recentium ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris limpidi, rufescentis, odoris & saporis herbacei quasi lixiviosi, subsalsi ℔j. ℥xv. ʒj. gr. vj. humoris rufescentis, subturbidi, ejusdem saporis & odoris ℔j. ℥ij. ʒiiij. humoris flavescentis, limpidi, saporis & odoris lixiviosi, subsalsi & aliquantisper urinosi ℔j. ℥iiij. ʒj. gr. liiij. humoris turbidi, rufescentis, odoris & saporis empyreumatici, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥j. ʒj. gr. xxij. salis volatilis urinosi concreti nitidi ʒj. gr. xxiiij. olei spissi ad instar extracti ʒv. gr. xij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥ij. ʒij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiij. gr. lx. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xlviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥v. ʒvij. gr. xxvj. in calcinatione ʒvj. gr. xij.

En-

Endiviæ viridis folia recentia salem essentialem continere videntur nitroso-ammoniacalem cum olei tenuis, & paululum terræ permixtum. Nullum acidi signum præbuerunt in tentaminibus ob maximam salis urinosi copiam.

Endiviæ folia colligatione dealbata aliquantulum acidi exhibuerunt, minus vero salis volatilis, & terræ: succus eorum, dum colligantur ut dealbescant, quamdam fermentationem intus suscipit, qua salia volatilia in hac planta copiosa, & evoluta satis, partim avolant, remanente acida portione, & aqua. Terra autem eadem fermentatione attenuata cum cœteris principiis intimius miscetur.

Folia dealbata teneriora sunt, & palato magis sapida virentibus, ob acidi portionem magis evolutam, & cum alcalinis, & oleis intimius permixtam; virentia amaricantia sunt ob molecularum salinarum crassitiem, & diversam cum oleo, & terra miscelam.

Endiviæ virentes apud nos raro esitantur, sed angustifolia, & crispa cura olitorum qui illas terra vel arena in hortis vel in cellis subterraneis obruunt, candidæ factæ, & dulciores, in acetariis crudæ in mediis frigoribus sicut lactucæ in æstate frequentissime comeduntur. Usitatæ sunt etiam in jusculis carnium, & ex jure coxæ vervecinæ, in quo sensim elixantur, & tabescunt, dum caro assatur, saporatæ, ut artis est, cibum præbent & gratum, & salubrem.

Nec minus notæ sunt in officinis pharmaceuticis quam in culinis, ubi & virides, & dealbatæ in usum veniunt. Folia præsertim frequenter usurpantur, semina raro, fere numquam radices.

Endiviæ omnes refrigerant, abstergunt, & aperiunt: sale suo nitroso ammoniacali, subtili, multo phlegmate diluto, sanguinis fervorem sedant, biliosorum humorum orgasmum compescunt, acres sanguinis sales nimis evolutos, & nimis evecta sulphura sibi consociant, & per urinas aut per secessum abducunt: viscera maximeque jecur infarctu liberant, emolliunt, & diluunt collectam in illis bilem viscidam, & quasi resinosam factam, serum glutinosum seu pituitam crassam dividunt: icterum sanant, febribus biliosis ardentibus, & inflammationibus quibuscumque conducunt: hæmorrhagiis medentur. In jusculis, & apozematibus temperantibus, refrigerantibus, & aperientibus usurpantur: earum succus defœcatus sæpius die, ad ℥iiij. vel decoctum pro potu solito propinatur.

Simon Paulli <u>*Quadr. Botanico*</u> 322. folia exsiccata commendat, quæ decoctionibus hepaticis permixta, ad præparandam bilem, quæ icterum invexit, additis Fragariæ foliis, valde prodesse asserit.

Semen Endiviæ inter quatuor semina frigida minora numeratur, ex quibus æque ac ex majoribus emulsiones præparantur.

Externe Endiviæ virentis folia in inflammationibus, & tumoribus erysipelaceis admoventur contusa. Usurpantur in enematibus refrigerantibus, & emollientibus, & in pediluviis pro concilianda quiete, & somno, vel tempore æstivo vel in ardoribus febrilibus.

♃. Radicum Gramin. Fragar. & Asparag. ana ℥j. Folior. Cichor. sylvestr. cum toto, folior. Endiviæ vulgar. Scariolæ, Pimpinell. & Agrimon. ana M. j. Coquantur in ℔iij. ad ℔ij. aq. comm. Colatura dilue sal. amar.

cathartic. ℥ß. Syrup. de pom. ſimpl. ℥ij. F. apozema ad bilem craſſam incidendam in ictero, & hepatis obſtructiones reſerandas. Propinetur per cyathos ſtatis temporibus.

℞. Radic. Cichor. & Nenuphar. ana ℥j. Folior. Endiviæ, Scariol. Bugloſſ. Borrag. Lactuc. & Portulac. ana M. j. Semin. Melon. Citrull. Endiv. & Althææ ana ʒj. Paſſular. Jujubar. ana ℥j. Orizæ contuſæ P. j. Coq. in aq. fluviatil. ℔iiij. ad ℔iij. F. apozema ad pituitam tenuem, & ſalſam in catharris contemperandam, & demulcendam.

℞. Pullum gallinac. exenteratum, excorticatum, capite, & pedibus reſectis. Coquatur in aq. ℔vj. ad ℔iiij. Sub finem coctionis adde folior. Intybi utriuſque, Cichor. Sylveſtr. Chærophylli, Borrag. Bugloſſ. Lactuc. Pimpinell. & Agrimon. ana M. j. Per cyathos calens propinetur 3. vel 4. quaque hora ad refrigerandum, aut humorum æſtum compeſcendum in febribus bilioſis.

℞. Fol. Intybi utriuſque, Lactuc. Cichor. Sylveſtr. Borrag. Bugloſſ. Acetoſ. rotund. Scolopendr. Fumar. Agrimon. ana M. j. Contundendo affunde ſenſim ſeri lactis ℔ij. F. colatura cum forti expreſſione. Colat[ur]a defœcata, diſſolve ſyrup. de Cichor. ſimpl. ℥ij. F. ſerum medic[amentosu]m refrigerans, & aperiens ad temperandum viſcerum æſtum & obſtructiones aperiendas.

Endivia utraque uſurpantur in ſyrupo de Cichoreo ſimplici, & compoſito *Collectaneor. Pharm. Penicheri*.

## ENULA CAMPANA.

Enula Campana, Helenium, Inula, *Off.* Aſter omnium maximus, Helenium dictus, *Inſt. R. H.* 483. Helenium vulgare, *C. B. P.* 276. Helenium ſive Enula campana *J. B.* 3. 108. Helenium *Dod. Pempt* 334. Elenion *Tragi* 170. Panax Chironium Theophraſti *Anguill:* Inula *Geſner. hortor:* vulgo, *Aunée*, *Enule campane*.

Radice eſt craſſa, carnoſa, multifida, foris fuſca, intus alba, ſapore acri, aliquantiſper amaro, & aromatico, odore etiam, præſertim cum exſiccata fuerit, ſuavi, & grato: folia cubitum æquant & ſæpius ſuperant, ſpithamam pene lata, ſuperne pallide virentia, ſubtus incana, per ambitum crenata, utrinque acuta, ad tactum mollia; caulis ad tres vel quatuor cubitos aſſurgit, rectus, villoſus, ſtriatus, ramoſus, flores ſuſtinens radiatos, aureos, amplos, cum ſeminibus longis, anguſtis & papposis. Agri Pariſienſis incola delectatur locis pinguibus & udis. Nulla hujus plantæ pars præter radicem odorata fit. Radix ſola fere totius plantæ pars uſitata autumno, & nonnumquam Aprili, & Majo menſibus legitur.

Analyſi chymica, ex radicum Enulæ recentium ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, odoris, & ſaporis radicem referentis, cum quadam amaritie, primo obſcure ſalſi, & obſcure acidi, deinde ſubacidi, auſteri ℔j. ℥xj. gr. xij. humoris limpidi, ejuſdem odoris, & ſaporis, cum exigua olei eſſentialis adipoſi, & granulatim concreti, cineracei portione, magis ac magis acidi, auſteri ℔ij. ℥ij. ʒv. gr. vj. humoris rufeſcentis, odoris,

odoris, & saporis empyreumatici, intense acidi, austeri ℥ij. ʒiiij. gr. xx. humoris fusci, empyreumatici, obscure acidi, & sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥ij. ʒv. gran. xij. olei spissi syrupi ad instar ℥j. ʒj. gr. xij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒj. gr. xxvij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiiij. gr. xx. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. lvij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gr. lv. in calcinatione ℥v. ʒv. gr. vij.

Ex radicum Enulæ recentium, minutim incisarum, & contusarum ℔x. & ℥v. cum aqua communis ℔xl. per tres dies maceratis, & per refrigeratorium simul distillatis, prodierunt humoris turbidi, lactescentis, radicis odorem, & saporem referentis, sine ullo acido aut alcali manifesto ℔xx. cum olei essentialis cineracei in diversæ magnitudinis flosculos concreti, partim in aquæ superficie fluctuantis, partim fundum petentis ʒv. deinde humoris limpidi, odorati, obscure acidi cum tantillo ejusdem olei ℔viiij.

Cineraceum illud oleum concretum in vase idoneo igne eliquatum, & postea refrigeratum in humorem spissum, resinosum, Terebinthinæ instar concrevit colore fuscum, & radicis Enulæ odorem referentem.

Humoris illius lactescentis primo distillati ℔xx. oleo semoto, per refrigeratorium serpentino canali instructum iterum distillatæ præbuerunt humoris lactescentis, radicis odorem, saporemque referentis cum quodam amarore ℔vj. Humor ille per tempus limpidus evasit, supernatante olei hujus essentialis, cineracei, concreti, portione exigua, & flocculis aliquot candidis oleosis, nivis flocculorum ad instar, ex plurimis lamellis tenuissimis compositis liquoris infimum petentibus, illi flocculi salino-oleosi Camphoræ species videntur seu sal essentialis oleosus haud multum discrepans a Benzoini floribus, nisi quod majori olei copia scateat. Liquor in alambice residuus odoris, & saporis expers repertus fuit, attamen obscure acidum in quibusdam tentaminibus se præbebat.

Radix Enulæ campanæ acris est, amaricans, aromatica, nonnihil glutinosa: exsiccata odorem gratum spirat ad Iridem aliquantisper accedentem. Chartæ cœruleæ colorem in subrubrum mutat. Multum resinæ continet hæc radix cum aliqua salis vitriolico-ammoniacalis portione permixtam.

Radix Enulæ campanæ ad multa maxime utilis est tum recens, tum exsiccata. Bechica est, stomachica, diuretica, uterina, aperiens, necnon alexipharmaca, & sudorifera. Prodest adversus respirandi difficultatem, asthma humidum, incidendo nempe, & attenuando crassos, lentos ac pertinaces humores, qui in thorace, & pulmonibus hærent. Phthisicorum ulcera pulmonum abstergit. In jusculis, & apozematibus bechicis ab ℥ß. ad ℥j. recens præscribitur, vel ex ea cum saccharo conditum paratur ad ℥j. exhibendum. Exsiccata, & pulverata ad ʒj. vel ʒij. intus sumitur, vel in vino aut alio liquore idoneo; vel cum melle Narbonensi, aut extracto seu Rob Juniperi fit electuarium crebriori usu ad humores glutinosos ubicumque hærentes incidendos, & expellendos, seu per expectorationem, seu per urinas; vel Tabellæ cum saccharo conficiuntur. Extractum ejus quoque præparatur ad ʒß. vel ʒj. exhibendum.

Stomacho etiam commoda, & salubris est, unde tritum illud adagium:

*Enula campana reddit præcordia sana.*

P 4 Apud

Apud Germanos Salgamarii magnam hujus radicis copiam condiunt, & a Platero dicitur aroma Germanicum, quo cibi utiliter condiuntur, & maxime laudatur præ Zingibere, & aliis Indicis aromatibus. Revera ciborum concoctionem promovet, laxatum nimis fibrarum ventriculi tonum restituit, & firmat, & viscidam saburram qua non solum ventriculus, sed etiam intestina infarciuntur; incidit, & expellit sæpe per secessum, unde alvum fluxiliorem reddere dicitur. Eadem ratione colicos dolores flatulentos compescit: renes expurgat, & arenulas pellit; uteri obstructiones reserat, & menses suppressos provocat, humores nempe spissos, tenaces & mucosos his in partibus concretos dividendo.

Valet ad venena, non modo quæ corpus inficiunt humanum, sed & reliquorum animantium præsertim quadrupedum. Data enim ovibus, referente Renodæo, cum vino aut aceto, eas servat, & sanat a peste quadam cui sunt obnoxiæ, quam vulgus *Clavelatum* vocat. In peste contagiosisque morbis plurimum laudatur tum ad arcendum contagium, tum ad luem sanandam. Et ex ea vinum præparatur Enulatum dictum, radicem cum musto fermentando, vel eam solummodo macerando in vino. Illud vinum largiter haustum sudores movere dicitur. Urinam ciet, calculos, & arenulas pellit, & nephritidi medetur, si per tres dies, decrescente Luna, haustus hujus vini mane, jejuno ventriculo, sumatur. Ejusdem vini haustus mane, jejuno ventriculo, epotus visum mirabiliter acuit, referente J. B. His qui usi sunt mercurio nimio in lue venerea, aut qui ex mercurialibus halitibus artuum tremores patiuntur, decoctum Helenii, & Fœniculi potum Ettmullerus commendat, expectando sudorem, ut mercurius per cutis poros e corpore propellatur.

Enula vino decocta, aut ejus succus vino infusus & potus lumbricos & tineas ventris enecat.

Externe potenter resolvit, & abstergit. In scabie plurimum valet. Radix in taleolas dissecta tamdiu in aqua coquitur, ut digitis conteri queat: tunc conteritur in mortario, & pulpa per setaceum trajecta cum butyri insulsi parte æquali miscetur, & fit unguentum, quo pars affecta scabie ungitur. Ejus decocto scabiosorum manus, & pedes eluuntur. Idem decoctum tum intus sumptum tum externe admotum, a Parkinsono, aliisque ad spasmum, contusiones, & dolorem ischiadicum commendatur.

Ex radice exsiccata per spiritum vini resina extrahitur, in qua vis plurima concentrata videtur, quæ in uteri ruptura ex partu difficili specifica audit, referente Paulo Hermanno.

℞. Rad. Helen. exsiccat. ℥ß. Infunde per noctem in vini albi ℥vj. Colaturam capiat mane.

℞. Enulæ campanæ ℥ij. Coque in aq. fluv. ad ℔ij. F. ptisana.

℞. Enul. camp. ℥jß. Ireos Florentin. ℥ß. Sem. Cymin. ʒiij. Piper. long. ℥ß. Mellis despumati ℔j. F. Electuarium tussientibus, & asthmaticis perutile. Dosis a ʒij. ad ʒiij. mane, & sero.

℞. Rad. Enul. exsiccat. & pulver. ʒj. Mellis Juniperini q. s. M. F. bolus ad ventriculum roborandum, renes a muco inhærente liberandos, & arenulas expellendas, necnon etiam ad expectorationem promovendam.

℞. He-

℞. Helen. Bardan. Fœniculi ana ℥j. F. ex aqua comm. decoctum ad ℔ij. contra tremores artuum ex mercurialibus halitibus.

℞. Resinæ Helenii ℥ij. Terebinth. Venet. ℥iij. Olei Hyperic. ℥ijß. Myrrh. Sang. Dracon. ana ʒj. M. F. balsamum quo inungantur pudendorum rupturæ post partum.

℞. Radicum Enulæ campanæ & Lapathi sylvester. ana M. j. Incidantur & coquantur in aq. comm. ℔iij. in vase clauso ad ℔j. Colatura laventur partes scabie affectæ, vel alio cutis vitio. Vel

℞. Earumdem radicum pulpæ per setaceum trajectæ ℥v. axungiæ porc. ℔ß. Flor. sulphuris ℥ij. F. unguentum in scabie.

Enulæ radix usurpatur in syrupo de Artemisia, syrupo hydragogo *Ph. Reg. Charas*, syrupo antiasthmatico *ejusdem*, Looch sano & Looch pectorali, Opiata Salomonis *Jouberti*, Electuar. Catholico simplici *Fernelii*, Unguento martiato, Emplastro J. De Vigo, *Renodæi*, & Empl. Diabotano D. Blondel, *Penicher*.

## EQUISETUM SIVE HIPPURIS.

Equisetum, Hippuris, Cauda equina, Herba equina: vulgo, *Preste* ou *Queue de Cheval*. His sub nominibus duæ plantarum species in officinis cognitæ sunt, scilicet Equisetum majus, & Equisetum minus.

Equisetum majus, *Offic.* Equisetum palustre longioribus setis *C. B. P.* 15. & *Inst. R. H.* 533. Equisetum majus aquaticum *J. B.* 3. 728. Hippuris *Lobel. Icon.* 793. Hippuris *Dioscoridis*: Cauda equina *Tab. Icon.* 251. Polygonum femina *Fuchs*.

Pro radicibus sunt creberrimæ, tenuissimæ nigricantesque fibræ, longe e caulium geniculis demissæ. Asparagos primum protrudit palmares & cubitos altiores, internodiis & pixidata insertione distinctos, fimbria nigricante, geniculum cingente, striatos, inanes, quorum summo fastigio clavatum insidet capitulum veluti nucamentum, plurimis scilicet staminibus apice fungiformi, ex fusco albibo, donatis constans, spicatum & sterile. Fructus enim Equiseti speciebus innascuntur, quæ staminibus carent, grana nempe nigra, aspera & farcta. Procedente tempore caules sunt bicubitales & interdum altiores, minimi propemodum digiti crassitie, teretes, concavi, albicantes plerumque, læves aut striis vix conspicuis exarati, crebris geniculis pixidatim cohærentibus intercepti. Singulos geniculos ambiunt folia seu setæ plurimæ, prælongæ, tenues, asperæ, striatæ, virides, non ramosæ, octo, novem & amplius, nonnumquam ad triginta usque, pluribus aut paucioribus internodiis pixidatim articularis compositæ. Cum veterascere incipit caulis in colorem spadiceum aut atrorubentem e latere soli obverso non raro mutatur. In palustribus & aquosis nascitur.

Equisetum minus: *Off.* Equisetum arvense longioribus setis *C. B. P.* 16. Equisetum minus terrestre *J. B.* 3. 730. Hippuris minor *Dodon. Pempt.* 73. Equisetum segetale *Gerard.*

Radice est gracili, nigra, articulata & serpente, fibris nigricantibus e geniculis exortis capillata, quæ vere haud secus ac Equisetum majus asparagos

ragos emittit, sed graciliores, longioribus & laxioribus, fimbriatis, nigricantibus cotytis tubulos excipientibus, nucamenti æmulum capitulum apicibus albis confertum sustinentes. Deinde caules frequentes sequuntur pedales, geniculis distincti, pixidatim inserti, cavi, aliquantisper scabri. Ex geniculis prodeunt folia seu setæ radiatim enatæ, pauciores ad singulos caulis nodos quam in priori, quatuor sulcis profunde striatæ, tortuosæ, e geniculis interdum folia seu setas secundarias emittentes. Inter segetes solo humidiore & arenoso non raro invenitur. Utraque in usum venit: hæc autem viribus præstantior censetur.

Analysi chymica, ex herbæ Equiseti majoris ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis herbacei, subsalsi ℔iiij. ℥iij. humoris limpidi, subsalsi & obscure austeri ℥j. gr. xlviij. humoris rufescentis, turbidi, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥j. ʒvij. gr. liiij. olei ʒiij. gr. xlviij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vij. ʒij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥iij. ʒiiij. ex quibus lixivio salis fixi salsi ʒiiij. gr. xv. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. lxvj. in calcinatione ℥iij. ʒvj.

Equisetum saporem herbaceum subsalsum refert: chartam cæruleam vix mutat. Sale ammoniacali donari videtur cum multa terra adstringente & exigua olei portione permixto.

Equisetum adstringit valide; hinc ad sanguinis rejectionem, ad profluvium muliebre, potissimum rubrum, mictum cruentum, & ad dysenterias reliquosque ventris fluxus strenuum & generosum est remedium vel herba ipsa aut ex aqua aut ex vino epota, vel pulvis ʒj. pondere, aut decocti in vino ℥iiij. mane & vesperi propinatæ, vel succus ejus ad ℥ij. vel aqua ejus stillatitia, si cochlearia tria duobus tribusve diebus bibantur. Sistit hæmorrhagias quascumque: item exulcerationes & vulnera renum, vesicæ tenuiumque intestinorum sanasse auctores annotarunt. S. Paulli *in sua Flora Danica* singularem refert historiam vulneratæ puellæ, punctim cultro ad oram ossis pubis in pectine ita percussæ, ut ei post inflictam plagam urina per aliquot dies ex vulnere vesicæ effluxerit: quæ illo ipso articulo temporis, quo plaga inflicta est, tam distenta fuit ab urina, ut prominuerit ultra modum dictum os. Quæ tamen, parvo intermisso temporis spatio, potionibus, decoctis ac clysteribus vulnerariis rite administratis, quibus Equisetum remixtum erat, præter spem pristinæ valetudini restituta est. Ad sanguinis sputum exhibe radicis Equiseti exsiccatæ & pulverisatæ ʒj. cum succo Granatorum acidorum. Ad pectoris pulmonumque ulcera decoctum Equiseti in aqua mane & vesperi calide potum ad ℥iij. vel ejus succi ℥ij. in phthisi pulveris Equiseti ʒj. cum aquæ Plantaginis ℥iij. mane & vesperi aliquot diebus sumpta commendatur. In diuturnis febribus, etiam malignis, miracula fecisse cum aliis, se comperisse scribit C. Hoffmannus.

Diutina experientia compertum est, inquit Ammonius *Medic. herbar. p.* 95. scabiei vesicæ mederi. Nam unico hoc medicamine testatur lithotomum insignem hanc scabiem penitus profligasse, decoctiones illius ægroto propinandas porrigendo.

Notatu vero dignum quod Pechlinus *Observationibus medicis* refert, Equisetum adstringentem & aluminosam herbam, ubi inter gramina a bo-

bus

bus decerpitur, succo fermentante alvum vehementer turbare, pinguedinemque vel detrahere vel prohibere.

Equiseti asparagos, auctore Matthiolo, in Hetruria, modo defectu melioris cibi, modo in dysenteria aliisque alvinis fluxibus comedunt Hetrusci, quibus alvus nonnumquam adeo stringitur, ut inde coli cruciatus facile excitentur.

Gonorrhææ conducit, auctore Emanuele Konig. & prostatarum laxitatem maxime corrigit.

Extrinsecus foliis tritis & admotis, vulnera glutinantur, etiam ubi nervi læduntur.

## ERUCA.

Inter plures Erucæ species duæ potissimum usitatæ in officinis prostant, scilicet Eruca sativa & Eruca sylvestris.

Eruca sativa, *Off.* Eruca latifolia, alba, sativa Dioscoridis *C. B. P.* 98 & *Inst. R. H.* 227. Eruca major, sativa, annua, flore albo, striato *J. B.* 2. 859. Eruca sativa *Dod. Pempt.* 708. Sinapis alterum genus *Fuchs.* Sinapi hortense *Lugd. histor.* 646. vulgo, *Roquette*.

Alba, lignosa, tenui & restibili radice est donata, sapore acri; caulibus cubitalibus & sesquicubitalibus, subhirsutis: foliis Sinapi albi, longis, angustis, utrimque profundis incisuris laciniatis, teneris, glabris, ejusdem cum radice saporis: floribus in caulium cacumine cruciformibus, quatuor scilicet petalis constantibus, e luteo albidis, striis nigricantibus pictis, cum calyce hirsuto, ex quo surgit pistillum, quod deinde abit in siliquam brevi pediculo innixam, glabram, qualem in Sinapi siliqua glabra, sed longiorem, septo intermedio, cui valvæ utrimque adhærescunt, in duo loculamenta divisam, seminibusque fœtam multis flavis, majoribus quam Sinapi jam dicto, minusque rotundis. Odor hujus plantæ validus & ingratus, nec minus sapor, quamvis nonnulli, & Itali præsertim, eo delectentur, & acetariis gustus gratia Erucam admisceant. In hortis passim seritur. Folia & semen usitata sunt.

Eruca sylvestris, *Off.* Eruca tenuifolia perennis flore luteo *J. B.* 2. 861. *Inst. R. H* 227. Eruca sylvestris vulgatior, *Parkins*. Eruca sylvestris *Gerard. Dodon. & Rati histor.* 807. Sinapi sylvestre *Lugdunens.* 646. vulgo, *Roquette sauvage*.

Radice hæret alba, crassa, satis longa: ex qua multi prodeunt caules crebris alis, concavi, striati, villosi potius, quam hirsuti. Folia crebris incisuris Dentis leonis divisa, atrovirentia, glabra, sapore fervido sativæ, cujus & flores, sed colore præditos luteo, serie simili dispositos gerit odoratos: siliquis succedentibus longioribus, angulosis, erectis seminibus Sinapis sylvestris similibus, acribus & amariusculis repletis. Odor totius plantæ fœtidus & ingratus.

Analysi chymica, ex Erucæ sylvestris floridæ ℔v. demptis radicibus, per retortam distillatis, prodierunt humoris odore & sapore plantam referentis, subacidi ℔j. ℥iij. ʒvij. gr. liiij. humoris primo limpidi, ejusdem odoris, manifeste acidi magis ac magis, deinde flavescentis & rufescentis, empyreumatici, acidi, salsi, austeri ℔iij. ʒv. gr. lxiij. humoris rufi, odoris

ris valde empyreumatici, ſaporis acris, auſteri, & ſale volatili urinoſo copioſo impregnati ℥ij. ʒij. ſalis volatilis urinoſi concreti gr. xviij. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥j. ʒij. gr. xlij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iiij. ʒvj. gr. lxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. gr. lxiij. ex quibus ſalis fixi ſalſi ʒvij. extractæ ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥ij. ʒvj. gr. liij. in calcinatione ℥ij. ʒvj. gr. iij.

Eruca ſylveſtris ſaporis eſt acris, urentis cum quadam amaritudine in receſſu. Chartam cæruleam rubro colore tingit, & odorem refert oleorum fœtidorum ſuper calcem vivam rectificatorum. Salem igitur eſſentialem continere videtur acrem ad ammoniacum accedentem, cum oleo tum tenui eſſentiali, tum craſſo fœtido, & terra copioſa conjunctum.

Erucæ ſativæ odor & ſapor remiſſiores ſunt, ſicut & virtus debilior; unde in alimoniam ſæpius deſumitur: illa vero pro medicamentis præſtantior eſt.

Eruca diverſæ prorſus eſt a Lactuca naturæ: idcirco veteres in cibis illas conſociare ſolebant, ut nimio frigori par fervor temperamentum æquet. Itali etiam nunc dierum acetariis Erucæ tantillum admiſcent, forte viribus potius quam ſapore illis commendatæ. Eruca enim non Medicorum tantum, ſed & poetarum teſtimonio conciliatrix veneris videtur. Sic Martialis:

. . . *Et venerem revocans Eruca morantem.*

Columella: *Excitat ad venerem tardos Eruca maritos.*

Et Ovidius: *Nec minus Erucas jubeo vitare ſalaces.*

Omnes Erucarum partes comeſtæ appetitum excitant, ciborum concoctionem promovent, viſcidam ſaburram in ventriculo immorantem diſſolvunt, quapropter in anorexia & apepſia commendantur. Urinam provocant, quam acriorem reddunt, ac proinde levi titillatione partes & urinæ & ſeminis ſecretioni & evacuationi dicatas afficiunt. Eapropter in compoſitionibus languenti veneri ſollicitandæ dicatis uſurpantur. At bilioſis aut calidis naturis minus conveniunt, nec illis, quorum ſtomachus æſtuat.

In ſcorbuto & chronicis morbis Eruca conducit, ſive herba cruda comedatur, ſive ſuccus ſolus vel cum vino hauriatur, ſive in juſculis aut apozematibus decoquatur. Obſervandum tamen has plantas acres antiſcorbuticas levi coctione indigere, alioquin & ſale ſuo volatili & oleo eſſentiali tenuiſſimo ſpoliantur, & ſimul ſapor & præcipua virtus earum avolat. Semina eaſdem obtinent virtutes, imo ab Ettmullero præſtantiora cenſentur, qui tempore hyemali hanc antiſcorbuticam mixturam commendat.

℞. Pulver. ſtomachal. Quercetan. ʒij. Semin. Cochlear. Naſturt. Erucæ ana ʒj. Aloes Succotrin. & Myrrh. elect. ana ℈ij. M. F. pulvis. Doſis ʒj. bis die cum conſerva Lujulæ, vel ſyrup. acetoſitatis Citri q. ſ. in ſcorbuto, vel conſerv. flor. Anthos in apoplexia & paralyſi.

Præter vim antiſcorbuticam, in præcavenda apoplexia ſemina Erucæ aut Sinapeos plurimum laudantur. Sunt, qui pro certo affirmant, ſenes plurimos per multos annos ab apoplexia, ſoporoſis affectibus & paralyſi immunes perſtitiſſe, Erucæ ſemina ad grana xv. vel xx. ſola vel cum ſeminis Cymini parte æquali mixta quotidie matutino tempore maſticando. Mathiolus refert foliorum Erucæ decoctum cum ſaccharo propinatum tuſſim infantum ſanare.

Semen

Semen maſticatum, non ſecus ac Sinapi, acri ſuo ſtimulo copioſum phlegma ſalivale ex ore eliciunt, unde in apophlegmatiſmis uſurpantur. Commendantur quoque ſub nomine Sinapiſmi ſola vel cum fermento mixta & cuti impoſita ad rubefaciendum & ad veſiculas excitandas.

℞. Seminum Erucæ, Sinapi & Baccar. Juniper. ana p. æq. Contuſis affunde ſp. vini camphorati ad ſupereminentiam unius tranſverſi digiti. Liquorem decanta quo foveatur pars paralytica, & poſtea maſſa reſidua eidem admoveatur.

Semen Erucæ uſurpatur in Electuar. de ſatyrio *Th. Reg.* & in tabellis magnanimitatis *ejuſdem*.

## E R Y N G I U M.

ERyngium, *Off.* Eryngium vulgare *C. B. P. 386. Inſt. R. H. 327. J. B. 3. 85.* Eryngium campeſtre *Dod. Pempt. 730.* Eryngium mediterraneum ſive campeſtre *Parkinſon. Adverſ. Lobel. Icon. 22.* Carduus Lepuſculus & Carduus volutans *Ruſticorum*: vulgo *Chardon roland, Chardon a cent tetes Panicaut.*

Radicem habet pedem longam, pollicem craſſam, mollem & teneram cum nervo in medio ſolidiore, exterius nigricantem, internus candidam, ſapore dulcem: caulem ſtriatum, cubitalem, medulla fungoſa, alba plenum, in ramos patulos orbiculatim diviſum: folia alternatim poſita, lata rigida, glabra, glauca, aliquantiſper aromatica, utrimque in lacinias profundas diviſa, quæ inciduntur crenis in ſpinas minaces deſinentibus. Flores in capitulis rotundis copioſe naſcuntur roſacei, e quinque petalis albis & minimis, totidemque ſtaminibus concoloribus conflati. Calyx oblongus & quinquecuſpidatus abit in duo ſemina qua ſe tangunt plana, altera vero parte gibba & ſtriata. His capitulis ſubjecta ſunt folia ſeu potius ſpinæ longæ ſtriatæ, mucrone & marginibus ſpinoſæ, in orbem poſitæ. Copioſe provenit in ſatis & ſecus vias. Planta integra marceſcens, vi ventorum evellitur, & per medios agros volutatur, ita ut currentem Lepuſculum diceres. Plantæ partes omnes uſitatæ, & præſertim radix.

Analyſi chymica, ex radicum Eryngii ſucculentarum ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, ſaporis & odoris herbacei, ſubacidi ℔. ℥v. ʒv. humoris primo limpidi, deinde ſub finem rufeſcentis, intenſe acidi & auſteri ℔ij.℥viij.ʒiij. gr. xxxvj. humoris rufi, tum acidi, tum alcali, & ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥iij. ʒv. gran. xxxvj. olei ſyrupi ad inſtar ſpiſſi ℥j. gran. lx. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥vij. ʒij. gran. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gran. xxiv. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒiij. gran. xlij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v.ʒvj. gran xlviij. in calcinatione ℥v. ʒj. gr. xij.

Nonnihil acredinis in Eryngio maſticando deprehenditur. Charta cærulea a foliorum ſucco aliquantiſper rubeſcit, multo magis a radicum humore Sale eſſentiali donatur tartareo ammoniacali, cum multo ſulphure, & terræ adſtringentis portione non mediocri conjuncto.

Eryngium humores craſſos ac tenaces, quibus viſcera infarciuntur, incidit, & eo-

& eorum obstructiones aperit. Hinc hepaticum dicitur, uterinum, diureticum; & nephriticum. Ictero medetur, urinam ciet, renum & vesicæ saburram, & arenulas abstergit, & foras amandat, mesenterii obstructiones reserat, mensesque provocat.

Eryngii vis potior in radice vel etiam in radicis cortice, qui non facile in pulverem teri potest nisi exsiccatus, sed tum fere omni virtute orbatur, observante P. Hermans; hinc in decocto recens ad ℥j. pro singulis decocti libris, vel conditus usurpari debet. In numero quinque radicum aperientium minorum collocatur, & sunt radices Graminis, Capparis, Rubiæ, Ononidis & Eryngii. Majores vero sunt radices Apii, Asparagi, Fœniculi, Petroselini, & Rusci. In jusculis & apozematibus diureticis & aperientibus usurpari solet. S.Paulli Eryngii radices insigni menses moderate ducendi virtute præditas agnoscit: & ideo in sequiori sexu eas in decoctis aperientibus & materiam peccantem præparantibus, dum menses tardiuscule & inordinate excernuntur, præ aliis commendat. Non igitur incongruum est earum usu prævio martialibus medicamentis viam sternere. In morbis chronicis earumdem decoctum assidue potum ab Ettmullero commendatur. Veneris quoque blandum est incentivum: & hac ratione radices vel recentes vel conditæ in pluribus adversus virilem impotentiam medicamentis usurpantur. A nonnullis tamen hac in indicatione semina radicibus anteponuntur.

Eryngii radices melle aut saccharo conditas maxime conferre gonorrhææ Velschius refert. *Sylloge observationum Marcelli Cumani obs.* 44. *p. m.* 64.

Externe Simon Simonius Medicinæ Professor Lipsiæ affirmabat, referente Raio, multis in Italia cum successu, familiarissimum remedium esse ad prohibendum abortum, radicem Eryngii, cataplasmatis modo ventri sub umbilico impositam. Eamdem Emanuel Konig *in regno vegetabili*, cum vino coctam & impositam ad abortum præcavendum proponit.

In nimio menstruorum fluxu J. Raius decoctum radicis Eryngii ex vino commendat, quo lavetur ægrotans mane & vesperi, linteis calidis post ablutionem impositis. Initium vero ablutionis fieri debet pone aures, tum in cervice, hinc per totam spinam usque ad os sacrum, postea foveantur illa. Nonnullæ intra triduum hoc remedio sanatæ fuerunt. Aqua ex junioribus foliis Eryngii distillata, vel sola vel cum aqua Nucum affatim pota febrim fugat & depravatam sanguinis crasim emendat.

♃. Radic. Eryng. vulgar. & Gramin. ana ℥j. Coquantur in aq. comm. ℔iij. ad ℔ij. F. prisana aperiens.

♃. Rad. Eryngii & Lapathi acuti ana ℥ij. Folior. Agrimon. & Veronicæ ana M. j. Coquantur in aq. comm. ℔iiij. ad medias. Colatura dilue syrup. de 5. radic. aper. ℥ij. & arcani duplicati ʒij. F. apozema aper. in quatuor doses propinandum.

♃. Rad. Eryngii, Ononid. ana ℥jß. Baccas Alkekengi contusas n. iiij. Coquantur in aq. ℔iij. ad ℔ij. Colatura contund. semin. Eryngii & Melon. ana ℥ß. F. emulsio diuretica qua dissolve syrup. de Ibisco ℥j.

Radix Eryngii usurpatur in syrupo hydragogo & in syrupo antiscorbutico *Ph. Reg.* Syrup. de Ibisco *Cod. Paris.* Electuar. de satyrio *P. R.*

Eryn-

Eryuginm marinum, *Offic.* Eryngium maritimum *C. B. P.* 386. *Inst. R. H.* 327. Eryngium marinum *J. B.* 3. 86. *Dod. Pempt.* 730.

Radices huic subsunt longissimæ, circumquaque profunde vagantes, digitum aut pollicem crassæ, aliquot locis nodosæ, candicantes, sapore dulces, & gratæ, aliquantisper odoratæ: folia plurimum pullulantia ex longis pediculis, interdum palmum lata, subrotunda, malvaceis fere similia, sed marginibus angulosa, durisque spinis circumsepta, crassa sive spissa, e cæsio candida, gustu aromatico: caulis crassus, cubitalis, valde ramosus, inferius subinde nonnihil rubescens, cacuminibus vero capitula proferens spinosa, ac globosa, Nucis fere magnitudine senis ut plurimum spinosis foliolis, cauliculi fastigium orbicularitèr ambientibus incumbentia, quæ una cum capitulis cæruleo nitent colore: flores autem Eryngio vulgari similes, albicantes. In maritimis septemtrionalibus, tum mediterraneis oris frequens sponte nascitur.

Licet Eryngii marini radices rarius hic usitatæ sint, attamen a pluribus Eryngio vulgari anteponuntur, velut viribus præstantiores. Præter virtutes cum vulgari communes, J. Rajus eas utiles etiam adversus pestem, & aeris contagionem, saccharo conditas & mane jejuno ventriculo sumptas; insuper tabidis & macilentis valde proficuas esse, ac tandem lui venereæ mederi scribit.

## E R Y S I M U M.

ERysimum vulgare, & Irio, *Off.* Erysimum vulgare *C. B. P.* 100. *Inst. R. H.* 228. Erysimum *Tragi*, flosculis luteis juxta muros proveniens *J. B.* 2. 863. Erysimum, Irio 1. *Tab. Icon.* 448. Hierobotane fœmina *Brunsfels*: Verbena fœmina, & Sinapi 7. *Trag.* 102. Cleome Octavii, *Anguill*: Eruca hirsuta, siliqua cauli appressa Erysimum dicta, *Raii Histor.* 810. vulgo, *Velar* ou *Tortelle*.

E radice simplici, minimum digitum vix crassa, alba, lignosa, acri & Rapæ sapore, caules profert duos cubitos superantes, rotundos, firmos, asperos, & ramosos: in quibus folia ad exortum nascuntur plurima, palmo longiora, hirsuta, in plura segmenta quasi trigona utrimque divisa, quorum supremum amplius & trifidum. Flores pusilli longissima serie in ramis digeruntur cruciformes, e quatuor petalis luteis compositi, cum calyce tetraphyllo & hirsuto. Pistillum mutatur in siliquam semiuncia longiorem, teretem, corniculatam, in duas distinctam capsulas, in quibus semina continentur exigua spadicea, & gustu ferventia. In muris & ruderibus, & ad sepes non raro invenitur. Herba integra in usum venit.

Analysi chymica, ex foliorum & summitatum Erysimi vulgaris ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis herbacei, obscure salsi & alcalini ℔iv. ℥iij. ʒij. gr. xviij. humoris salsi, alcalini, urinosi ℥j. ʒij. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ij. ʒiij. gr. xlviij. olei ʒvj. gr. xlviij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iv. ʒv. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒv. gr. xlij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ℥j. gr. xviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒiv. gr. xxx. in calcinatione ℥ij. gr. xxx.

Erysi-

Eryſimi foliorum ſapor herbaceus eſt, ſubſalſus, & aliquantiſper glutinoſus. Chartam cœruleam ſuccus rubro colore tingit, licet analyſi chymica parum acidi præbeat. Salem eſſentialem continere videtur ammoniacalem cum multo phlegmate, ſulphure, & terra involutum.

Vires ejus ſunt egregiæ in reſolvendo muco viſcido canales bronchiorum, & veſiculas pulmonum inveſtiente, fauceſque occupante. Tenuibus enim, volatilibus, & acribus ſuis particulis craſſum hunc ac tenacem mucum incidit, reſolvit, & abſtergit, illum per expectorationem evacuando. Unde in aſthmate, pulmonum affectionibus, tuſſi chronica, raucedine, & aphonia a materia craſſa, non inelegans eſt medicina, & a Lobelio, & Pena commendata. Phonaſcos plurimos tum juvenes, tum ætatis provectæ ferme jam amiſſa voce, unius Eryſimi ope a Rondeletio qui primus illius uſum monuit, paucis diebus fuiſſe reſtitutos aſſerunt. Ex eo paratur celebris ille ſyrupus de Eryſimo Lobelii, ſeu pro raucedine, qui vulgo Syrupus Cantatoris, *le Syrop du Chantre*, nominatur. Viribus tamen inferior non eſt ſyrupus de Etyſimo ſimplex ex Eryſimi ſucco expreſſo cum Melle confectus, quo diu, & aſſidue utendum, corpore prius purgato. Doſ. ℥j. in decocto pectorali.

Herba inciſa vel contuſa ad M. j. aut M. ij. per aliquot horas in aqua vel hydromel. maceratur, & colatura tepens propinatur.

Nec ſolam pituitam viſcidam in pulmonibus aut faucibus hærentem, ſed etiam in ventriculo aut inteſtinis cumulatam diſſolvit, unde colicis doloribus ab hoc muco oriundis convenit. Multos, colico dolore laborantes Eryſimi decocto Riverius curavit. Ejus infuſum ex vino efficacius adhuc remedium eſt. Scire licet non forti aut diuturna coctione Eryſimum indigere, ſicut de plantis antiſcorbuticis jam monuimus; ignis enim partes ejus volatiles ſecum abripit, ac proinde vim, & energiam deſtruit.

Vi antiſcorbutica inſtruitur hæc planta, & præſertim ſemen ejus, ſicut Erucæ, & Sinapis ſemina, quibuſcum ſapore etiam convenit. Idem ſemen ab Ettmullero in iſchuria ſeu ſuppreſſione urinæ commendatur ad ʒj. exhibitum, & a Lobelio ad ulcera pulmonum abſtergenda.

Extrinſecus utile eſt Eryſimum in cancro non exulcerato, tumoribuſque renitentibus.

Alia eſt Eryſimi ſpecies quæ Eryſimi vulgaris defectu huic ſubſtituitur, & dicitur

Eryſimum latifolium majus glabrum, *C. B. P.* 101. & *Inſt. R. H.* 228. Irio Apulus alter, lævi Erucæ folio, *Col. p.* 1. 265. Sinapi ſylveſtre Monſpeſſulanum, lato folio, floſculo luteo, minimo, ſiliqua longiſſima, *J. B.* 2. 858. Eryſimum Monſpeſſulanum Sinapeos foliis, *Raii Hiſtor.* 812. In agro Pariſienſi quoque naſcitur, nec a prioris virtutibus multum diſcrepat.

## E S U L A.

SUb Eſulæ nomine Pharmacopœi diverſis in regionibus diverſas exhibere ſolent Tithymali ſpecies, & eam ſeligunt, quæ frequentius apud ipſos occurrit. Alii enim uſurpant radices Tithymali Cypariſſiæ, alii radices Tithymali

mali foliis Pini, alii utuntur radicibus Tithymali paluſtris fruticoſi, nonnulli Tithymali Helioſcopii radicibus: nec in eo vituperandos Cl. Tournefortius exiſtimat, quandoquidem iiſdem facultatibus pollent, eodemque modo præparari debent. Hic vero duæ ſtirpes ſub Eſulæ nomine in Officinis occurrunt, altera Eſula proprie dicta ſeu Eſula minor, altera Eſula major.

Eſula, Eſula minor, *Off.* Tithymalus Cypariſſias, *C. B. P.* 291. *Inſt. R. H.* 86. Tithymalus Cupreſſinus ſive Humipinus, *Lobel. Icon.* 356. Eſula Officinarum, *Cæſalp.* 374. vulgo, *Eſule*, ou *petite Eſule*.

Radice eſt minimo digito craſſiori, lignoſa, fibroſa, nonnunquam ſerpente, ſaporis acris, pungentis & nauſeoſi: caulibus cubitalibus in ſummo ramoſis: in quibus folia denſiſſime naſcuntur, primo Linariæ forma, mollia, poſtea vero tenujora multo & capillacea, cum in ramos dividitur. Flores in ſummis ramulis, veluti umbellati, monopetali, urceoli forma, vireſcentes, in quatuor partes diſtincti quaſi circinatas. Piſtillus mutatur in fructum trigonum & tricapſularem, in quo ſemina ſubrotunda tria continentur. Tota planta lacte turget. Naſcitur ubi vis ſecus vias & in ſylvis. Ab eadem quoque radice exſurgunt cauliculi, quorum folia breviora multo, pinguiora, ſubrotunda, adverſa parte plurimis punctulis ſeu ſtigmatis rufis notata, in quibus ramulis nullum florem J. Bauhinus obſervavit. Hos ſurculos pro abortu J. Rajus habet, licet a nonnullis pro privata ſpecie proponantur. Hinc patet quid ſentiendum ſit (inquit J. Bauhinus) de Tithymalo Styctophyllo *Thalii*, ideſt Cypariſſia foliis punctis croceis notatis *C. B.* & foliis maculatis *Parkinſ.* Hic Tithymalus pro anni tempore, & ætate inſigniter variat: non raro enim verno tempore coma rubente aut flava exit. Ex his varietatibus quas Cl. Tournefortius ipſe in hac planta in nemore Bononienſi nata obſervavit, non mirum eſt Botanicos de ea tam confuſe & obſcure ſcribere. Vix enim intelligi poteſt, quid ſibi velint & quo titulo illam proponant, ut J. Rajus & Cl. Tournefortius illud obſervaverunt. Ab aliis ſpeciebus tamen diſcretu facilis eſt, annotante Rajo, radicibus reptatricibus, ſtatura humili, foliis oblongis, anguſtis, virentibus, mollibus, & teneris, in caule creberrimis, Linariæ adeo ſimilibus, ut obiter intuentem pro iis fallant; verum ſucco lacteo facile diſtinguuntur, ſecundum vulgarem illum verſiculum:

*Eſula lacteſcit, ſine lacte Linaria creſcit.*

Naſcitur ubivis ſecus vias & in ſylvis. Radix fere ſola in uſum venit.

Eſula major, *Off.* Tithymalus foliis Pini, forte Dioſcoridis Pithyuſa, *C. B. P.* 292. *Inſt. R. H.* 86. Tithymalo Cypariſſiæ ſimilis, Pithyuſa multis, *J. B.* 3. 665. Tithymalus Pinea, *Lobel. Icon.* 357. Tithymalus Pineus, *Gerard.*

Naſcitur in arvis, radice pollicem æquante, acri, pedem longa, & parum fibroſa. Caules cubitales ſunt, ramoſi, foliis Linariæ vulgaris ſimilibus, flores lunati, fructus trigonus & tricapſularis. Tota planta lacteſcit. J. Rajus ſuſpicatur hanc plantam ab auctoribus deſcriptam cum priori unam & eamdem plantam eſſe. Hæc enim a Cypariſſia differre videtur ſola radice longiore, craſſiore, minuſque fibroſa, quod quidem varietas prioris eſſe poteſt. Eas tamen Cl. Tournefortius & *in I. R. H.* & *in Materiæ Medicæ codicibus* diſtinguit: quem ſecuti ſumus.

Analysi chymica, ex Tithymali Cyparissiæ recentis ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, cum levi odore & sapore herbaceo & quadam acredine, primo obscure salsi & alcali, urinosi, deinde debiliter admodum alcali ℔j. ℥iij. ʒiiij. gr. xlij. humoris limpidi, primo obscure & leviter alcali, deinde acidi, manifesti magis ac magis ℔ij. ℥iij. ʒiij. gr. liiij. humoris rufi, magis ac magis acidi, intensi, sub finem salsi, austeri ℥x. ʒv. gr. lxvij. humoris rufi, tum acidi, austeri, tum alcali & sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥iij. gr. xxxvj. olei ℥ij. ʒvij. gr. xviij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vj. ʒij. gr. xij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒv. gr. xviij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiij. gr. xviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒvij. gr. lix. in calcinatione ℥iiij. ʒiiij. gr. lxvj.

Tithymali Cyparissiæ folia saporem habent magmatis Amygdalarum ex quibus lac expressum fuit, aliquantisper stypticum, sed absque amarore aut acredine: chartam cœruleam levi rubore tingunt; radices intensiori rubore illam inficiunt, eumdemque saporem primo referunt, sed postea in faucibus insignem relinquunt acredinem urentem. Salem essentialem tartareum, aluminosum continere videtur hæc planta cum sulphure resinoso, in foliis parco, in radicibus copioso permixtum. Quæ quidem mixtura magisterio Jalapæ vel Scammonii seu eorum resinæ phlegmate dilutæ optime comparari potest.

Omnia Tithymalorum genera validam per inferiora purgandi vim obtinent, in primis vero lacteus eorum succus, etiam in exigua quantitate sumptus, quare raro citra noxam sumi potest.

Esulæ minoris radix, ejusque cortex potissimum, pituitam validissime, præcipue per inferiora purgat, sed ventriculum vehementer conturbat & interna viscera inflammat. Si enim ejus corticis tantillulum deglutiatur, urentem ardorem non solum in faucibus & in æsophago, sed etiam in ipso ventriculo accendit. Eam ob causam prudentes Medici ab ejus usu abstinere solent, aut saltem nonnisi mitigatam vel aliquo modo temperatam atque præparatam exhibere.

Cortex radicis Esulæ sic in Officinis corrigi solet. Cortex recens per horas 24. in aceto acerrimo, omphacio, succo Cydoniorum, Limonum aut Berberidis maceratur & postea exsiccatur. Hac ratione præparata pulvis a ℈j. ad ʒj. exhiberi potest, vel in infuso ad ʒij. Magnam seri copiam extrahit & evacuat; hydropicis, cachecticis, & febre quartana, aut intermittente quacumque contumaci laborantibus utiliter præscribitur, ubi cœtera remedia magis temperata nihil profecerunt. Nec solus exhibendus est, sed cum aliquibus medicamentis ejus violentiam temperantibus, tum stomachicis, tum mucilaginosis consociatus.

℞. Cortic. rad. Esul. pp. ℈j. Cremor. Tartari ʒß. Elæosacchar. Citri vel Absinth. ℈ß. Pulpæ Cassiæ recentis, vel Conserv. flor. Aurantior. q. s. F. bolus hydragogus.

℞. Cortic. rad. Esul. pp. ℥iiij. Macis, Galang. ana ʒij. Glycyrrhisæ pulver. ʒj. Gumm. Tragacanth. & Bdell. ana ʒiij. M. F. pulvis, cujus dosis a ʒß. ad ʒj. in morbis contumacibus.

℞. Cort. rad. Esul. pp. ℈ij. Crem. Tart. ʒß. Mercur. dulcis ℈ß. Balsam. Peruv. gutt. v. Conserv. Absinth. q. s. F. bolus purgans in cachecticis affectionibus.

Ca-

Cavendum tamen ne hæc medicamenta exhibeantur in visceribus delicatioribus, vel æstuantibus.

Extractum ex tota planta præparatur cum vino generoso, vel Spiritu vini diu macerata, cum additione olei Anisi vel Cinnamomi. Dosis ℈j. aut ʒß. Nonnulli folior. ℥ij. coquunt in lacte & colaturam propinant ad serum educendum. Semina Esulæ N. x. vel xij. intus sumpta vehementem catharsim movent, nec nisi rusticorum visceribus utilem.

Cortex radicum Esulæ præparatus usurpatur in extracto Catholico & Cholagogo *Rolfincii*, Benedicta laxativa, hydragogo eximio *Renodæi*. Parantur etiam pilulæ de Esula *Fernelii*, quarum dosis a ℈j. ad ℈ij.

## EUPATORIUM.

Eupatorii nomen in Officinis tribus diversis plantis assignatur, scilicet Eupatorio vulgari seu Cannabino, Eupatorio Mesue seu Agerato, & Eupatorio veterum seu Agrimoniæ. De his duobus suo loco sub Agerati & Agrimoniæ nominibus jam actum est, nunc de illo differendum est.

Eupatorium Cannabinum, Eupatorium vulgare, *Off.* Eupatorium Cannabinum, *C. B. P.* 320. *Inst. R. H.* 455. Eupatorium adulterinum, *J. B.* 2. 1065. Vulgare Hepatorium, *Dod. Pempt.* 28. Eupatorium Avicennæ creditum, *Gesner:* Herba sanctæ Kunigundis, *Tragi* 491. Cannabina aquatica, sive Eupatorium mas, *Lobel. Icon.* 528. vulgo, *Eupatoire d' Avicenne*.

Radice est oblique acta, plurimis fibris majusculis, albicantibus stipata: caule duos tresve cubitos alto, recto, tereti, tomentoso, & in viridi purpurascente, medulla alba pleno, gratum & aromaticum odorem dum inciditur spirante: foliis in caule crebris, adversis, in eodem pediculo ternis, Cannabis folia nonnihil referentibus, oblongis, acuminatis, per ambitum serratis, sapore amaro: floribus velut in umbellas digestis, flosculosis, seu compositis ex plurimis flosculis tubulosis, in summitate quinquifariam divisis, purpurantibus, cum longis capillamentis seu pistillis bifidis, embryoni insidentibus, & calyce longo, tereti ac squamoso comprehensis: seminibus oblongis, sub pappo delitescentibus. Aquosa & loca aquis vicina amat. In agro Parisiensi sponte nascitur. Usus est herbæ integræ.

Analysi chymica, ex foliorum Eupatorii Cannabini recentiorum ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore non ingrato, obscure acidi ℔ij. ℥ix. ʒij. gr. xij. humoris magis ac magis acidi, manifesti, obscure subausteri ℔j. ℥ix. ʒiij. humoris subturbidi, deinde rufescentis, odore & sapore leviter empyreumatico, acidi, subsalsi, & subausteri ℥ij. ʒv. gr. xviij. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥j. ʒij. salis volatilis urinosi concreti, ʒj. gr. viij. olei adiposi ℥ij. gr. xxx. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. ʒv. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. xxiiij. ex quibus lixivio salis fixi salsi ʒiiij. gr. lx. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒiij. gr. xij. in calcinatione ℥ij. ʒvj. gr. xlviij.

Folia Eupatorii amara sunt, chartam cœruleam non mutant. Salem essentialem nitro similem continere videntur cum multo sulphure, & terra copiosa permixtum.

Hepaticum eſt , aperiens & vulnerarium . Uſus præcipuus eſt in cachexia , ubi maſſam ſanguineam lenteſcentem diſſolvit & hepatis viſcerumque tonum roborat & reſtituit . Catharris & tuſſi medetur , urinam & ſuppreſſa menſtrua provocat , cutis vitia emendat . Folia & ſummitates ad M. j. in ſeri lactis vel aq. comm. ℔j. levi ebullitione cocta potum conſtituunt perutilem ad viſcerum infarctus & obſtructiones quæ morbis diuturnis ſuperveniunt , febribus præſertim intermittentibus , cum ægrotantes œdematoſi fiunt & ad hydropem proclives . Necnon etiam in hydrope aſcite proficuum eſt illud decoctum poſt paracentheſim celebratum . Eodem tempore œdematoſi ægrotantium pedes herbæ decocto ex vino fovendi ſunt , addito tantulum Camphoræ . In juſculis etiam incoquuntur ; foliorum ſiccatorum infuſum Theæ inſtar ſæpius die propinatur . Succus folior. ad ℥iij. præſcribitur . Extractum quoque ex hoc ſucco paratum ad ʒj. exhibetur . Ad ſcabiem , cutaneos affectus , hepaticas maculas , icterum , Eupatorium cum Fumaria conſociatum commendatur.

♃. Folior. & ſummitatum Eupatorii Cannabin. M. ij. Fumar. M. j. Coquantur leviter in ſeri lactis ℔ij. Colatura per cyathos debitis intervallis propinetur . In hydrope incipiente , & cutaneis affectibus.

Externe folia & ſummitates floridæ in vino cocta & tumoribus œdematoſis admota eos reſolvunt ; ſcroti præſertim tumores aquoſos & hydrocelem abſque punctione ſanant.

Radicibus vim purgantem ineſſe Geſnerus in ſeipſo expertus aſſerit his verbis : „ Eupatorii aquatici , vel Avicennæ quorumdam , radicis fibras „ in vino nuper decoxi , bibi colatum ; unde per horam poſt alvus , „ urinaque copioſe motæ ſunt , & vomitus poſtea duodecies fere , pitui- „ ta quamplurima evacuata multo tutius & facilius quam ab Hellebo- „ ro fiat.

Nihilominus tamen D. J. B. Chomel refert *in Plantar. uſualium Hiſtoria* , decoctum ℥j. radicum in vini ℥viiij. hydropicis propinaſſe abſque ulla per vomitum vel ſeceſſum evacuatione . Unde , quæſo horum experimentorum diverſitas ?

## E U P H R A S I A.

EUphraſia , *Off.* Euphraſia Officinarum , *C. B. P.* 233. *Inſt. R. H.* 174. Euphraſia , *J. B.* 3. 432. *Dod. Pempt.* 54. Eufragia , *Matthiol. Cæſalp.* 339. Ophtalmica ſive Ocularia , *Eric. Cordi* .

Radice eſt ſimplici , exili , tortuoſa ſeu huc illuc reflexa , fibris paucis majuſculis donata , lignoſa , alba : cauliculo palmari vel ſeſquipalmari ; tereti , ſubhirſuto , ſubnigricante , nunc ramoſo , alias nudo , cum foliis tres aut quatuor lineas longis , ſubrotundis , glabris , nitidis , rugoſis , criſtatis , obſcure virentibus , binis ex adverſo naſcentibus ſine pediculis & conjugationibus ſeſe interſecantibus , ſapore pingui , ſubamaro . Ex eorum alis naſcuntur flores in ſummo , monopetali , anomali , perſonati , albicantes , purpureis tamen ac luteis lineis intus ſtriati , in duo labia diſtincti , labio ſuperiore ſurrecto , fornicato , bifido , obtuſo , crenato ſtaminula aliquot occultante , inferiore vero trifido ſegmentis quaſi cordatis. Calyx ſeſſilis , cytiniformis , quadrifidus piſtillum involvit po-

posticæ floris parti infixum, quod deinde abit in fructum seu capsulam tres lineas longam, compressam, fuscam, in duo loculamenta distinctam, in quibus adsunt semina plura minutissima, oblonga, cinerea. Agri Parisiensis incola frequens nascitur in montanis, herbidis & sylvosis. Herba florida in usum venit.

Analysi chymica, ex totius plantæ floridæ recentis ℔v. dempta radice per retortam distillatis distillaverunt humoris primo limpidi, fere inodori, saporis herbacei, obscure acidi, deinde manifeste acidi magis ac magis, sub finem rufescentis, odoris & saporis empyreumatici ac tandem austeri ℔iiij. ℥j. ʒv. gr. lx. humoris rufescentis, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ij. gr. xxiiij. olei spissi ad instar extracti ℥j. ʒj. gr. lx. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥vj. ʒv. quæ rite calcinata reliquit cinerum cerulescentium ℥j. ʒvj. gr. xxiiij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. l. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒiij. in calcinatione ℥iiij. ʒvj. gr. xlviij.

Euphrasiæ folia amara sunt, eorum succus chartam cœruleam colore purpureo leviter tingit. Salem essentialem obtinent tartareo-ammoniacalem cum sulphure copioso & multa terra conjunctum.

Euphrasia humores lentos & glutinosos, serosos, præsertim in cerebro concrescentes, potenter discutit & ad circuitionem habiles reddit, aliquantisper etiam subadstringit, & laxum fibrarum tonum in glandulis cerebri firmat & restituit. Quare cephalica dicitur & ophtalmica. Siquidem quoquomodo sumpta, seu in pulverem redacta, & cum vino aut aqua Verbenæ vel Fœniculi pota, seu per se sola aut cum alimentis masticata & deglutita, seu succus ejus expressus visionem mirifice roborat & adauget, debilem aut amissam reparat & restituit. Fabricius Hildanus, auctor in primis celebris & fide dignissimus *Centur. Epistol.* 103. tantam esse ait Euphrasiæ in imbecillitate visus vim & efficaciam, ut ejus usu septuagenarios quosdam, propter vigilias & studia plurima amisso visu, in decrepita ista ætate eum recuperavisse observaverit. Fuchsius in cataractis & suffusionibus eam commendat. Datur autem commodissime in pulverem trita a ʒj. ad ʒiij. Additur non raro Fœniculi semen pari pondere, & nonnihil Maceris, cui Sacchari tantillum additur. Exhibetur mane jejuno ventriculo, & quidem per continuos non modo dies, sed & menses & annos. Alii hujus pulvis ʒj. ter die præscribunt, mane scilicet jejuno ventriculo, paulo ante prandium & cœnam. Fit & ex Euphrasia vinum vindemiæ tempore, cujus usu senum etiam oculi rejuvenescere feruntur, auferrique omne oculorum impedimentum visusque defectionem, præsertim pituita crudisque humoribus redundantibus, ut auctor est Arnoldus Villanovanus. Attamen S. Paulli post Lobelium, Camerarium, Cl. Hoffmannum & alios, non promiscue vino Euphrasiato utendum esse nos admonet; non enim curat quamvis caliginem, ait Camerarius, sed illam, quæ est a frigiditate, neque hanc omnem, sed positive a pituita. Imo notat Lobelius socium ac commilitonem suum, ex trimestri tantum hujus vini potu in Helvetia, pene ambobus orbatum fuisse oculis & fluxionibus modo non oppressum, cum antea dumtaxat levi cataphora & lacrymatiunculis laboraret. Hinc idem sciscit tutiorem esse pulveris Euphrasiæ usum.

Emmanuel Konig *in Regno Vegetabili* hunc pulverem, si cum Millepe-

dum pulvere consocietur, efficaciorem esse censet. Non solum ad visus læsionem valet Euphrasia, sed etiam ad capitis affectiones a nimia lymphæ visciditate, aut fibrarum cerebri laxitate plurimum commendatur. Schroderus memoriam debilitatam ab illa restitui scribit. Eamdem scotomiæ mederi J. Rajus refert: & Fridericus Hoffmannus *in Clavi Pharmaceutica*, Euphrasiam præsertim flore albo in vino decoctam contra icterum flavum utilem deprehendisse asserit.

Inflammationibus & caligini oculorum herba recens tusa & imposita, aut succus ejus oculis inditus, vel etiam aqua distillata plurimum conferunt.

℞. Euphras. exsiccat. & pulver. ℥ij. Macis pulver. ℥ß. M. F. pulvis subtilis, de quo cochlear medium seu ʒj. ante cibum mane & sero deglutiatur ex aq. Verbenæ, Fœniculi, aut vino.

℞. Euphras. pulver. ℥j. Semin. Fœniculi dulcis ʒß. Macis ʒj. Sacchar. cand. in tenuissimum pollinem redacti ℥j. M. F. pulvis qui non solum visus debilitati medetur, sed etiam eximie valet ad capitis dolorem, si quotidie sub ingressum in lectum sumatur cum haustulo vini, observante Th. Fuller *in sua Pharmacop. extemporan.* qui cephalica medicamenta opportunius & fœlicius hora somni quam ullo alio tempore exhiberi pronunciat.

℞. Euphras. pulver. ℈j. Semin. Fœnicul. & Milleped. pp. ana ℈ß. Syrup. Stæchad. q. s. M. F. bolus bis die sumendus, in oculorum caligine, glaucomate aut cataracta.

℞. Euphras. pulver. Cran. human. pulver. ana ℥ß. Rad. Pæon. mar. Semin. Fœnicul. dulc. pulver. & Cinnabar. Antimon. ana ʒij. Syrup. de Stæchad. q. s. M. F. electuar. Dosis ʒj. bis terve die in capitis affectionibus, paralysi & comatosis affectionibus a pituita viscida.

℞. Euphras. M. j. in vasi idoneo impositæ affunde aq. bullientis ℔jß. & post unam aut alteram ebullitionem, macerentur per horæ quadrantem. Liquor clarus Theæ modo sumatur per cyathos debitis intervallis. In visus imbecillitate

Aqua Euphrasiæ distillata in Officinis servatur pauci effectus.

## FABA.

Faba, Faba major hortensis, *Off.* Faba flore candido, lituris nigris conspicuo, *C. B. P.* 338. *I. R. H.* 391. Faba cyamos, *J. B.* 2. 278. Faba major recentiorum, *Lobel. Icon.* 57. Bona sive Phaselus major, *Dod. Pempt.* 713. Faba major hortensis, *Gerard* & *Parkins*: Faba, *Raii Hist.* 909. vulgo, *Feve de marets*.

Radice partim est recta, partim serpente, strumosa & fibris donata: ex qua caules surgunt bicubitales & altiores, quadrangulares, inanes, cum costis plurimis ex intervallis adnascentibus, in mucronem, desinentibus, quibus annexæ sunt foliorum conjugationes non exactæ, tres, quatuor, quinque, vel plures ex oblongo rotundorum, subpinguium, cœsiorum, venosorum, glabrorum. Ex costarum alis flores nascuntur complures, ex uno tantum pediculo seriatim & eodem latere appensi, papi-

papilionacei, quorum vexillum ungue purpurascente albidum, striis purpurantibus pictum est: alæ in medio nigræ, in ambitu albæ, carina colore est ex albo herbaceo. Ex calyce autem viridi, quinquifido surgit pistillum quod deinde abit in siliquam longam, crassam, carnosam, hirsutam, surrectam, seminibus seu Fabis fœtam tribus, quatuor, quinque, raro pluribus, oblongis, latis, planis, compressis, quasi reniformibus, maximis, dimidiam drachmam interdum pendentibus, colore plerumque albo, interdum rubente, hilo in summa parte qua siliquarum commissuris adhærent, longo, nigro. Putamen hujus Fabæ densum est & veluti coriaceum, interior substantia exsiccata, dura solidaque, in duas partes facile finditur, & ab uno latere germinationis principium evidens seu plantulam habet. Postquam semen dedit, radicitus exarescit. Stipites, folia, flores, siliquæ & Fabæ in usum medicum veniunt. Fabæ virides & maturæ exsiccatæ inter edulia mensis apponuntur. Colitur in suburbiis hujus civitatis & agris palustribus magna copia.

Analysi chymica, foliorum & stipitum recentium ℔v. per vaporarium distillatæ præbuerunt humoris limpidi, inodori & insipidi: mere phlegmatici ℥x. humoris limpidi, inodori & insipidi, obscure acidi ℔ij. ℥viij. ʒiij. humoris limpidi, manifeste acidi ℥x. ʒiij. Massa sicca in alambice residua per retortam distillata præbuit humoris rufescentis, intense acidi, aliquantisper alcali, urinosi ℥iij. ʒvj. gr. xxxvj. humoris limpidi, rufi, empyreumatici, sale volatili urinoso imprægnati ℥j. ʒj. gr. xxiiij. olei syrupi ad instar spissi ℥ij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥v. ʒvj. quæ rite in crucibulo per 8. horas calcinata reliquit cinerum albicantium ℥ij. gr. xij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒj. gr. l. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥vj. ʒiiij. gr. xij. in calcinatione ℥iij. ʒv. gr. lx.

Stipites seu caules recentes absque foliis distillati minorem olei quantitatem præbuerunt quam folia, plus massæ nigræ, quæ calcinata majorem salis fixi alcali quantitatem, minorem vero terræ portionem exhibuit.

Ex Fabarum virentium recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris leviter rufescentis, saporem odoremque decocti Hordei referentis & obscure salsi ℥xiiij. gr. lx. humoris limpidi, ejusdem odoris & saporis, primo obscure salsi & obscure acidi, deinde subacidi ac tandem manifeste acidi ℔ij. ℥x. ʒiiij. gr. xxviij. humoris primo subturbidi & rufescentis, ejusdem saporis & odoris, obscure acidi & subsalsi ℥iiij. ʒiij. gr. xvij. humoris rufi, odoris & saporis empyreumatici, salsi, urinosi, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥v. ʒiij. gr. xxiv. salis volatilis urinosi concreti ʒiij. gr. xij. olei spissi ad instar extracti ℥j. gr. xv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ calcinata reliquit cinerum ʒvj. ex quibus salis fixi alcali ʒiij. gr. xij. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒj. gr. xxxiij. in calcinatione ℥iiij. gr. xxxvj.

Ex Fabarum maturarum & exsiccatarum ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, inodori, & insipidi, obscure subsalsi ℥viij. ℥vij. gr. viij. humoris rufescentis, acris, salsi, urinosi ℔j. ℥j. ʒvj. gr. xvj. humoris rufi, empyreumatici, acerrimi, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥viij. ʒvij. gr. viij. salis volatilis urinosi ℥j. gr. lxiiij. olei ℥v. ʒvj. gr. xlviij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j. ℥iiij. ʒiiij.

 gr.

gr. xxxj. quæ calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gr. lxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. ʒj. gr. xxxij. lixivio extracta sunt . Partium jactura in distillatione fuit ℥xv. ʒvij. gr. xl. in calcinatione ℔j. ℥ij. ʒij. gr. xlviij.

Foliorum Fabæ succus chartam cœruleam rubro colore tingit , non item Fabarum recentium viridium succus . Salem essentialem folia continent tartaro haud dissimilem cum mediocri sulphuris & terræ portione conjunctum . Fabæ virides essentialem obtinent salem ammoniacalem cum sulphure copioso , terra & magna phlegmatis copia sic permixtum, ut mucaginem simul constituant . At vero cum maturæ sunt & aliquantisper asservatæ & exsiccatæ , quadam intus suscepta fermentatione , mucago illa dissolvitur , principia magis ac magis evolvuntur , acidi sales nova & diversa cum sulphure & terra mixtione in sales urinosos volatiles aut alcalinos fixos convertuntur ; unde major horum salium volatilium copia in Fabis maturis deprehenditur , & nihil fere acidi salis in distillatione fundunt .

Faba legumen primum fuisse quo homines usi sunt , Isidorus *L.* 17. *Origin. C.* 4. asserit : & Plinius quoque Fabæ honorem inter legumina fuisse maximum testatur, & ex ea etiam tentatum esse panem . Ex Faba farinam conficiebant Latini quæ Lomentum teste eodem dicebatur , sicut ea quæ mola leviter tantum confracta , Faba fressa ( a frendeo , frango ) nuncupabatur.

Verum an Faba nostra sive Bona quorumdam recentiorum sit veterum Faba non levis est inter Botanicos controversia : ut videre licet apud Tragum, Dodonæum , J. Bauhinum , Casp. Hoffmannum , Melchiorem Sebizium &c. Certe veterum Faba parva fuit & rotunda , ut patet ex pluribus locis Theophrasti , Dioscoridis , & aliorum . Econtra tamen certe vix credibile est legumen adeo vulgare & quotidiani usus in desuetudinem abiisse , aut nomen mutasse ; in ejus locum nomenque Boonam successisse nemine conscio . Hæc enim nobis pro Faba , & Faba latinis pro χυάμῳ unanimi consensu tradita est . Quod tamen non est impossibile.

De Fabarum natura & facultate auctores non inter se conveniunt. Vulgaris est opinio Fabas nostras flatulentas esse & difficilis coctionis & tanto magis quo viridiores , ac proinde crassum & excrementosum alimentum præbere corpori . J. Rajus cum Trago eas recentes innoxias esse asserit ; nec probat sententiam Dodonæi aridas & exsiccatas recentibus præferentis, utpote minus flatulentas , sed potius cum Trago eas rusticis & operariis relinquit . Nec video , inquit , cur Porcos, aliaque animalia saginent , non æque homines . Præterea Mundyus *De Esculentis* , *p.* 121. se novisse scribit rusticum quemdam pauperem , qui in gravi annonæ difficultate Fabis solis elixis , nec ulla alia re , liberos aluit . Pueris tamen ita pastis melius coloratos aut habitiores vix alios videres. Unde constat copiose nutrire Fabas aridas, postquam ventriculus eas ferre assueverit .

Verum enimvero non ex brutis ad hominem valet Raii conclusio. Fœnum enim & palea optima sunt Equorum edulia , hominibus parum proficua . Neque omnibus omnia alimenta æque accommoda sunt. Rustici & duris laboribus assueti illis indigent cibis , quæ multum & crassum præbent nutrimentum , quibus delicatiores & otiosam vitam ducentes læduntur . Peritiores Medici fere omnes pronuntiant Fabas quocumque modo ,

ac

ac ratione apparatas atque conditas difficilis esse coctionis, & flatus parere, obstructiones in visceribus, mesenterio, meatibus urinariis creare, propter flatus, quos gignunt, maxime virides, ventrem distendere, colicam gignere, ructus & crepitus causare, caput gravare, mentem turbare, visum hebetare, viresque ingenii enervare sæpius & immoderatius esitatas. Quapropter vitandæ sunt delicatulis, & illis qui calculo, colicæ passionis capitis dolori, & alvi constipationi sunt obnoxii. Declinandæ quoque otiosi, litterarum studiis addictis, & quibus ventriculus est debilior, visusque hebetior. Revera hujus cibi flatulentia condimentis flatus discutientibus, Cœpis, Porris, Apio, Petroselino, Satureja, Pipere, aromatis, non parum emendatur.

Cæterum viridis ac recens summopere a nostris Parisiensibus commendatur in re excaria, expetiturque avidissime lautiorum mensis & procerum gulæ. Alias jufcula ex iis parantur, alias in sartagines ex lardo, aut butyro, aut oleo aliove pingui frigunt quibus Saturejam, Piper aut alia ejuscemodi adjiciunt. Hæ autem cum durescere incipiunt & ad maturitatem properantes, delibrantur ac decorticantur, sicque delicatiores ac teneriores eduntur. Siccæ vero coquuntur, trajiciuntur, & quasi puls conficitur, quæ ex butyro vel lardo frixo coquitur. Itali recentes cum siliquis crudas esitant cum & sine sale: Verum sapidum & gulæ placens magis quam valetudini conducens edulium præbent.

De adstringente facultate farinæ Fabarum, ejusque proinde usu a nonnullis in dysenteria commendato Medici quoque inter se dissentiunt. Cl. Hoffmannus a farina Fabacea, seu Faba fressa veteribus dicta, & Lomento Fabæ, quia paratur sine cortice, non oportere ait ullam expectare adstrictionem, quæ corticis est, non autem substantiæ: ac proinde in errore versari illos, qui hac farina vel in aceto solo, vel in aceto & aqua decocta utuntur in alvi fluxibus ex fibrarum intestinalium laxitate; nisi enim totæ decoquantur, nihil fit. Dodonæus econtra Fabam cum putaminibus descendere ait nec omnino facile, nec omnino tarde: absque his autem alvum constringere. Huic assentiri videtur J. Rajus, rem tamen experientia determinandam relinquendo. Hanc litem S. Paulli dirimeret experientia *in suo Quadripartito* allata, nisi illud Hippocratis effatum, *Experientia fallax*, sæpius nimis verum deprehenderetur. Narrat, quemdam cruenta alvi excretione jugi, seu diarrhæa cruenta, absentibus signis hepatico fluxui, & dysenteriæ propriis, tres quatuor menses integros laborasse, cum antehac nullum levamen persensisset a medicamentis præscriptis, præter omnem spem, integre pristinam valetudinem fuisse consecutum solo usu Fabarum & præsertim rubrarum non contritarum, ex lacte pulmenti in modum coctarum, quo a Gregorio cive Hafniensi quodam vesci jussus erat, mane jejunus, & vesperi cubitum iturus. Hic enim ægrotans recuperatam bonam valetudinem fortasse non tam Fabis debuit, quam lacti quo incoquebantur. Sed ad externum, certiorem earum usum progediamur.

Pulvis seu farina Fabarum ex Fabis decorticatis per trituram parata inter quatuor farinas resolventes numeratur, Hordei scilicet, Orobi, Lupinorum, & Fabarum. Externe in contusionibus & inflammationibus partium glandulosarum discutiendis, & resolvendis vel ad suppurationem perducendis

dis plurimum confert : quibus cum aqua vel lacte cocta sub cataplasmatis forma applicari solet. In testium inflammationibus, & tumoribus a contractione violenta, casu, contusione, supressione seminis, & similibus a Riverio & Ettmullero cataplasma ex ea sola cocta cum oxycrato, seu aqua simplici & aceto, vel cum dimidio pulveris seminis Cymini, calide applicatum velut egregium discutiens & resolvens commendatur. Quod si acrius videatur cataplasma, addito pauco Lithargyrio, acrimonia aceti frangi, & ita pro mitigandis & resolvendis inflammationibus idoneum reddi potest. Idem cataplasma valet etiam ad tumores scroti duros & scirrhosos, ad mammarum tumores.

♃. Farinæ Fabar. ℥iij. Semin. Cumini pulv. ℥j. Lithargyrii P. j. aceti acerrimi ℥ij. aq. comm. q. s. M. s. a. Coq. ad cataplasmatis consistentiam.

Inter cosmetica eadem farina Fabarum refertur, si nempe cum aquis cosmeticis v. g. florum Fabarum aqua distillata, vel sigilli Salomonis, permixta forma pultis liquidæ, faciei lentiginibus, item oculis suffusis applicetur.

Duæ in Officinis aquæ distillantur : prima ex Fabarum floribus. Inter cosmetica non infimum locum obtinet. Lentigines, & faciei maculas detergit. Altera ex corticibus seu conchis Fabarum elicitur, urinas pellit, & adversus nephritidem & calculos a Thoma Bartholino plurimum commendatur propria experientia edocto, *Epistolar. Centur. 1. p. 238. Epist. 55.* Salem quoque ex stipitibus, & siliquis Fabarum combustis & calcinatis lixivio extrahunt, potens quidem diureticum. Ettmullerus hunc salem ex cineribus cum vino eluendum esse suadet. Nonnulli fimum columbinum cineribus in calcinatione admiscent, sicque salem obtinent diureticum & antihydropicum potentissimum. Ad gr. viij. vel x. præscribitur in haustu liquoris convenientis cum syrupo de Althæa edulcati; & pro lubitu pluries die reiteratur.

Cœterum pro immundo edulio Ægyptii Fabas habuisse dicuntur. Ab illis eorum Sacerdotes abstinebant, teste Herodoto. Has etiam damnasse Pythagoram quidam putarunt : sed contra alii nullo legumine sæpius usum fuisse tuentur, qualis est Aristoxenus apud Aulum Gellium *L. 4. n. a. c. 11. Inst. R. H.* At vero Pythagoricum illud symbolum Κυάμων ἀπέχου, a Fabis abstineto, varie interpretantur veteres & recentiores. Alii de Fabis simpliciter accipiunt, a quibus ideo abstinere Pythagoras præcipit, quia sunt flatulentæ, veneris incentivæ, mentis tranquillitati contrariæ, insomniaque turbulenta efficientes : vel ut alii volunt, teste Plinio, quia mortuorum animæ sunt in illis, & quia in floribus earum litteræ lugubres reperiuntur. Alii Κυάμους, Fabas symbolice & ænigmatice testiculo appellatos ajunt, quia sunt αἴτιοι τοῦ κύειν, auctores fœcunditatis seu generationis. Unde non a Faba comedenda, sed a rei venereæ proluvio voluisse philosophum homines deducere. Tandem alii, ut Plutarchus ipse, a muneribus reipublicæ tractandis abstinendum interpretantur. Nam veteres vice calculorum in magistratibus eligendis Fabis utebantur.

## FAGOPYRUM.

FAgopyrum, Fagotriticum, Frumentum Sarracenicum, *Off.* Fagopyrum vulgare, erectum, *Inst. R. H.* 511. Erysimum Theophrasti folio Hedera.

deraceo, *C. B. P.* 27. Fagotriticum, *J. B.* 2. 993. Eryſimum Theophraſti, *Lobel. Icon.* 63. Ocymum veterum, *Tragi* 648. Ocymum cereale, *Cluſ. Pan.* & *Tabern. Icon.* Fagopyrum, *Dod. Pempt.* 512. & *Raii Hiſtor.* 182. Tragopyron, *Gerardi Emaculati*, & *Parkinſ*: Frumentum Sarracenicum, *Matthiol. Lugd*: vulgo *Bled noir* ou *Bled ſarraſin*.

Radice nititur ſurculoſa, plurimis fibrillis capillata: caule ſurgit cubitali & altiore, ſimplici, tereti, glabro, ſolido, viridi, ſed in apricis purpureo ramoſo, ramulis alternatim e foliorum ſinubus exeuntibus. Folia ima pediculis duas uncias longis inſident, ſuperiorum in caule pediculi ſenſim breviores ſunt, donec tandem in ſummo immediate adnaſcantur, hederacea, glabra, atro-virentia, per margines æqualia, ſapore fatuo. In ſummis caulibus & ramulis ex alis foliorum egrediuntur ſurculi ſeu pediculi unciales, tenues, flores ſuſtinentes in ſpicas habitiores ſeu muſcaria congeſtos, pulchellos, apetalos, plurimis ſtaminibus rubentibus conſtantes, e calyce quinquepartito, ex albo purpuraſcente ſurgentes. Piſtillum autem abit deinde in ſemen oblongum, triquetrum, ſordido colore nigricans, in capſula quæ calyx floris fuit reconditum, farinam intus continens candidiſſimam, inſipidam. Ajunt Africanæ originis eſſe. Apud nos in arvis ſeritur, nec ullum fere ſolum refugit. Gaudet imbribus, cito provenit & celeriter matureſcit. Seminis farina uſitata eſt.

Analyſi chymica, Fagopyri ſemen præter liquorem acidum copioſum, plurimam olei mediocrem ſpiritus volatilis urinoſi portionem, parum vero terræ & ſalis fixi præbuit. Vulgare eſt in hocce regno Frumentum Sarracenicum dictum, quo ſolo vel cuipiam alteri mixto rura ſæpiſſime utuntur, cum præſertim per annonæ gravitatem non alia frumenta ſuppetunt. Tritico, Secali & Hordeo minus nutrit, plus tamen quam Milium & Panicum. Panis ex eo confectus ater eſt, guſtu non inſuavis & hordeaceo multo ſapore antecellit: humidus eſt, citiuſque deſcendit ac flatulenti plus obtinet quam ex Secali coctus. Accommodum eſt edulium hominibus laboribus & exercitiis addictis.

Poteſt ex eo parari craſſior farina, cujus erit uſus ad pultes, offas, placentas cum lacte, vel butyro, vel oleo & ſale, vel carnium jure: nec eſt injucundum edulium, & quamquam flatulentum, Milio, Piſis, Fabis anteponendum. Pulmentaria atque placentæ ex ejus farina confectæ facile concoquuntur, cito deſcendunt, alimentumque corpori afferunt, exiguum quidem, non tamen malum aut vitioſum. A Petro Pavio Medico Amſtelodamenſi celeberrimo & S. Paulli *in Quadr. Botanico*, ſenibus quorum alvus nimis eſt contricta maxime commendantur.

Ejus farina in cataplaſmatis reſolventibus & emollientibus utiliter uſurpari poteſt. Optime reſolvit, digerit & maturat.

Herba viridi priuſquam ſemen maturuerit, boves & jumenta paſcuntur. Semine gallinaceum genus cibatur, eoque cito facileque pingueſcit.

Furfuræ ex hujus ſeminis farina extracto hortulani ad cellas, quibus hyberno tempore plantæ reconduntur, ab humiditate præſervandas feliciter utuntur. Tabulata lignea duorum triumve pollicum intervallo a muris remota conſtruuntur, & vacuum illud inter muros & tabulata ſpatium hoc furfure accuratiſſime repletur.

FI-

# FILIPENDULA.

Filipendula, *Off.* Filipendula vulgaris, an Molon Plinii, *C. B. P.* 163. *I. R. H.* 293. Filipendula *J. B.* 3. *p.* 2. 189. *Dod. Pempt.* 56. Oenante, *Fuchsii*, *Cordi*, *Lobel. Icon.* 729. vulgo, *Filipendule*.

Radice est torosa, nigricante, in plurima extenuata filamenta, quæ versus extrema in nodulos aut bulbos extuberant olivares aut longiores minusque ventricosos, Alphodeli more, foris ex rubro nigricantes, intus albentes, acrimoniam quamdam cum adstrictione, dulcedine & levi amaritudine gustu referentes: Foliis ad radicem plurimis, multifariam pinnatis, Pimpinellæ saxifragæ fere modo, angustioribus, profundius laciniatis, atro-virentibus: caulis plerumque unicus, erectus, dodrantalis, aut etiam pedalis & altior, striatus, ramosus, paucis foliis vestitus, flores in fastigio sustinet velut in umbellæ formam dispositos: rosaceos, sex petalis candidis, exterius subrubentibus, in orbem positis, leviter odoratis constantes, plurimis staminibus & apicibus luteis, & calyce monophyllo, multicuspidi, ex quo surgit pistillum, quod deinde abit in fructum fere globosum, compositum ex undecim, duodecim aut pluribus seminibus asperis, compressis, rhombi irregularis figura, radiatim in capitulum dulioli æmulum collectis. In sylvis circa Lutetiam sponte crescit. Radices, & folia usualia sunt.

Analysi chymica, ex Filipendulæ radicum recentium ℔v. cum ℥iv. prodierunt humoris limpidi, subflavescentis odore, & sapore radices referentis subacidi ℥xij. ʒiv. humoris rufescentis, limpidi, ejusdem odoris, saporis austeri ℔ij. ℥iv. ʒiv. humoris rufescentis, tum acidi austeri, tum salsi, urinosi, empyreumatici ℥vij. ʒvj. gr. xxxvj. olei adiposi ʒvij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j ℥j. quæ calcinata reliquit cinerum ℥iv. ʒv. ex quibus salis fixi salsi ʒv. lixivio extractæ sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥x. ʒij. gr. xxxvj. in calcinatione ℥xij. ʒij.

Filipendulæ folia sapore sunt adstringente, subsalso, odorata, glutinosa & chartam cæruleam rubro colore tingunt. Rubro magis intenso radices inficiunt. Stypticæ sunt & subamaricantes, & salem essentialem continere videntur tartareum, aluminosum cum copioso sulphure conjunctum. Folia vero, quæ plus acidi humoris, & spiritus urinosi fundunt, salem essentialem ad ammoniacalem magis accedentem continere videntur.

Tota planta humores crassos incidit, attenuat, & per urinas pellit. Inter diureticas plantas locus haud infimus ei a S. Paulli conceditur. Ejus usus a plurimis laudatur in nephritide, ad stimulandum calculum, renes abstergendos, ac vesicæ sabulum, aut mucum viscidum rudimentum calculorum expellendum. Verum quod speciali vi lithontriptica polleat, ut nonnulli opinantur, vix sperandum. Radices magis quam folia subadstringunt. In albo mulierum profluvio, & in nimio lochiorum fluxu, usus sunt eximii, teste D. Needham apud Rajum. Pulvis radicum Filipendulæ celebratur in fluore albo mulierum ab experimento a S. Paulli allato *in Quadripart. Botanico*, qui narrat, quamdam Dauci vulgaris decocto, in quo ʒj. pulveris radicum Filipendulæ sibi ipsi

pro-

propinarat, profluvio albo muliebri intra paucos dies vindicatam fuisse, plurimis aliis medicamentis incassum propinatis. Hermannus Corbæus quoque apud Dolæum *L.* 5. *C.* 4. 5. 20. pro experimento habet quotidie ℨj. radicis Filipendulæ virentis cum vino nigro exhibere in eodem fluore. Dysenteriam sæpius a se curatam notavit *in adversariis suis* exhibito ℨj. pondere, ex vino aut ovi vitello, ejusdem radicis pulvere; quem ante ipsum Lut. Mercatus *L.* 1. *De recto præsidiorum usu*, *c.* 14. secreti loco commendaverat. Est sane huic plantæ adeo insignis vis adstringendi, ut hernias quoque ejusdem usu curatas Thomas Carthusius observaverit, ut videre licet *in Observationibus Hieronymi Velschii*, 33.

Pulverem, radices, ejusve succum adversus morbum comitialem commendant nonnulli. Alii Filipendulam proxime accedere qualitatibus ad Pæoniam scripserunt: hinc epilepticis & vertiginosis Filipendulæ radices conferre Lobelius retulit. Medentur etiam anhelosis, suspiriosis, ventriculi inflationibus cum semine Fœniculi.

Sennertus hanc radicem adversus scrophulas commendat. Ettmullerus asserit hanc radicem scrophularum materiam incidere & resolvere, eamque per urinarias vias educere.

Exhibetur sola vel cum Scrophulariæ & Rusci radicibus admixta in decoctis & pulveribus contra scrophulas.

℞. Radicum Scrophulariæ, Filipendulæ, Rusci ana ℥ß. Folior. Agrimon. Pimpinellæ ana M. j. Flor. Rorismarin. P. ij. Digerantur vase clauso in vini albi ℥xvj. Colatura dulcoretur Saccharo pro tribus dosibus.

## FILIX.

PLurimas inter Filices, quas orbis uterque nobis offert, tres potissimum in Officinis usitatæ sunt, scilicet, Filix mas seu non ramosa, Filix fœmina seu ramosa, & Filix florida seu Osmunda regalis.

Filix mas dicta, Filix non ramosa, *Offic.* Filix non ramosa dentata *C. B. P.* 358. *Inst. R. H.* 536. Filix vulgo mas dicta sive non ramosa *J. B.* 3. 737. Filix mas *Dod. Pempt.* 462. Dryopteris *Matthiol. Lugdunens.* 1227. Filix mas vulgaris *Parkins. Raii Histor.* 143. Filix mas non ramosa, pinnulis latis, densis, minutim dentatis *Gerard. Emacul.* vulgo, *Fougere male.*

Ex radice crassa, ramosa, fibrosa, foris nigricante, intus pallida, multis appendicibus involuta, & implexa, saporis primum subdulcis, deinde amariusculi, subadstringentis, odoris nullius verno tempore multos promit asparagos, primo exortu inflexos, cano capillitio obductos, qui progressu temporis abeunt in frondes amplas, bicubitales, crebras, rectas frangi faciles, diluto colore virentes, quæ ex alis seu tarsis (*a*) aut foliis componuntur mediæ costæ musco ferrugineo leviter obductæ alternatim adnascentibus, non conjugatim, nec paribus intervallis in pinnulas seu cristas latas, & lata basi nervo tarsi medio adnascentes obtusas, circa margines dentatas divisis. Linea nigra nervum uniuscujusque alæ medium superne producta notat. Singulæ pinnulæ supina parte venulis insignes

(a) Ταρπις, alarum productio seu expansio.

insignes sunt, prona duplici ordine punctorum ferrugineorum. Hæc puncta fructus reipsa sunt, ut apud Cl. Tournefortium *I. R. H.* videre licet, compositi ex numerosa congerie vesicularum fere ovatarum, minutissimarum, annulo elastica vi donato munitarum & membrana communi involutarum. Per maturitatem corrugatur aut dilaceratur exterior illa communisque membrana, exsiccatur & contrahitur annulus elasticus, in binas partes dissiliunt vesiculæ, seminaque fundunt minutissima. Floribus carere videtur hæc planta, aut si qui sint, nondum detecti fuerunt. In agro Parisiensi ubique fere nascitur.

Filix fœmina, Filix non ramosa, Filix vulgaris, *Off.* Filix ramosa, major, pinnulis obtusis, non dentatis *C. B. P.* 357. *Inst. R. H.* 536. Filix major & prior Trago, sive ramosa repens *J. B.* 3. 735. Filix fœmina *Dod. Pempt.* 462. *Gerardi hist.* 149. Thilypteris Filix fœmina *Cord. in Dioscor.* vulgo *Fougere commune*, *Fougere femelle*.

Huic radix est digitum subinde crassa, foris nigricans, intus albida longe lateque importuno reptatu terram occupans, odore gravi, sapore amaricante succoque glutinoso prædita, quæ summa parte oblique aut etiam transversim secta bicipitis aquilæ speciem quamdam exhibet. Caulis seu verius pediculus tres quatuorve cubitos altus rigidus, ramosus, solidus, lævis & aliquatenus angulosus: frondes pinnatæ seu elatæ in tarsos primo, deinde in pinnulas, seu foliola angusta oblonga, acutiuscula, obiter interdum dentata, alias æqualia, dissectæ, superne virides, inferne canescentes. Fructus seu vesiculæ ovatæ fructiferæ, fructibus Filicis maris similes non eodem modo in adversa foliorum parte disponuntur, sed in marginibus pinnularum elongatis & reflexis reconduntur. Nam autumno pinnularum margo circumcirca plerumque producitur, incurvatur, & complicatur, sinusque subtus format quosdam, in quibus fructus nascuntur. In pascuis sterilioribus ubique fere luxuriat. Utriusque Filicis radices, in primis fœminæ, in usum veniunt.

Analysi chymica foliorum & stipitum Filicis fœminæ ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris limpidi, primo saporis, & odoris fere expertis, deinde subacidi ℔j. ℥viij. ʒiv. gr. xxxvj. humoris limpidi, acidi, magis ac magis intensi austeri ℔ij. ℥ix. ʒvj. gr. xxx. humoris rufi odoris, & saporis empyreumatici, intense acidi, subsalsi & intense austeri ʒvj. humoris rufi, sale volatili urinoso imprægnati ℥j. ʒvij. olei spissi ℥j. ʒij. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥v. ʒvij gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum cærulescentium ℥j. ʒv. gr. xxiv. ex quibus lixivio salis alcali fixi ʒiv. gr. lxij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒvj. gr. vj. in calcinatione ℥iv. ʒij. gr. xij.

Filix mas eadem principia distillatione fundit, sed tamen paulo plus olei terræ & salis fixi præbuit.

Ex radicum Filicis fœminæ recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris, & saporis fere expertis, obscure subacidi ℥xiij. ʒiv. humoris primo limpidi, acidi magis ac magis intense, sub finem rufescentis, odoris, & saporis leviter empyreumatici, ac tandem austeri ℔iij. ℥iv. gran. lxvj. humoris rufi tum intense acidi, & austeri, tum salsi & sale volatili urinoso leviter imprægnati ℥iij. ʒiij. olei ʒiij. gr. xlviij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥ix. ʒj. gr. xxxvj.

quæ

quæ rite calcinata reliquit cinerum albicantium ℥ij. gr. xxx. ex quibus salis fixi salsi ʒj. gr. xx. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gr. xxx. in calcinatione ℥vij. ʒj. gr. vj.

Radix Filicis maris haud dissimiles substantias analysi chymica præbet. Fœmina minorem olei fluidi quantitatem suppeditat, at plus olei condensati in capite mortuo retinet, quam mas dicta; minorem quoque salis fixi, plus vero terræ.

Filicis fœminæ radix glutinoso succo primo subdulci, amaricante, & subadstringente, fastidioso donatur, qui chartæ cœruleæ colorem mutare nequit. Salem essentialem continere videtur sali coralliorum proximum, ut Cl. Tournefortius opinatur, quodam involutum muco composito ex acido, oleo, terra adstringente, & copioso phlegmate, quorum specialis commixtio ab igne facile destruitur.

*J.* Rajus narrat pilas seu globulos effici apud Anglos ex utriusque Filicis cineribus cum aqua in massam coactis, & in sole exsiccari, quorum usus est lotricibus ad linteamina mundanda, saponis aut lixivii loco. Antequam iis utantur in ignem luculentum immittunt, donec candefiant, tunc enim calcinati facile in pulverem fatiscunt.

Utraque Filice exsiccata, ligni aut straminis inopia, ad furnos calefaciendos rustici utuntur. In Sussexia etiam Angliæ provincia, referente eodem Rajo, ad calcem coquendam adhibetur: est enim ejus flamma vehemens admodum, & huic usui valde idonea. Filix utraque iisdem virtutibus donatur. Marem tamen Filicem J. Rajus rachitidi morbo vulgo dicto peculiariter convenire scribit. Pro cœteris fœmina præ mari sæpius eligitur. Tota planta una cum radice apud antiquos in frequenti admodum fuit usu in morbis chronicis ex melancholia natis, in affectionibus hypochondriacis, præsertim in quibus splen simul affectus fuit, in tumoribus, & scirrhis lienis, & pancreatis. In decoctis, jusculis, potionibus aperientibus, & antispleneticis præscripta reperitur, nec absque fructu adhibita fuit. Sed cum hodierno tempore delicatioris sint palati homines, & ad ejusmodi decocta diu continuanda nauseent, rarius hodie præscribitur. Forestus tamen valde commendat decoctum radicis cum Cuscuta in vino ceu arcanum expertum in splenis affectionibus. Ettmullerus, & alii commendant singulariter sequens decoctum in affectibus melancholicis, & dicunt expertum esse ad lienis tumorem, & duritiem. Quod quidem operatur tum sale suo essentiali concretos humores solvendo, sed multo magis terreis suis particulis, & oleosis adstringentibus fibras partium solidas firmando, & constringendo.

℞. Herbarum Filicis cum sua radice, Sabinæ, Absinth. ana q. l. Coquantur in q. s. aq. comm. vel aquæ ferrarior. fabror. ad tertiæ partis diminutionem, vel macerentur in vino: addendo si libet Passular. minor. contus. q. s. pro grato sapore, de quo sub ingressu lecti unus haustus bibatur.

Filix autem gravidis infensa censetur, ut quæ abortum faciat.

Hujus radix in pulverem redacta, & pondere ʒj. duarum vel trium ex aqua mulsa sumpta lumbricos enecat, imo lumbricorum latorum, quæ latinis Tænia, & solium dicuntur, præsentissima pestis est, teste S. Paulli, eamque inter secretissima sua secreta, inquit, habent, & venditant agyrtæ.

℞. Rad.

℞. Rad. Filic. fœmin. pulver. ℨj. Mercur. dulc. gr. vj. M. F. bol. cum syr. de Absynth.

℞. Rad. Filic. fœmin. Rhei pulv. & summitat. Tanaceti ana ℨj. Cortic. Mor. arbor. & Corallinæ ana ℨij. Æthiop. mineral. ℨiv. M. F. pulvis. Dosis a ℨß. ad ℨiij.

Singulare quoque est in Filice experimentum, quod ex Antonio Batto refert de ejus virtute adversus ambusta, si sequenti ratione subigatur.

℞. Radicum Filicis fœminæ q. s. Ex contusis succum exprime, vel in defectu recentiam radicum, sume exsiccatas, & contusis affunde aquam rosaceam vel aquam communem. Tunc per expressionem succus mucilaginosus exprimatur; Hic præ omnibus aliis remediis mirifice prodest.

Tragus idem de hujus radicis succo mucoso confirmat.

Notum est, quosdam populos in frugum inopia e radice Filicis panem confecisse. Cl. Tournefortius *in historiam plantarum circa Lutetiam nascentium* refert seipsum vidisse panes ex hac radice confectos, qui annis *1693.* & *1694.* ex Arvernia Lutetiam allati fuerant. Saporis erant pessimi, & coloris rufi, similes fere panibus ex querneo confectis cortice, qui ad coria inficienda inservit: vulgo, *Mottes a bruler*. Notum est quoque Filicum cineribus nitri loco injectis saxa collisquescere in vitrum colore viridi & subobscuro.

Filix florida, & Osmunda Regalis, *Off.* Osmunda vulgaris & palustris *Inst. R. H.* 547. Osmunda Regalis, sive Filix florida *Parkinson. Theatr.* 1038. Filix floribus insignis *J. B. 3. 736.* Filix ramosa non dentata florida *C. B. P. 357.* Filix palustris *Dodon. Pempt.* 436. Filicis majoris alterum genus, *Trag.* 543. Filisticarum *nonnullis*, & Lunaria major *Chimyastrorum quorumdam*: vulgo, *Osmonde*, ou *Fougere fleurie*.

Ex uno perplexarum radicum, longarum nigricantium cespite, caules attollit complures, bicubitales & altiores, virides, glabros, striatos, ramis patulos. Hinc inde alæ exoriuntur, pinnatis octo vel novem conjugationibus foliorum impari uno alam claudente constantes. Singularia autem folia omnia sursum spectant, tum quatuorve unciarum longitudine, semiunciam lata, ex principio latiore sensim extenuata, in obtusum mucronem desinentia, a nervo per longitudinem decurrente exporrectis in margines haudquaquam sectos infinitis oblique venulis. Caulis scapus in surculos aliquot divisus racemulos unciales in singulis surculis multos sustinet fructiferos. Floribus enim carere videtur. Flores herbarii dicti, inquit J. Rajus, nihil aliud esse videntur quam folia, ob semina adnascentia, non explicata, sed ad margines reflexa. Fructus vero veluti in uvam collecti capsulæ sunt sphæricæ, Filicum cœterarum capsulis similes, quæ fibrarum contractione rumpuntur, seminaque fundunt minutissima, ut microscopii ope observatur. In quibusdam agri Parisiensis locis sponte nascens reperitur; herba & radix in usum veniunt. Vis præcipua in fructiferis racemis & radicis medulla albicante consistit.

Osmunda analysi chymica a Filice parum differt. At sapore est minus amaro, & adstringente. Minus adstringens, & magis temperata censetur.

Ejus

Ejus radix ad hernias, & ulcera exploratissimi commodi esse scribit Lobelius; quin etiam colicis, & spleneticis plurimum conferre. Ejusdem radicis mucaginem ad curandam herniam in pueris extra applicatam, ut probatissimum remedium, Paulus Hermans commendat.

Pars illa radicis media subcandida efficacissima censetur non modo vulneratis, sed etiam cæsis, ruptis, ex alto deturbatis, decocta vel etiam tusa, & cum idoneo liquore sumpta. Sunt qui tantam ejus potentiam esse existiment, ut sanguinem alicubi intra corpus hærentem ac concretum dissolvere queat, & foras etiam per vulnus expellere.

Rachitidi morbo dicto remedium præstantissimum, & quasi proprium ac specificum a J. Raio, & Paulo Hermanno prædicatur hujus radix cui percurando vel sola sufficiat. Doctor Bovvles in rachitide proponit conservam asparagorum seu germinum teneriorum Osmundæ, & Filicis maris, vel etiam Asplenii, & Phyllitidis, prospero successu.

℞. Summitatum fructiferar. Osmund. M. j. Coq. cum lactis vacc. ℔j. Colatura hauriatur sing. diebus contra rachitidem.

℞. Radicis medull. subcandicantis ℥iij. Capillor. vener. M. j. Coquantur ex aq. ℔iij. F. decoctum contra rachitidem.

## FŒNICULUM.

FŒniculi semen duplex est in officinis, vulgare, & dulce.

Fœniculum vulgare, *Off.* Fœniculum vulgare, minus, acriori, & nigriori semine *J. B. 3. p. 2. 2. Inst. R. H.* 311. Fœniculum vulgare, Italicum, semine oblongo, gustu acuto *C. B. P.* 147. Fœniculum sive Marathrum vulgatius *Adversar. Lobel.* 347. Fœniculum vulgare, Germanicum *C. B. P.* 147. & *Inst. R. H.* 311. Fœniculum *Dod. Pempt.* 297. vulgo, *Fenouil commun.*

Ex radice vivaci, & in plures annos restibili, digitali aut majore recta, alba, sapore cum quadam dulcedine aromatico, caulis surgit tres aut quatuor cubitos altus, rectus, teres, striatus, geniculatus, lævi, tenui ac virente cortice circumvestitus, fungosa interius medulla candida farctus, in alas crebras circa fastigium divisus. Pediculi veluti quadam vagina caulem, & ramos complectuntur, quibus folia insident ampla, ramosa, in tenuissima segmenta dissecta, atrovirentia, sapore dulci, odore suavi, quorum singula segmenta teretia sunt, extrema vero capillamentorum instar tenuia. Umbellæ latæ in cacuminibus cauliculorum, & ramulorum eminent rotundæ ac in orbem circinatæ. Flores rosacei, pentapetali, lutei, odorati, calyci insident, qui abit in fructum ex duobus seminibus compositum oblongis, crassiusculis, hinc gibbis, & striatis, inde vero planis, nigricantibus, sapore acriori aut minus dulci. Sponte nascitur in locis saxosis, & calidis in regionibus, ubi cultura semen dulce evadit, & planta aliquantisper variat; hinc quarumdam Fœniculi specierum varietas. Hic in hortis colitur. Radices, folia, semina in culinis, & officinis usitata sunt.

Fœniculum dulce, *Off.* Fœniculum dulce majore, & albo semine *J. B. 3. p. 2. 4.* Fœniculum dulce *C. B. P.* 147. Fœniculum sive Marathrum vulgatius, dulce *Lobel. Icon.* 775. vulgo, *Fenouil doux.*

A vulgari radicibus, foliis, caulibus, & flore vix differre videtur, nisi forte caule minus procero, & graciliore ac foliis minoribus. Semina quidem multo sunt majora, striata, albida, dulcia magis, & minus acria. Hæc Fœniculi species post unum aut alterum annum, iterata satione seminis hic producti, inquit J. Raius, in hortis paulatim degenerat, & in vulgare transit, nec in nostris tantum, sed in Germanicis atque etiam Italicis, ut testatur Cæsalpinus. Unde autumat J. Raius semen ejus ex ulterioribus adhuc meridiem versus regionibus afferri; ex Syria forte ut Lobelius scribit, aut ex Insulis Azoticis, ut alii.

Analysi chymica, Fœniculi folia recentia plurimum humoris acidi, odori, mediocrem olei tum essentialis tenuis, tum crassi portionem, modicum salis fixi alcalini, terræ, & perparum spiritus urinosi exhibuerunt. Semina eadem principia præbent, sed oleum essentiale majori copia fundunt, cui eorum virtus præcipue tribuenda est; subtile enim illud oleum & sal acidus tenuis ac volatilis simul permixta sese invicem temperant, & compositum constituunt ad spiritus acidos dulcificatos chymicorum aliquantisper accedens.

Fœniculum spissiorem sanguinis crasim blande dissolvit, lympham viscidam incidit, & fluidiorem efficit. Aperiens est hæc planta, diuretica, sudorifera, stomachica, pectoralis, & febrifuga.

Apud nonnullos specificum audit contra variolas, & morbillos. In febribus putridis, quibus adjuncta est malignitas, S. Paulli vix ullam plantam Fœniculo secundam reperiri asserit, sive ad aperiendum, sive ad discutiendum; hinc variolis, & morbillis laborantibus decocto Fœniculi vel seminis vel radicum nihil salubrius esse dicit.

Radix est primaria ex radicibus quinque aperientibus majoribus. Ab Etmullero veluti antinephriticum egregium, & in renum doloribus stranguriisque polychrestum proponitur.

Ad quartanam, & alias febres intermittentes succus radicum Fœniculi ad ℥iiij. cum saccharo edulcatus, & jejuno propinatus in aurora decem diebus continuis eas fugat. Zacutus qui facile, sed utile illud remedium vocat, observat plurimis in lecto bene coopertis sudores plurimum moveri, aliis lentæ pituitæ screatum, aliis ructus fœtidos, & crepitus. Omnes Fœniculi partes ventriculum roborant, ciborum concoctionem juvant, laxiorem nimis fibrarum ventriculi tonum restituunt, & firmant, viscidum mucum parietibus hujus visceris inhærentem dissolvunt; semen præsertim, unum e quatuor seminibus calidis majoribus. Utiliter usurpatur quando post pastum adfuerint ægritudo, nausea, ructus, gravitas, tensio, inflatio ventriculi, item segnities, somnolentia, capitis dolor, & cœtera id genus coctionis læsæ, & male peractæ signa a pituita mucaginosa in ventriculo collecta. Eam enim incidit, attenuat, rugas ventriculi blande detergit, spiritus influos recreat. Eodem modo quoque in intestinis operatur; quare in colicis flatulentis ejus usus est egregius: flatus enim sursum & deorsum expellit, unde tritum illud adagium:

*Semen Fœniculi reserat spiracula culi.*

Pulvis ejus cum saccharo in vino a ʒß. ad ʒj. ante vel post pastum hauritur, vel semina integra saccharo condita comeduntur. Attamen C. Hoffmannus has doses de semine sicco solum accipiendas existimat. Tantum abest enim, inquit,

ut juvet

ut juvet concoctionem aliorum ſemen aut herba viridis, ut ipſa potius adjutorio opus habeant. Confert quoque idem ſemen ad lactis generationem, chylum fluidiorem efficiendo, & lympham aut chylum in mammarum glandulis concreſcentem reſolvendo. Radicis decoctum ſolum, vel etiam floribus Sambuci aut Lumbricis ſociatum ad lactis abundantiam promovendam ab Ettmullero, & Helidæo de Padoanis commendatur: idem præſtant foliorum decoct umaquoſum, vel vinum, in quo herba vel ſemen macerata fuerunt.

Fœniculi ſemen medicamentis thoracicis admixtum æſthmaticos juvat, veteri tuſſi, & contumaci medetur.

In oculorum vero affectionibus herba tota ejuſque ſemen eſt commendatiſſima, illis in primis quorum viſio lucubrationibus nocturnis admodum debilitata fuit. Seminum pulvis cum ſaccharo quotidie mane jejuno ventriculo ſumitur. Arnaldus Villanovanus ſemen hoc aceto infuſum, exſiccatum, cum Cinnamomi, & ſacchari momento permixtum commendat ad viſionem integram conſervandam, debilem, & jam fere extinctam etiam in octuagenariis reſtituendam. Ad caliginoſos oculos nihil hoc ſemine efficacius, inquit H. Tragus. Idem præſtat ſuccus foliorum aut radicis, & aqua diſtillata, tum intus ſumpta, tum oculis indita. J. Crato Medicus Cæſareus, referente Raio, quemdam vidit ex ſuffuſione curatum facillis mo remedio, radicibus nempe Fœniculi in vino coctis, & decocto oculi ſæpius applicato.

Seminum pulvis cum pulveribus reſolventibus utiliter miſcetur in cataplaſmatis, & fomentis reſolventibus.

Oleum eſſentiale ex ſeminibus exſiccatis aqua maceratis diſtillatur vi carminativa inſigni præditum. Guttæ ſex, decem vel duodecim ſaccharo exceptæ, & ex vino ſumptæ dolores colicos flatulentos diſcutiunt, ciborum concoctionem promovent, & perficiunt: ex lacte aut decocto pectorali, tuſſientibus, & aſthmaticis conferunt.

Aquam ex tota planta diſtillatam ſervant officinæ ad collyria utilem. Herba tota juſculis, & ſorbitionibus incocta ad corpus obeſum extenuandum utilis eſſe perhibetur.

Semen adhibetur ſæpiſſime ad corrigenda purgantia.

℞. Radic. Fœniculi ℥ij. Lenticum excorticatar. ℥ß. Caricas ping. n. iij. Coq. in aq. comm. ℔iiij. ad ℔ij. Sub finem coctionis adde fol. Scordii, M. ß. ſemin. Fœnicul. ℥j. Fiat colatura pro potu in morbillis & variolis ad exanthematum eruptionem promovendam.

℞. Rad. Fœnicul. ℥iij. Semin. Fœniculi ℥ß. Flor. Sambuc. M. j. Coq. in aq. comm. ℔iiij. ad ℔iij. F. decoctum pro potu ſolito in lactis imminutione. Vel

℞. Sem. Fœnicul. dulc. pulver. ℥ß. Pulver. Lumbr. terreſtr. ℈j. Fiat pulvis jejuno ventriculo ſumendus.

℞. Rad. Helenii ℥j. Semin. Fœnicul. contuſ. ℥ß. Paſſular. ℥jß. cum. aq. ſ. q. F. decoct. in tuſſi & aſthmate.

℞. Mucaginis gumm. Tragacanthæ cum aq. Hyſſop. extract. & ad ſyrupi conſiſtentiam redact. ℥iij. Syrup. de Eryſimo ℥jß. Olei amygdalar. dulc. ℥j. Olei eſſential. Fœnicul. gutt. x. F. Lohoch. in aſthmate.

℞. Fœniculi dulcis ℈j. Aniſi ℈ß. Olei diſtillati Fœniculi gut. j. Sacchar candi ℥ß. M. F. pulvis contra tormina.

Fœniculi viridis comæ acetariis dum adhuc tenellæ sunt permixtæ suavitatem addunt. Pisces sive asserventur muria conditi, sive elixentur, sive craticula assentur, Fœniculi foliis involvuntur a nonnullis ut durent, & ut sapidiores fiant.

Germina Fœniculi teneriora, antequam caulescant, cum superna radicis parte recisa, cum oleo, & pipere mensis secundis adjiciunt Itali, & Narbonenses Galli eodem modo, quo nos Apium dulce, *Celery*.

Radices Fœniculi usurpantur in syrup. aperiente cachectico *D. Daquin*, syrup. Chalybeato aper. cathartico D. Daquin *Ph. Reg.* antiasthmatico, & antinephritico *ejusdem*, de Cichor. comp. *Ph. Reg.* de Artemisia *ejusdem*, de Prassio, & de 5. rad. aper. *Mesuæi*. Semina in Theriaca, Mithridatio, confectione Hamech, Electuar. Catholico cum rheo dupl. pulvere Diarrhodon *Abbatis Nicol. præpositi*, Philonio magno, Diaphœnico, Benedicta laxativa, de Psyllio, El. de Citro. Folia in aq. vulneraria *Penicherii collectan. pharmaceutic.*

## FŒNUM-GRÆCUM.

FŒnum-Græcum, & Fœnu-Græcum, *Off.* Fœnum-Græcum sativum *C. B. P.* 348. *Inst. R. H.* 409. Fœnu-Græcum *J. B.* 2. 363. *Dod. Pempt.* 536. *Trag.* 597. Fœnum-Græcum *Gerard. Raii Hist.* 954. vulgo, *Fenu Grec.*

E radice tenui, candida, simplici, lignosa, caulem emittit singularem semicubitalem, tenuem, virentem, intus concavum, in alas ramosque divisum; folia ex uno pediculo terna, pratensi Trifolio similia, minora tamen, in ambitu leviter serrata, modo oblonga, modo latiora quam longiora, superna parte virentia, inferna cineracea: flores ex foliorum alis nascentes, papilionaceos, subcandidos, siliquas vero longas, palmares, & sesquipalmares, nonnihil planas, falcatas, graciles, angustas, compressas, mucrone tenui, longo, inani, seminibus fœtas non magnis, rhomboidiformibus, linea cum cavitate quadam oblique ab angulo ad angulum impressa, sulcatis, odoratis cum gravitate nonnulla, & flavescentibus. In campis seritur. Semen solum usitatum.

Analysi chymica, ex seminum Fœnu-Græci ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, seminis, odorem saporemque referentis, obscure salsi, & obscure acidi ℥xij. ʒij. gr. iiij. humoris rufescentis, odoris, & saporis empyreumatici, subsalsi, & acidi ℥ix. ʒv. gran. xxxj. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥vij. ʒv. gr. xlviij. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gr. xxviij. olei tum essentialis, tum empyreumatici, fluidi ℔j. ℥j. ʒj. gr. xxxj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j. ℥iij. ʒiij. gran. xlviij. quæ rite calcinata reliquit cinerum flavescentium ℥iij. gr. xij. ex quibus lixivio salsis fixi alcali ʒvj. gr. vij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥xij. ʒiij. gr. xxvj. in calcinatione ℔j. ʒiij. gr. xxxvj.

Fœnu-Græci semina saporem mucilaginosum referunt odoremque gratum cum quadam gravedine. Salem ammoniacalem continere videntur cum multo oleo tum tenui tum crasso implicitum, & terra copiosa quibuscum mucosum compositum exsurgit, quod ex eis cum aqua coctis extrahi potest.

Fa-

Farina seminis tumores emollit, digerit, maturat, discutit, doloresque compescit, ususque adeo frequentis est ut in fomentis & cataplasmatibus emollientibus & maturantibus, vel discutientibus fere omnibus usurpetur, vel ejus mucilago coctione cum aqua extracta. In clysteribus emollientibus, carminantibus & anodynis utiliter præscribitur ad flatus discutiendos, humorum acrimoniam obtundendam, intestina erosa muco obducenda, in colicis, alvi fluxibus & dysenteria. Insuper conducit ejus mucilago ad oculorum sugillationes discutiendas. Interne rarissime usurpatur. In erysipelate fotum sequentem Th. Sydenham laudat.

℞. Semin. Fœnu-Gr. & Lini ana ℥ß. Rad. Althææ, Bulbor. Lilior. ana ℥ij. Folior. Malv. Sambuc. Verbasci ana M. ij. Flor. Melilot. Hyperic. & Centaur. minor. ana M. j. Coq. in s. q. aq. ad ℔iij. F. colatura. Usus tempore singulis decocti libris adde spiritus vini ℥ij. Pars affecta calide foveatur.

℞. Folior. & flor. Verbasci M. j. Furfuris triticei Mß. semin. Fœnugr. & Lini ana ʒij. Coq. in aq. vel lactis q. s. Fiat Enema in tenesmo & dysenteria.

℞. Radic. Althææ & Lilior. minutim incisarum ana ℥iij. Fol. Malvæ, Althææ, Senecionis, Violariæ, Parietar. & Brancæ ursinæ ana M. j. Coq. ex arte in aq. comm. ℔vj. ad putrilaginem usque. Deinde contunde in mortario marmoreo, & per cribrum cerne: colaturam & pultem secretam cum farinæ Lini & Fœnu-Græci ana ℥iij. & oleor. Lilior. & Chamæmel. ana ℥ij. coq. igne lento sæpius agitando ad debitam usque spissitudinem, & fiat cataplasma emolliens & maturans.

℞. Farinæ Fœnu-Græci ʒiij. Fermenti veter. ℥j. Stercor. columbin. ʒij. Olei Chamæmel. ℥jß. Mell. ℥j. Contunde. M. F. cataplasma in maturandis abscessibus.

℞. Radicum Cyclamin. Bryon. & Cucumer. agrestis ana ℥ij. Folior. Absinth. & Mercurial. ana M. ij. Florum Chamæmeli & Meliloti ana M. j. Coquantur in aq. comm. ℔iij. & vini albi sub finem additi ℔ij. ad putrilaginem usque. Colaturæ & pulti trajectæ adde farinæ Fœnu-Græci & Lupinor. Pulver. Absinth. Cumini Fœnicul. & Baccar. Lauri ana ℥j. F. ex arte cataplasma discutiens & resolvens.

Ad ischiadem, arthriticos dolores & tumores mammarum sequens cataplasma a J. Rajo commendatur.

℞. Semin. Fœnu-Græci in melicrato cocti ad dissolutionem usque q. v. quod deinde contundatur, & iterum cum melle coquatur ad cataplasmatis spissitudinem quod super pannum extensum parti dolenti applicetur.

Insuper conducit ejus mucilago ad oculorum suggillationes discutiendas, & a S. Paulli ut optimum ophthalmicum commendatur. Laudatur quoque a Riverio in ophthalmia. Postulat autem Riverius ut Fœnu-Græci semen, antequam decoquatur vel ex eo mucilago extrahatur, excutiatur per cribum, ut pulvis quo abundat, auferatur, postmodum vero aqua frequenter abluatur.

℞. Mucilaginis seminum Fœnu-Græci & Cydonior. extractæ in aqua Rosar. & Euphrasiæ ana ℥jß. Trochiscor. albor. Rhasis sine Opio ʒj. Tuthiæ pp. ʒß. F. collyrium in ophthalmia.

℞. Pulpæ Pomor. dulc. ad consistentiam pultis in aq. Fœniculi & Ver-

benæ coctæ ℔ß. Mucilaginis Fœnu-Græci aq. Rosar. extract. ℥j. Lapid. Hæmatitis exquisitissime triti ʒj. Camphoræ & Tuthiæ pp. ana ℈j. Boli armen. q. s. Fiat epithema pro oculo in suggillationibus.

S. Paulli refert se aliquoties observavisse quod licet promiscue Fœnu-Græci semen commendetur utrique sexui ad alvum adstrictam emolliendam aut ad sedanda ventris tormina receptum in clysteribus, facile tamen nonnullas mulieres odore illius offendi, & præsertim illas, quæ hystericæ passioni obnoxiæ sunt. Quare abstinendum esse suadet a Fœnu-Græco in præscribendis illis clysteribus sesquiori sexui.

Fœnu-Græci semen usurpatur in Syrup. de Marubio *Mesuæ* & lohoc sano *ejusdem*, in ung. de Althæa, mundificativo de resina, martiato, emplastr. Dyachylo, de mucaginibus & de meliloto *Ph. Regiæ*.

## FRAGARIA.

FRagaria, *Off.* cujus fructus Fragum: Fragaria vulgaris *C. B. P.* 326. & *Inst. R. H.* 295. Fragaria ferens Fraga rubra *J. B.* 2. 394. Fragaria & Fraga *Dod. Pempt.* 672. Fragula *Cordi*: Fragum & Trifolium Fragiferum *Tabern. Icon.* 118. Fragaria *Gerard. Raii histor.* 609. vulgo, *Fraizier*, & fructus *Fraise*.

Ex radice diuturna, subrufa, multis fibris capillata, gustu adstringente, pediculos palmares, tenues, lanuginosos & in summitatem ramosos promit, quorum nonnulli folia, alii flores sustinent, tenuia quædam edit flagella proserpentia, ad intervalla nodosa & foliosa, ad nodos radices agentia, quibus late se propagat: folia autem profert in uno pediculo terna, oblonga, lata, Pentaphylli similia, venosa, hirsuta, per ambitum serrata, superius virentia, inferius albidiora: flores quatuor aut quini ab uno pediculo exeunt rosacei, quinque petalis albidis in orbem positis constantes, staminulis numerosis, brevibus, apices luteos sustinentibus, pistillo globoso, & calyce e decem partibus seu segmentis composito. Pistillum deinde abit in fructum fere globosum vel ovato-acuminatum, edulem, carnosum, mollem, per maturitatem rubrum, quandoque, sed raro albicantem, dulci vinosoque succo prægnantem, odoratum: cui semina multa, exigua, extrinsecus adhærescunt. In sylvis & locis umbrosis sponte nascitur & in hortis colitur, ubi lætius viret, & Fraga fert crassiora & suaviora. Fructus inter edulia usus sunt frequentioris: inter medicamenta diuretica & aperientia radices & folia.

Analysi chymica, ex Fragorum maturor. ℔v. per B. V. distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris & saporis fragrantis & vinosi, grati, primo obscure acidi, deinde magis aperte acidi ℔iij. ℥ij. humoris limpidi, manifeste acidi, subausteri, ℥xiij. ʒvij. Massa sicca in alambice residua per retortam distillata præbuit humoris rufescentis, empyreumatici, manifeste acidi & adstringentis ℥j. ʒvj. gr. xxxvj. olei spissi ad instar extracti ℥j. ʒv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥j. ʒiiij. quæ per 16. horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum e cinereo fuscorum ʒvj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒij. gr. xx. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ix. ʒj. in calcinatione ʒvj.

Fraga

Fraga saporem vinosum gratum obtinent, succo vinoso donantur cum multo muco, seu terreis & aquosis partibus permixto & temperato. Si eorum succus fermentescat, vinosus fit, ex quo spiritus ardens extrahi potest, ac tandem diuturniori fermentatione acescit, putrescit & corrumpitur. Foliorum succus chartam cœruleam rubro colore leviter tingit, intensius vero radicum succus, & saporem aliquantisper stypticum, amaricantem referunt. Radices & folia sale essentiali donari videntur, tartareo nitroso, multo sulphure & terra adstringente simul mixtis.

Fraga refrigerant, sitim sedant, æstum ventriculi compescunt, alvum emolliunt, urinam provocant, arenulas expellunt, parum nutriunt, fugacemque alimoniam corpori exhibent. Hæc maxime secundis mensis apponuntur, & saccharo inspersо comeduntur vel ex lactis cremore, vel vino aut aqua irrigata. Minus tutum est ea comedere cum lacte, quod facile in ventriculo coagulatur ab acido Fragorum evoluto sale. Vino quamdam horum fructuum commentitiam frigiditatem corrigere tentant, sed perperam: imo, vini admixtione sæpe difficilius coquuntur in ventriculo, nec adeo facile mucosa eorum pulpa dissolvitur, unde diuturniori mora effervescit & acescit, vel corrumpitur; aqua vero facilius dissolvitur, coquitur, & citius intestina permeat. Eligenda bene matura, & lotione in aqua ab omni terra & eluvie repurgata. Picrocholis convenire dicuntur & siticulosis. Verum in ventriculo & intestinis imbecillioribus aut saburra mucosa vel etiam acida onustis facile corrumpuntur aut acescunt, cruditatesque pariunt generi nervoso noxias, ut in quibusdam hypochondriacis observare est. Nonnunquam etiam si majori copia ingerantur, vinosis spiritibus fermentatione evolutis, viscerum æstum augent, aut caput tentant & aliquo modo inebriant, nec gravidis majori copia concedenda, nam præterquam quod colicam in iisdem facile concitant, metuendum est, ne propter vim diureticam fœtum pellant.

Insuper aperientia sunt & splenitica dicuntur, viscerum obstructiones reserant, partibus suis tenuibus & volatilibus humores lentos & viscidos dissolvendo, & blanda adstrictione partium fibras roborando. Renes & vesicam expurgant, unde inter antinephritica recensentur. Mirandum sane quod notat C. Hoffmannus *L.* 2. *de Med. offic. ff.* 16. se vidisse in quodam, qui copiosius comederat Fraga, multas illorum particulas in matula, ita ut renes putarentur colliquati. Certe quidem urina eorum qui assidue Fraga comedunt, fragranti Fragorum odore perfunditur.

G. Fabricius Hildanus *Centur.* 5. *obs.* 38. cujusdam fœminæ mentionem facit quæ, post esum Fragorum, jejuno adhuc ventriculo, horrendis symptomatibus statim vexata fuit, ut lipothymia, vertigine, hypochondriorum tumefactione, dolore ventriculi &c. Nec nisi post exhibitum vomitorium restituta fuit. Sed hic notandum est fœminam comedisse hæc fraga illota, sine vino aut saccharo. Unde recte J. Rajus existimat eos fructus venenatos fuisse ab urina, saliva aut halitu serpentis vel bufonum (qui Fragis summopere delectari dicuntur,) vel insecti alicujus punctura, quod succum quemdam noxium ipsis immiserat. Sunt, ut observat idem Rajus, qui ex Fragorum solo odore in animi deliquium incidunt. Narrat quoque post Velschium virginem quamdam Austriacam

ex esu Fragorum epilepticam factam fuisse, atque exinde quotannis tempore quo efflorescunt, paroxysmo obnoxiam fuisse. Sed observationes illæ de Fragorum noxis peculiaria tantum subjecta respiciunt; unde nihil ex eis adversus Fragorum salubritatem concludendum est. Ex Fragorum succo julapia parantur æstate gratissima & utilia ad sitim extinguendam, & sanguinis æstum compescendum; in febribus etiam utiliter propinantur.

Aqua ex Fragis distillatur in officinis pharmaceuticis ad usum cosmeticum præsertim: siquidem illitu faciei maculas & lentigines abstergit. Ad hunc usum tamen aqua ex tota planta distillata a C. Hoffmanno utpote magis abstergens anteponitur. At præstantiores dotes ab auctoribus aquæ Fragorum tribuuntur. Cor enim confortare dicitur, vitia thoracis expurgare, morbum arcuatum discutere, sanguinem purgare, ulceribus oris & anginæ auxiliari gargarizatu, calculum renum comminuere, alia etiam juvamenta præstare, si H. Trago credimus. Eadem in calida viscerum intemperie a C. Hoffmanno commendatur, iis præsertim qui pustulosam habent faciem, qui scabie vel in toto, vel in parte, pruriginosa & sicca afficiuntur: singulis diebus mane ℥jß. præterpropter propinatur. Eamdem eodem modo sumptam calculosis proponit. Verum aliam longe præstantiorem adversus calculum Fragorum aquam seu potius tincturam J. Bauhinus Gesnero a multis calculosis commendatam refert, quæ sic præparatur. Fraga matura in phialam aqua ardente optima plenam conjicito, in aquam ardentem post horas quadraginta circiter colatam rursus nova Fraga injicito, ac sic relinquito optime tecta, ac munita, ne aliquid exspiret. Cochlear unum sumatur mane jejuno ventriculo cum sacchari candi tantillo. At vero licet J. Bauhinus gratum, probatum, efficacissimumque hoc remedium prædicet, dubito tamen de ejus ad calculum comminuendum efficacia. Reipsa renes & vias urinarias stimulando, arenulas e suis latebris renalibus expellere potest; sed non semper felici eventu, imo nonnunquam pessimo. Si enim arenulæ majores sint quam ut per ureteres descendere queant, incassum propelluntur in eorum orificia, ubi dolores nephriticos, diros cruciatus, mictionem cruentam, renum exulcerationem, & alia mala excitabunt. Quod quidem Em. Konig de hac aqua spirituosa observavit, qui *in Regno suo vegetabili* refert incautum ejus usum ulcus renum in quodam senatore Basileensi induxisse.

Fragariæ radices & folia diuretica sunt & aperientia, & crebri usus in viscerum obstructionibus, in ictero. Aliquantisper tamen adstringunt, unde adversus hæmorrhagias, alvi fluxus, dysenterias nonnunquam præscribuntur. Catarrhos & distillationes cohibere dicuntur, tum adstrictione sua partes roborando, tum serum sanguinis per urinarias vias educendo. In decoctis & ptisanis diureticis & aperientibus frequentur usurpantur, radices præsertim quæ Oxalydis radicibus consociari solent, & decoctum subrubrum efficiunt. Ubi observandum est etiam harum radicum decoctum assidue & affatim epotum alvinis excrementis rubentem colorem fœcum vini aut carnium loturæ similem inducere, ita ut primo intuitu ægrotans fluxu hepatico affici videatur. Sed mutato potu

statim

ſtatim alvinarum fœcum color mutatur. G. Hoffman. aſſerit Fragariam præſtare egregium diureticum in febribus colliquativis, ad aquam intercutem ad renes derivandam. Ejuſdem decoctum adverſus icterum utile eſſe S. Paulli teſtatur: & hoc decoctum palato gratum puerulis ictero laborantibus qui Chelidonii decoctum plerumque averſantur parare ſolebat.

℞. Herbæ Fragariæ cum toto (ut loqui amant Medici, hoc eſt, plantæ integræ cum foliis, radicibus & flagellis) Cuſcutæ ana M. j. Uvar. paſſular. Corinthiacar. conciſar. vel contuſar. ℥ij. Tartari albi pulver. ℥ß. Coq. in ſ. q. decocti Hord. ab remanentiam ℔j. in qua diſſolve ſyrup. Berberis ℥j.

Idem refert Fragariam in vino rubro coctam, & aliquoties pubi, & pectini impoſitam inſtar cataſplamatis, album mulierum fluxum ſiſtere, quod etiam in pollutione nocturna & gonorrhæa non virulenta efficaciſſimum comperit.

Nobelius *in Miſcell. natur. curioſor. Dec. 3. ann. 3. obſerv.* 81. vim traumaticam inſignem Fragariæ aſſignat, & aliquot obſervationibus ulcerum pedum, tibiarum aut crurum ſanatorum & tumorum œdematoſorum reſolutorum ſola foliorum Fragariæ contuſorum applicatione comprobat. Quam quidem virtutem tribuit tum particulis ſalino-ſulphureis tenuibus, quibus hæc planta turget, quæ ſtagnantem ſub cute lympham viſcidiorem reſolvere, fracidum ulcuſculorum acorem immutare & humorum circuitum in loco affecto reſtituere valent, tum particulis ſuis auſteris ac terreis fixis, quæ laxatas cutis fibras ſtringunt, atque ita reſolutam lympham per cutis poros exprimunt, patentia ulcuſculorum ora contrahunt, & illa, nova ſuccreſcente carne, conſolidant.

Ad perniones, ſeu fiſſuras, & intertrimenta manuum, & pedum hyberno tempore a ſummis algoribus provenientia, præcavenda, Fraga contuſa cataplaſmatis modo, partibus quæ per hyemem affici ſolent, æſtate per aliquot noctes applicantur.

Fragariæ folia uſurpantur in unguento martiato magno *Fernelii* & ung. mundificativo de Apio *Bauderoni*.

## F R A X I N U S.

FRaxinus *Off.* Fraxinus excelſior *C. B. P.* 416. *Inſt. R. H.* 577. Fraxinus vulgatior *J. B.* 1. 174. *Raii Hiſt.* 1702. Fraxinus *Dod. Pempt.* 833. Fraxinus vulgaris *Parkinſon*: vulgo, *Frene*.

Alta, & procera arbor Fraxinus caudice aſſurgit ſimplici, recto, craſſitudinis ſubinde haud exiguæ, frequenter mediocris: cortice contegitur lævi, cinereo: lignum albidum eſt, læve, durum, & criſpo pectinum diſcurſu undulatum: rami hujus ex adverſo poſiti, teneriores recenſque enati geniculis aliquot nodoſi ſunt, medullamque intus habent candidam, & fungoſam, ſed vetuſtiores toti lignoſi geniculis, ac medulla carent. Frondes pinnatæ ex compluribus foliis conſtant, quadruplici, quintuplici, vel etiam ſextuplici pinnarum conjugatione quam impar folium terminat, ad coſtam annexis, oblongis, latis, Laurinis ſimilibus, ſed mollioribus, dilutius virentibus, ac nequaquam odoratis, per ambitum leviter ſerratis, & ſicco ſapore, ſubamaro, acri, ac mordaci præditis. A tenerioribus ramis juxta foliorum exortum aliquot prodeunt

ſimul

ſimul dependentes pediculi ramoſi, qui flores plurimos ſuſtinent apetalos, exiguos, gemino apice donatos, & piſtillo bicorni quibus ſuccedunt fructus plani, membranacei, oblongi, anguſti, avicularum nonnullarum linguis aſſimiles, ſeſcunciam longi, parum culmo latiores, fuſci, in quibus ſemen perficitur ejuſdem pene formæ, ſubrubrum, intus album, medulloſum, guſtu amaricante ac medicato. Radices ſumma tellure gaudent & in ſuperficie terræ late extenduntur. In ſylvis agri Pariſienſis ſponte creſcit. Cortex, lignum, fructus uſitata ſunt.

Analyſi chymica, ex Fraxini foliorum recentium ℔v. diſtillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori & inſipidi, obſcure acidi ℥xiv. ʒv. humoris primo limpidi, magis ac magis acidi manifeſte, deinde rufi, leviter empyreumatici, obſcure auſteri ℔iij. ℥j. gr. liv. humoris rufi empyreumatici, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥ij. ʒiv. gr. xxvj. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥iij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥vj. ʒv. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒ. gr. xxxvj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒiv. gr. xxv. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ʒiv. gr. xviij. in calcinatione ℥iv. ʒiij. gr. xxxvj.

Ex corticis Fraxini recentis ℔v. prodierunt humoris limpidi, inodori, ſubacidi, cum levi acredine ℥xij. humoris limpidi, acidi magis ac magis, ſubauſteri ℔j. ℥iij. ʒiij. gr. lx. humoris rufi, fuſci, empyreumatici, intenſe acidi, acris, urinoſi & auſteri ℥viij. ʒiv. gr. xviij. olei ſpiſſi & aqua gravioris ℥ij. ʒij. Maſſa in retorta reſidua ſemicalcinata ob retortæ fiſſuram pendebat ℔j. ʒv. quæ calcinata reliquit cinerum albicantium ℥iv. ʒiv. gr. liv. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒij. gr. xlv. lixivio extracta ſunt. Partium jactura uberior ob fiſſuram æquavit ℔j. ℥v. gr. lxvj. in calcinatione ℥xij. gr. xviij.

In Fraxino Cl. Tournefortius ſalem eſſentialem contineri dicit fere ſimilem Oxyſali Diaphoretico Angeli Salæ, cum multo ſulphure, & terra conjunctum. Corticis infuſum vel decoctum vitrioli ſolutionem Gallarum inſtar nigro colore tingit.

Foliis vis vulneraria aſſignatur; cortici ſplenitica, diuretica, & febrifuga: ſemini diuretica, & aphrodiſiaca. Ligno quoque vis exſiccans & ſudorifera necnon ſtyptica a nonnullis tribuitur.

Folia interne raro adhibentur. Quidam tamen foliorum & ſummitatum ſuccum quotidie mane pauca quantitate potum hydropicis conducere dicunt. Ettmullerus eadem recentia contuſa vulneribus, recentibus, & locis, quibus hæmorrhagiæ contingunt, impoſita, revera balſami vulnerarii vices ſuſtinere ſcribit, & vulgarem ruſticorum curationem eſſe refert. Aqua ex Fraxini foliis diſtillata ad ſurditatem commendatur, referente Ettmullero; eamdem potam ictero & calculo mederi Tragus ſcribit.

Cortex, & lignum Fraxini ſiccant & attenuant: lienis duritiem ſpecifice emollire dicuntur; unde & in polliculis ex hoc ligno factis, ſi quis aſſidue bibat, lienem extenuari ajunt, eoque nomine & corticis decoctum, quidam exhibent. Idem cortex febrifugus dicitur, & a nonnullis in locum Kinæ Kinæ ſubſtituitur, ſed perperam. Lignum etiam, referente Ettmullero a nonnullis Germanorum Guajacum dicitur & ab illis diureticum, & ſudoriferum habetur, licet hoc ligno viribus

longe

longe inferius sit. Multa de hujus ligni vi vulneraria sympathica proferuntur, quæ velut futilia rejicimus.

Sal ex corticis Fraxini cineribus elixus urinas potenter movet, quod quidem illi commune est cum reliquis salibus alcali lixiviosis. Idem sal, auctore S. Paulli ex Fraxini tenellis ramulis & corticibus una extractus mire convenit variolis & morbillis laborare incipientibus, in aqua Cardui benedicti, cum tantillo syrupi Granatorum vel Rubi Idæi dilutus, a gr. v. ad xv. vel etiam cum Cornu Cervi philosophice præparato remixtus: potentissime enim, inquit, sudores movet.

Corticis & summitatum Fraxini cinis nodulo exceptus, cauterii potentialis supplet vicem madefactus & impositus, ut testatur post Lobelium Simon Paulli, indeque foraminulum contractum reseratum, immisso Hederæ folio, fovetur.

Ramulus Fraxini recens avulsus & una extremitate igni commissus, altera exsudat liquorem seu aquam, quæ maxime commendatur in surditate.

Semen quod in Officinis pharmaceuticis Ornithoglossum, Orneoglossum, Lingua avis, Passerina & Anserina dicitur, quod avium linguam quodammodo referat, sale volatili acri nitroso turget, & diureticum est: propterea nephriticis & calculosis commendatur. Hujus seminis post plenam maturitatem exsiccatis pulvis ad ℥j. non tantum ad calculum, sed etiam ad icterum, & hydropem remedium præstantissimum a J. Rajo dicitur. Idem etiam sæpius ex vino Rhenano exhibitum ad obesitatem laudatur, nam corpore obesos ad maciem reducit. Insuper acrimonia sua veneris stimulos excitare dicitur. Cum nucleis pistaceis, pineis, & Saccharo miscetur, & comeditur.

Semen illud distillatum oleum fundit empyreumaticum, ab empyreumate per rectificationem liberandum, perquam acre, & potenter diureticum, & velut insigne antinephriticum a Glaubero *in sua Pharmacia Spagyrica*, magnopere laudatum. Semina Fraxini viridia, seu potius fructus collecti ante maturitatem in Anglia, narrante Rajo, muria ex aceto & sale condiuntur pro acetariis.

De antipathia inter serpentes & hujus arboris ramos foliaque Plinius mira refert. Tanta vis est, inquit, ut ne matutinas, occidentelve umbras cum sint longissimæ, serpens ejus arboris attingat, adeo eam procul fugit. Experti prodimus, si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius quam in Fraxinum fugere serpentem. At Camerarius contrarium se expertum scribit in serpentibus Germanicis: & Moyses Charas *in Observ. & Experimentis de Viperis* asserit se facto circulo e foliis Fraxini, qui habuerat circa tres pedes diametri, viperam vivam in eum immisisse, quæ folia nihil verita, illico sub iis sese occultatum ivit.

Ligni materies ad plurima utilis, quippe quæ obedientissima, tenacissima & durissima.

Fraxini semen usurpatur in electuario Diasatyrio *Nicolai Myrepsi*.

## FUMARIA.

Fumaria, & Fumus terræ, *Off.* Fumaria Officinarum, & Dioscoridis flore purpureo, *C. B. P.* 143. & *I. R. H.* 422. Fumaria vulgaris, *J. B.* 3. 201.

201. *Parkinſ. Raii Heſt.* 405. Fumaria , *Dod. Pempt.* 59. Capnos ; Fumaria , *Lobel. Icon.* 757. Fumus terræ , *Brunsfelſ. Thalii* : Herba melancholifuga , *Catalog. Altorffin* : Cerefolium felinum aut Columbinum nonnullorum , *Corbej. Pharmac.* 36. vulgo , *Fume terre* ou *Fiel de terre*.

Fumariæ radix tenuis, alba, modice fibroſa, recta dimiſſa: caulis nunc unus, nunc plures brachiati, anguloſi, inanes, glabri, colore partim purpurante, partim in albo virente. Folia ima ex longis pediculis, latiuſculis, & anguloſis tenuiter diſſecta ad umbellatarum fere modum, glauca, alternatim caulibus adnata. Flores congeſti in ſpicam, quæ non e folii ala oritur, ſed ex adverſa caulis parte, tenues, oblongi, polypetali, anomali, papilionaceorum æmuli, ex duobus tantum petalis conſtantes quaſi bilabiati, labio ſuperiori in caudam abeunte, cum inferiori ad pediculum conjuncto. Inter hæc labia velut in palato piſtillum poſitum eſt vagina obvolutum cum ſtaminibus aliquot apicibus donatis. Singulis floſculis ſinguli ſuccedunt fructus membranacei, cranio ſimiles, ſubrotundi, minutuli, in quibus ſemen parvum, ſubrotundum, ex nigro vireſcens, ſaporis amari, ingrati. In agris, & locis cultis ſponte naſcitur. Planta integra uſurpatur, præſertim florida.

Analyſi chymica, Fumariæ floridæ, demptis radicibus, ℔v. per retortam diſtillatæ præbuerunt humoris limpidi, odoris, & ſaporis fere expertis, obſcure acidi ℔j. ℥xv. ʒj. gr. lxvj. humoris primo limpidi, ſubacidi, deinde rufi, ac fuſci, odore, & ſapore panem ruſticanum referentis, ſub finem empyreumatici, manifeſte acidi, ac tandem intenſe acidi, auſteri ℔ij. ℥iiij. ʒvj. gran. xlviij. humoris fuſci, ſale volatili urinoſo copioſo impregnati ℥j. ʒiij. ſalis volatilis urinoſi ℈j. olei ſyrupi ad inſtar ſpiſſi ℥j. ʒvj. gr. xv. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iiij. ʒv. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvij. gr. iiij. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xxx. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. gr. xxvij. in calcinatione ℥ij. ʒvj. gr. xxxij.

Hæc planta intenſe amara eſt, & chartam cœruleam rubro colore inficit. Sale eſſentiali donatur ammoniacali cum aliqua ſalis mirabilis Glauberi portione, & multo ſulphure conjuncto.

Fumaria purgat bilem, & humores aduſtos, verum magna doſi exhibita. C. Hoffmannus ſuccum exhibet ab ℥v. ad ℥x. vel ℥xij. Ad alterandum ad ℥vj. propinari ſolet. Noſtrates verno tempore herbam integram floridam ad M. j. in ſeri lactis ℔j. leviter decoquunt, & decoctum percolatum cum ſyrupi Violarum ℥j. propinant. Diuturnam coctionem non fert; ea enim ſale ſuo volatili orbatur. Sanguinem fluidiorem efficit, humores tenaces potenter incidit, & ſenſim expurgat, obſtructiones aperit, ventriculum, & viſcera roborat, urinas, & menſes promovet. Hinc in cachexia, morbis chronicis, melancholicis, hypochondriacis, ictero, ſcorbuticis affectionibus plurimum commendatur. Freitagius *in Aurora Medicor.* dicit ſe hypochondriacis quos ſimul ſcorbutus affecerat, quique aliis remediis diu exagitati fruſtra fuerant, ſuccum Fumariæ, & Cochleariæ in ſero lactis caprilli, idque in primis verno tempore, cum ſucceſſu exhibuiſſe. Ettmullerus ſuccum Fumariæ recenter expreſſum cum ſucco Bugloſſi, & ſero lactis mixtum, & Vere mane calide ſumptum

ptum in morbis cachecticis & melancholicis commendat. Riverius *in Observ.* refert ſucci Fumariæ ℥iij. cuidam ictero laboranti & vomitu frequenti vexato propinatis, prima exhibitione vomitum fuiſſe cohibitum, eodemque remedio per aliquot dies continuato morbum omnino ſublatum fuiſſe.

In cutaneis affectionibus, ſcabie, pruritu, impetigine, ſerpigine, ſpecificum medicamentum audit. Simon Paulli ſcabioſiſſimos ejus ſimplici infuſo ex ſero lactis vel decocto ex cereviſia ſe reſtituiſſe aſſerit. Necnon virgunculam quamdam nobilem ſeptennem delicatulam, ſcabie infeſtatam, univerſalibus præmiſſis, ſequenti decocto non ingrato, paucis intermiſſis diebus fuiſſe reſtitutam refert.

♃. Herbæ Fumariæ M. j. Fragariæ, Cuſcutæ ana Mß. Radicum Taraxaci, Acetoſæ ana ʒij. Cinnamomi acuti ʒiij. Coquantur in ſeri Tamarindinati q. l. F. colatura, quæ clarificata edulcetur cum ſyrupi Berberis q. ſ. Pro ſingulis hujus decocti ℔. adde eſſentiæ Plantaginis ʒij. F. apozema ſumendum ad ℥vj. tertia vel quarta quaque hora.

Aqua ex Fumaria diſtillata ſervatur in Officinis, quam diureticam & ſudoriferam eſſe dicunt. Simon Paulli illam deficienti aquæ Cardui benedicti ſurrogare ſolebat. Alii hanc ſudoriferam virtutem illi denegant, niſi cum Theriaca vel Mithridatio conſocietur.

Camerarius ex Braſſavola obſervat hujus plantæ pulvere ſæpius exhibito quemdam a melancholia liberatum fuiſſe. Pulvis a ʒß. ad ʒj. exhibetur.

Conſerva Fumariæ in Officinis præparatur. Ad eoſdem uſus ad ℥ß. ſumitur.

Extractum quoque conficitur non exiguæ virtutis ad ʒß. vel ʒj. exhibitum. Cum cœteris extractis amaris in cachecticis affectionibus & viſcerum obſtructionibus optime conſociatur.

♃. Extractor. Fumariæ, Gentianæ, Abſynth. Centaur. minor. & Naſturtii aquatic. ana ʒj. Extractor. Elixir. propr. Paracelſ. Rhabarbar. & cortic. Peruvian. ana ʒjß. Croci martis aper. & cortic. malor. Aurantior. acrium pulverat. ana ʒß. Syr. Menthæ criſpæ q. ſ. M. F. opiata. Doſis ʒß. bis die.

Externe Fumariæ ſuccus vel aqua diſtillata oculis indita oculorum caliginem diſcutere vulgo creduntur. Idem ſuccus, in quo gummi ſolutum fuit, oculis illitus præcavet duplicaturam ciliorum. Ex ſuccis Fumariæ, Lapathi ſylveſtris, & Enulæ campanæ ſuper ignem inſpiſſatis cum axungia porcina mixtis unguentum conficitur adverſus ſcabiem & cutaneos affectus perutile.

Ex Fumaria ſyrupus ſimplex & compoſitus in Officinis nonnumquam reperiuntur.

Uſurpatur Fumaria in electuario de Pſyllio, Electuar. Sennato, Confectione Hamech, Syrupo de Cichorio compoſito.

## F U N G U S.

EX tot Fungorum generibus ſive innoxiis, ſive nocivis, de duobus tantum mentionem faciemus qui apud nos innoxie eſitari ſolent, quorum unus dicitur, Fungus campeſtris eſculentus vulgatiſſimus; alter vero Fungus vernus & eſculentus (*Mouceron*) nuncupatur. Quibus tertium genus adjiciemus ex nocivorum claſſe qui Fungus pulverulentus, Crepitus lupi, & Lycoperdon nuncupatur.

Fun-

Fungus campeſtris eſculentus vulgatiſſimus, Fungus ſativus equinus *Pariſienſium* : Fungus pileolo lato & rotundo, *C. B. P.* 370. *Inſt. R. H.* 556. Fungus campeſtris, albus ſuperne, inferne rubens, *J. B.* 3. 824. Fungi vulgatiſſimi, eſculenti, *Lobel. Icon.* 271. IX. Genus eſculentorum Fungorum, *Cluſ. Hiſt.* cclxviij. vulgo, *Champignon*.

Primo pullulatu globoſus eſt, poſtmodum paulatim explicatus, membranulas ſeu lamellas infra oſtentat rubentes, confertas : ſuberius inoffenſo lævore æquabilis & albus, materia intus candidiſſima, pediculo brevi, craſſo. Saporis & odoris eſt boni, primum e terra erumpens, ideoque antequam explicetur, colligendus eſt; nam vetuſtate vitium contrahit & noxius fit, gravem odorem contrahens & fuſcum colorem. Fungus ille vulgatiſſimus in ſylvis & in paſcuis ſponte paſſim creſcit, & poſt pluvias potiſſimum exit. In ſuburbanis hortis olitoriis, in pulvinis ex fimo equino & terra ſumma arte & induſtria conſtructis ac præparatis, colitur & uberrime provenit. Horum pulvinorum conſtruendorum & præparandorum ratio *in Commentariis Regiæ Scientiar. Academiæ Pariſienſis ann.* 1707. *pag.* 58. a clariſſ. viro D. Tournefort accurate enarrata reperitur.

Fungus vernus & eſculentus, *Mouceron* dictus, Fungus pileolo rotundiori, *Mouceron* dictus, *Inſt. R. H.* 557. Fungi verni, *Mouceron* dicti odori & eſculenti, *J. B.* 3. 823. vulgo, *Mouceron* ou *Mouſſeron*, quia ſub muſco communiter provenit & ſub eo latitat.

Primulum erumpentes hi Fungi, pediculis brevibus fibras deorſum agentibus capitula ſuſtinent Piſo magno æqualia : duodecuplo majorem molem niſi avellerentur, aſſecuturi ; ſed pediculus teres, & in imo criſpus vel rugoſus, ex terra non multum emergit. Cœterum cluſiles ſunt, rotundique in ſummo, ſubtus vero, qua inſtar tentorii reflexi, rimoſis e centro ad circumferentiam ſtriis donati : ubi penitus excreverunt, campeſtrium Fungorum inſtar expanduntur. Tota vero ſubſtantia intus foriſque candidi, guſtus gratiſſimi, odoriſque grati, & eapropter menſis lautioribus expetuntur.

Analyſi chymica, ex Fungorum campeſtrium, vulgatiſſimorum, eſculentorum, recentium ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, Fungorum odorem & ſaporem referentis, magis ac magis ingrati ac tandem paulisper urinoſi, obſcure alcali & ſubſalſi ℔j. ℥xiiij. ʒvij. gr. xx. humoris limpidi, minus odori & ſapidi, ſubſalſi ℔ij. ʒvj. humoris limpidi, ejuſdem odoris & ſaporis, ſubſalſi & alcali urinoſi ℥xj. ʒvij. gr. xij. humoris rufi, deinde fuſci, empyreumatici, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥j. ʒij. gr. xlvij. olei fluidi & limpidi ʒvj. gr. xlij. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒij. gr. x. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥j. ʒiiij. gr. lvj. quæ rite calcinata cinerum reliquit ʒvj. gr. xlviij. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒiij. gr. xxj. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ʒiij. gr. xxix. in calcinatione ʒvj. gr. viij.

Fungi ſalem ammoniacalem eſſentialem continere videntur cujus acidum ſale volatili urinoſo copioſo ſaturatum eſt, & cum oleo copioſo ac pauca terra conjunctum. Hæc principia magna phlegmatis copia diluuntur. Ex actuoſo illo ſale volatili, urinoſo, ammoniacali, oleoſo, ſapor & odor Fungorum ; unde etiam eorum corruptio vel putrefactio facilis.

Si

Si enim contusi sibi relinquantur ad putrescendum, in liquorem mucosum colliquescunt, qui nullas salis urinosi notas amplius præbet, sed salsi, & acidi salis evolutio. Urinosus enim sal volatilis avolavit.

Fungus nonnullis a *funere*, vel a *funus*, & *Ago*, vel a *Fungor* dictus videtur, quia veneno suo ad funus vescentes deducit. Quidquid sit de etymo, Fungus certe hoc nomine non immerito male audit, ut qui avide deglutientibus non raro funestus, & exitialis fuerit. Nam ut eos prætercam Fungos qui se noxios fatentur, & habitu ipso malitiam produnt; alii non pauci maligni cum sint, salubres simulant, adeoque incautos persæpe fallunt, & ad se colligendum invitant. Unde nos oblatorum salubritate securos esse non sinunt colligentium vel imperitia, vel incuria, vel forte etiam malitia. Quin & salubres, & esculenti habiti vitium facile contrahunt, vel ex genio loci ubi nascuntur, vel ex natura succi quem combibunt, vel ex putridorum aut venenatorum vicinia, & afflatu. Quod si nihil horum sit, consentientibus omnibus peritissimis Scriptoribus, vel optimi largius sumpti lædunt, ut qui pravum succum generent, ægre coquantur, strangulent, & bilis sursum, & deorsum eruptionem inducant. De his Athanasius Kircherus *L. de Peste* sic loquitur. Fungus qualiscumque sit semper malignus est, semper exitialium qualitatum apparatu instructus: etsi non statim sentiatur, frequenter tamen comesus, nescio quid tamen occultæ machinationis interiore viscerum administratione moliatur. Apagete ergo, inquit J. Rajus, isthæc gulæ blandimenta. Quæ tanta, ut cum Plinio loquar, ancipitis cibi voluptas? An usque adeo vitæ tædet, ut eam tam vili offa permutemus, mortemque semper in procinctu stantem sollicitemus.

Symptomata gravissima, imo letalia, quæ a deleteriis Fungis excitantur, sunt maxime vomitus, præcordiorum oppressio, & anxietas, strangulationis sensus, ventris tormina, cardialgia, diarrhæa, dysenteria, animi deliquium, frigidus sudor, singultus, tremor partium. Forestus *De Venenis Observ.* 2. *p.* 36. solo interdum odore eos comitialis similisque cerebri morbi, imo subitæ mortis causam extitisse scribit, & mulierem ex esu Fungorum in morbum gravissimum incidisse, & ab eo insanam permansisse refert. Hildanus *Centur.* 4. *Observ.* 35. memorat, symptomata pessima cuidam, qui manibus tantum Fungos versabat, accidisse.

Hæc symptomata quæ Fungi adeo celeriter in ventriculi, & intestinorum membranis, & fibris nerveis concitant a particulis salino-sulphureis, subtilibus, acribus, & causticis provenire videntur. Reipsa exsiccati, & bene cum aqua calida eloti non ita nocent, quia partes illæ acres causticæ exsiccatione vel lotione avolarunt aut extractæ fuerunt. Nonnulli etiam eorum noxam emendare putant aceto vel oleo quæ easdem particulas retundunt vel involvunt. Verum quocumque modo etiam sumptuosissimo præparati, ad fimetum unde oriuntur relegandi sunt, fugiendique cane pejus, & angue ab omnibus sanitatis studiosis. Si quis vero forsan venenatos comederit, nullum præsentius possem suadere auxilii genus, quam ut emeticum cum copioso lacte aut oleo bibat, quod & temperandæ acrimoniæ, & expellendæ ex ventriculi regione venenatæ materiæ erit accommodatissimum.

Fun-

Fungus pulverulentus, Crepitus lupi, & Lycoperdon, *Off.* Lycoperdon vulgare, *Inst. R. H.* 563. Fungus rotundus orbicularis, *C. B. P.* 374. Fungus orbicularis, *Dod. Descript. Pempt.* 484. Fungus pulverulentus, dictus Crepitus lupi, *J. B.* 3. 848. Fungus ovatus; Crepitus lupi, *Tragi*: vulgo, *Vesse de loup.*

Nullo fere conspicuo pediculo nititur: subrotundus est, nucis Juglandis plus minus magnitudine, membranosus, primo dum junior est, cute albicante subcinerea, eaque non lævi & æquali sed velut granulata tectus, includens pulpam initio mollem, candidam aut virescentem, deinde per tempus medullosam, levem, raram, spongiosam, lividam & veluti fuliginosam, quæ, dum corrumpitur, in tenuissimum, siccum, fœtidum, & gustu adstringentem pulverem abit. Calcatus crepitum edit, & fumum pulverulentum ac fœtidissimum emittit.

Alia species est hujus Fungi, quæ tantam assequitur magnitudinem, ut caput humanum facile æquet aut excedat, cute membranea satis firma cinctus, in principio ex albo cinerea, cum tempore livida, substantia lenta, rara: siccus adeo levis est ille Fungus, ut caput humanum mole æquans unciale pondus quandoque non excedat. Dicitur Lycoperdum alpinum, maximum, cortice lacero, *Inst. R. H.* 563. n. XXXVI. generis perniciosorum Fungorum species 3. *Clusii Hist.* cclxxxviij. Fungus maximus rotundus pulverulentus dictus Germanis *Pfofist*, *J. B.* 3. 848. Prior species in agro Parisiensi sponte provenit. Posterior in Alpibus, Germania, aliisve locis nascitur.

Analysi chymica, ex hujus Fungi recens collecti ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris primo limpidi, Fungorum odorem saporemque leviter referentis, obscure salsi, deinde rufescentis, alcali urinosi, ac tandem rufi, & sale volatili urinoso copioso imprægnati ℔iiij. ℥viij. ʒiij. salis volatilis urinosi concreti gr. xxxviij. olei fluidi ʒiiij. gr. xv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. ʒij. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum obscure cærulescentium ℥ij. gr. xxiiij. Lixivium horum cinerum per chartam bibulam transcolatum semper turbidum remansit, & ad tertias evaporatum glutinosum remansit & spissum pultis ad instar: tandem assiduo igne exsiccatum massam glutinis taurini similem reliquit siccam, quæ aeri exposita citissime humiditatem & lentorem contraxit: sicca pendebat ʒiij. gr. l. Saporem salsum referebat. Sal ille fixus non mere alcali, sed salsus, aliquam olei portionem retinere videtur, quam in diuturna calcinatione numquam deserit. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒv. gr. lv. in calcinatione ℥iiij. gr. xij.

Ille Fungus salem essentialem ammoniacalem continet multo sale volatili urinoso saturatum cum oleo tenui, acri, copioso, terraque adstringente permixtum.

Interne ob metum veneni non exhibetur. Externe adstringit, incrassat, & humida absorbet, & sanguinem sistentibus medicamentis annumeratur. Vulneribus unde sanguis prorumpit exsiccatus & pulveratus inspergitur, ulcera manantia exsiccat, hæmorrhoidum fluxum cohibet. Vetustiores & justam maturitatem adepti, exsiccati & omni pulvere vacui in Germania a tonsoribus omnibus asservantur ad hos usus. Oculis tamen pulvis iste inimicus est, vehementissimasque ophtalmias incaute inspersus producit.

## GALEGA.

GAlega, *Off.* Galega, vulgaris, floribus cœruleis, *C. B. P.* 352. Galega, *J. B.* 2. 342. *Dod. Pempt.* 548. *Raii Hist.* 911. Ruta capraria, Fœnum-Græcum sylvestre, *Tabern. Icon.* Caprago, *Cæsalp.* 249. vulgo, *Galega*.

Hinc inde per terram spargit tenues radices, lignosas, albas, fibratas, diuturnas, aliquot continuis annis primo vere regerminantes: caules vero tollit bicubitales & altiores, striatos, inanes, ramis compluribus brachiatos: folia Viciæ pinnata, impari alam claudente, longiora, spinulam mollem ex extremitate proferentia, sapore leguminaceo: flores pecularibus insident surculis ex foliorum alis exortis; jubam longam efficientes, penduli, papilionacei, colore albo, vel ex albo violaceo: quibus succedunt siliquæ teretes & quasi cylindracæ, tenues, longæ, erectæ, in quibus semina continentur plura, oblonga & veluti reniformia. In Italia sponte crescit: apud nos in hortis seritur. Herba usus est apud Italos crebrioris, apud nos vero rarioris.

Analysi chymica, Galega acidum phlegma copiosum, spiritus & salis concreti urinosi aliquantulum, mediocrem olei, exiguam vero terræ portionem præbet. Salem essentialem continere videtur ammoniacalem cum sulphure & terra adeo implicitum, ut mixtum mucaginosum constituat.

Celeberrimum dicitur alexipharmacum & sudoriferum, venenum, inprimis pestilentiale, potenter discutiens. Illius usus commendatur in petechiis expellendis, aliisque morbis pestilentialibus, ipsaque peste curanda, in morbillis, in epilepsia infantum, in ictibus serpentum & adversus lumbricos. Estur herba ipsa cruda vel cocta, vel succus ad cochlear unum aut alterum exhibetur: in jusculis & apozematibus alexitericis ad M. j. præscribitur. Fabulam de duello lacertæ & viperæ a Foresto *L.* 2. *de falso urinarum judicio c.* 5. *p.* 156. relatam, ad vim ejus alexiteriam & vulnerariam comprobandam, sedulo omisimus.

Ex tota planta florida contusa & vino albo macerata per sex dies, aqua distillatur, cui eædem virtutes tribuuntur. Ab ℥j. ad quatuor exhibetur.

## GALEOPSIS.

TRes plantæ sub hoc nomine in usum medicum veniunt, nempe Galeopsis sive Urtica iners, magna, fœtidissima; Galeopsis angustifolia fœtida; & Galeopsis sive Urtica iners flore luteo.

Galeopsis, Galiopsis, sive Urtica iners, magna, fœtidissima, *Off.* Galeopsis procerior, fœtida, spicata, *Inst. R. H.* 185. Lamium maximum, Sylvaticum fœtidum, *C. B. P.* 231. Galeopsis sive Urtica iners, magna, fœtidissima, *J. B.* 3. *App.* 853. Urtica herculea, *Tab. Icon.* 536. Galeopsis legitima Dioscoridis, *Parkins. R. H.* 548. Galeopsis vera, *Gerard. Emacul*: vulgo, *Grande Ortie puante*.

Radix sub terra reptat, fibras tenues e geniculis subinde dimittens. Caules inde exurgunt cubitales aut sesquicubitales, quadrati, hirsuti, inanes, ramosi.

ramosi. Folia ex adverso bina, Urticæ majoris nonnihil latiora, acuminata, innocua lanugine obsita, in ambitu serrata, pediculis longis insident, ea etiam quæ in caule sunt. In summis caulibus & ramulis flores in spicas longas, angustas, verticillis non admodum crebris compositas digesti, monopetali, labiati purpurei, quorum labium superius lineis albis picturatum cochlearis instar est excavatum, inferius vero in tres partes divisum, medio segmento obtuso, longo, utrinque reflexo, lateralibus parvis, brevibus, cum staminibus purpureis, odorem fœtidum, ac gravem spirantes. Ex calyce quinquipartito, brevi, patulo, surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina oblonga, mediocris magnitudinis, per maturitatem nigra, in imo calyce recondita. Odor totius plantæ fœtidus & ingratus admodum. Tota planta agri Parisiensis incola in usum venit.

Galeopsis odorem fœtidum bituminosum refert, saporem herbaceum subsalsum, aliquantisper adstrigentem. Ejus succus chartæ cœruleæ colorem non mutat. Unde salem ejus essentialem Cl. Tournefortius asserit sali terræ naturali similem, compositum ex sale ammoniaco, nitro & sale cibario, qui hac in planta multo viscoso phlegmati uti & sulphuri & terræ immixtum est.

Vulneraria est, tumores resolvit, & dolores demulcet. Infusum foliorum & florum a rusticis exhiberi solet in pleuritide, nephritide, & adversus scrophulas. Doctor Bovvles apud Rajum herbæ decoctum, vel ejusdem exsiccatæ pulverem commendat in affectibus lienis. Folia recentia contusa & phagedenæ imposita, eam brevi sanant. Oleum in quo folia & flores per aliquod tempus macerata sunt plurimum valet adversus ambusta & tendinum vulnera.

Galeopsis angustifolia fœtida, *Off.* Galeopsis palustris, Betonicæ folio, flore variegato, *Inst. R. H.* 185. Stachys palustris fœtida, *C. B. P.* 236. Galeopsis angustifolia fœtida, *J. B. 3. App.* 854. Stachys aquatica, *Tabern. Icon.* 377. Clymenum minus, *Dalechampii Lugd.* 1357. Sideritis Anglica strumosa radice, *Parkinson. Raii Hist.* 563. Panax coloni, & Marrubium aquaticum acutum, *Gerar:* Tertiola, *Cæsal.* vulgo, *Petite Ortie puante.*

Radice est geniculata, reptante, tumoribus inæquali & velut strumosa: caulibus bicubitalibus & tricubitalibus, modice rubentibus, hirsutis, asperis, quadratis, inanibus: foliis ex nodis binis ex adverso nascentibus, angustis, acuminatis, hirsutis, mollibus, adversa folii costa rubescente, nonnihil asperis, per ambitum serratis, odore gravi, sapore subamaro: floribus spicatis, verticillatis, monopetalis, labiatis, purpurascentibus, labello variegato: calyculo brevi, quinquipartito: seminibus quaternis, nigris, nitidis fere triquetris. In locis humidis sylvarum & secundum rivulorum ripas sponte nascitur.

Folia amara sunt & fœtida, & chartæ cœruleæ mutationem fere nullam eorum succus affert. Salem essentialem continere videntur ammoniacalem oleo multo implicitum.

Eædem huic tribuuntur virtutes quæ priori. Vulneraria est insignis. Gerardus hujus herbæ efficaciam in vulneribus sanandis, experientia cujusdam messoris Cantiani, qui crus sibi falce graviter vulneraverat, edo-

ctus,

ctus, miris illam præconiis celebrat. Folia tusa cum axungia porcina vulneribus recentibus imponit. Hinc nomen Panacis coloni. Paul. Hermannus syrupum ex ea paratum optimum esse remedium ad raucedinem perhibet. Adversus tertianas febres a Cæsalpino commendatur.

Galeopsis sive Urtica iners flore luteo, *Off.* Galeopsis sive Urtica iners flore luteo, *J. B. 3. 323. Inst. R. H.* 185. Lamium folio oblongo luteum, *C. B. P.* 231. Urtica iners tertia, sive Lamium luteo flore. *Dod. Pempt.* 153. vulgo, *Ortie morte a fleurs jaunes.*

Radice est inæquali, fibris plurimis majusculis stipata: caulibus longis, quadratis, infirmis, concavis: foliis binis, per intervalla oppositis, viridibus, longis, angustis: floribus ad genicula verticillatim caulem ambientibus, monopetalis, labiatis, luteis, galea ampla ad margines pilosa, quatuor staminibus albentibus cum apicibus luteis, & stylo purpureo, bicorni, e centro calycis in medio quatuor seminum egresso. Rarius in usum venit, nonnunquam Lamio vulgari albo substituitur.

Adversus alvi fluxus & fluorem album mulierum commendatur. Urinam promovet & lienis morbis medetur sive externe admota, sub forma cataplasmatis, aut decoctum ejus intus sumptum.

Aliæ plures plantæ sub Galeopsidis nomine apud Medicos auctores reperiuntur, ut Lamii species nonnullæ, de quibus suo loco.

## G A L L I U M.

Gallium duplex in Officinis, luteum & album.

Gallium & Gallium luteum, *Off.* Gallium luteum, *C. B. P.* 335. *Inst. R. H.* 115. Gallion verum, *J. B.* 3. 720. Gallium, *Dod. Pempt.* 355. vulgo, *Caillelait* ou *Petit Muguet.*

Radicula donatum est longo tractu repente, tenui, lignosa, fusca: ex qua virgulæ surgunt dodrantales & cubitales, tenues, subhirsutæ, quadratæ, in apricis rubentes. Folia ad genicula ex intervallis radiatim cauliculos ambiunt longa, angusta, tenuia, mollia, obscuro virore nitentia, quina & novena plerumque. Ad singula etiam genicula bini plurimum ramuli, in quibus, ut & in summis caulibus, flores copiosi in racemulos digesti, parvuli, monopetali, campaniformes, patentes, quadrifidi, lutei, odore suaves: quorum calyx abit in fructum ex gemellis seminibus constantem siccis, subrotundis. Summitates floridæ in usum veniunt.

Analysi chymica, ex Gallii lutei floridi & recens lecti ℔iiij. ℥iiij. prodierunt humoris limpidi, plantæ odorem saporemque aliquantisper referentis, obscure acidi ℥x. ʒvj. gr. xxxvj. humoris primo acidi manifesti, deinde intensi magis, ac magis, subausteri, ac tandem rufescentis, empyreumatici, intense acidi & intense austeri ℔ij. ℥x. gr. xxx. humoris alcali, urinosi, volatilis ℥ij. ʒiiij. gr. xlviij. olei spissi ad instar extracti ℥ij. ʒj. gr. xlviij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒiij. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥ij. ex quibus salis fixi alcali ʒij. gr. xx. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒvij. gr. xviij. in calcinatione ℥v. ʒiij. gr. xxxvj.

Gallii lutei florum succus chartam cœruleam rubro colore tingit, &

lac cogit: Gerardus Castrienses circa Nantvicum Angliæ oppidum, ubi laudatissimus conficitur caseus, coagulo suo Galli lutei summitates floridas immittere solere tradit, & multo pluris facere caseos eo coactos, quam alios quoscumque.

Acetum ex his summitatibus Olaus Borrichius distillatione elicuit hoc modo. Recentissimas Gallii lutei comas floridas, ad manipulos aliquot lectas cucurbitæ vitreæ commisit, & subito subjecto igne invitavit ad distillandum, ne quam ab aere aut mora subirent mutationem. Primo stillatitius liquor prodiit pene insipidus, odore tamen fragantes Gallii flores non parum referens. Post unam circiter liquoris hujus unciam, successit acetum non ingrati saporis ad uncias propemodum tres: tandem validiori igne admoto subsecutum est cum liquore acido oleum flavum ad drachmas pene duas, nec illud admodum ingrati odoris. Hoc acetum ferventi infusum lacti, illud statim coegit & seri a caseosis partibus separationem quam ab aceto vulgari infuso experimur, effecit.

Gallium igitur luteum acido, subtili, & volatili oleo essentiali commixto abundat. A neotericis adversus epilepsiam commendatur plurimum. Ejus pulvis ad ʒj. exhibetur, succus ad ℥iiij. vel decoctum manipuli unius in aq. ℔j. quotidie mane propinatur, jejuno ventriculo.

Insuper herba aut pulvis ipsius hæmorragiam & sanguinis profluvia sistit. Nonnulli adversus podagram ejus infusum ad modum Theæ propinant.

Externe herba recens, tusa & imposita sacris ignibus & ambustis medetur. Naribus indita sanguinis profluvia sistit. Mulierculæ, inquit Tragus, Gallii decocto infantes arida ac exigua scabie laborantes abluunt, asserentes singulare id esse adversus eam experimentum.

℞. Pulver. Galli lutei & conserv. flor. Pœon. mar. ana ℥j. Radicis Valerianæ sylvestris ʒvj. Pulver. de Gutteta ℥ß. Myrrhæ & pulver. Lumbricor. terrestrium ana ʒij. Cum syrupo de Stæchade fiat opiata Dosis. ʒij. aut ʒiij. mane & sero.

Usurpatur in unguento martiato *Nicolai*.

Gallium album, *Off.* Gallium album vulgare, *Inst. R. H.* 115. Mollugo montana angustifolia, vel Gallium album latifolium, *C. B. P.* 334. Gallium album, *J. B.* 3. 721. Mollugo vulgatior herbariorum, Gallion album quorumdam *Lobel. Icon.* 802.

Hæc a priori differt foliorum magnitudine, florum albo colore. Rarioris est usus: Gallio luteo deficienti substituitur. Eidem vis antiepileptica tribuitur.

## GENISTA.

Genistæ species duæ in officinis usurpantur, scilicet Genista vulgaris & Genista Hispanica.

Genista vulgaris *Off.* Cytiso Genista scoparia vulgaris, flore luteo, *I. R. H.* 649. Genista angulosa & scoparia, *C. B. P.* 395. Genista angulosa trifolia, *J. B.* 1. 388. Genista, *Dod. Pempt.* 761. vulgo, *Genet commun.*

Fruticosa stirps Genista est, interdum hominis staturam attingens: radicem habet duram, lignosam, lentam, flexilem, luteam, fibris quibusdam obliquis subinde stipatam: caudices tenues, lignosos, a quibus plurimæ tenues spar-

gun-

guntur virgulæ, angulosæ, virentes, lentæ, & flecti nectique faciles, non raro quoque in alas divisæ; circa quas folia exigua, crebra, hirsuta, obscure virentia, priora trina, alia simplicia, acuminata. Flores virgulis quoque adnascuntur eleganti colore, lutei, papilionacei, staminibus recurvis cum apicibus croceis: quibus succedunt siliquæ compressæ, latæ, per maturitatem nigricantes, in duas partes dehiscentes, seminibus fœtæ planis, duris, subrufis, & quasi reniformibus. In agro Parisiensi sponte nascitur. Tota planta, flores, semen usurpantur.

Analysi chymica, phlegma acidum, austerum præbet, olei, & terræ mediocrem portionem, nonnihil salis volatilis urinosi, haud parum salis alcali fixi; odorem fœtidum ad Sambucum vel ad olei empyreumatici odorem accedentem spargit. Ejus folia amara sunt, neque chartæ cœruleæ colorem mutant. Unde C. Tournefortius concludit hanc plantam salem essentialem continere sali naturali terræ similem cum oleo fœtido plurimo intime permixtum. Exinde vero, & amaritie insigni aperit, abstergit, attenuat, hepatica, splenitica, & nephritica dicitur. Folia, ramuli, & summitates Genistæ cocta in vino aut aqua, eorumve succus utilia sunt hydropicis, & omnibus obstructionibus renum ac vesicæ: partim enim purgant serosos humores per alvum, partim per urinas. Purgat Genistæ semen non minus potenter fere quam Spartium aut Helleborus, ʒjß. pondere ex hydromelite ventriculo jejuno sumptum. Quare Matthiolus illud utiliter exhiberi putat adversus podagram. Idem confirmat Lobelius, seminæ Genistæ scopariæ vomitum non secus ac Spartio Dioscoridis sæpius ℥ij. decocto propinato citra magnam contentionem se movisse scribens. Pulvis seminum cum hydromelite dosi ʒj. exhibitus in liene tumido, hydrope, ictero utroque a J. Rajo commendatur. Flores, inquit Ettmullerus, si in decocto propinentur, per inferiora educunt; si in substantia, vomitum cient. Verum flores recens decerptos sæpissime quamplurimos, & per se acetariis inditos vorat, narrante Lobelio, plebecula Arverniæ, & Aquitaniæ, maxima copia innocuos non modo, sed etiam admodum gustui suaves: nec quicquam vomitionis aut nauseæ vel commotionis movere solent. Quin apud Brabantos, & Anglos non minus, gemmantes, dum adhuc virides sunt, condiuntur sale, & aceto flores, mensisque inferuntur, capparum olearumve pari commendatione. Creduntur enim non modo cordi vires, ac stomacho appetitum augere, sed etiam obstructiones reserare ac calculum frangere. Tunc forte vis eorum vomitoria ab aceto infringitur.

Paratur ex Genistæ ramulorum ac virgultorum aridorum, & combustorum cinere cum vino tenui albo lixivium quod ad cachexiam, & leucophlegmatiam a nonnullis valde celebratur, & potenter quidem serosos humores cum urina per vesicam pellit. Sed acrimonia sua, inquit Dodonæus, interna viscera quandoque & lædit, & exedit, quod quidem ipse in hydropico observavi post paracenthesim. Vulnusculum enim ejus non solum non coaluit, sed inflammatum, & ulceratum fuit, quamdiu hoc usus est lixivio. Observat etiam Ettmullerus cineres caute nec adeo vehementer calcinandos esse, ita ut sal salsus maneat: tunc enim nonnihil oleosarum partium retinet, quibus ejus vis caustica demulcetur, & irretitur.

Extractum florum a Cl. Tournefortio commendatur ad ventriculum robo-

randum, & adhibetur in suis pilulis balsamicis. Verum cum incertæ admodum sint illius extracti vires, satius est ab eo abstinere, cum longe præstantiora in officinis reperiantur stomachica medicamenta.

Genista Hispanica, *Off.* Genista juncea, *J. B.* 1. 395. Spartium arborescens, seminibus Lenti similibus, *C. B. P.* 396. Spartium Dioscoridæum, Narbonense & Hispanicum *Lobel. Icon.* 91. Genista Hispanica Gerardi *Raii hist.* 1726. Spartium Hispanicum, frutex vulgare *Parkins*.

Frutex ad hominis proceritatem assurgit, caule brachiali, vimina profert juncea, tertia, obsequiosa, viridantia, ad glaucum accedentia: per quæ dum floret & novella adhuc planta est, sparsa sunt rara quædam folia, oblonga, angusta, Oleæ foliis similia, decidua, ramis fere concoloria. Flores in summis ramulis velut in spica oriuntur multi, papilionacei, ampli, aurei, odoratissimi, gustu dulces, pistillo in siliquam abeunte bivalvem, surrectam, uncias quatuor vel quinque longam, compressam, aliquantulum incurvam, colore fere Castaneæ; in qua semina continentur nonnumquam ad viginti, sæpius pauciora, compressa, reniformia, rubentia, lucida, sapore leguminoso Pisorum sarum sapori æmulo. In Gallia Narbonensi sponte crescit. Hic in hortis colitur.

Viribus cum Genista vulgari convenit, qua tamen efficacior censetur.

## GERANIUM.

Ex tot Geranii speciebus cognitis tres potissimum in usum medicum veniunt, nempe Geranium Columbinum, Geranium Robertianum, & Geranium Sanguineum.

Geranium Columbinum, *Off.* Geranium folio Malæ rotundo, *C. B. P.* 318. Geranium folio rutundo, multum serrato, sive Columbinum, *J. B.* 3. 473. Pes Columbinus, *Dod. Pempt.* 61. Geranium Columbinum Gerardi *Raii histor.* 1059. *Tab. Icon.* 56. vulgo, *Bec de Grue*, *Pie de Pigeon*.

Radice est alba, simplici, surculosa, caules emittente plurimos, dodrantales & altiores in terram reclinatos: foliis Malvaceis in plura segmenta, (septem plerumque insigniora, aut saltem quinque in summis caulibus) divisis, minoribus tamen, candidioribus, minus glabris, ambituque serratis, longis pediculis fultis. Flores bini in eodem surculo nascuntur, prope summitates caulium & ramulorum ex adverso plerumque foliorum siti, parvuli, hilari purpura nitentes, pentapetali, rosacei. Ex singulorum calyce surgit pistillum, quod deinde abit in fructum rostratum, quinque striis per longitudinem incisum, quibus totidem adhærescunt capsulæ, in longam, tenuem, acuminatam, fere semiuncialem caudam rostri gruis instar desinentes, tenues, nonnihil pilosæ, per maturitatem a basi ad apicem extrorsum se revolventes, singulæ singulo semine fœtæ, oblongo, per maturitatem fusco.

Geranium Robertianum & Herba Roberti, *Off.* Geranium Robertianum primum, viride, *C. B. P.* 319. Geranium Robertianum murale, *J. B.* 3. 480. Geranium Robertianum, *Dod. Pempt.* 62. Gratia Dei, Geranium quibusdam *Tragi*: Sideritis tertia Gesneri *Columm.* Rupertiana vulgo,

*Cæ-*

*Cæsalpin.* 559. Herba Ruperti, & Geranium secundum Dioscorid. *Lugd.* 1278. vulgo, *Herbe a Robert.*

Ex radice tenui, colore buxeo, caules surrigit dodrantales, & cubitales, hirsutos, geniculatos, rubentes, maxime circa articulos, & prope terram, ramosos, & nonnullis pilis obsitos. Folia promit partim a radice, partim ex geniculis, hirsuta, pediculo rubente, hirsuto, Matricariæ fere divisura, segmentis primariis dumtaxat tribus, odore, ubi teruntur, Pastinacæ, sapore adstringente, per oras aliquantulum rubentia, interdum tota. Flores purpurei, dilutione purpura striati, pentapetali, rosacei, e calyce hirsuto, atrorubente, quinquepartito exeunt; apicibus in medio croceis, succedunt rostra mucronata, cum seminibus priori similibus. Tota herba est odore gravi satis, attamen haud injucundo.

Geranium sanguineum, & sanguinaria, *Off.* Geranium sanguineum maximo flore, *C. B. P.* 318. & *Inst. R. H.* 267. Geranium sanguineum, sive Hæmatodes, crassa radice, *J. B.* 3. 478. Geranium septimum, Αἱμα-τῶδες *Clus. hist. cij.* Sanguinaria radix, & Geranium tertium *Tragi*, 548. Geranium sanguinarium, *Taber. Icon.* 774.

Crassa hæret radice, rubra, multis, longis, crassiusculis appendicibus aucta, aliquot fibris donata, novas sub terram propagines singulis annis ad latera spargente, quæ non modo fibras similiter agunt, sed etiam crassioribus radicibus interdum sese firmant: caules emittit plures, cubitum altos, rubentes, hirsutos, geniculatos, in multas alas divisos. Ad singulos nodos bina nascuntur folia circumscriptione rotunda, sed in quinque lacinias, trifidas plurimum, ad pediculum fere dissecta, hirsuta, superne virentia, subtus canescentia, sicco, & adstringente sapore prædita. Ex superioribus alis oblongi nascuntur pediculi, unicum sustinentes singuli florem, inter reliqua Geranii genera maximum, Cisti maris flori ferme parem, colore eleganti rubro, quinque foliis compositum, decem intus staminulis, quæ quinque nervosis, hirsutis, viridantibus foliolis subtus natis suffulciuntur. Rostra suboriuntur pentagona, semen intumescentibus utriculis seu torulis continentia, quod maturum cum sonitu exilit, circumvolventibus se utriculorum mucronibus.

Geranium columbinum in pratis, & hortis frequens nascitur; Robertianum in veteribus muris, cœsis arboribus, aggeribus sepium, & locis ruderatis passim provenit; Sanguineum vero in sylvis, & dumetis sæpius occurrit. Tres illæ Geranii species sæpe indiscriminatim sumuntur, sæpius tamen Robertianum.

Analysi chymica, ex Geranii Robertiani floridi, demptis radicibus ℔v. per retortam distillatis, prodierunt humoris limpidi, primo odoris, & saporis herbacei, deinde subacidi ℥ix. ʒj. gr. xxvij. humoris primo limpidi, deinde rubescentis magis ac magis acidi, subausteri, odorem, & saporem panis rusticani referentis, ac tandem austeri ℔ij. ℥x. ʒvj. gran. xlij. humoris fusci, sale volatili urinoso aliquantisper impraegnati, & intense austeri ℥j. ʒiiij. gr. xviij. olei adiposi ʒvij gr. x. Massa nigra residua pendebat ℥iij. ʒv. gr. xxv. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. gran. lx. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiiij. gran. xij. extracta sunt Partium jactura in distillatione fuit ℥v. ʒvij. gr. xxij. in calcinatione ℥ij. ʒiiij. gr. xxxviij.

Geranii Robertiani folia ſapore ſtyptico, ſalſo, acidulo donantur, chartam cœruleam rubro colore tingunt, Bitumen aut Petroleum redolent. Ex his liquet, ſalem eſſentialem in hac planta contineri aluminoſum cum aliqua olei fœtidi portione, & modico ſale ammoniacali conjunctum.

Robertianum Geranium inſigne vulnerarium eſt, & adſtringens, & præ cæteris temperatum, inquit Ettmullerus; unde in portionibus, & decoctis vulnerariis frequenter uſurpari ſolet. Potenter quoque reſolvit, ſanguinis fluxum ſiſtit, ipſumque ſanguinem coagulatum reſolvit, vulnera, & ulcera mundificat. Vinum in quo folia contuſa per noctem macerata fuerunt, hæmorrhagias quaſcumque ſiſtit. Ejus pulvis ad ʒj. in vino generoſo ſumptus ad uteri flatus diſcutiendos multum prodeſt.

Externe in catharris, & tumoribus ſub cataplaſmatis forma folia contuſa, ſive in vino cocta parti dolenti utiliter admoventur. Tumores pedum œdematoſos reſolvunt contuſa, & cum ſale, & aceto ſubacta. Uſus eſt vulgo, inquit J. Rajus, ad eryſipelata, mammarum, & pudendorum ulcera, & vulnera. Ettmullerus ejus ſuccum ſubactum cum pauxillo Terebinthinæ in balſami formam commendat, quod applicatum ea tuto, cito, & jucunde curat. Fabricius Hildanus aſſerit ſimplex ejus decoctum mammis cancroſis applicari ſæpe non infelici ſucceſſu.

Geranii ſanguinei folia ſtyptica ſunt, & ſubſalſa. Chartam cœruleam rubro colore vivido, æque ac alumen, inficiunt: itaque vis ejus vulneraria pendet potiſſimum ab aluminoſo ſale cum magna ſulphuris, & terræ copia, & tantillulo ſalis volatilis concreti.

Hujus plantæ folia utiliter uſurpantur in decoctis, & juſculis vulnerariis, & ad catharros cohibendos.

Geranii Columbini folia palato ſaporem referunt herbaceum, ſalſum, ſtypticum, & glutinoſum: chartam cœruleam rubro colore tingunt: ſalem eſſentialem aluminoſum obtinent in viſcido phlegmate dilutum. Syrupus ex eorum ſucco paratus a Cl. Tournefort. adverſus dyſenteriam commendatur. Ejus extractum ad idem valet. Ejus folia in potionibus, decoctis, emplaſtris, oleis, & unguentis adverſus contuſiones, & vulnera uſurpantur: herba quocumque modo exhibita ſanguinem undecumque manantem mirum in modum compeſcit.

## G N A P H A L I U M.

PLantæ duæ genere diverſæ ſub Gnaphalii nomine in uſum medicum veniunt, Gnaphalium Pes cati dictum, & Gnaphalium vulgare ſeu Filago.

Gnaphalium, Pes cati, Æluropus, Hiſpidula, *Off.* Elychryſum montanum, flore majore purpuraſcente, *Inſt. R. H.* 453. Piloſella major quibuſdam, aliis Gnaphalii genus, *J. B.* 3. 162. Gnaphalium montanum flore rotundiore, *C. B. P.* 263. Gnaphalium montanum ſuaverubens, *Lobel. Icon.* 483. Auricula muris *Lonic.* Lagopiron Hippocratis, *Geſner*: Gnaphalium montanum Gerardii *Raii hiſtor.* 283. Gnaphalium montanum ſive Pes cati, *Parkins*: Lagopus ſecundus *Tragi* 332. vulgo, *Pied de Chat.*

Ra-

Radicibus fibrosis hinc inde repit & humi fundit circumcirca appressa fere terræ folia oblonga, cum acumine rotundiore, dilute virentia, incana lanugine obsita inferna parte: inter quæ surgunt caules palmares aut dodrantales tomentosi, candicantes, foliis vestiti longis, angustioribus, e quorum cacumine glomerati pendent flores multi flosculosi, plurimis scilicet flosculis constantes, stellæ ad instar divisis, embryoni insidentibus & calyce comprehensis squamoso, splendido, Embryo autem deinde abit in semen pappis instructum.

Hujus duæ habentur species, altera flore majore, & squamulis latioribus, altera flore minore, squamulis angustioribus: utraque floris colore albo & purpureo variat. In agro Parisiensi sponte nascuntur, & delectantur montosis herbidis & vento perflatis. Flores in primis usurpantur.

*Analysi* chymica, ex Gnaphalii floridi ℔iijß. demptis radicibus per B. V. distillatis prodierunt humoris primo insipidi, deinde obscure acidi ℔ij. ℥v. ʒiij. gr. xlviij. Massa residua per retortam distillata præbuit humoris limpidi, manifeste acidi & subausteri ʒvij. gr. lx. humoris fusci, sale urinoso impraegnati & intense austeri ℥ij. ʒiiij. gr. lvj. olei adiposi aqua gravioris ℥ij. ʒv. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒj. gr. xxxvj. quæ per tredecim horas calcinata reliquit cinerum albicantium ℥iij. ʒj. gr. vj ex quibus lixivio salis fixi leviter alcalini ʒj. gr. lviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥v. gr. lij. in calcinatione ℥iiij. gr. xxx.

Pes cati succum obtinet lentum & viscidum, constantem sale essentiali, vitriolico, ammoniacali, sulphure copioso, & multo phlegmate.

Inter moderate refrigerantia, seu incrassantia efficaciter adstringentia, & agglutinantia reponitur, atque idcirco herba vulneraria adstringens perhibetur: cujus usus commendatur ad pulmonum affectus, qui ob imbecillitatem, laxitatem nimiam, & continendi sanguinis impotentiam oriuntur. Tussim sedat, humorum acrimoniam demulcet, expectorationem promovet, pectoris infarctus resolvit, sanguinem sistit, pulmonum exulcerationem præcavet, ulcera abstergit & consolidat. Maxime vero his convenit, quibus a capite, ac aliis partibus fit fluxio in thoracem, & quibus pulmones pituitoso humore multo infarciuntur. Humoris enim irruentis impetum cohibet, crassitiem digerit, partem affectam roborat & expectorationem movet, in sputo nimio & cruento, dysenteria utiliter adhibetur infusum & decoctum ejus vel syrupus ex eo confectus, tum simplex, tum compositus:

Conditum ex floribus paratum in officinis præparatur ad eadem utile.

Gnaphalium vulgare, Filago, Herba Impia, *Off.* Filago seu Impia, *Dod. Pempt.* 66. *Inst. R. H.* 454. Gnaphalium Germanicum, *J. B.* 3. 158. Gnaphalium vulgare majus, *C. B. P.* 263. vulgo, *Herbe a Cotton.*

Plures ex eadem radice fibrata & capillata caules surrigit tenues, semipedales & dodrantales, plurimum erectos, teretes incanos, & lanugine obsitos, summa parte ramosos, foliis vestitos creberrimis, nullo ordine positis, pariter lanuginosis, angustis, oblongis, florum globuli tum in extremis ramulis, tum in ipsis angulis quos ramorum divaricationes efficiunt, sessiles, e pluribus floribus stipatis coagmentatis nascuntur. Sunt autem flores qui globulos hosce componunt & ipsi compositi e flosculis ob exiguitatem suam ægre visibilibus, quinquefariam divisis, embryoni insidentibus & calice

squa-

ſquamoſo, ſed nequaquam ſplendente aut ſpecioſo comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum.

Filago rarius in uſum venit: vulneraria & adſtringens exiſtimatur. A nonnullis Pedi cati ſubſtituitur ad cruentam exſpuitionem in pleuritide. Decoctum manipuli unius in aq. comm. ℔ij. præſcribitur. Dodonæus exſiccantem facultatem & nonnihil adſtringentem illi tribuit. Hinc fortaſſe, inquit J. Raius, hæmorrhagiis, dyſenteriæ, nimio menſium fluori, atque etiam anginæ conducit. Aquam ab hac planta diſtillatam ad cancrum, præcipue mammillarum utiliſſimam Dodonæus aſſerit: quippe quæ cum linteolis ſemel in die impoſita occultos cancros continet, ne exulcerentur. Sunt vero, inquit, qui Aſari foliis hujus aqua madefactis non infeliciter ad cancros reprimendos utuntur.

Lobelius occiduæ Angliæ plebem herba contuſa oleo macerata & cocta, ad livores, concuſſiones, cæſa & verbera feliciter uti ſcribit.

## GRAMEN.

DUÆ Graminum ſpecies uſurpantur in officinis, Gramen caninum & Gramen Dactylon.

Gramen caninum vulgare, *Off.* Gramen loliaceum radice repente, ſive Gramen officinarum, *Inſt. R. H.* 516. Gramen caninum arvenſe, ſive Gramen Dioſcoridis, *C. B. P.* 1. Gramen repens officinarum forte, triticeæ ſpicæ aliquatenus ſimile *J. B.* 2. 457. Gramen caninum arvenſe, ſive primum, ſive Gramen Dioſcoridis & officinarum, *C. B. Theatr.* 7. Gramen, *Dod. Pempt.* 558. Gramen caninum, ſive Canarium primum, *Tabern. Icon.* 301. vulgo, *Chiendent.*

Radicibus eſt candidis, nonnihil flaveſcentibus, longe lateque repentibus, geniculatis per intervalla, lineam aut ſeſquilineam craſſis, ſibi invicem implicitis, ſapore ſubdulci, cum aliqua ſtypticitate. Culmi ad duos pene cubitos aſſurgunt recti, nodoſi, foliis donati quatuor vel quinque in eodem culmo, e totidem geniculis exeuntibus, baſi caulem inſtar vaginæ ambientibus, palmum ſuperantibus, anguſtis, tres lineas latis, & in exquiſitum mucronem abeuntibus. Flores ſpicatim ſummo culmo inſident ſtaminei, per duos verſus digeſti, cum ariſtis brevioribus & ſeminibus oblongis fuſcis, ad Tritici formam accedentibus. In agro Pariſienſi frequens naſcitur.

Gramen Dactylon, *Off.* Gramen Dactylon, radice repente, ſive officinar. *Inſt. R. H.* 520. Gramen repens, cum panicula Graminis mannæ, *J. B.* 2. 459. Gramen Dactylon, folio arundinaceo, majus, aculeatum forte Plinio, *C. B. P.* 7. Gramen legitimum, *Cluſ. hiſtor.* ccxvi.

Ex radicibus perennibus, longis, nodoſis, geniculatis, candicantibus, longe lateque ſerpentibus, ſubinde plurimis locis germinantibus, fibras parvas ex ſingulis geniculis ſpargentibus, ſapore ſubdulci, culmi, pedales, Canino breviores ſæpe rufeſcentes, rotundi, geniculati aſſurgunt: e quibus folia in ima parte mutuo amplexu ſtipata prodeunt, brevia, anguſta, hirſuta, in ſuperna culmorum parte longiora. Culmi ſeu calami in quaternas, quinas, nonnumquam ſenas ſpicas virides, per maturitatem nigricantes, ali-

aliquando ex atro purpureoque colore mixtas, desinunt: quarum utriculi brevibus aristis donati, sæpe ab una parte costæ propendent, dorso libero existente. In agro Parisiensi minus frequens occurrit quam Caninum, uberrime crescit, meridionalibus in Galliæ regionibus. Utriusque Graminis radices indiscriminatim usurpantur.

Analysi chymica, ex radicum Graminis canini exsiccatarum ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi fere insipidi, & inodori, obscure acidi ℥x. gr. xxxvj. humoris primo subacidi, deinde manifeste acidi, & subausteri ℔j. ℥ij. gran. xxx. humoris rufi, odoris, & saporis empyreumatici, subsalsi, intense acidi, & intense austeri ℔j. ℨvij. gr. xij. olei ℥ij. ℨij. gr. xlviij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℔j. ℥iiij. ℨvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ℨij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ℨiiij. gr. l. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥xj. ℨvij. gr. xviij. in calcinatione ℔j. ℥ij. ℨiiij.

Radices Graminis saporem obtinent subdulcem, aliquantisper saccharinum cum aliqua adstrictione. Salem continere videntur essentialem sali coralliorum analogum cum multo sulphure permixtum.

Refrigerant moderate, aperiunt, & subabstringunt: urinas blande movent, absque irritatione, ad obstructiones hepatis, lienis: maxime si febres ex iis scaturiunt, item ad calculos renum pellendos valent. Ubi est insignis viscerum dyscrasia calida, cum eorumdem obstructione plurimum comendantur; C. Hoffmannus enim observat eas sine calefactione opus suum perficere, & simul cum levi adstrictione partium solidarum tonum firmare. Iis frequenter utimur in ptisanis, decoctis, & jusculis diureticis, & aperientibus, ad hepatis, & lienis infarctus resolvendos. Ettmullerus post Sylvium refert occasionem hujus effectus suggestam fuisse ab experientia in bobus, qui hyemali tempore fere obstructioni folliculi fellei ductusque ejus cystici, vel a mucilagine viscosa, vel concremento calculoso obnoxii sunt: ast æstivo tempore esu Graminis iterum curantur, & liberantur. Earumdem decoctum a nonnullis quoque ad enecandos, & abigendos infantum lumbricos usurpatur.

Fridericus Hoffmannus plurimum laudat decoctum verno tempore paratum ex radicibus recentibus Graminis, Cichorii, Petroselini, Asparagi, & Urticæ minoris cum foliis, pro hypochondriacis, & atrophia laborantibus ex venarum lactearum obstructione.

In cruenta exspuitione succus radicum, & foliorum utiliter usurpatur.

Earumdem radicum aqua distillata infantibus propinatur ad eorum vermes necandos. Earum quoque verno tempore collectarum, & exsiccatarum, pulvis ad ℨj. exhibitus a nonnullis ad lumbricos, necnon etiam & in rachitide præscribitur.

♃. Rutæ murariæ, Polytrici, & radicum Graminis canini exsiccatar. & pulveratar. ana p. æq. F. Electuar. cum syrup. de 5. rad. aper. Dosis ℨj. bis die, in rachitide.

♃. Radicum Gramin. mundatarum, contusarum, & minutim concisar. M. j. Glycyrrhiz. exsiccatæ rasæ, & contus. ℨj. Coquantur in ℔iiij. aq. comm. ad ℔iij. Sub finem adde nitri purificati ℨß. Fiat ptisana pro potu solito ad urinam promovendam, & viscerum ac sanguinis æstum temperandum.

Ra-

Radix Graminis usurpatur in syrupo de Ibisco *Fernelii* & syrupo de 5. radicibus aper.

## GRATIOLA.

GRatiola, *Off.* Digitalis minima, Gratiola dicta, *Morisson. hist. Oxon.* p. 2. 479. *Inst. R. H.* 165. Gratiola centauroides, *C. B. P.* 279. Gratiola, *J. B.* 3. 434. *Dod. Pempt.* 362. Gratia Dei, *Cæsalpini* 365. Gratiola vulgaris, *Parkins*: Gratia Dei, cujus semen Gelbenech, Papaver spumeum forte *Anguillar*: Limnesium sive centauroides *Cordi*: vulgo, *Gratiole, herbe a pauvre homme.*

Radicibus est oblique repentibus, albis, geniculatis, fibrisque multis deorsum vergentibus stipatis: quæ caules emittunt erectos, crebris geniculis distinctos, sesquidodrantales & longiores: in quibus folia bina ex adverso nascuntur unciam superantia, semiunciam lata, glabra, venosa & intense amara. Ex eorum alis emergunt flores singulares, monopetali, tubulati, posterius perforati, flavescentes, & lineis fuscis virgati, cornu modo incurvi, octo lineas longi, tres lineas crassi, anterius hiantes & in duo labia divisi dilute purpurascentia: labium autem superius quasi cordiforme & sursum reflexum, inferius tripartitum. Calyx monotomos, in quinque partes divisus, ex cujus fundo pistillum emergit longius, quod mutatur in capsulam dilute rufescentem, e rotundo acuminatam, in duo loculamenta divisam, seminibus fœtam tenuibus & rufescentibus. Agri Parisiensis incola nascitur secus rivulos, & in pratis udis, Junio & Julio florens. Semina Augusto & Septembri perficiuntur. Herba & radices in usum veniunt.

Analysi chymica, ex Gratiolæ floridæ ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere insipidi & inodori, subacidi, obscure salsi ℥xv. ʒj. gr. lxiij. humoris primo limpidi, magis ac magis acidi, austeri, sub finem rufescentis, intense acidi & intense austeri ℔iij. ℥vj. ʒij. gr. xlij. humoris rufi intense acidi, aliquantisper alcali urinosi, & austeri ℥ij. ʒiij. gr. xlviij. olei spissi ad instar extracti ℥j. gr. vj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. ʒvij. gr. xij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiiij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi alcali ʒv. gr. xviij. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. gr. xlv. in calcinatione ℥iij. ʒij. gr. xlviij.

Tota planta inodora, insigni amarore donatur cum obscura adstrictione. Sale essentiali tartareo, vitriolico donatur, cum multo sulphure acri & crasso. Inter purgantia medicamenta hydragoga refertur: reipsa lentam pituitam vehementer expurgat, non modo per inferiora, sed etiam per vomitum. Hydropicis in primis commendatur. Prodest adversus diuturnos coxendicis dolores, adversus inveteratas febres sive tertianas sive erroneas, jecur & lienem ab obstructionibus liberat, ventriculi lumbricos pellit. Sed cum vehemens sit purgans, nonnisi robustis naturis convenit: debilioribus enim sæpe dira excitat ventris tormina aut superpurgationes. Herba recens ad M.ß. vel sicca ad ʒj. in aqua vel vino macerata præscribitur, sed longe tutior ac mitior est, si cum lactis ℔ß. leviter incoquatur, & colatura propinetur.

Ejus

Ejus extractum cum vino paratum ad ℨß. vel ℈ij. præscribitur, conserva vero ad ℨij. vel ℨiij. usurpatur.

In enematibus foliorum ad M. j. in sero lactis vel ipso lacte vaccino decoctum minori cum periculo usurpatur. Cavendum tamen ne hæc enemata præscribantur, dum æstuant viscera, aut ad inflammationem proclivia sunt.

Folia recentia contusa & imposita, vulnera consolidant & curant, teste Cæsalpino. Eadem capiti imposita hydrocephalis mederi Hermannus scribit.

℞. Folior. Gratiolæ virid. ℨij. vel exsiccator. ℨj. Injiciantur in lactis ferventis ℥vj. Infunde per noctem. Colaturam æger capiat mane.

℞. Folior. Gratiolæ ℨj. Macerentur per noctem in aq. font. ℥vj. F. colatura, in qua contunde Amygdalas dulces n. vj. Expressione dilue syrup. Violar. vel de Althæa ℥j.

℞. Gratiolæ viridis M. j. Centaur. minor. Absynth. ana M. ß. Seminis Tanaceti & Santonic. ana ℥ß. Coq. in sero lactis. Fiat clyster ad enecandos & expellendos vermes præsertim ascarides.

℞. Gratiolæ Soldanellæ, folior. Ebuli, Asari, Sambucci, florum Genistæ, Persicorum, ana M. ß. corticis Sambuci, Frangulæ, radicis Ireos vulgaris & Esulæ ana ℥j. pulpæ Colocynthid. p. j. Coquantur in urina. Fiat cataplasma hydrocephalo calide applicandum. *Paul. Hermans in Cynosura M. Medicæ.*

## GROSSULARIA.

INter plures Grossulariæ species tres potissimum inter edulia & medicamenta recipiuntur: scilicet Grossularia, Uva crispa dicta, Grossularia Ribes dicta, Grossularia olens Ribes nigrum dicta.

Grossularia, Uva crispa dicta, *Off* Grossularia simplici, acino vel spinosa sylvestris, *C. B. P.* 455. *Inst. R. H.* 639. Uva spina, *Matthiol.* Uva crispa, sive Grossularia, *J. B* 1. 47. *R. H.* 1484. Uva crispa, *Dod. Pempt.* 748. Crispina vera, *Cordi*: Cæanothus spina, *Theoph*: vulgo, *Groselir blanch epineux*, & fructus *Groseille blanche*.

Ex radice lignosa, fibris non destituta, hic frutex exsurgit bicubitalis & altior numerosa stolonum segete luxurians, varieque in ramulos subdvisus, cortice in adultioribus ramis purpurante in junioribus virgis & surculis albicante, materie fere buxeo colore pallescente, spinis longiusculis acutis ac rigidis ad foliorum exortum passim armatus, singularibus, binis aut ternis. Folia prom t brævibus pediculis innixa, unguem lata, nonnumquam ampliora, nonnihil rotunda, modice divisa, vitigineis quodammodo similia, superius saturo virore splendentia, inferius dilutiora, mollia & modice pilosa, sapore acido. Flores parvi, suavi, sed nonnihil gravi odore simul multi ex eodem tuberculo ex quo folia prodeunt, ex pediculo brevissimo punicante, hirsuto, nutantes, rosacei, quinque petalis in orbem positis ex herbaceo albicantibus constantes calyce monophyllo, pelviformi, in quinque segmenta utrinque rubentia, extrorsum reflexa, diviso, cum quinis staminibus, & pistillo virescente, alba lanugine circa infima parte obsito. Calycis pars posterior quasi globosa abit in acinum seu baccam globosam, aut ovatam,

tam, interdum hirsutam, plerumque glabram, mollem, succosam, umbilicatam, plurimis lineis a pediculo ad umbilicum usque protensis, quasi totidem meridianis insignitam, colore initio virentem gustuque acidam austeram, per maturitatem vero subflavescentem, ex vinoso dulcem, seminibus fœtam plurimis, exiguis, candicantibus. In sylvis Sangermaniaceis, & circa pagum *Montmorency* dictum, sponte nascitur. In hortis quoque colitur, ubi cultura majoribus foliis, & baccis donatur, quæ tunc dicitur Grossularia spinosa sativa, *C. B. P.* 445. *Inst. R. H.* 639. Grossularia majore fructu, *Clusii hist.* 120. Uva crispa fructu Cerasi magnitudine, *Gesner. hort.* Soli acini maturi vel immaturi in usum esculentum veniunt.

Analysi chymica, ex fructuum jam maturitatem assecutorum ℔v. distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore haud ingrato, dulci, primum nullo modo acidi, sub finem obscure acidi ℔j. ℥iv. ʒvij. humoris subacidi, deinde magis ac magis acidi, austeri, ac obscure alcali, urinosi ℔iij. ℥iij. ʒiij. gr. xviij. humoris rufescentis, parum acidi, sale volatili urinoso imprægnati ℥j. ʒiij. gr. xlij. olei adiposi ʒvij. gr. xviij. Massa nigra residua pendebat ℥iv. ʒij. gr. xxxvj. quæ per tredecim horas in crucibulo rite calcinata reliquit cinerum ʒv. ex quibus salis fixi mere alcali ʒj. gr. xxxij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. gran. xxx. in calcinatione ℥iij. ʒv. gr. xxxvj.

Fructus maturus acidi salis mediocrem portionem obtinet, multo sulphure, phlegmate, & terra obruti; quare sapore aliquantisper dulci, sed fatuo donatur. Fermentatione tamen succus ejus aliquantisper vinosus evadit, sed non adeo generosus salium defectu. Fructus immaturus acidus est & austerus: refrigerat & adstringit. In cibatu apud nos usus ejus est uvarum acerbarum loco, juribusque gratissime innatat. Appetitum excitat: gravidis, quæ cibum omnem respuunt pergratus, nauseam tollit: hæmorrhagias, & ventris profluvia compescit. Juscula in quibus coctus febricitantibus utilia. Crudus comestus crudum parit succum, & parum aut nihil alit. Recte autem monet Parkinsonus largiorem immaturi fructus esum, quomodocumque præparetur, ventriculis frigidis & flatibus obnoxiis non permittendum, nec colicos dolores aut tormina ventris inducat.

Maturus mollis est, & cujusdam dulcedinis, fatuæ tamen particeps: Longe minus adstringit immaturo: ad condimenta raro adhibetur: nec nisi a pueris aut fœminis voracibus aut rusticis comeditur. In ventriculo facile corrumpitur.

Vinum apud Anglos ex maturis acinis conficitur, narrante Rajo. Acinis in dolium injectis aquæ ferventis q. s. affunditur. Vas exacte clausum in loco temperato per tres quatuorve hebdomadas relinquitur, donec liquor baccharum succo, & spiritu penitus imprægnatus fuerit, baccæ autem plane exsuccæ, & insipidæ reddantur. Deinde exhaustus liquor cum Saccharo in ampullas vitreas infunditur, quæ probe obturatæ ad tempus reservantur, donec liquor cum Saccharo intime mixtus & fermentatus in generosum, & vini æmulum laticem exaltetur.

Grossularia, Ribes dicta, *Off.* Grossularia multiplici acino, sive non spinosa, hortensis rubra, sive Ribes Officinarum, *C. B. P.* 455. *Inst. R. H.* 639. Ribes vulgaris, acidus ruber, *J. B.* 2. 97. Ribesium fructu rubro,

*Dod.*

*Dod. Pempt.* 747. vulgo, *Groselier rouge*. Fructus, Ribes, Ribesium, & Grossula vulgo, *Groseilles rouges*.

Fruticosa stirps est radicibus multifidis, fibrosis, adstringentibus; stolonibus seu virgulatis plurimis lentis ac flexilibus, ad duos vel tres cubitos assurgentibus cortice spadiceo aut cinereo, materie virente cum ampla matrice seu medulla: foliis vitis viniferæ similibus, sed multo minoribus, mollibus sinuatis, superne obscure virentibus, glabris, inferne molli lanugine canescentibus, acerbis. Flores racematim cohærent plurimi, rosacei, e petalis quinque purpurascentibus conflati quasi cordatis, & in crenis calyci pelviformis, quinquifidi, nascentibus, cujus posterior pars abit in acinum, initio virentem per maturitatem rubrum duas lineas latum sphæricum, succi acidi grati plenum, pluribus seminulis fœtum. Oritur in sylvis Alpium, & Pyrenæorum coliturque vulgo in hortis ac septis. In usum cibarium & medicum venit.

Alia species est, quæ candidos pellucidos acinos profert, quæ hujus potius varietas est, quam species distincta. Dicitur Grossularia hortensis fructu Margaritis simili, *C. B. P.* 453. *I. R. H.* 640. Ribes vulgaris acidus, albas baccas ferens, *J. B.* 2. 98. Ribes vulgaris albo fructu, *Clus. Hist.* 120. vulgo, *Groselier blanc*, & *Groseilles blanches*. Ad usum medicum prior seligitur.

Analysi chymica, ex maturorum acinorum ℔v. per B. V. distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris, & saporis fere expertis ℔ij. ℥v. humoris primo obscure acidi, deinde magis ac magis acidi, manifesti & intensi ℔j. ℥xij. gr. xxxvj. Massa sicca residua per retortam distillata præbuit humoris acidi & perausteri ℥vj. gr. xxxvj. humoris rufi, subsalsi, tum acidi austeri, tum alcali ℥j. gr. ix. olei spissi syrupi ad instar ℥j. gr. xl. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. gran. xxxvj. quæ per 23. horas calcinata reliquit cinerum cœrulescentium ʒvj. gran. lx. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒij. gran. xliv. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒiv. gran. lix. in calcinatione ℥iv. ʒj. gr. xlviij.

Ribes salem essentialem acidum, austerum obtinet cum olei portione mediocri consociatum. Hujus acini racematim adhuc ex pediculis dependentes nulla arte præparati, aut pediculis liberato tantillo Sacchari conspersi, æstivo tempore comeduntur. Imo a pueris, puellis chlorosi laborantibus, mulieribus pica & malacia affectis, ægris febre laborantibus avide expetuntur ratione saporis subacidi, vinosi & palato grati.

Matres familias has baccas integras Saccaro condiunt sicut Cerasa; vel Ribesiorum gelatinam elegantem & palato gratissimam, succum acinorum cum Saccharo coquendo ad debitam consistentiam, & pro dulciario, non solum ad secundas mensas instruendas, sed etiam ad ægrotantium, febricitantium præsertim solamen reservant.

Ex eodem succo syrupus, Rob seu Sapa, hoc est succus ad mellis consistentiam inspissatus, in officinis præparantur.

Ribes, & quæ ex eo parantur, omnium consensu utiliter exhibentur ad æstum internum temperandum, sanguinis effervescentiam compescendam & biliosas commotiones cohibendas. Sanguinem enim & humores leviter inspissant, acidorum vegetabilium more: cumque simul adstringant

mode-

moderate, ventriculum roborant, inappetentiam tollunt, in vomitionibus, & diarrhæis a biliosa colluvie oriundis, aut febribus biliosis valde conducunt, hæmorrhagias, quæ a nimia sanguinis dissolutione aut effervescentia nascunt, coercent.

In febribus malignis, & morbis contagiosis plurimum commendantur: quandoquidem his in ægritudinibus non solum mirum nimiam sanguinis dissolutionem præcavent, sed etiam alcalia salia nimis evoluta retundunt, sulphura expansa nimis, & exaltata cohibent. Ne tamen existimes earum curationem, ab horum acidorum usu semper absolvi.

Nocebit Ribesiorum usus, si vel voracitate immodica vel tempore minus commodo deglutiantur. Tunc enim diarrhæas excitant, ventris tormina, febres. Acida quoque in quibusdam, quorum ventriculus debilior est ciborum concoctionem minuunt, bilis alcalinam indolem destruendo, chylum spissiorem & grumosum efficiendo, unde humorum stagnationes viscerumque infarctus ab eorum esu quandoque nascuntur. Insuper assiduus acidorum fructuum usus pulmonibus nocet, tussim excitat, & phtisicis prorsus infensus est. Imo notatum est ab Hannemanno apud Bonnetum *Lib.* 2. *M. Septentriol. sect.* 14. *cap.* 28. a nimia Ribesiorum comestione tabem ortam. Nonnullis etiam fructus illi adversantur. Georg. Hannæus *in Ephemerid. Germanicis Decad.* 2. *ann.* 6. *Obs.* 138. observat virum quemdam, qui simul ac ex uno vel altero pediculo pendentes Ribesiorum acinos absumeret, gravedinem sibi acturum accelerasse.

℞. Syrup. de Ribes. ℥ij. aquar. Lactuc. vel Cichor. ℔j. Salis Prunell. ʒß. Misce pro potu in febribus.

℞. Rob. Ribesior. ℥j. Aquar. Meliss. & Oxytriphyll. ana ℥iij. M. F. Julap. in febribus malignis.

In anginæ initio gargarismata parantur ex succo vel syr. Ribesiorum, & aquis Rosar. Plantag. Centinod. & aliis.

Folia vero Grossulariæ vehementer adstringere testis est Fusius.

Grossularia olens, Ribes nigrum dicta, *Off.* Grossularia non spinosa, fructu nigro, majore *C. B. P.* 455. *Inst. R. H.* 640. Ribes nigrum vulgo dictum, folio olente, *J. B.* 2. 98. Ribesium fructu nigro, *Dod. Pempt.* 749. *Groselier noir*, *Cassis* ou *Cassier des Poitevins*, Paul. Contant. 39.

Frutici huic folia sunt vitiginea lata, aversa parte leviter pilosa, odore fœtido. Flores ex eodem tuberculo plures aut racematim digesti. Uvæ crispæ floribus persimiles, quorum odor, qui & foliis, gravis, Baccæ oblongæ, colore nigro, quæ sive maturæ, sive immaturæ acidæ sunt cum sapore partim grato, partim ingrato. Apud Pictones & Turones frequens nascitur. Rarius apud nos, & circa vicum *Montmorency* tantummodo reperitur. Folia a nonnullis usitata.

Miræ hujus foliis tribuunt virtutes in Tractatulo anno 1712. Burdigalæ edito sub hoc titulo, *Les Proprietes admirables du Cassis*; in quo veluti panacea omnibus fere in morbis frutex ille prædicatur. Ejus foliorum recentium succus expressus: infusum vel decoctum in vino vel aqua, eorumdem exsiccatorum pulvis vel decoctum præscribuntur.

Ex iisdem foliis syrupus vel conditum præparantur. Ubi desunt folia, eorum

rumdem germina vel fruticis cortex usurpatur. Sed in primis adversus viperarum & animalium rabidorum morsus, his in provinciis ejus folia plurimum usitata sunt. Folia recentia in vino contunduntur, succus exprimitur, cujus cyathus unus vel ℥viij. bis die per octiduum a demorsis hauritur mane, jejuno ventriculo & tribus quatuorve post prandium horis. Folia contusa & expressa vulneri apponuntur.

Paulus Contant Pharmacopæus Pictavensis *in suo Commentario in Dioscoridem* aquam vel vinum in quibus Grossulariæ olentis folia per 24. horas macerata fuerunt, adversus hydropem ad ℥iiij. per quindecim dies mane, jejuno ventriculo pota commendat: eademque adversus viperarum morsus utilia dicit.

Ab illustrissimo viro D. Chauvelin summo rei ærariæ & judiciariæ olim in Turonia, nunc in Picardia Præfecto, & Regi a sanctioribus consiliis audivimus hæc folia adversus rabidorum animalium morsum plurimum valere, & usurpari in mixtura quadam adversus hydrophobiam apud Turones & Pictones decantata & plurimis experimentis comprobata.

℞. Folior. Galegæ, Rutæ hortens. Rorismarini, Salviæ, Angelicæ sylvestris, Grossulariæ olentis, folior. & radicum Bellidis sylvestris minoris, Spongiolæ, Rosæ sylvestris, folior. Lepidii latifol. Allii bulborum ana p. æq. Contundantur, & contusis pro singulis hujus massæ manipulis adde salis communis ℥iiij. vini generosi ℔iiij. Digerantur in vase clauso per aliquot dies, identidem agitando. Hujus infusi cyatum unum aut alterum bis die sumat æger a cane rabido demorsus, mane scilicet, jejuno ventriculo, & vesperi tribus post prandium horis per octiduum, celebrata prius venæ sectione. Si febris accendatur, sanguinis missio erit reiteranda, non interrupto hujus remedii usu. Nihil vero alimenti sumat æger nisi duabus post assumptum remedium elapsis horis. Externe vulneri, si opus sit, sufficienter dilatato, linamentum hoc vino imbutum apponatur, & post duodecim horas renovetur: vel etiam herbæ ipsæ contusæ & vino madentes eodem modo applicentur.

Eadem est animalium quadrupedum demorsorum curandorum ratio. Si vulnus detegi possit, candente ferro comburatur, scalpello crustra inducta tota auferatur, & herbæ contusæ & vino maceratæ admoveantur: Medicatum vinum animali propinetur, sed dosi diversa; bobus scilicet ad ℔j. bis die per octiduum, minoribus animalibus minor dosis exhibebitur. Necesse est etiam ut animalia demorsa quotidie fluviorum vel stagnorum aquis per aliquot temporis intervallum innatent.

## HEDERA.

DUæ in Officinis plantæ Hederæ nomine insigniuntur, scilicet Hedera arborea, & Hedera terrestris. De arborea jam egimus ubi de plantis exoticis, *Sectione de Resinis solidis*, *articulo de Gummi Hederæ*. nunc de terrestri sermo erit.

Hedera terrestris, *Off.* Calamintha humilior folio rotundiore, *Inst. R. H.* 194. Hedera terrestris, vulgaris, *C. B. P.* 306. Chamæcissus sive Hedera terrestris, *J. B.* 3. *App.* 855. Hedera terrestris, *Dod. Pempt.* 394.

*Gerard. Raii Hist.* 567. Melacocissos ; *Lugdunens.* 1311. Chamæclema ; *Cord.* Elatine , *Brunsfels* : humilis Hedera , *Adversar.* Corona terræ , *Lobel. Icon.* 613. vulgo , *Lierre terrestre* ; *Terrette* , *Herbe de S. Jean* ; *Rondotte*.

Viticulis quadrangulis , repentibus & fibrosis late se propagat secus rivulos , & in sepibus , ac pratis , cauliculos promens tenues , quadrangulos , subrubentes , hirsutos : in quibus folia bina nascuntur , longis pediculis hærentia , rotundiora , aurita , unciam lata , subhirsuta , æqualibus crenis incisa . Flores ad caulium nodos verticillatim dispositi , e singulis foliorum alis tres quatuorve , aut etiam plures exeunt , monopetali , labiati , cœrulei , labio superiore bifido , & ad latera reflexo , inferiore in quatuor segmenta diviso , tubo intus saturatioribus purpureis maculis & lineolis variegato , rictu pilis brevibus albis , velut lanugine quadam obsito : pistillo tenui , bicorni . Calyx floris oblongus , angustus , striatus , marginibus in quinque segmenta brevia partitis , flore marcescente in ventrem turgescit , & quatuor semina oblonga continet , subrotunda , lævia . Totius plantæ sapor amarus , odor gravis ad Mentham quodammodo accedit . Tota planta in usum medicum venit .

Analysi chymica , ex totius plantæ recentis ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris fere insipidi & inodori , limpidi , obscure salsi & sub finem obscure subacidi ℔j. ℥v. ʒv. gr. xviij. humoris primo subacidi , deinde magis ac magis acidi , subausteri ℔ij. ℥viij. ʒij. gr. xviij. humoris rufescentis , leviter empyreumatici , subacidi , subsalsi , urinosi ℥j. gr. xxxvj. humoris rufescentis , sale volatili urinoso impraegnati ℥ij. olei adiposi ℥j. ʒiij. gr. xxxiiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum subrufescentium ℥ij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒvj. gr. xxxviij. extracta sunt . Partium jactura in distillatione fuit ℥viij. ʒvj. gr. [illegible] in calcinatione ℥ij. ʒvj. gr. xxxvj.

Hederæ terrestris folia amara sunt , nonnihil aromatica , & chartam cœruleam vix mutant . Quamobrem ejus vires Cl. Tournefortius refert ad sulphur & terram , quæ copiose reperiuntur in hujus plantæ analysi , & salem essentialem quemdam , non multum a tartaro vitriolato diversum , mixtum cum pauco sale ammoniaco . Unde ob partes bituminosas , salino-terrestres & spirituosas , aperit , abstergit , discutit & vulneraria est , tum intrinsecus sumpta , tum extrinsecus adhibita . Succus ejus defœcatus ad ℥ij. aut iij. infusum vel decoctum ex aqua vel vino propinantur : vel etiam pulvis a ʒß. ad ʒj. exhibetur . Ex summitatibus floridis conditum in Officinis præparatur ; sicut ex ejus succo syrupus & extractum . In decoctis & potionibus vulnerariis usus est frequentissimi . Specifica facultate , inquit S. Paulli , vulneratis & ulcerosis visceribus , si qua herba , hæc maxime medetur . Ettmullerus eamdem erosionibus & exulcerationibus viscerum , pulmonum in primis & renum dicatam , & in his consolidandis nulli cedentem scribit : & illius usum in tussi & phthisi pulmonali tum præservanda , tum curanda , sive ex læsione externa , sive ab erosione interna ortum suum ducat , commendat . Vvillisius *in Pharmaceutica rationali p. 2. sect. 1. c. 6.* pulverem conficit ex summitatibus Hederæ terrestris nonnihil rubescentibus , contusis & in placentam coactis , quæ sole fervido statim exsiccata in pulverem

rem subtilem redigitur ; quem a ℨß. ad ℨj. exhibet bis in die cum ejusdem plantæ aqua distillata aut decocto pectorali, in tussi gravi & pertinace, & in phthisi. Ettmullerus ancillam, quæ diu phthisi scorbutica laboraverat, decocto hujus herbæ unico curatam fuisse refert. Lindanus in empyemate & vomica pulmonum & in pleuritide suppurata non parum habere virium asserit, sive usurpetur ejus decoctum, sive conserva: materiam enim purulentam in pectore collectam mirum quantum evacuat, & ulcus potentissime detergit. Ad mictum cruentum & purulentum sanandum plurimum valet. In casu ab alto, ab eodem Ettmullero, & in primis ad grumum sanguinis resolvendum, & inde oriundam difficilem respirationem auferendam ejusdem decoctum commendatur cum solutione lapillorum cancrorum permixtum.

Insignes eidem tribuuntur vires ad effectus urinarios demulcendos, acrimoniam urinæ temperandam, nephritidem præcavendam, dispositionem ad calculum removendam, imo etiam calculum minuendum & expellendum. Audienda sunt hæc S. Paulli verba. In calculo vero renum simplex Hederæ pulvis cum Sacchari dimidio præparatus, & cum aqua Hederæ terrestris, cui spiritus vini quarta vel sexta pars est affusa, propinatus, omnem fere fidem superat, quam præclare eum atterat.

J. Rajus ex Hieronym. Reusneri observationibus narrat, quemdam vino in quo Hedera terrestris infusa esset, addito Saccharo cando, cum felici quidem successu usum fuisse, & arenulas excrevisse, at cum insigni dolore.

Ad colicos dolores compescendos & ad dysenteriam sanandam ejus decoctum in clysteribus præscribitur. Ad puerperarum tormina post partum folia contusa ventri calide apponuntur. Matthiolus colicis in affectibus oleum in quo ad solem æstivum folia recentia macerata fuerunt, injectum & epotum tanquam singulare remedium prædicat.

Succus hujus plantæ naribus attractus cephalalgiam etiam vehementissimam & inveteratam, referente J. Rajo, non lenit tantum, sed & penitus aufert. Medicamentum hoc, inquit post suum auctorem, quamvis facile parabile & ubique obvium sit, non satis potest laudari, si res ex usu æstimarentur, auro æquiparandum. Novi quippe qui per decennium ac amplius acerrimis doloribus conflictati statim ab ejus usu recreati sunt, nec unquam postea paroxysmum senserunt. Joan. Bauhinus eam observavit ad expellendos vermes equorum præstantissimam, si contusa detur cum Avena.

Ejus folia sola sinuosis tibiarum ulceribus medentur contusa & admota. Ad insaniam sanandam eadem recentia in vino albo usque ad putrilaginem, ut ajunt, coquuntur. Succus exprimitur & cum olei Olivarum æquali portione mixtus coquitur adhuc ad mediæ partis humoris diminutionem: hoc oleoso succo ægrotantis capitis vertex, sinciput & tempora calide inunguntur, easdem partes manu calida & hoc succo madida per semihoram fricando. Dein magma expressum eodem liquore imbutum iisdem partibus calens applicatur. Removetur cataplasma sexta quaque hora, novum & calidum admovendo, & frictiones unctionesque simul repetendo. Quod quidem per tres quatuorve dies continuandum est.

℞. Radic. Rubiæ tinctor. Tormentill. & Bistort. ana ℥j. folior. Hederæ terrestr. Veronic. & Virgæ aureæ ana M. j. Summitatum florid.

Hyperici & Bellidis minor. ana M. j. Coq. in aq. comm. q. s. ad ℔iiij. Colatura dilue Rhodomeli ℥ij. Fiat apozema vulnerarium ad ℥vj. tertia vel quarta quaque hora propinandum, ad ulcera interna detergenda & hæmorrhagias sistendas.

℞. Pullum gallinaceum & vitulinæ carnis ℔ß. Oryzæ cochlear unum; radic. Symphyti maj. & Tormentill. ana ℥j. Coq. in aq. comm. q. s. pro jusculis quatuor. Sub finem coctionis adde folior. Hederæ terr. Chærefol. Portulac. Urticæ, Plantag. Geranii Robertian. & Sanicul. ana M. j. Sumat æger jusculum unum quarta quaque hora in hæmorrhagiis quibuscumque.

℞. Succor. defœcator. Hederæ terrestris, Chærefol. & Veronicæ ana ℥vj. Syrup. de Hedera terrestri ℥ij. M. Dividantur in sex doses quarta vel sexta quaque hora propinandas, in sputo & mictu cruento aut purulento, in abscessu interno abstergendo.

℞. Extract. Hederæ terrestr. Conserv. Rosar. rubr. & Conserv. radic. Symphyti major. ana ℥j. antihectic. Poter. Succini subtilissime pulver. ana ʒiiij. Corall. rubr. & oculor. Cancror. ana ʒij. M. F. electuar. antiphthisicum c. s. q. syrup. de Hedera terrestr. Dosis ʒjß. ter quaterve in die.

℞. Succi Hederæ terrestr. defœcati ℥iiij. Thuris subtilissime triti ʒj. Mellis rosati ℥j. M. F. linctus in hæmoptoe, empyemate & vomica pulmonum.

Ejus aqua distillata servatur in Officinis pharmaceuticis plantæ viribus non prorsus destituta, sed succo vel decocto minus valens.

## HELIANTHEMUM.

Plantis duabus genere diversis Helianthemi nomen Officinæ concedunt, scilicet Helianthemo vulgari, & Helianthemo tuberoso esculento.

Helianthemum vulgare, *Off.* Helianthemum vulgare, flore luteo, *J.B.* 2. 15. *Inst. R. H.* 248. Chamæcistus vulgaris, flore luteo, *C. B. P.* 465. *Raii Hist.* 1013. Flos solis, *Dod. Pempt.* 193. Chamæcistus 1. *Clus. Hist.* 73. Helianthos, sive Flos solis, *Adverf. Lobel.* Helianthemum Anglicum luteum, *Gerard*: Panax chironium, sive Flos solis, *Matthiol*: Hyssopus campestris, *Tragi* 221. Consolida aurea Chirurgis, *Cordi Schol*: vulgo, *Heliantheme*, *Herbe d'or*, *Hysope des Garrigues*.

E radice alba, lignosa, caules, plures, tenues, teretes, humifusi, hirsuti emergunt foliis vestiti oblongis, angustis, Hyssopi foliis paulo latioribus, mucronibus obtusis, ex adverso binis, pediculis brevibus insidentibus, superne viridibus, subtus incanis. Flores in summitatibus in longas veluti spicas dispositi, pediculis semiuncialibus appensi, lutei, rosacei, pentapetali, cum plurimis intus staminulis flavis, e calyce trifolio, lineis rubris striato exeunt. Pistillum abit in fructum trigonum, grandem, trifariam dehiscentem, semina aliquot trigona, rufa, continentem: ad floris uniuscujusque pediculum apponitur foliolum longum, angustum. In agro Parisiensi sponte nascitur. Radices & folia usitata sunt.

Helianthemi folia succo lento & glutinoso scatent, qui chartam cœruleam colore rubro leviter tingit.

Vulneraria est & adstringens hæc planta. Unde in sputo sanguinis, alvi proflu-

vio,

vio, & omnibus affectibus quibus fluxus nimius conjunctus eſt, Symphyti aliarumque Conſolidarum more, uſurpari poteſt. Exhibetur utiliter decoctum in vino rubro, vel aqua, cum Symphyto & Plantagine ad ſanguinis ſputum, diarrhæam, dyſenteriam.

Ad uvulam, ulcera oris & genitalium decoquitur in vino rubro, addito momento aluminis, decoctioneque os colluitur, aut ulcera partium dictarum.

Helianthemum tuboroſum eſculentum, *Off.* Corona ſolis parvo flore, tuberoſa radice, *Inſt. R. H.* 489. Helianthemum Indicum, tuberoſum, *C. B. P.* 277. Flos ſolis Farneſianus, After Peruanus, tuberoſus, *Col.Part.* 2. 13. Flos ſolis pyramidalis, parvo flore, tuberoſa radice, Heliotropium Indicum quorumdam Gerard. emacul. *Raii Hiſt.* 335. Battata Canadenſis, *Parkinſ.* vulgo, *Taubinambours* & *Poires de terre*.

Ab una radice caulis ſingularis aut multiplex exſurgit, teres, virens, ſtriatus, aſper, piloſus, duodecim aut amplius pedes altus, medulla alba, fungoſa fractus, foliis crebris, nullo ordine poſitis, ab imo ad ſummum uſque cinctus pallide virentibus, aſperis, latis, acuminatis, floris Solis vulgaris fere ſimilibus, non tamen rugoſis nec æque latis. Caules ab imo ſtatim ramoſi ſunt, foliis paulatim magnitudine decreſcentibus ab imo ad ſummum uſque. Flores in ſummis caulibus & ramulis naſcuntur floris Calendulæ vulgaris magnitudine, radiati, quorum diſcus ex plurimis floſculis luteis, denſe ſtipatis; corona vero ex ſemifloſculis duodecim aut tredecim, ſtriatis, cuſpidatis, aureo fulgore micantibus, embryonibus inſidentibus, calyce e ſquamis villoſis compoſito comprehenſis. Embryones autem abeunt in ſemina parva. Caulis plures emittit radices tenues, repentes, fibrillis tenuibus capillatas, longe lateque ſe diffundentes, inter quas e radice primaria multæ aliæ ſoboles tuberoſæ excreſcunt, glomeratæ, nunc radici primariæ ſeu matri adhærentes, nunc fibris longis ad pedis ab ea diſtantiam adnaſcentes, terram elevantes, & nonnunquam ſupra ejus ſuperficiem apparentes. Unica radix triginta, quadraginta, quinquaginta, aut etiam plura non raro producit hujuſcemodi tubera. Radices hæ tuberoſæ foras colore ruſeſcunt, ſubſtantia ſeu carne interna fungoſa, candicante, ſapore dulci, variis prominentiis gibboſæ, pugni humani interdum magnitudine, ea parte qua germinaturæ ſunt velut in roſtellum elatæ. Caulibus marceſcentibus radices tuberoſæ per hyemem in terra reſtant, & ſequenti vere regerminant. In hortis colitur. Radices tuberoſæ in uſum eſculentum veniunt.

Analyſi chymica, ex radicum tuberoſarum recentium ℔v. per vaporarium diſtillatis prodierunt humoris limpidi, primum ſapore ſubdulci, fatuo, odore herbaceo, obſcure ſubſalſi, deinde ſaporis & odoris prorſus expertis ℔iij. humoris limpidi, obſcure acidi ℥xij. Reſiduum per retortam diſtillatum præbuit humoris rufi, empyreumatici, manifeſte, & impenſe acidi ℥v. ʒvij. gr. xxxvj. humoris rufi, empyreumatici, ſale volatili urinoſo imprægnati cum granis aliquot ſalis volatilis ℥j. ʒiiij. gr. xxxvj. olei ℥j. gr. xlv. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vj. ʒiiij. quæ per quindecim horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum albicantium ℥j. ʒij. gr. xxxvj. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒv. lixivio ſunt extractæ. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒvij. gr. xxvij. in calcinatione ℥v. ʒj. gr. xxxvj.

Harum radicum ſuccus & decoctum chartàm cœruleam rubro colore tingit. Sapore dulci & palato grato hæc tubera guſtui ſe commendant & edulia ſunt tum cruda, tum cocta. Cocta carnis caput um Cinaræ ſaporem referunt. Salem eſſentialem obtinent tartaro ſimilem cum aliqua ammoniacalis ſalis portione, ſulphure craſſo, terra copioſa & multo phlegmate viſcido conjunctum. Mediocriter nutriunt, ſanguinis & humorum acrimoniam demulcent, unde pectoris affectionibus conducunt. Nonnulli eas flatulentas eſſe & ventriculo inimicas pronuntiant; alii autem aliter ſentiunt, nec ullam hujuſmodi flatus excitandi vim in illis percipiunt aut agnoſcunt. Apud noſtrates aqua decoquuntur & cum butyro, ſale & piperis tantillo condita comeduntur. Alii ea fruſtulatim ſecta & maſſa farinacea involuta cum butyro aut oleo in ſartagine frigunt. A quibuſdam cruda cum ſale & pipere utpote palato gratiora devorantur: ſed ob ſuum ſuccum viſcidum difficilius coquuntur in ventriculo.

## HELIOTROPIUM.

HEliotropium & Verrucaria, *Off.* Heliotropium majus Dioſcoridis, *C. B. P.* 253. & *Inſt. R. H.* 139. Heliotropium majus, flore albo, *J. B.* 3. 604. Heliotropium, *Dod. Pempt.* 70. Heliotropium Officinis, Verrucaria ſcorpioides, *Adverſar. Lobel.* 101. vulgo, *Herbe aux verrues*.

Huic radix eſt ſimplex, tenuis, lignoſa, dura: caulis dodrantalis & altior, fungoſa medulla plenus, rotundus, ramoſus, nonnihil hirſutus, foris ex viridi incanus: folia ad ramulorum exortum & per ipſos ramos diſpoſita, ex rotundo oblonga, Ocymi foliis paria, ſed albidiora aſperioraque, cauli concoloria, hirſuta. Flores in ramulorum cauliculorumque faſtigiis ſcorpionum caudæ inſtar reflexis ordinata ſerie digeſti, parvi, candidi, monopetali, infundibuliformes, centro ſtellæ in modo corrugato & in decem partes alternatum inæquales ad oram inciſi. Ex calyce lanuginoſo ſurgit piſtillum infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum & quatuor velut ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina hinc angulata, inde gibba, brevia, cinerea. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur. Herba integra uſitata eſt.

Analyſi chymica, Verrucariæ floridæ ℔v. per retortam diſtillatæ præbuerunt humoris flaveſcentis, ſaporis & odoris herbacei penetrantis, ſubſalſi, ſubalcalini, urinoſi ℥xiiij. ʒiij. gr. liiij. humoris rufeſcentis, odoris & ſaporis herbacei, magis penetrantis, ſalſi & alcali urinoſi ℔j. ℥xj. ʒvj. gr. lx. humoris limpidi, flaveſcentis, ejuſdem odoris, & ſaporis magis ſalſi ℥x. ʒj. gr. lx. humoris rufi, empyreumatici, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥j. gr. xij. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gr. lxvj. olei ſyrupi ad inſtar ſpiſſi ℥j. ʒvj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vj. ʒv. gr. xij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥iiij. ʒiij. ex quibus lixivio ſalis fixi alcali ʒiiij. gr. lx. fuerunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gr. xxiiij. in calcinatione ℥ij. ʒij. gr. xij.

Verrucariæ folia amara ſunt, & eorum ſuccus chartam cœruleam nullomodo mutat. Salem eſſentialem ammoniacalem continent cum oleo copioſo tum tenui & acri, tum craſſo, & multa terra conjunctum.

Ver-

Verrucas, myrmecias seu prurigines & thymos in glande aut præputio & ano affricata herba valenter adimere dicitur. Optime detergit, & efficacissima censetur adversus carcinomata & ulcera serpentia & gangrænosa, necnon strumosos tumores. J. Rajus folia contusa cum oleo rosaceo & capiti admota, adversus cephalalgiam commendat. Idem refert epotum foliorum decoctum una cum Cumino renum calculos pellere & frangere, & intestinorum animalia necare.

## HEPATICA.

A Pari Hepatis obstructiones resolvendi, qua pollent, facultate, tres stirpes, licet genere prorsus diversæ, Hepaticæ nomen per antonomasiam obtinuerunt, scilicet Hepatica fontana seu vulgaris, Hepatica nobilis seu trifolia, & Hepatica stellaris, seu Asperula. De hac jam egimus sub Asperulæ nomine.

Hepatica fontana, Hepatica vulgaris, Hepatica terrestris, Lichen petræus, *Off.* Lichen petræus latifolius, sive Hepatica fontana, *C. B. P.* 362. Lichen, sive Hepatica fontana, *J. B. 3. p.* 758. Lichen, sive Hepatica vulgaris Parkins. *Inst. R. H.* 124. Hepatica terrestris, *Gerard.* Jecoraria, seu Hepatica fontana, *Trag.* 523. Fegatella, *Cæsalp.* 601. vulgo, *Hepatique commune*.

Radicibus hæret sericeis similibus pilis, tenuibus admodum, copiosis sub foliis, quæ digiti sunt latitudine, & dupla longitudine vel majore, superne virentia vel parum flavicantia, squamosa velut serpentum cutis vel limacis, singulisque squamis punctum in medio inscriptum elevatur. Flos, si quis sit, non manifestus. Caulem ex parte folii extrema, parum scissa & sinuosa, lunata, album, lævem, firmum, succosum, Junci crassitie, diaphanum, quatuor uncias longum habet, supra quem pileolus, veluti fungus, insidet parvus, in quatuor aut quinque partes inferne divisus. Pileolus primum viridis est, parum ad flavum inclinans, postea flavescit, atque demum rufus efficitur; & partes illæ inferiores divisæ fructum nigrum disruptæ ostendunt, atque apertis fructus seu vascula seminalia decidunt nigro-purpurea, succosa cum viridia, siccata vero pulverem pro semine nigrescentem fuliginosum continent. In saxis aquosis & umbrosis oritur juxta rivulos, fontes, aut puteos.

Analysi chymica, ex totius plantæ recentis ℔ij. ℥xiiij. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis herbacei, obscure salsi ℔j. ℥j. ʒij. gr. lx. humoris limpidi, primum obscure salsi, deinde obscure subacidi, ℥xiij. ʒvij. gr. vj. humoris limpidi, tum alcali urinosi, tum acidi, ℥v. ʒiij. humoris fusci, leviter empyreumatici, manifeste subsalsi, alcali & subacidi ʒvij. gr. liiij. olei adiposi ʒiiij. gr. xxiiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vj. ʒiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ruforum ℥iij. ʒiij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi salsi gr. xxx. tantummodo extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒiiij. in calcinatione ℥j. ʒvj. gr. xxxvj.

Hepatica saporis est herbacei cum amarore nonnullo & adstrictione, & odore leviter aromatico, bituminoso, quasi mastichino perfusa. Sale essentiali ammoniacali cum mediocri olei bituminosi portione & copiosa terra conjuncto instruitur.

Ex horumce principiorum miſcela compoſitum exſurgit potenter incidendi, abſtergendi, adſtringendi & conſolidandi virtute præditum. Hepatica eſt inſignis hæc planta, necnon vulneraria. Pulmonum, hepatis, lienis & cœterorum viſcerum obſtructiones aperit, humores craſſos dividit, ſolvit, partium tonum firmat, roboratque. Sanguinem ſiſtit in vulneribus. Humorum acrimoniam ratione terræ & olei bituminoſi demulcet & retundit. Cæſalpinus notat quod aduſtos & craſſos humores leniter purget, ſi in magna copia ut pondere ℔ij. ejus decoctum propinetur, præſertim ſi cum ſero lactis confectum fuerit: quo remedio iterato per multos dies ſanatos multos vidit ex maligna ſcabie & ulceribus exedentibus. Uſus ejuſdem in hectica febre infantium, empyemate, phthiſi, ictero, ſcabie & cutaneis affectionibus commendatur. In juſculis aperientibus ad M. j. præſcribitur.

Emanuel Konig *in ſuo Regno Vegetabili*, hunc pulverem velut ſpecificum antiphthiſicum proponit.

♃. Lichenis petræi exſiccati & pulverati ℥ß. Geran. Robertani pulver. Pulmon. vulpinor. præparator. Boli armen. ana ʒij. Antihectic. Poter. ʒijß. Sacchar. cand. ℥j. M. F. pulvis. Doſis ʒß. vel ℈ij. mane & veſperi.

Officinæ Baſileenſes ſyrupum ſervant ex Lichene præparatum, qui infantibus tuſſientibus & ſcabioſis, maxime autem phthiſicis utiliſſime datur.

Hepatica uſurpatur in ſyrupo de Cichor. ſimplici & compoſito.

Hepatica nobilis, Hepatica trifolia, *Off.* Ranunculus tridentatus, vernus, flore ſimplici, cœruleo, *Inſt. R. H.* 286. Trifolium Hepaticum, flore ſimplici, cœruleo, *C. B. P.* 330. *Raii Hiſt.* 580. Trifolium Hepaticum ſive Trinitatis herba flore cœruleo *J. B.* 389. Hepatica trifolia, cœruleo flore, *Cluſii Hiſt.* 247. Trifolium magnum ſeu aureum, quod nobilis Hepatica, *Tragi* 519. Hepatica aurea, *Brunsfelſ. Tabern. Icon.* 527. Trinitas *Matthioli*: Hepatica nobilis ſive Trifolia *Parkinſon.* Trifolium aureum *S. Paulli Quadr. Bot.* 5. vulgo, *Hepatique des Fleuriſtes*, ou *belle Hepatique*.

Radices ſunt craſſiuſculæ in plurima capita diviſæ, fibris innumeris ex rubro nigricantibus varie intertextis capillatæ, adeo ut totæ fibris hiſce occultentur, nec aliud eſſe videantur quam maſſa ſeu congeries fibrarum glomeratarum & miris modis implexarum. E ſingulis autem radicis capitulis ſeu nodulis quotannis progerminant primo flores: deinde folia, cum primulum emergunt complicata & hirſuta, poſtquam extenduntur glabra, ſuperne obſcurius viridia, adverſa parte pallidiora, & interdum Cyclaminis modo purpuraſcentia, firma, triquetra, in tria ſegmenta non tamen ad pediculum uſque diviſa, per margines æqualia, pediculis ſemipalmaribus & longioribus inſidentia. Caules ex eadem radice plures, tenues, pediculis foliorum breviores, nudi, ſinguli ſingulos flores ſuſtinent ſpecioſos, roſaceos, & ſex vel octo petalis cœruleis conflatos, ſtaminibus cum ſuis apicibus intus plurimis cum calyce trifolio & piſtillo globoſo ac verrucoſo, quod abit in capitulum, in quo plura ſemina acuta, Ranunculorum modo congeruntur. Variat floris colore cœruleo, carneo, albo: in hortis colitur ob floris ſæviente hyeme erumpentis elegantiam: Herba integra uſurpatur.

Inter plantas Hepaticas recenſetur, necnon vulneraria dicitur. Refrigerat enim, ſiccat, roborat, & adſtringit. A nonnullis, referente J. Bauhino, ad vul-

vulnera glutinanda tam foris illita quam intus sumpta probatur : item ad enterocelas, in quem usum pulverem dimidii cochlearis mensura ex vino austero propinant. Tota planta decoquitur in vino eodem ad columellæ fauciumque inflammationes. Tragus asserit, herbam vino decoctam & potam obstructione liberare jecur, præsertim in his, qui veneri nimium indulsere : eamdemque inflammationes impositam sedare, doloresque demulcere. Easdem vires ejus aquæ distillatæ tribuit. Nonnulli ejus extractum cum Saccharo præparatum in herniis puerorum perutile esse asserunt. Aqua pluvialis, post ternam quaternamve ex recentibus cohobationem instituta, fit cosmetica egregia, quam honestissimæ matronæ narrante Simone Paulli, ubi sole sub ardente versatæ sunt, ad formæ suæ restaurationem solent expetere.

## HERBA PARIS.

Herba Paris, *Off. Dod. Pempt.* 444. *Inst. R. H.* 233. *J. B.* 3. 613. Solanum quadrifolium bacciferum *C. B. P.* 167. Uva versa, Uva lupina, Uva vulpina, *Germanorum*: Solanum tetraphyllon, *Adversar. Lobel. Icon.* 267. Aconitum salutiferum, *Tab. Icon.* 112. Aconitum Pardalianches monococcon *Cordi*: vulgo, *Raisin de Renard.*

E radice tenui, longiuscula, geniculis aliquot articulata, oblique serpente, alicubi interdum progerminante, cauliculum erigit teretem & singularem, solidum, duos palmos altum, prope terram rubentem, superius viridem : atque circa hunc folia promit quatuor, ab uno veluti centro in decussis sive crucis figuram concinne digesta, ex angusto principio lata, in acumen desinentia, rugosa & nervosa, per margines æqualia, inferne splendentia, superne nigricantia. Supra hæc, in cauliculi fastigio, flos prodit cruciformis, quatuor scilicet petalis longis, angustissimis, acutissimis, & viridantibus constans octonis staminibus longis, acutis, viridibus, cum additamentis ut plurimum croceis nonnumquam albicantibus, & calyce ex quatuor latiusculis, acuminatis, & viridantibus foliis composito : in cujus medio sedet pistillum seu embryo fructus cum stylo brevi. Embryo autem abit deinde in fructum seu baccam mollem, fere globosam, atropurpuream, in quatuor loculamenta divisam, ex cujus umbilico quaterna filamenta ejusdem cum ea coloris emicant. His in loculamentis semina copiosa, minuta, oblonga, albida, magnitudine Papaverini aut Amaranthi, continentur. Odor totius plantæ virosus & ingratus, In agro Parisiensi sponte nascitur. Tota planta in usum venit.

Analysi chymica, ex ℔iv. & ℥xij. totius plantæ recentis, dempta radice, per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis herbacei obscure acidi ℥xiij. ʒiv. humoris magis ac magis manifeste acidi, & austeri ℔iij. ℥vij. ʒj. humoris rufi, leviter empyreumatici, minus acidi, subsalsi, austeri & obscure alcali ʒv. gr. lx. humoris rufescentis, sale volatili urinoso copioso impraegnati ʒvij. salis volatilis concreti urinosi gr. xlij. olei extracti ad instar spissi ℥j. ʒiv. gr. xxxij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iij. ʒiv. gr. xlviij. quæ rite calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥j. ʒj. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒv. gr. xlij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ʒiv. gr. xliv. in calcinatione ℥ij. ʒiij. gr. xij.

Herba

Herba Paris salem essentialem obtinere videtur vitriolico-ammoniacalem cum multo oleo bituminoso conjunctum.

Alexipharmaca censetur, cephalica, resolvens, & anodyna. Fuerunt, qui eam Aconiti speciem esse conjectantes, venenatam prodiderunt. At vero Lobelius *in Adversariis* eamdem alexipharmacam esse probat experimento duorum canum, quorum intimas in fauces vi indita fuit Arsenici, & Mercurii sublimati ana ʒß. carnibus admixta. E vestigio, inquit, uterque canum ore patulo aerem captabant, spumas elidebant, anxioque & crebro conatu, sed irrito, vomere nitebantur: latratus edebant ore & assultu rabido, rictuque minaci proximum quemque invasuri videbantur. Hora vix exacta uterque frigidior, & quietior factus, decubuit moribundus. Tum Pulveris Saxonici ʒij. ex rubello vino infusæ fuerunt in fauces unius, ac nec tum quidem quicquam evomuit: quin potius aliquanto post, cum socius periculi jam enectus esset, hic nobis attractantibus visus fuit calescere. Itaque cœpit ore reptare, oculos reservare, & animum viresque adeo repente recipere ut hilaris & ludibundus aliquot horis post, cœnam sub mensa cœperit, planeque convaluerit. Idem evenit ad Badenses Thermas aliis canibus, quibus data fuit cum arsenico mixta nux vomica: sed hi vertigine ventrisque diris cruciatibus acti sese in gyrum indesinenter versabant.

Joann. Schroderus usum baccarum internum alexipharmacum in peste, venenatis morbis, venenisque assumptis pronuntiat. Ettmullerus eas eorum malignitatem per sudorem expellere scribit.

Baptista Sardus & Cæsalpinus adversus mentis emotionem, insaniam & fatuitatem tam per morbi diuturnitatem aut sævitiam, quam pravarum rerum assumptione contractas commendant, si viginti continuis diebus dimidium cochlear pulveris hujus herbæ jejuno propinetur. Idem præstat solum baccharum semen pulveratum, si Matthiolo credere fas est, ʒß. vel ʒj. pondere potum ad vigesimum usque diem. Secundum Camerarium pulvis radicis colicam sanat. Eædem baccæ n. v. vel ix. pulverizatæ, & in aqua florum Tiliæ propinatæ a nonnullis summopere laudantur adversus epilepsiam, in primis infantum.

Non desunt tamen qui afferant acinos Uvæ lupinæ devoratos soporem inducere. Ergo sane, inquit H. Tragus, illos nequaquam degustare volo, ne forte prorsus obdormiam. S. Paulli propter diversas auctorum hac de planta sententias internum illius usum prohibet, Galeni monito obtemperans. Medicinas, quæ jam longo tempore probatæ sunt, quæque uno ore a peritis Medicæ materiæ auctoribus commendantur, omnibus aliis præferre videtur. *Lib. 2. de antidotis c. 23. p. m. 399.*

Extrinsecus foliorum, & baccarum usus plurimum commendatur in bubonibus pestilentialibus, calidis tumoribus, inflammationibus malignis, paronychia, & ulceribus inveteratis, sive in decocto, sive sola contusa, aut cum fuligine impastata, in forma cataplasmatis imponantur. Sic, auctore Ettmullero, & inflammationem, & tumorem scroti ac testium, folia imposita admodum laudatum sunt remedium, non minus, quam in inflammatione ipsius penis cataplasma ex herba virente contusa factum, & applicatum egregie convenit. Hujus plantæ foliis aliquid anodyni & narcotici in recessu recondi existimat, quo æstum, & dolorem valent refræ-

nare:

nare: propterquod in cancro tam exulcerato quam occulto folia hæc contusa in mortario plumbeo, & imposita non leve levamen afferre scribit.

Folia & baccæ in pulvere Saxonico usurpantur, cujus hæc est descriptio a Lobelio recensita.

♃. Utriusque angelicæ, domesticæ nempe, & sylvestris, Vincetoxici, Valerianæ domesticæ, Polypodii querni, radicum Althææ, & Urticæ ana ℨiv. corticis Mezerei Germanici ℨij. Grana Herbæ Paridis n. xxiv. folia ejusdem cum toto n. xxxvj. Ex maceratis in aceto radicibus & siccatis fit omnium pulvis. Dosis ℨij.

## H E R N I A R I A.

Herniaria, Millegrana, Herba Turca, *Off.* duplex est, alia glabra; alia hirsuta.

Herniaria glabra *J. B.* 3. 378. & *Inst. R. H.* 507. Polygonum minus, sive Millegrana major glabra, *C. B. P.* 281. Herniaria, *Dod. Pempt.* 114. Empetrum, *Tragi* 527. Herba Turca, sive Herniaria, *Lobel. Icon.* 421. Epipactis *Anguillar*: vulgo, *Herniole, Turquette, Herbe du Turc.*

Herniaria hirsuta *J. B.* 3. 379. *Inst. R. H.* 507. Polygonum minus sive Millegrana major hirsuta, *C. B. P.* 381.

Parva hæc herba supina humique procumbens, late subjectum solum occupat luxurie læta complurium ramulorum, quos ex pusilla radicula in altum descendente fundit, hinc inde sparsos, teretes, subrubentes, creberrimis interceptos geniculis, ad quorum singula adversa folia perquam exigua, Serpilli minora, ex viridi lutea, in hac hirsuta, in illa glabra, gustu acri. Eisdemque locis erumpunt mirum in modum numerosi flores, minimi, luteoli, aut albidi, aperali, plurimis scilicet staminibus constantes, ex calyce surgentibus. Horum pistillum abit deinde in semen perpusillum, splendens, nigrum, in capsula oblonga, & striata, quæ calyx floris fuit, & per maturitatem horizontaliter rumpitur reconditum. Utraque agri Parisiensis incola in usum medicum indiscriminatim recipitur.

Analysi chymica, ex totius plantæ floridæ, & seminibus fœtæ ℔v. distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis & odoris herbacei, obscure acidi ℔j. ℥ij. ℨiv. gr. lxvj. humoris limpidi, sub finem rufescentis, magis ac magis manifeste acidi, & austeri ℔j. ℥xv. ℨvij. gr. xxiv. humoris rufi, tum acidi, tum alcali, & sale volatili urinoso prægnati & austeri ℥iv. ℨvj. olei adiposi ℥iij. ℨvij. gr. xij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥ix. ℨvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥vij. ℨvij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ℨiv. gr. lx. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥vj. gran. xlij. in calcinatione ℥vj. ℨvj. gran. xxxvj.

Herniaria saporem salsum, acrem refert, chartam cæruleam colore rubro leviter tingit. Sale donatur essentiali vitriolico ammoniacali cum oleo copioso, & terra adstringente conjuncto.

In curandis herniis præsertim omenti, & intestinorum, quæ propter peritonæi laxitatem in scrotum descendunt, speciatim est proficua. Andreas Mat-

Matthiolus refert, Gabrielem Fallopium Mutinensem hac tantum herba plures intestinorum ramice laborantes sanavisse. Eamdem Jacobus Hollerius Medicus Parisiensis celeberrimus mirum in modum ad hernias commendat in tractatu *de morbis internis cap. 62.* Et propterea a Parisiensibus herba Holleriana dicta fuit. Hollerius succum expressum solum vel subinde affuso vino albo ab ℥ij. ad ℥iv. per novem dies propinat. Antonius Valetius *in annotationibus in Hollerium* narrat, adolescentem quemdam, cui citatior saltus insignem herniam conciliaverat unico haustu aquæ stillatitiæ Herniariæ curatum fuisse, admoto tamen post reductionem factam hoc emplastro.

℞. Emplastri contra rupturam & emplastri de gratia Dei ana ℥j. Sanguinis draconis, Olibani, & radic. Osmundæ regalis pulverator. ana ʒij. cum modico olei Mirtillor. Molliantur in igne, & fiat emplastrum super alutam.

Alii Herniariæ pulverem vel vino dilutum aut jusculo, vel sub forma boli ad ʒj. exhibent. Maceratur vel coquitur ejusdem herbæ M. j. in aquæ vel vini ℔j. & colatura ad ℥vj. vel ℥viij. propinatur: & post reductionem omenti vel intestini cataplasma ex herba contusa sola vel cum aliis huic morbo accomodatis mixtæ parti afflictæ admovetur. S. Paulli cataplasma sequens adversus exomphalon expertum proponit.

℞. Herbæ Perfoliatæ cum toto M. j. Herniariæ, Auriculæ muris, Plantaginis, musci Acaciæ nostratis ana M. ß. In suff. quant. vini rubri cocta loco affecto applicentur, & umbilicus fascia arcte & debite constringatur.

Commendantur quoque pulvis decoctum, infusum, vel vinum ex musto cum herba recenti fermentato paratum ad urinam ciendam, ad promovendas arenulas in urinariis meatibus hærentes, & ad nephriticos dolores sedandos. Cl. Tournefortius aquam diureticam ex hac herba conficit in urinæ suppressione & nephritide præstantissimam.

℞. Herniariæ & Melissæ Tragi ana ℔jj. Asperge salis marini M. ß. & aquæ q. s. Digerantur per triduum. Postea in Balneo arenæ distillentur. Deinde aqua distillata iterum atque iterum novis plantis affundatur, & distilletur. Servetur ad usum Dosis ℥iv. cum vini albi tantumdem. Quarta quaque hora exhibeatur in urinæ suppressione, & nephritide.

Extus inungantur abdomen, inguina, perinæum & lumborum regio oleo per infusionem parato ex Millepedum M. j. Cantharidibus n. x. & semin. Ammeos ℈j. in olei Olivar. q. s. igne leviter decoctis aut sub solis æstivi radiis per triduum maceratis.

Præterea Herniaria ab Ettmullero inter plantas vulnerarias numeratur. Anguillara scribit succum hujus potum, aut herbam esitatam, vel etiam emplastri modo plagæ impositam, morsis a vipera auxiliari. Idem refert eam jecori prodesse, & aquam ejus distillatam & potam intra dies octo icterum sanare.

Joann. Godofredus Gruhlmannus adversus oculorum caliginem Herniariam, quam ea de causa Ocularium nuncupat *Specimine publico anno* 1706. *Jenæ edito*, velut specificam promulgavit, & illius usum senibus æque ac juvenibus visionem lectione scriptorum subtiliore charactere impressorum, diu noctuque debilitantibus commendat. Pulverem ejus pani butyro illito aspergit &

mane

mane ac vesperi exhibet: vel extrahit ex ea cum spritu vini per infusionem & digestionem essentiam singulis auroris in jusculo vel aquam ejusdem distillata propinandam: quin imo pulverem ejus cum radice Helenii, foliis Verbenæ, Eufrasiæ, Betonicæ, Chelidonii majoris, Majoranæ, Rutæ, addito saccharo in formam Trageæ non minori cum successu redigit.

## HORDEUM.

DUæ in primis Hordei species ad usum esculentum, & Medicum recipiuntur, scilicet Hordeum Polystichum hybernum, & Hordeum Polystichum vernum.

Hordeum polysticum hybernum, *Off.* Hordeum Polystichum hybernum *C. B. P.* 22. & *Inst. R. H.* 513. Hordeum polysticum, *J. B.* 2. 429. *Raii hist.* Hordeum polystichon hybernum majus, *Tab. Icon.* 274. Hordeum majus, *Tragi* 638. Hordeum primum, *Anguillar*. Hordeum, *Brunsfels*. *Matthiol.* vulgo, *Orge*.

Hordeum, ut reliquæ culmiferæ stirpes radicibus est fibrosis, tenujbus numerosis: breviore culmo quam vel Triticum vel Secale, sesquicubitali tamen interdum, & in lætiore solo bicubitali, quinque, sex, & pluribus interdum geniculis intercepto; ad quæ singula folia graminea, longa, angusta, culmum aliquousque obvolventia, ima triticeis angustiora, superiora nonnumquam æquæ lata, scabriora, & quousque culmos obvestiunt glauco quodam polline plerumque obducta. Spicas promit in ordines & versus nunc ternos, interdum quatuor, nunc sex, nunc octo axi dentatæ affixos digestas, longis, firmis, mordacibus & asperis aristis e glumarum apicibus prodeuntibus munitas: in quibus flores nascuntur apetali, staminibus plurimis constantes ex calyce ut plurimum triphyllo surgentibus. In centro calycis seu glumæ embryo fructus reconditur; qui deinde abit in semen duas tresve lineas longum, pallidum vel flavescens, farinaceum; utrimque acutum, ventre tumido, glumæ, quæ calyx floris fuit arcte adhærescens, adeo ut eam deponere vix queat. Seritur in arvis autumno & sequenti anno colligitur.

Hordeum polystichum vernum, *Off.* Hordeum polysticum vernum, *C. B. P.* 22. *Inst. R. H.* 513. Hordeum hexasticum pulchrum, *J. B.* 2. 329. Hordeum polystichum æstivum, *Tabern. Icon.* 275. Hordeum septentrioni notissimum, *Lobel. Obs.* Hordeum senis versibus, *Matthiol. Camerar*: vulgo, *Orge de printemps*, *Orge avance*.

Priori breviores spicas profert, & crassiores. Cœterum non differunt nisi solo sationis tempore. Hoc apud nos in arvis verno tempore seritur.

Hordei stipulæ per maturitatem molliores sunt minusque fragiles quam triticeæ: unde & succulentiores sunt, & pabulum bobus, & vaccis alendis commodius, & pingujus suppeditant. Spicæ ob longitudinem, & gravitatem plerumque nutant & deorsum incurvantur, & vel viginti interdum grana in singulis versibus continent. Ab eodem grano plures stipulæ exeunt.

Analysi chymica, ex granor. Hordei ℔vj. & ℥viij. per retortam distillatis pro-

prodierunt humoris limpidi, odore & sapore decoctum Hordei referentis, primum obscure subsalsi, obscure acidi, deinde manifeste acidi ℔j. ʒiij. gr. xxiv. humoris rufi, empyreumatici, impense acidi, acuti, primo obscure austeri, deinde manifesti ℔j. ℥x. ʒiv. gr. xlviij. humoris rufescentis, empyreumatici, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥iv. ʒß. olei spissi fere adiposi ℥iv. ʒv. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j. ℥xiij. ʒvij. gr. xxxvj. quae pulverata, & per decem horas rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒvj. gr. xl. illorum cinerum lixivium adeo viscidum erat, ut chartam bibulam permeare vix, & nisi post longum temporis intervallum valeret: ex cineribus salis alcali fixi ℥j. lixivio extracta est. Partium jactura in distillatione fuit ℔j. ℥vj. ʒij. gr. xxxvj. in calcinatione ℔j. ℥xj. gr. lxviij.

Hordei semen seu granum multum salis essentialis tartarei continet cum sulphure crasso copioso, nonnihil salis ammoniacalis & terrae adstringentis conjunctum. Ex hac mixtura compositum exsurgit farinaceum, quod cum aqua dilutum vel coctum in mucilaginem abit adeo viscidam, ut igne quidem destrui vix possit: quandoquidem granorum Hordei insignis portio, ( fere tertia pars) in carbonem convertitur, & cineres licet optime calcinati mucosam & viscidam reddunt aquam. Haec farinacea & mucosa substantia actuosis donatur principiis, quae, si ope aquae in motum agantur, fermentationem concipiunt, mucosae partes dividuntur, attenuantur, ac compositum vinosum fit, ut experimur in Cerevisia postea acetosum, ac tandem evanidum aut putidum, sicut coeteri fere omnes plantarum succi. Ex liquore vinoso seu Cerevisia spiritus ardens extrahitur spiritui vini haud absimilis.

Hordeum non easdem cum Tritico facultates obtinet: si quidem Triticum calefacit: Hordeum vero quocumque modo paratum sit, numquam corpus calefacit, sed quodammodo refrigerat & abstergit, & varie pro modo praeparationis tum humectat, tum siccat. Coctum ut in ptisana humectat, tostum ut in polenta siccat. Differt praeterea a Tritico, quod succum tenuem aut saltem minus crassum ac detersorium generet, cum Triticum crassum ac lentum sit & nonnihil obstruentis naturae obtineat. Nonnulli observant Hordeum flatulentum esse, & stomacho adversari, quod quidem intelligendum est de Hordeo coctione aut fermentatione non debite subacto aut de ventriculo Triticeis assuefacto.

Ex Hordei farina olim apud populos quamplurimos, panes conficiebantur, & hoc etiam saeculo fiunt, verum in annonae caritate & ad sublevandam Tritici inopiam a tenujoribus praecipue. Apud nos certe, sicut apud Romanos olim, mediocrem habet auctoritatem, saltem ad panificia: nam ad conficiendam cerevisiam valde expetitur, & a septentrionalibus populis quotidiano usu frequentatur, illis aeque necessarium pro potu parando, ac Triticum pro pane. Reipsa Hordeum minus quam Triticum alit, difficilius concoquitur, quoniam minus habet lentoris, & corpori agglutinari, & adhaerere aeque ac Triticum nequit. Hordeum laudatur candidum, & purum, totum plenum, densum ac ponderosum, quantum ejus natura postulat. Reprobatur gracile, rugosum, laxum ac leve. Nec statim a messe & tritura eo utendum est, sed loco sicco, & minime humenti per aliquod tempus condendum est propter humorem viscidum supervacuum,

qui

qui exhalari aut attenuari postulat. Quando vero mediocriter siccatum contrahi videtur, tunc ejus usus tempestivus est, idoneus & salutaris. Cortex autem exterior, qui furfuraceus, interiore pulpa seu farina siccior est, minime vel parum nutrit, abstergit, & purgatorium quid, monente Hippochrate, obtinet.

Variis modis Hordeum paratur, vel ut alimentum sit, vel ut alimentum medicamentosum.

1. Panes ex Hordei farina conficiuntur. Triticeis friabiliores, & multo inferiores, pabulum tenujoris fortunæ hominum præbent, iis tantum accomodati sunt, qui duros subire labores necesse habent, robustum enim ventriculum requirunt: quapropter apud Athenienses, narrante Plinio, gladiatores, qui eo frequenter vescebantur, hordearii cognominati fuerunt. Dicuntur etiam convenire catarrhosis, hydropicis, & mulieribus, quibus menses immodice fluunt. Laudabiliores sapidioresque panes evadunt, si Hordeum cum Tritico, Spelta, aut Secali æquis portionibus misceantur.

2. Maza *Græcorum*, & *Latinorum*, genus panis Hordacei apud veteres usitatum, Hordei tosti farina est liquore aliquo conspersa atque subacta v. g. aqua, oleo, lacte, vino, sapa, melle, &c. Hinc forte placentæ quæ in officinis ex amygdalis, & saccharo conficiuntur, Massipanes nominantur. Maza coquitur, inquit Galenus *L.* 1. *de alimentis cap.* 12. panibus Hordaceis ægrius magisque ventriculum flatu implet, in quo, si diutius manserit, turbationem excitat. Citius autem subducitur seu dejicitur, si bene commixta fuerit ac diutius subacta. Quod si mel quoque addatur, citius etiam ventrem ad excretionem excitabit.

3. Polenta, ἄλφιτον *Græcis*, geminam habet apud Auctores significationem, generalem & specialem. Generaliter quamlibet farinam cujuslibet frumenti & leguminis denotat. Fragmenta enim omnis grani mediocri magnitudine moliti ἄλφιτο vocabant prisci: majora fragmenta κρίμνα seu farinas crassiores, vulgo *Griau* ou *Gruau:* minora ἄλευρα, farinas tenujores. Specialiter polenta farinam Hordei recentis tosti vel frixi, ex qua pultes parabantur cum aqua, vel lacte, vel passo significat. Ait enim Plinius Polentam ab Hordei farina eo distare, quod torretur. Fit Polenta laudatissima inquit Galenus *L.* 1. *de Alimentor. facult. c.* 11. ex recenti Hordeo mediocriter frixo. Græci Hordeum aqua perfusum siccabant nocte una: postero die frigebant: tum molis frangebant. Alii vehementius tostum rursus exigua aspergebant aqua, siccabantque priusquam molerent. Nonnulli Hordeum virentibus spicis decussum recens purgabant, madidumque tundebant in pila, atque in cordibus eluebant, ac sole siccatum rursus tundebant, purgatumque molebant. Polenta omnis ait Galenus loco citato, quæ quidem legitime decenterque facta, boni odoris est: sed suaveolentissima illa, quæ ex optimo & recenti Hordeo, quod spicam non admodum siccam habet parata. Addit insuper morem esse compluribus eam sapa & vino dulci mulsoque commixtis, nonnumquam sola aqua conspersam, æstate duabus tribusve horis ante balneum bibere, idque sitis extinguendæ gratia. Sæpius antequam Hordeum torretur, pinsereturque, Linum Salem & Coriandrum miscebant, quorum hanc proportionem ac mensuram Plinius refert. Recipiebant Hordei ℔xx. Semin. Lini ℔iij. Coriandri ℔ß. Sa-

℔ß. Salis ℥ij. His omnibus tostis, & simul tritis utebantur. Polenta leve & exiguum præbet alimentum: privatis quidem & ab omni exercitatione liberis satis multum: iis autem qui quoquo modo exercentur, minus, quam satis est. Desiccat vero magis quam Hordeum: alvum quoque cohibet.

Hodie in quibusdam Galliæ Provinciis sicca Hordei farina quasi torrida & in clibano resiccata venalis circumfertur, inspissandis carnium jusculis inserviens. *Griotte* vulgo dicitur aut *Gruau*. Offæ genus etiam paratur ex Hordeo sub mola trito in aqua & sale elixato atque despumato, cui lac aut butyrum adjiciuntur. Vocant *des Gruaux d'orge*. Ex avena quoque retorrida conficiuntur, quæ *Gruaux d'Avoine*.

4. Ptissana, Ptisana *Latinorum*, πτισσάνη, ἡ πτισσάνη *Græcorum* quadruplicem significationem habet: impropriam, generalem, specialem, & specialissimam, ac priscis medendi artificibus usitatam.

Improprie in officinis ptisana sumitur pro decocto Hordei, quod tenue est, & substantiæ ejus parum retinet. Adduntur autem Hordeo etiam alia; v. g. Glycyrrhyza, Graminis radix, Passulæ, Jujubæ, Ficus, Semina &c. Sumitur Hordeum integrum, cum mundificandum, abstergendum, siccandum: excorticatum vero, quando leniendum, mitigandum, emolliendum, sitisque magis extinguenda,

Generaliter, pro quovis frumenti genere, quod pistum est, suoque cortice spoliatum, juxta vim vocis: πτισάνη enim vox videtur Athenæo deducta ἀπὸ τῦ πτίσσειν, quod est tundendo deglubere, seu pinsendo decorticare. Verum ptisanam istam non simplici ptisanæ nomenclatura, sed addito frugis, ex qua constabat, nomine veteres exprimebant. Hinc dicebatur πτισσάνη πυρίνη, ptisana triticea; χονδροπτισσάνη, ἐκ ζειᾶς καὶ ὀρύζης πτισσάνη, quæ ex alica, zea, & oriza parabatur: quæ fit ex lentibus φακοπτισσάνη.

Specialiter, pro Hordeo pisto & decorticato cui proprie & peculiariter ptisanæ nomen competit. Hordeum enim tundendo deglubebatur, ac suo cortice spoliatum, recondebatur ad usum. Officinæ Hordeum mundatum hodie appellant: vulgo, *Orge monde*.

Specialissime, & juxta vulgarem Medicorum acceptionem, pro πτισσάνης specialiter sumptæ χυλῷ καὶ ῥοφήματι hoc est ptisanæ cremore seu succo, & sorbitione. Celsus tamen jus Hordei integri, quod decorticatum non est, in aqua tantisper decocti, dum coctione dissiliat, Hordei cremorem vocat: qui biliosis, & ardentibus febribus propinatur.

Ptisanam coquendi ratio aliis atque aliis diversa fuit, sed Græcis maxime vulgata hæc est, & optima quam Galenus annotavit *L.* 1. *de Ptisana cap.* 4. & *Lib.* 1. *de Alimentor. facultat. cap.* 9. Monet autem ad illius confectionem eligendum esse Hordeum optimum, & quod inter coquendum in magnam molem attollatur, & aquam optimam. Primum veteres Græci Hordeum crudum in aqua macerabant. Deinde maceratum manibus conterebant, donec exterior cortex manibus esset excussus. Tum validius iterum manibus confricabant, quousque totum illud quod paleacetum erat, ablatum esset: nisi ptisanam parare vellent majori abstergendi virtute pollentem: tunc enim Hordeum

cum

cum ipſo cortice exteriore coquebant. Coquebant id autem primum vehementius, ut bulliret multum: poſtea igni blando, donec in cremorem abiret, qui etiam jus, ſuccus, & lac, ῥόφημα græce & χυλὸς appellatur.

Hæc erat ptiſana veterum ſimpliciſſima. Compoſitam tradit Galenus, loco citato. Coquitur Hordeum decorticatum in aquæ decem, vel, ut Paulus Ægineta ait, quindecim partibus: daturque inter coquendum opera, ut quam ampliſſime intumeſcat. Cum in tumorem eſt ſublatum, aceti infunditur momentum, deinde olei exiguum; quod tamen etiam per initia injici poteſt. Quando ad exactam coctionem perventum eſt, ſal friatus inſpergitur, neque aliud quidquam præterea admiſcetur, niſi forte Anethi aut Porri pauxillum. Et talis quidem eſt optima ptiſanæ confectio. Ab ea multum aberat quam plerique aliis multis ſuperfluis imperite condiebant. Alii namque Amylum, alii Sapam indebant, alii Mel, & Cuminum, cinnum potius quam ptiſanam parantes. Nec defuit illis forte ratio, quod ſic Hordei craſſitiem tenuari, lentorem incidi, flatum diſcuti arbitrarentur.

Hippocrates *l. de victu in acutis*, qui & *de ptiſana* etiam inſcribitur, miris ptiſanam laudibus extollit, eamque omnibus frumentaceis ſorbitionibus in acutis morbis præferendam judicat. Tunc enim de carnium uſu in morbis nulla erat mentio. Galenus *in Commentariis* ait dicti Hippocratei veritatem elucere, ſi acutorum naturam, & qualitates vireſque ptiſanæ conſiderentur. Etenim morbi acuti cum febribus ſunt conjuncti, & quidem putridis validiſque: ideoque ratione febrium opus iis eſſe refrigeratione, & humectatione: ratione putredinis concoctione, & evacuatione, concoctione quidem eorum quæ adhuc concoqui, & ad meliorem ſtatum redigi queunt: vacuatione illorum, quæ jam plane ſunt exuſta, & concoqui amplius non poſſunt; poſcere etiam eoſdem acutos morbos refectionem & refocillationem, virium cauſa; hiſce autem ſcopis, & intentionibus omnibus ptiſanam ſatisfacere. Revera ab omnibus antiquis Medicis ptiſana acutis, & ardentibus febribus accommodatiſſima cenſetur. Refrigerat enim lentis ac viſcidis ſuis partibus ſanguinis, & humorum æſtum ac efferveſcentiam compeſcendo: humectat, ſolidas partes nimis rigidas emolliendo, ſicciores, & criſpatas aquoſis ac lentis particulis irrigando, humores vero ſpiſſos & viſcidos diſſolvendo, ſanguinem fluxiliorem efficiendo, & ad circuitum ſuum placide, & æqualiter perficiendum aptiorem reddendo: magis ſitim extinguit quam ipſa aqua, non ſolum humorum acrimoniam retundendo, ſales, & ſulphura nimis evoluta involvendo, & irretiendo, ſolidas partium fibrillas emolliendo, ſed etiam lentore ſuo aqueas fluxiliores particulas intra fibrarum poros diutius retinendo: humores crudos adhuc ad coctionem diſponit, tum ſuccos inſpiſſatos, & coagulatos diſſolvendo, tum ſolidas in quibus reconduntur partes emolliendo & laxando. Cruditas enim humorum vel eſt eorumdem ſpiſſitudo nimia, vel nimia partium continentium conſtrictio aut erethiſmus, quibus diluentia apprime medentur: putridos humores abſtergit, & evacuat eamdem ob cauſam, reſtituendo nempe & ſecretiones & excretiones debitas: facillime concoquitur, & quaquaverſum digeritur: Quid eſt enim ptiſana? niſi chylus vel potius lympha jam fere perfecta, quæ ſuccum nutritio ſucco congenerem nutritioni aptiſſimum continet, multa aqua dilutum, tenuiſſimum, leviſſimum, fluxilem, qui ventriculi ſucco facile conſociatur, per totum corpus cito diffunditur, ſanguini, & humoribus

prompte, & intime permiſcetur, eos diluit, fluidiores efficit, & partibus omnibus nutrimentum exiguum quidem ſed convenientiſſimum, quale in febribus requiritur, ſuppeditat atque circum vehit. Alimentum eſt inſuper innocentiſſimum, omni potentiori qualitate vel exceſſu carens, qui quidem aliqua dignus ſit animadverſione aut reprehenſione: non enim ſalium, & ſulphurum exuperantium majori copia donatur, ſed omnia principia in eo ita ſunt commixta, temperata, actuoſæ particulæ aqueis, & terreſtibus partibus adeo exacte involutæ, & ſubactæ, ut guſtu exceſſus nullus percipiatur. Nullam inflammationem in partibus, nullum æſtum in ſanguine, in bile nullam effervеſcentiam excitare valet: quin imo ſi quæ ſint turbæ in humoribus, ab ea facile ſedantur, & coercentur. Si quid flatulenti in cerealibus deprehenditur, corrigitur in ptiſanæ toſtione, & coctione, quibus viſcidæ ejus particulæ ſufficienter attenuantur.

Præſtantiſſimo hocce alimento medicamentoſo antiquiores Medici in acutis ægrotantium vires ſuſtinebant, naturæ morborum medicatrici opitulabantur, nullas morbo ſuppetias ferendo. Nec indiſcriminatim ptiſanam granuloſam, aut ptiſanam jurulentam cuicumque ægrotanti afferebant: ſed modo cremorem ſolum, modo ptiſanam, modo cremorem variis proportionibus ptiſanæ confuſum, quantum ſcilicet ægro cuique pro varia febris ætate, aut indole conveniebat, ptiſanam plus aut minus cremore dilui. Ptiſanam enim nemini febricitanti indulgebant, niſi biduo poſt criſim vel catharſim elapſo, cremorem prope nemini, etiam minus robuſto, dum criſis erat futura quarto die; nec ante ſeptimum, ſi ſeptimo tantum criſim futuram autumabant, & vires eſſent ferendo pares, ſola potione contenti aut mulſa ſeu hydromeli, aut apomelite (*a*), aut aqua frigida vel calente. Secus, cremoris oxybapha (*b*) duo, id eſt uncias quinque dabant; ſimul ac ſemel, ſi ſemel tantum cibum ſumere ſolitus fuerat ægrotus: bis, & cremoris doſi ſupradicta in duas partes diviſa, ſi ſanus bis paſci fuerat aſſuetus; æqualibus vel inæqualibus portionibus, pro ratione conſuetudinis in ſumendo cibo, dum valebat. A primo vel ſecundo die tam exiguum demenſum magis magiſque minuebatur, donec morbus perveniſſet ad criſeos tempora, id eſt, ad ſeptimum, nonum, undecimum morbi diem; eo die nihil dabant præter potionem. Judicato morbo per criſim vel per concoctionem, alimentum quibus gradibus imminutum fuerет, augebatur. Biduo poſt criſim addebatur cremori, ptiſanæ ſeu grani concocti nonnihil. Hoc ſenſim augebant imminuta cremoris portione, auctis doſibus, donec ad ſolidum alimentum per ova, piſciculos, avium cortalium extrema fieret reditus. In hoc curriculo, ſit faſtidiebatur cremor ptiſanæ, panis bis, ter, quater, quinquies, ſexies elotus, donec aquæ innataret, ſorbitioni faſtiditæ ſufficiebatur. Nec ex Hordeo ſolo alimonia febrientium petebatur, ſed ex Zea, Chondro (*c*), Trago (*d*), deinde

(*a*) Decoctum paratum ex melle vel favis cum aceto commixtis, & tantiſper decoctis.

(*b*) Oxybaphon, acetabulum, menſura.

(*c*) Alica, & Chondros granum ſignificant ex Zea frumenti ſpecie paratum forte quid ſimile *a l'Orge perle*.

(*d*) Tragus fit ex Olyra decorticata: Olyra eſt vel ipſa Zea, vel Zeæ aut Tritico reſpondet. Forte erat gruti ſpecies ex hoc frumento.

deinde alica factitia, oriza, deinde Milio, imo & ipsis leguminibus. Ex his ptisanas conficiebant, nunc solo nomine notas, olim tam vulgares ut vix eas describere dignati sint veteres. Nonnunquam & carnis nonnihil adjiciebatur; sed hæc magis medicamenti vel condimenti nomine, quam alimenti, si quando liquiditas alvi aut fastigium stomachi infestaret aut metueretur. Nunc vero apud nostros homines harum sorbitionum vestigia sola supersunt: ptisanæ hujus ætatis, nudum nomen nisi quod Hordei nonnihil continent, ut constet aliqua nominis ratio.

Nec solum juscula carnium inolevere, exoletis jam tot plurimorum sæculorum auctoritate confirmatis ptisanis. Sed (quod quidem serio consideranti mirum videbitur & ab omni ratione alienum) postremis hisce temporibus, una cum jusculis carnium, pro antiquatis multiplicibus veterum scitis, de delectu, de mensura, de modo seu systasi, de intervallis alimentorum sorbilium; de his sensim minuendis, augendis, vel omnino prohibendis pro ratione virium, ætatis, consuetudinis, temporum morbi: una successit lex omnium naturarum, ætatum, tempestatum, febrium utcumque inter se distantium communis, ineunte, procedente, vigente morbo, trium quatuorve horarum intervallis sorbitiones exhibere, non quales vellet Medicus ex artis decretis, hoc est leviores, ac leviores febre gliscente, sed a primordiis ad summum succo carnium majorum quadrupedum opimarum valentissimo refertas, & quantas ventriculus ægri potest admittere, hoc est, librales, vix exceptis paroxysmorum gravissimis temporibus. His autem vix minus quatuor libris bubulæ, vitulinæ, vervecinæ uni febrienti in unicum diem deputantur: adeo ut multo plus alimoniæ ægrotanti homini quam sano aggeratur. Liquidæ tantum, inquiunt carnivori, illis offeruntur sorbitiones e carnibus longa coctione elicitæ. Verum quid est illa sorbitio nisi carnium succus, adeo compactus ut jam fluiditatem suam amittet, & in gelatinam concrescat; extractum potius salibus & sulphuribus carnium onustum & ideo ipsis carnibus magis noxium. Et reipsa hæc jura sæpe ventriculum ægrum sollicitant, ardorem in eo concitant, difficile concoquuntur, imo citissime corrumpuntur, varia symptomata pariunt, ructus nidorosos, nauseas, vomitiones, diarrhæas, sulphurei fœtoris intolerabilis dejectiones, insuperabile fastidium, & alia huic alimoniæ potius imputanda quam febri: tandem in sanguinem irrepsa variis illum imbuunt partibus incendiariis, sulphureis, salinis, actuosis, quibus conturbatus vehementer effervescit, febrilis excandescit ardor: ita ut non tam ægri vires his alimentis sustineantur, quam putridorum humorum copia & morbi robur augeantur & crescant. Sed ad Hordeum redeamus.

Inter diversos Hordei præparandi modos tres nobis aliquantisper adhuc usitati supersunt. Unus qui decoctum Hordei *de l' eau d' Orge* in officinis dicitur: alter a veterum ptisana parum discrepans, Hordeum mundatum dicitur, vulgo, *un Orge monde:* Tertius Hordeatum *de l' Orgeat*, *de l' Orge passe*, seu cremor Hordei *de la Creme d' Orge*.

Decoctum Hordei vel simplex est, vel compositum. Simplex præparatur ex Hordeo vel integro, quod ratione corticis magis detergit, & in obstructionibus magis conducit, vel decorticato seu mundato, ut ajunt,

quod paulo magis refrigerat & incrassat. Cum aqua communi purissima plus minusve coquitur, modo ad granorum mollitiem tantum & turgescentiam, modo ad perfectam crepaturam, ut ajunt, seu donec granorum tunicæ a nimia farinaceæ substantiæ rarefactione disrumpantur. Hæc decocta in febribus ardentibus & aliis ægritudinibus utiliter usurpantur ad humores crassos & viscidos diluendos, ad humorum acrimoniam temperandam ac demulcendam.

Compositum vero decoctum Hordei fit cum radicibus Glycyrrhyzæ, Graminis, Cichorii, aut aliis aperientibus, Scorsonneræ, Lapathi, Bardanæ &c. Passulis, Jujubis, Ficubus, Dactylis, seminibus, & aliis diversis pro diversis indicationibus. Sic Ettmullerus in pleuritide laudat potum ex decocto Hordei, in quo flores Papaveris erratici aut Bellidis infusi fuerunt; in variolis & morbillis decoctum Hordei cum Cornu Cervi; idem decoctum cum radice Chinæ in febribus ardentibus & cum radice Scorsonneræ in petechialibus.

Hordeum mundatum ex Hordeo integro conficitur, eoque laudatissimo & pistrino gluma sua decorticato, quod *Orge grue* nostrates appellant: cujus pars quædam in aqua maceratur, abluitur, & iterum manibus teritur, ut quidquid exterioris tegumenti inter pinsendum reliquum est, defricetur. In fictili postmodum reponitur, nova aqua affunditur, & in ea elixatur per quinque, sex, vel septem horas, donec in cremorem abeat: sed ne ebullitio interrumpatur, cum nova aqua opus est, tepida affundenda, & igne blando coquenda ptisana granulosa, in qua nempe semen ipsum restitat: ut vero melius fiat hoc Hordeum mundatum, quidam ab initio butyrum recens addunt, sub finem vero salis quantum satis. Sic paratum ab infima plebe comeditur. Alii ut suavius sapiat, Amygdala, & ad refrigerium semina Melonum vel Cucurbitarum admiscent, & insuper multo Saccharo condiunt. Hujus multus est usus per totum quadragesimale jejunium commodum præbet alimentum, & succum laudabilem in sanis & ægris generat.

Hordeatum quod veterum ptisanæ cremor, nobis *Orgeat*, sic conficitur. Hordeum, ut diximus decorticatum, maceratum & manibus fricatum, atque per horas septem octove elixatum in mortarium marmoreum conjicitur, cum Amygdalis dulcibus decorticatis denuo teritur, & sic trajicitur crassius, aliis liquidius tum additur Saccharum, & patinæ argenteæ impositum iterum prunis leviter ebullit, atque exhibetur sanis, ægris, tussientibus, extenuatis, his qui noctes ducunt insomnes, quo tempore semina quatuor frigida majora adjiciuntur. Cum post colaturam coquitur denuo, crassius fit, & magis nutrit: sin minus, liquidius est, & avidius a multis sumitur, sed minus alit: propterea non tantum semel in die circa horam somni porrigitur, sed bis ter aut sæpius julapiorum in morem propinatur. Interdum ptisanæ sub finem coctionis lac additur, quo nomine suaviter esitatur, sed febricitantibus non convenit.

Si vero æger uberiori nutritione refrigerante & humectante opus habeat, vel Hordeum incoquitur cum pullastro vel frustulo carnis vitulinæ: vel post longam in aqua elixationem, jus carnium affunditur & transcolatum simul cum Hordei cremore hauritur.

Quoddam apud Germanos & Belgas Hordeum præparatur in granula rotunda candida seminis Milii magnitudine contritum, quod Hordeum perlatum dicitur,

citur, ex eo quod semen margaritas forma, crassitudine, candore quodammodo referat. Conficitur ex Hordeo decorticato, & suspensa mola trito. Fortasse non multum differt a crimno veterum, quod κρίμνον, Galeno monente, crassior farinæ pars est, quæ effracto Hordeo grandiuscula invenitur, quæ exquisitiorem molæ confractionem refugit, & per cribrum laxiora habens foramina transmissa est. Ex eo apud Hermanos Pultes modo cum aqua, modo cum lacte, nonnunquam cum jusculo carnium conficiuntur.

℞. Hordei integri ℥ij. Decoque in aqua pura, sed primum fervefacta abjiciatur: nova addatur, ad q. s. & coquatur igne lento ad ℔j. Fiat colatura sine expressione. Adde Sacchari rosati vel syrupi cujuscumque ℥j. Sumat æger pro potu solito, ad leniendam tussim, & ad sanguinis æstum in calidis affectionibus compescendum.

℞. Hordei integri optime loti M. j. Radicum Gramin. Brusci, & Cichorii ana ℥j. Coquantur in aq. comm. ℔iiij. Sub finem coctionis adde folior. Taraxaci, Scolopendrii ana M. j. Liquiritiæ rasæ, & contusæ ℥iij. F. apozema aperiens per cyathos, tertia quaque hora, propinandum.

℞. Hordei mundati ℥j. Bulliat leviter in aq. q. s. rejicienda. Nova, & limpidissima affundatur ad ℔iij. & coquatur ad mollitiem. Tum adde Passularum ℥ß. Caricas ping. n. ij. Glycyrrhizæ rasæ, & contusæ ʒij. Bulliant per horæ quadrantem. Adde sub finem, Capillor. vener. Canad. florum Papaveris rhæad., & Tussilagin. ana M. j. Decoctum refrigeratum transcoletur, & pro potu servetur. Ad tussim sedandam, humorum acrimoniam compescendam, expectorationem promovendam.

℞. Hordei mundati optime loti ℥ij. Coquatur in aq. purissimæ q. s. igne lento ad crepaturam. Trajice deinde per colum, & ad ℥viij. adde Sacchari ℥j. vel syrup. de pomis simplic. de Althæa aut alterius ℥jß. aq. florum Aurantiorum ʒj. Fiat Hordeum mundatum. Capiat mane, jejuno ventriculo, & vesperi, dum it cubitum ad temperandam humorum acrimoniam aut somnum conciliandum.

℞. Hordei mundati loti ℔ß. Fiat decoctio in aqua fontis purissima lento igne usque ad perfectam crepaturam. Aquam colo separa: & extrahe pulpam seu medullam ab Hordeo per setaceum, quæ ad pultis consistentiam cocta servetur in vase terreo vitreato optime cooperto, & in loco frigido non multum humido, quia cito liquesceret. Hujus pulpæ duo aut tria cochlearia dissolve in jusculo, & coquantur per semihoram ad modum liquidæ panatellæ, seu cremoris Hord. antiquor. addendo si lubet aq. florum Aurantiorum perparum. Capiat æger bis aut ter in die.

℞. Hordei perlati vel Hordei mundati ℥ij. Coque cum frustulo colli carnis vitulinæ vel cum pullo gallinaceo. Colatura sumatur instar liquidioris panatellæ. Ad tabidos, & hecticos nutriendos.

℞. Hordei mundati ad crepaturam cocti ℥jß. Amygdalas dulc. decorticatas n. vj. Semin. Melon. ʒiij. Contunde in decoct. Hordei ℥xvj. Expressioni adde syrup. de Althæa aut Nenuphar. ℥ij. aqua flor. Aurantior. ʒij. Fiat emulsio pro duabus vel tribus dosibus.

Cerevisia, & Cervisia: Gallis olim *Cervoise*, nunc *Bierre*: Ζύθος aut Zythus *Ægyptiorum*, & *Græcorum*: Κȣ̃ρμι *Dioscoridis*: Οἶνος κρίθινος *Diodori Siculi*, seu vinum Hordaceum. Πίνος seu Πῖνον *Athenæi*: Βρῦτον *ejusdem*: Βρύττιον *Hesychii*: Φȣ̃κας *Simeonis Sethi*, & *Arabum*: Φουκάδιον aliorum: Cœlia, & Ceria Hispanorum, *Plinii*: Potus Peleusiacus, *Columellæ*: Sabaia Illyricorum, *Ammiani Marcellini*. Potiones sunt inebriantes non prorsus dissimiles. Ex Hordeo vel aliis Cerealibus præparatæ, licet ratione præparationis granorum, fermentationis, aut admixtarum rerum aliquantisper differant.

At Cerevisia nostra potus est aqua cum Malto infusione paratus & fermentatus, mediæ quodammodo inter aquam, & vinum naturæ.

1. Ex Hordeo Triticove, vel utroque Maltum, Βύνη *Aetii*, & Brasium *Quorumdam*, ad conficiendam Cerevisiam sic præparatur.

Grana Hordei vel Tritici in ampla cupa lignea macerantur per unum aut alterum diem, donec cum mollitie intumescant. Deinde subter infusa aqua, grana eximuntur, & in pavimento asseribus strato paulum exsiccantur, ut nimius humor aquosus evaporetur. Humida adhuc aliquantisper coacervantur ad alitudinem circiter dimidiæ ulnæ, quo protrusis perpusillis radicum cirris seu filamentis germinent, & quasi fermententur.

Germinatio hæc quo rectius successit, eo porosior evadit Malti substantia, ac infusioni extractionique aptior. Sub germinatione autem hæc grana quotidie bis terve versantur, ac moventur, ut æqualiter germinent, ne quædam grana calore nimio suffocentur, & putrescant, quædam autem substantiam seu medullam omnem in filamenta ejusmodi effundant, quædam etiam in superficie, & per ambitum locata ab aeris frigore in germinatione impediantur.

Postea vero ne nimia ejusmodi germinatione Maltum quasi enervetur, & nimiam actuosarum partium quantitatem deperdat, grana ita germinantia laxe & sulcatim dispersa aeri exponuntur ac sensim siccantur, vel tandem etiam supra tabulatum quoddam, igne subjecto, blando calore torrentur sæpius sub tostione versando ne adurantur. Torrefactio tamen si nimia fuerit, Cerevisiæ saporem ingratum conciliat.

2. Maltum molle molarum beneficio ad cremorem redigitur, ac dein aquæ ferventissimæ in cupa lignea infunditur, ea fere quantitate ut pulmentum referat, & a viris robustis, per aliquot vices, ligneis quibusdam instrumentis planioribus probe agitatur, donec spuma in superficie appareat, quod signum sufficientis extractionis est: si maceratio hæc aut extractio justo diutius protrhatur, Cerevisia evadit crassior, mucaliginosa, ac dein vix fermentescit, cujus causa in particulis terrestribus simul extractis latet. Deinde beneficio colatorii cujusdam lignei in cupa repositi, infusum cremore Malti imprægnatum transcolatur: continuo iterum exhauritur, & in caldario ad ignem rursus coquitur per semihoram, sesquihoram aut aliquot horas ut melius conservetur, adjectis aliquot manipulis florum Lupuli salictarii. Mox in cupas, ut refrigescat, distribuitur. Tandem hujus decocti frigefacti libris octo vel decem, fermenti sive fœcis Cerevisiæ libra aut sesquilibra adduntur exacte agitando, in loco tepidiore: stragulis operiuntur, sensimque reliquus liquor affunditur, ut com-

ut commodius fermentescant. Quibus absolutis liquor fermentescens transcolatur: vasa adimplentur, & demum fermentatione absoluta exactissime occluduntur.

Eidem Malto nova aqua affunditur fervida, transcolatur, & ex colatura tenuis Cerevisia concinnatur.

Quo diutius liquor Malto impraegnatus decoquitur, eo durabilior est Cerevisia, & aetatem melius fert, coeteris paribus. Lupulus Cerevisiae incoctus, eidem diutius asservandae, & ab aciditate tuendae inservit, quod efficit amarore insigni quo pollet, quin & eamdem sapidiorem salubrioremque reddit, nimium alae lentorem attenuando, obstructiones, quas Cerevisia saepe gignit, aperiendo, & abstergendo. Quae sine Lupulo Cerevisia conficitur, Ala dicitur ab Anglis. Si generosior sit, maxime nutrit, & corpus obesum nimis, & pigrum reddit. Cerevisia vero lupulata Pinguedinem dissipat, corpusque vegetius, & ad motum aptius efficit.

Cerevisia non ut simplex potus consideranda est ad sitim extinguendam, & sanguinem humoresque tantummodo diluendos apta, sed ut potio alimentosa, cujus lympha actuosis granorum partibus fermentatione evolutis impraegnata, & plurimis eorumdem mucosis partibus eadem fermentatione attenuatis, & in motum actis onusta plurimum nutrit, sanguinis motum auget; & si nimia quantitate sumatur, caput ferit, & inebriat. Revera distillatione, spiritus ardentis, spiritui vini haud dissimilis, portionem non mediocrem suppeditat, olei plurimum, & humoris acidi. Salem essentialem continet tartaro aemulum, sed crassiorem aut terreis ac oleosis particulis magis involutum.

Observandum autem diversas esse Cerevisiarum qualitates pro earum differentia, quae multiplex est ratione materiei frumentaceae, Malti, aquarum, coctionis, fermentationis, substantiae, aetatis, necnon etiam locorum, in quibus conficitur, ut accurate notatum fuit a Doctiss. viro Conrado Bartholdo Behrens *in Selectis Diaeteticis*.

Frumentacea materia in genere selecta, & bona esse debet: & quo firmius est frumentum, eo firmior quoque potio. Ratione vero ejusdem, primo Triticea est, quae quidem calefacit, valde nutrit impinguatque: sed sanguinem simul viscidiorem reddit, respirationis difficultatem, & asthma inducit, viscerum obstructiones parit, urinam moratur, & nephritidi occasionem praebet, alvum tamen lubricat. Hordeacea succi tenuioris est, nec ita nutrit ut Triticea, magis tamen aperit, abstergit ac urinam movet, praesertim lupulata, quae ventriculum roborat, & calefacit. Avenacea in Polonia frequens minus calefacit ac nutrit, & si non satis defoecetur, flatulenta valde est, & alvum constipat. Urinas, & calculum pellit, in frequenti apud Anglos eapropter usu. Secalina vinum Rhenanum colore subviridi aemulatur, nec ingrati saporis est, valde nutrit, simul tamen obstruit, & urinam moratur: respirationem difficilem reddit.

Ratione Malti nimis torrefacti Cerevisia saporis plerumque ingrati existit. Maltum vero quod calore Solis tantum exsiccatur, facile corrumpitur, nisi servetur accuratissime. Cerevisiam suppeditat candidiorem, sed excrementitiam, quaeque simul obstruit, & pectoris difficultatem inducit.

Ratione aquarum, facile per se patet optimas esse, quae ex fontana aliisque salubribus parantur. Quo enim aqua est levior, & tenuior, eo me-

melius granorum, & Lupuli qualitates imbibit, & extrahit. Quæ ex puteali, & ſtagnanti aqua conficitur, ſapidior quibuſdam videtur, nec adeo facile aceſcit. Sed improbanda eſt aqua turbulenta, & impuritatibus conſpurcata, & corrupta, ne coctione, & fermentatione non ſatis purgari, & defœcari poſſit, quidquid alii contra ſentiant.

Coctio etiam ipſa ut & fermentatio non exiguum momentum ad Cereviſiæ bonitatem conferunt, ut jam dictum eſt.

Ratione ſubſtantiæ alia Cereviſia eſt tenuis, alia craſſa. Tenuis exiſtit ob frumenta parciori manu adhibita. Ejuſmodi vero Cereviſia parum nutrit, melius vero humectat, refrigerat, diluit, & totum corpus pervadit, unde quoque magis diuretica, & ſalubrior eſt. Craſſa vero duplici ratione dici poteſt Cereviſia, 1. quatenus turbida, & fœculenta eſt; quæ plerumque crudæ ac flatulentæ ſunt, difficulter digeruntur, obſtructiones, colicos dolores, ſtranguriam calculumque, quandoque ſubito, & quaſi in inſtanti cauſantur, ſanguinemque craſſum generant. 2. Craſſior fit Cereviſia propter frumentum copioſius additum. Cum enim particulis farinaceis Cereviſiæ ejuſcemodi turgidæ ſint, chylo quoque diluendo minus adæquatæ ſunt, illis qui multo, & euchymo alimento utuntur, aut vinum bibunt, non admodum conveniunt, qui quidem rectius potu tenujore ſibi conſulunt. Quibus vero ventriculus imbecillior, aut qui alimenta ſumunt pauciora, & parum nutrientia, iis Cereviſiæ illæ pinguiores apprime conducunt, cum & ventriculi digeſtioni ſubveniant, adeoque condimenti vices præſtent, & ſimul nutriant, unde & plurimis inde inſignis corporis craſſeſcentia, & obeſitas.

Ratione ætatis præſtat Cereviſia defœcata, præſertim tenuis, quamvis enim minus nutriat, facile tamen diſtribuitur. Recentior vero ſi ſimul turbida & craſſa ſit, incommoda modo recenſita accelerat, & adauget. Vetuſta, quæ aceſcere incipit, nervis, ventriculo, utero, renibus, & veſicæ noxia.

Dulcis fit Cereviſia a frumento, amara a Lupulo. Illa magis nutrit, non ita tamen cum urina ſecedit, obſtructiones parit. Hæc magis calefacit, meſenterium, & viſcera deobſtruit, citius tamen caput afficit, inebriat, ac ſomnolentiam inducit.

Diverſis etiam qualitatibus imprægnantur Cereviſiæ a diverſis rebus quæ ſub fermentatione adduntur. Ita in Hollandia Cereviſia cum aromatibus paratur quam vulgo *Bottelbier*, lagenariam Cereviſiam vocant, quæ adhuc fermenteſcens in lagenis reconditur, & aperta lagena tota in ſpumam abit. Valde flatulenta eſt, & periculoſum Zithi genus a nonnullis cenſetur. Non tamen ſua laude caret, cum, ſi moderate, & tempeſtive ſumatur, ventriculum, & digeſtiones egregie roboret, & in paralyticis affectibus utilis dicatur. Multæ parantur Cereviſiæ medicatæ: apud Anglos Borraginate, ab admixta Borragine, uſitatæ. Aliæ Abſinthium, Carduum benedictum, Scordium, radices Gentianæ, Helenii, Angelicæ, & ſexcenta alia habent admixta quorum ſaporem, & vires obtinent.

His Cereviſiarum differentiis addi poſſent illæ, quæ a regionibus, & urbibus petuntur, quæ innumeræ ſunt. Sic Anglicanæ plurimi æſtimantur: Brunſvicenſis apud Germanos præſtantiſſima dicitur. Apud nos quæ in S. Marcelli ſuburbio præparatur: vulgo, *Bierre des Gobelins*. Sed de ſingularum virtutibus agere non eſt noſtri inſtituti. Jam de hac re prolixiores fuimus.

Ex

Ex Cerevisia spiritus ardens conficitur spiritui vini aliquantisper similis, sed odore & sapore minus grato, imo acri, ob oleum empyreumaticum crassum & acre, quo spoliari vix potest. Idcirco ad usum internum spiritus ex vino extractus semper anteponendus est. Chirurgi observant quoque hunc spiritum externe vulneribus admotum minus conducere ob acrimoniam, qua vulnera aliquantisper proritat. Externe hunc spiritum ex frumentaceis granis extractum anodynum dicunt aut soporiferum.

Farina Hordei inter quatuor farinas resolventes recensetur; & sunt farinæ Hordei, Fabæ, Orobi, & Secalis: quibus nonnumquam substituuntur farinæ Tritici, Lini, Fœnu Græci & Lentis. Hæc farina externe sub forma cataplasmatis admota emollit, resolvit, maturat, & anodyna est. Quapropter vel sola, vel cum aliis farinis adhibetur in cataplasmatibus.

♃. Folior. Malvæ, & Althææ ana M. ij. Flor. Chamæmeli, Melilot. summitatum Aneth. ana M. ß. Coquantur in aq. q. s. ad putrilaginem. Contusis adde farinæ Hordei ℥iiij. Olei Chamæmeli ℥jß. Fiat cataplasma resolvens & emolliens.

♃. Quatuor farinar. resolventium ℔ij. Coquantur in lixivio leni cinerum Sarmentorum. Tum effuso per vasis inclinationem lixivio, massæ farinaceæ adde pulver. florum Camomillæ, Meliloti, Sambuci, & pulveris radicis Iridis Florentinæ ana ℥ß. cum olei Chamæmelini q. s. Fiat cataplasma.

Si polenta Hordei, affirmante Simone Paulli, decoquatur in aceto, & decocto per linteum transcolato os proluatur, intolerabiles dentium dolores sæpe mitigat. Idem auctor sequentem observationem refert. „ Affinis „ quidam meus vehementissimis calculi doloribus & intolerabili ischuria „ laborans, post usitata remedia incassum usurpata, ei quod sequitur ap„ plicui. Recipiebam arbitrariam quantitatem probe contusæ Polentæ ca„ lidæ, & tantumdem Lupuli, quæ frigebam, addita bene magna quan„ titate butyri, ex quibus parabam cataplasma quod tam calide pectini & „ perinæo applicabat linteo implicitum, quam ferre posset: & intra qua„ drantem horæ a recensitis symptomatibus liberatur. Postea simile cata„ plasma pluribus dein ægris calculo & dysuria laborantibus felici successu pæscripsi. Hæc S. Paulli.

Hordei integri decoctum tenue in gargarismatis & injectionibus detergentibus usurpatur.

♃. Hordei integri pug. j. Coquatur in aq. comm. q. s. ad ℔j. Decocto dissolve Diamori simplic. ℥jß. salis Prunell. ℈j. pro gargarismate.

♃. Hord. integr. p. j. folior. Agrimon. M. ß. flor. Hyperici, Rosar. rubrar. summitatum Absynthii ana p. j. Coq. in aq. q. s. In colaturæ ℔j. dissolve mellis rosati ℥j. F. injectio detergens & vulneraria.

Hordeum mundatum usurpatur in syrupo de Hyssopo Mesuæ *Collect. pharm. Penicher.* Syrupo Jujubino *Ph. R. Charas*, Electuar. Lenitivo *ejusdem*. Trochiscis Gordonii *ejusdem*. Integrum in syrupo de Cichorio composito *Ph. Reg. Charas*.

Ex Hordeo mundato præparantur Saccharum Hordeatum dictum & Penidia ab Arabibus Alphenicum dicta. Saccharum Hordeatum est confectio flave-

flavescens pellucida ex Saccharo in decoctione tenui Hordei tamdiu cocto donec consistentiam idoneam acquirat ut possit in baccillos effingi. Penidia vero fiunt ex aqua Hordei & Saccharo ea proportione & arte coctis, ut massa quædam exsurgat admodum solida & ita tractabilis, ut digitis oleo Amygdalarum unctis non adhæreat, & in fila ducuntur, tenuiora, crassiora; breviora aut longiora & sæpius intorta, semper vero alba. Plurimum conferunt tussi, raucedini, asperitati arteriæ, sputo movendo, coquendo, excludendo, & omnibus affectibus pulmonum & thoracis.

## HORMINUM.

HOrminum, Orminum, Sclarea, Scarlea, Orvala, Orvalla & Tota bona, *Off.* Sclarea *Tabern. Icon.* 373. & *Inst. R. H.* 179. Horminum Sclarea dictum, *C. B. P.* 138. *Raii histor.* 543. Gallitricum Sativum *J. B.* 3. 309. Orvala, *Dod. Pempt.* 292. Syderitis Heraclea, *Fracastor*: Matrysalvia maior, *Quorumdam*: Galli centrum, *Nonnullorum*: vulgo; *Orvale*, *Toute bonne*.

Radice est singulari, lignosa, plurimis fibris capillata, fusca, non ingrati saporis, postmodum palatum & fauces calefacientis: ex qua caulis oritur bicubitalis, digitum minimum crassus, quadrangulus, hirsutus, geniculis distinctus, in ramos conjugatim & cruciatim dispositos divisus, medulla alba farctus: cum foliis binis, ex adverso positis, canescentibus, rugosis, glutinosis, longis pediculis insidentibus, ex rotundo oblongis, spithamam longis, sesquipalmam latis, ex ampliori basi in acumen desinentibus, ad marginem quodammodo dentatis aut crenatis, Hircum olentibus, villis lenissimis aspersis; quæ deinde oriuntur ad summum usque minora fiunt; ex eorum alis longissima serie flores prodeunt quasi verticillatim positi, monopetali, labiati, subcærulei, quorum labium superius amplum, prælongum, falcatum, pistillum tenue, incurvum, nonnihil exstans, in summo bifidum, quatuor embryonibus stipatum, & bina stamina cum suis apicibus oblongis occultat; inferius vero in tres partes divisum, media cochlearis instar excavata. Calyx cytiniformis, tubulatus, striatus, tactu glutinosus, in quinque spinulas divisus, quarum tres sursum spectant supra flosculum, duæ infra eum sitæ sunt. In imo calyce ad pistilli originem embryones reconditi abeunt per maturitatem in quatuor semina majuscula, subrotunda, altera facie gibbosa, altera angulosa, coloris rufescentis, lubrico lævore perpolita, ad singulos verticillos cauli apponitur hinc inde folium, figuræ & texturæ, multum diversæ ab inferioribus in caule & a radice exeuntibus: sunt enim hæc parva, concava, lata basi absque pediculo cauli immediate adnexa, in acutum apicem abeuntia, minus rugosa & tenuiora iis, quæ in caule sunt, colore purpurascente. Odor totius plantæ vehemens & gravis; sapor amarus. Seritur in hortis & viridariis. Herba integra in usum venit.

Analysi chymica, ex totius Hormini floridi ℔v. demptis radicibus per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi plantæ odorem saporemque referentis, subacidi ℔j. ℥ij. gr. xxxvj. humoris limpidi, magis ac magis manifeste acidi, austeri ℔iij. ℥vij humoris limpidi, subsalsi, & minus acidi ℥j. gr. liiij. humoris fusci, empyreumatici, acris, tum acidi, tum alcali,

cali, urinoſi & auſteri atque ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥ij. ʒj. gr. xviij. cum ſalis volatilis urinoſi concreti granis aliquot : olei ſpiſſi ad inſtar ſyrupi ℥j. ʒv. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥v. ʒv. quae rite calcinata praebuit cinerum ℥ij. ʒvj. gr. xx. ex quibus ſalis fixi mere alcalini ʒvj. gr. xxx. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒij. gr. xij. in calcinatione ℥ij. ʒvj. gr. lij.

Hormini folia odorem quaſi citratum, acutum, vehementem, gravem tamen exhalant. Guſtu amara ſunt & aromatica. Eorum ſuccus chartam caeruleam parum mutat. Salem continere videntur tartareo-ammoniacalem cum multo oleo tum tenui, tum craſſo & terra conſociatum.

Horminum Oenopolis Germanis in primis innotuit, inquit Ettmullerus, pro vinis ſuis adulterandis. Solent namque ex ejus floribus cum floribus Sambuci per infuſionem vinum Rhenanum in Moſchatellinum mutare.

Tragus aſſerit vinum Gallitrico impoſito ſi efferbuerit & decoctum fuerit, apprime ſtomachi frigiditati conducere, phlegmata incidere, conſumere : frigidis, infoecundis & albis menſibus laborantibus foeminis ſubvenire. Confitetur tamen, capiti noxium eſſe ob odorem graviſſimum, praeſertim ſi quis hoc vini genere intemperantius uſus fuerit. Semen ejus, inquit Lobelius, καρηβαρίαν ſeu capitis gravitatem inducit odore : quo magni uſus quibuſdam ſeptentrionalium ad Zythi Bieraeque confectionem. Illud enim Lupuli vel penuria, vel vegetioris potionis faciendae cauſa cortinis ferventibus addunt, fitque temetum, quo non multis poculis depletis temulenti fiunt, hilaritate propemodum inſana.

Horminum tum interne ſumptum, tum externe admotum plurimum commendatur his tribus in affectionibus, mulierum fluxu albo, ſuffocatione hyſterica, & colicis doloribus. Folia & flores uſurpantur in infuſis vel decoctis ex aqua vel vino, vel in juſculis alterantibus conditum cum ſummitatibus floribus conficitur. Eſſentia quoque ſeu tinctura paratur cum ſpiritu vini a foliis & floribus pluries abſtracto ad eadem utilis. In albo mulierum fluxu Ettmullerus decoctum Hormini cum Roremarino in vaſe clauſo paratum proponit. Corbejus *de morbis mulierum c. 3. p. 83.* refert, mulierem quamdam alias mulieres fluxu albo laborantes curaviſſe hoc unguento. Scilicet Sclaream contrivit, cum bytyro non ſalito miſcuit, mixta vero per tempus putrefacienda reliquit, poſtea coxit, tranſcolavit, & colatum ungentum ad uſum ſervavit. Hoc genitalia mulierum umbilico tenus inuncta fuerunt. Intrinſecus herbam iſtam comedendam dedit & ſic iſtas mulieres liberavit. Obſervatum quoque fuit, narrante Ettmullero, quod tale unguentum omnes poſt partum dolores, eodem modo inunctum ſedare ſoleat. Idem unguentum a Cratone quoque inter alia ſua euporiſta commendatur in ſuffocationibus uteri & ſimilibus affectionibus ſpaſmodicis umbilico imponendum cum admixtione Tacamahacae. Ettmullerus hanc plantam externe admotam in paſſione hiſterica plurimum valere, nec ipſi Caſtoreo cedere aſſerit.

A Friderico Hoffmanno Profeſſ. Hallenſi inter ſpecifica antiſpaſmodica recenſetur; ſi quidem ſpaſmos inteſtinorum & nervoſarum partium ſedat ac ſiſtit : colicos dolores mulcet. Ejus aqua diſtillata vel decoctum, propinatur, vel ſub clyſteris forma injicitur. J. Raius refert, Sclareae folia apud Anglos ovis conquaſſatis cum flore lactis & pauca farina perfuſa,

& in

& in sartagine frixa pro placentis palato non ingratis, mensis secundis inferri, & ad lumborum imbecillitatem veneremque stimulandam commendari. Idem scribit post Schvvenckfeldium Sclaream epilepsiæ mederi. Herba in pulverem redacta & naribus indita sternutationem provocat, catharrum tollit, & cerebrum purgat.

Semen oculis inditum utile esse traditur ad excutiendam eorum caliginem & educenda corpuscula, quæ in illos inciderunt. Quippe emollita humore oculi hujus seminis mucilagine, id quod in oculos illapsum est quasi obvolvitur, & cum semine tandem ejicitur. Præterea ex hoc semine mucilago ope liquoris idonei extrahitur pro vitiis oculorum plurimum proficua: siquidem lymphæ lacrymalis acrimoniam plurimum demulcet.

♃. Folior. Hormini, Urticæ mortuæ, Portulacæ, Chærefolii ana M. j. frusti carnis vitulinæ ℔ß. Coquantur ut artis est in aq. q. s. pro duobus jusculis mane & sero propinandis. In fluore albo.

♃. Summitatum floridar. Urticæ mortuæ, & Sclareæ, florum Chamæmeli Romani ana pugill. unum. Infundantur in aquæ bullientis ℥viij. Theæ in modum. Infusum calens syrupo de Hedera terrestri edulcatum mane & sero sorbeatur. In fluore albo mulierum.

Succus Hormini usurpatur in emplastro Diabotano D. Blondel *collectaneor. pharm. Penicher.*

## HYOSCYAMUS.

HYoscyami species duæ in officinis occurrunt: niger scilicet & albus: Hyoscyamus niger vulgaris, Jusquiamus, Faba suilla, *Off.* Hyoscyamus vulgaris vel niger. *C. B. P.* 169. & *I. R. H.* 118. Hyoscyamus vulgaris, *J. B.* 3. 627. Hyoscyamus, niger, *Dod. Pempt.* 450. *Raii Hist.* 711. Hyoscyamus flavus, *Fuchs*: Apollinaris *Cord.* Dens Caballinus Herba Cunicularis, Herba Calicularis, Faba Jovis, Fabulum, Mania *Quorumdam*: vulgo, *Jusquiame*, *Hannebane*.

Radice est crassa, rugosa, prolixa, multifida, foris fusca, intus alba: foliis amplis, mollibus, lanuginosis, dilute virentibus, per margines altius incisis, Acanthi quodammodo similibus sed minoribus, graveolentibus, copiosis, nullo ordine digestis, in caulibus cubitalibus, ramosis, crassis, rotundioribus, densa lanugine obsitis: quos flores longa serie digesti convestiunt monopetali, infundibulum referentes, in quinque obtusa segmenta divisi, colore secundum margines subluteo, discurrentibus una purpurascentibus aliquot venis, in medio vero ex obscuriore purpura nigricantes, cum staminibus quinque brevibus purpureos totidem apices crassos & oblongos ferentibus, & pistillo longiore, apice rotundo, albo; quod ex calyce hirsuto, oblongo, margine in denticulos rigidos, acuminatos quinquipartito surgit & deinde abit in fructum in ipso calyce reconditum, olloe formam referentem, bicapsularem, cui operculum suum incumbit, intus pluribus seminibus exiguis, subcinereis, subrotundis, rugosis, compressis refertum. Gravis odoris ac ingrati tota stirps est, caput aggravans & somnolentiam inducens. In agro Parisiensi frequens nascitur.

Hyo-

Hyoscyamus albus, *Off.* Hyoscyamus albus major vel tertius Dioscoridis, & quartus Plinii, *C. B. P.* 169. *Inst. R. H.* 118. Hyoscyamus albus, *J. B.* 3. 627. *Dodon. Pempt.* 451. Hyoscyamus candidus, *Trati* 134. vulgo, *Jusquiamee blanche*.

A priori differt foliis mollioribus, minoribus, minus sinuatis, uberiori & candidiori lanugine obsitis: cauliculis brevioribus, minus ramosis: floribus secundum cauliculos candidis, minoribus, seminibus candidioribus. In Occitania sponte adolescit, hic in hortis seritur.

Utriusque ad usum externum folia, flores & semina adhibentur: ad usum internum vero semina tantum. Nonnulli nigrum majori virulentia præditum esse suspicantur, quapropter illum prorsus rejiciunt, albi tantum semina usurpantes. Sed ab omnibus fere tum Parisiensibus, tum Germanis & Anglis niger adhibetur.

Analysi chymica, ex foliorum & summitatum floridarum Hyoscyami nigri ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis herbacei, aliquantisper virosi, obscure subsalsi, & obscure acidi ℔j. ℥iiij. ʒj. gr. xlviij. humoris magis magisque manifeste acidi, & subausteri ℔ij. ℥xv. ʒij gr. lxvj. humoris rufi, leviter empyreumatici, impense acidi, acris, austeri, & obscure alcali urinosi ʒij. gr. xij. humoris rufi sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ij. gr. xij. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gr. xij. olei spissi ad instar extracti ℥j. ʒvij. gran. xxxvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ʒiiij. gran. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum albicantium ℥ij. ʒij. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. ʒj. gr. xxxvj. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒiij. gr. lxvj. in calcinatione ʒiij. ʒij.

Ex seminum Hyoscyami recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori, obscure subsalsi ℥iiij. ʒiij. gr. xxxvj. humoris limpidi, obscure subsalsi & obscure subacidi ℥v. ʒv. humoris rufi, aliquantisper acidi, austeri ℥j. ʒj. gr. xxxvj. humoris rufescentis, sale volatili urinoso impraegnati ℥xiij. olei spissi ad instar syrupi ℔j. ℥v. gr. liiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j. ℥ix. ʒij. quæ per 12. horas calcinata reliquit cinerum Leucophæorum ℥v. ʒvij. ex quibus lixivio salis fixi salsi cum substantia terrea talcosa permixti gr. xxxvj. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ix. ʒj. gr. xviij. in calcinatione ℔j. ℥ij. ʒiij.

Hyoscyami folia saporem fatuum referunt: manibus confricata odorem virosum exhalant. Eorum succus chartam cæruleam rubram efficit: Radices subdulces sunt & Cinaræ sapore donantur. Hæc planta salem essentialem obtinere videtur ammoniacalem cum multo oleo crasso viroso consociatum. Ejus semina saporis sunt aliquantisper glutinosi, odoris narcotici & ingrati. Oleum continet tum tenue, tum crassum virosum & valde narcoticum, summæ rarefactionis aut expansionis capax; cum sale ammoniacali conjunctum.

Hyoscyamus potenter emollit & resolvit externe abhibitus. Verum sive externe admoveatur, sive intus sumatur, somnum inducit, dolores sedat; humorum acrimoniam mitigat sicut Papaverina; Mentem vero mirum in modum perturbat & afficit ridiculis deliriis; somniis phantasticis & ecstaticis, & specialiter ad jurgia & altercationes disponit, in biliosis

præ-

præsertim naturis : in quo differt ab Opio & Papaverinis ; quæ sæpius soporem & stuporem inducunt absque mentis alienatione. Has autem mentis turbas excitat, quocumque modo adhibeatur, sive intus sumantur ejus radices, folia, semina, sive decocta clysteribus injiciantur, sive torrefactione fumus excitatus naribus excipiatur : imo solis ipsius effluviis aere calido in motum actis nocet. Ejus summæ virulentiæ observationes plurimæ apud auctores occurrunt, quarum nonnullæ hic referendæ sunt, ut hujus veneni natura & indoles melius innotescat.

Primo quidem memorabilis est de Hyoscyamo locus apud Scribonium Largum, *cap.* 181. ubi ait : „ Hyoscyamum qui biberunt, caput grave „ venisque distentum habent, mente abalienantur cum verborum altercatione, unde etiam nomen herba trahit Altercum : postea sopiuntur & „ omni sensu carent, livescentibus membris eorum. "

Obiter tamen notandum est hanc vocem *Altercum* non ab altercando originem ducere, siquidem antiquissima vox est arabica, ut refert Plinius.

Joh. Jac. Wepferus *Tractatu de Cicuta aquatica*, de Hyoscyami radicibus comestis hanc observationem refert. „ Die 25. Martii 1649. in Conventu RR. PP. Benedictinorum Rhinoviensi præparatum pro collatione „ vespertina acetarium fuit, cujus materia debuissent esse radices Cichoreæ „ eliquatæ. Creverant hæ una in areola mixtim cum Hyoscyamo. Erutæ utræque, separatim collectæ, & ab hortulano relictæ, a puero rerum ignaro ad coquinam deferuntur, ibique promiscue coctæ mensis inferuntur. Nemo pene edentium fuit cui non orexim cierat obsonium insolitum, & maxime ob tam corpulentas & pingues radices. Avide sumuntur tum a patribus, tum a servis. Quid multis ? Suo tempore cubitum eunt. Hic vero oriri symptomata cœperunt & vescarum radicum diffundi toxicum : sentiri a quibusdam capitis vertigo : aliquorum torreri linguæ & labra, asperari fauces, torqueri nonnullorum „ illa, ac totis artubus male haberi. Fuit qui gargarismo palati ardorem compescere studuit, sed lingua velut in frixorio tosta omnem respuit medelam. Insonante noctis duodecima, cum ad preces matutinas „ pro more movere excitarentur, miserabilem aliquorum metamorphosim spectare fuit. Unus tam destitutus mente ac debilis repertus fuit, ut pro vita desperato habitus Sacrosanctæ Ecclesiæ „ Sacramentis provideri debuerit : alius quasi dentibus nuces frangeret & exemptos nucleos aviculis domesticis projiceret, una manu pavones abigens, varia obmurmurabat : alius in cella sua fornacem „ prensabat, quasi arborem perrepturus : alius ansatis utrinque brachiis, ac toto corpore incurvus ilia sibi rumpenda clamitabat. Ex illis „ qui ad chorum venerant, ad matutinum solvendum pensum, aliqui „ oculos vix aperire & litteras legere nequibant, vel aliqua inter „ verba seu versiculos admiscebant, quæ ibi non continebantur, „ unde unus aut alter abire compulsus fuit. Non nemo privatim orare volens, dum librum aperit, myrmidonum aciem aspicis, & litteras jam animatas velut formicas in aggestu suo confusim discurrentes „ sibi videbatur intueri, ut exinde ne syllabam quidem, ne dicam „ verbum aut versum integrum combinare ad aliquod tempus valuerit.

„ Le-

„ Lepidum præterea fuit mane magiſtrum ſartorem videre laboraturientem „ jam ſedili ſuo minus oculatum, quippe qui ne filum quidem armare „ acu, nec a tyrone armato, tangere rem acu, ut ſibi videbatur jam „ tricuſpide valens, quovis punctu aut digitos aut poplitem cruentavit. „ Pauci admodum qui guſtu variante moniti, minoribus radiculis prælibatis a majoribus abſtinuerant, mente ſani erant. Et his quidem intemperiis agitati aliqui uſque mane; nec tamen ſcitum adhuc quæ mali „ eſſet origo. Quia tamen omnibus fere commune fuit, judicatum eſt e „ culina promanaſſe. Tandem poſt diligentem indagationem, pueruli error „ compertus fuit. Summo mane Schaffuſio accerſitus Medicus luctantes „ adhuc cum halluco ſuo reperit, & aqua e Juniperis diſtillata ad potandum porrecta ſævientem peſtem aut mitigat aut abſtergit. Patribus ea „ de re gratulatus quod Hyoſcyami radices Cichoreæ radicibus oleo, ſale, „ & aceto attemperatæ fuiſſent, fractæque nonnihil earum vires. Aliter „ enim omnes orci candidati fuiſſent. Poſt diſceſſum ejus patres fere „ omnes melius ſe habere cœperunt paulatim. Unus tamen illorum qui „ in edendis radicibus largior fuerat, has ſibi reliquias ſupereſſe conqueſtus eſt, oculos nimirum antea acutiſſimos, adeo obtuſos redditos, ut „ poſtea perſpicillis uti neceſſe fuerit.

Simon Schultzius *in Ephemerid. N. C. annis IV. & V. Decuriæ* 1. *Obſerv. cxxiv.* narrat VVratislaviæ quatuor juvenes ſtudioſos ſimul cum coqua a comeſtis Hyoſcyami, & Paſtinacæ radicibus ſimul per errorem cum carne bubulæ elixatis, magnam mentis perturbationem, & alienationes paſſos fuiſſe, & quaſi furore percitos, primum jurgiis, dein verberibus ſe excepiſſe, & niſi vi abacti fuiſſent, forſan ad internecionem perventum fuiſſe, cum miris geſticulationibus, & phantaſiis: qui tamen adhibitis idoneis remediis ſanitati reſtituti fuerunt.

Iiſdem *In Ephemeridibus N. Curioſor. Decur. II. annor. IX. & X. p.* 178. *in appendice*, videre licet hanc obſervationem de Delirio ex foliorum Hyoſcyami decocto clyſtere excepto. „ Sacerdoti cuidam 61. annorum, viro ex cachexia ſcorbutica aſthmatico cum tumore pedum œdematoſo, & doloribus tum nephriticis, tum abdominis ſcorbuticis habitualibus afflicto, enema terebenthinatum ex ſpeciebus carminativis, & „ Hyoſcyami foliorum dimidio tantum manipulo cum lacte coctis ab „ Ettmullero, & aliis Medicis præſcribitur. Paulo poſt ſacri officii memor „ habitu ſacerdotali ſupra induſium amictus, & biblia ſacra in manus „ tenens templum adire, & concionem habere intendit: ab adſtantibus vi „ retentus ad iram furibundam concitatur, & cum his maxime altercatur, „ parumque abfuit quin unum ex illis, placidus alias ſatis, & minime „ iracundus, arreptis quibuſdam armis vulneraſſet. Eo tandem in lectum „ redacto, furor brevi quidem ceſſavit, ſed delirium diutius propter injecti „ enematis in inteſtino moram continuavit, donec poſt aliquot horas novi „ clyſmatis acrioris injectione alvus a ſcybalis triduum jam retentis una „ cum clyſtere antea injecto liberatus fuit: in quo quaſi momento non „ ſolum delirium ceſſavit, ſed intra bihorium etiam duo calculi renales „ rejiciebantur. " Dioſcorides inſaniam a foliis Hyoſcyami clyſteri incoctis, & colo exulcerato infuſis ſuo jam tempore obſervatam fuiſſe refert.

Alia iiſdem *in Ephemeridibus N. C.* legitur obſervatio de mentis pertur-

turbatione cum rixis oriunda decocti foliorum Hyoscyami vaporibus :
„ Matrona quædam 78. annorum, una cum nephritica scorbutica notha
„ habituali, doloribus abdominis ac crurum simul contumacissimis affligebatur. Quibus sedandis sacculi tres foliorum Hyoscyami manipulis duobus, & floribus Camomillæ, Sambuci, Verbasci, Althææ radicibus,
„ & baccis Juniperi repleti præscripti fuerunt; abdomini, & utrique cruri
„ applicandi. Hi ægrotantis jussu intensissime fervidi applicabantur, &
„ statim atque calor remittebat, in decocto fervido immergebantur denuo
„ admovendi. Ægrota quidem cum tantillo phantasiæ errore dormiendo,
„ leviter, & per intervalla delirabat. At vero duæ ancillæ 15. & 18.
„ circiter annorum, quibus sacculorum horum calefactio, & applicatio
„ reiterata incumbebat, longe gravius afficiebantur, utpote temulentæ,
„ hinc sæpius vomentes, crebrius altercantes, & in crines sibi invicem
„ involantes, seque unguibus lacerantes, vix a domesticis separari poterant. Pax minis adstantium indicta brevis durationis erat, simul ac
„ enim sacculorum calefactiones novæque fomentationes reiterarentur,
„ prælia quoque pugnantium gallorum more renovabantur, minis ver-
„ bisque ridiculis se invicem provocabant, & invadebant ".

Ibidem longe gravior mentis alienatio cum furore observatur e seminum Hyoscyami combustorum fumis. „ Dresdæ in pharmacopolio Mulleriano, tyro quidam semen Hyoscyami contusum charta inclusum
„ super capella arenaria calida posuerat. Horæ autem dimidio non
„ elapso, charta per nimium arenæ calorem nigredine primum infecta,
„ tandem scintillis igneis conceptis comburi incipit, semenque Hyoscyami
„ inferiori ex parte jam accensum fumo exhalante laboratorium effluviis
„ suis implet, & tragicis partim altercationibus, partim ridiculis gesticulationibus, & imaginationibus locum præbebat. Propter seminis enim
„ dicti scintillantis sollicitam nimis collectionem, & e flamma liberationem, hinc fumi majorem inspirationem, exoriebantur inter ministrum pharmacopolii, dictumque tyronem in laboratorio commorantes,
„ una cum contumeliis innumeralibus rixæ tantique tumultus, ut infelix tyro ab alio ministro humum jam prostratus, crinibus circumductus, imo jam ex verberibus undique cruentus occisus fuisset, nisi
„ magna vi separati fuissent. Per reliquum interim diei spatium scotomia, & crebioribus vomitibus vexabatur, totamque insequentem noctem ridiculis gestibus ebriorum more delirabat, & ultra duas septimanas vertigine afficiebatur. Alter vero minister, homo alias non
„ adeo iracundus, præter vomitus, & secessus crebriores, cum absurdis
„ gesticulationibus, morionis instar, saltando, hymnos amatorios, &
„ profanos cantando &c. per reliquum diem, & post noctis medium
„ pariter delirabat. Hinc aliquot septimanis mente, & corpore ægrotans
„ de vertigine, & cephalalgia querebatur, multum dormiebat. Post hæc
„ melius se habere per aliquod temporis intervallum videbatur. At
„ paulo post neglecta sanitatis cura parum sui compos factus tristem vitam egit, per plures annos identidem recurrente, & transeunte delirio. "

Christian. Frideric. Garmannus *in Ephemer. G. annis VII. & VIII. Decur. III. pag.* 106. refert ipsa effluvia ex Hyoscyami seminibus in hypocausto recon-

reconditis exhalantia eoſdem effectus producere, quod ſequenti obſervatione confirmat. „ Vir pannorum laneorum opifex & conjux ejus, cum ali-
„ quot annos concorditer, & mutuo amore vixerant, ex improviſo verba
„ inter ſe commutare, & iracundia incitati ſæpius in maledicta compella-
„ ri cœperunt; ita ut ad verbera nonnumquam dilaberentur. Maxime ve-
„ ro, utut concordes, animorum mutationem ſentiebant hypocauſto con-
„ cluſi, in quo ad rabiem quaſi converſi, primum rixis, & contentioni-
„ bus, poſt pugnis, & plagis maritus maritam invadebat, quæ ut ſevere
„ & vehementer vindicaret, toto nitebatur ſanguine. Dolebant extra hy-
„ pocauſtum conſtituti vicem hanc ſuam conjuges, & vicinos non levi-
„ ter conſternebant hæ animorum dividiæ. Curioſiores aliquid magici ſub
„ his latitare ſuſpicabantur, adeoque omnes hypocauſti primum, & po-
„ ſtea domus angulos, loculamenta, & receſſus exquiſite excutiendos de-
„ cernunt. Quod ubi factum in ſuperiori textrini in hypocauſto conſtitu-
„ ti parte magnam ſeminis Hyoſcyami charta involuti quantitatem inve-
„ niunt: quo ſublato oppido animis temperies rediit, & omnis ceſſavit
„ contentio, murmur, & ira. „

Ex his liquet quam parum ſit tutus Hyoſcyami uſus tum internus, tum externus: nihilominus tamen a plurimis magni nominis Medicis ejus vires multis in morbis notatæ ſunt, & commendatæ. Ejus ſemen a Cratone, Forti, Helidæo, Heurnio, Platero tanquam efficaciſſimum remedium laudatur potiſſimum in hæmoptiſi vel ſolum, vel cum aliis remediis idoneis admixtum, a ℈ß. ad ℈j.

℞. Semin. Hyoſcyam. & ſemin. Papaver. alb. ana ʒij. conſerv. Roſar. rubrar. veteris ℥ij. M. F. electuarium ad nucis Moſchatæ magnitudinem ſeu ʒj. pro doſi ſemel aut bis die ſumendum.

℞. Semin. Hyoſcyam. & Papaver. alb. ana ʒij. Corall. rubr. Terr. ſigillat. Bol. armen. Lapid. Hæmatit. pp. ana ʒß. conſerv. Roſar. antiq. ℥ij. cum ſyrup. de Symphyto contuſar. Fiat electuarium; cujus doſis ʒij. mane, & ſero.

Ad catarrhos ſeroſos acres a capite ad pectus defluentes Hyoſcyami ſemen & radix non raro uſurpantur.

℞. Semin. Hyoſcyam. & Papaver. alb. ana ʒß. Terr. Japonic. Oliban. Myrrh. ana ℈j. Croci pulver. ʒß. Succi Liquiritiæ inſpiſſati Hiſpanic. ʒj. Sacchar. alb. ℥ß. mucilag. gumm. Tragacanth. q. ſ. M. F. rotulæ exiguæ, quarum unam ſubinde in ore detineat, & ſenſim deglutiat.

Adverſus epilepſiam Theodorus Turquet de Mayerne velut præſtantiſſimum remedium prædicat ſemen Hyoſcyami per 40. dies, & ultra uſurpatum, incipiendo a granis vj. vel viij. & gradatim aſcendendo ad ʒj. aut ad gr. xxiiij. ſumptum quotidie mane, jejuno ventriculo, ex cochleari uno ſucci Sempervivi recenter expreſſi. Vereor tamen ne ſemen Hyoſcyami nervorum ſenſum obtundendo palliativum potius hujuſce morbi ſit remedium, quam vere curativum.

Verum quidquid de ſalutiferis Hyoſcyami virtutibus tot celeberrimi Medici prædicent, cum ex ſupra recenſitis ſatis ſuperque manifeſtum ſit omnes ejus partes noxias nonnumquam eſſe, inde concludere licet aut illius uſum internum prorſus rejiciendum eſſe, aut nonniſi parce, & ſumma cum cautione adhibendum, & ab illius uſu abſtinendum ſtatim

atque graviora symptomata sedata sunt, aut levis mentis alienatio sensuumve torpor deprehenditur.

Hyoscyamus externe refrigerat, emollit, potenter resolvit, & dolores sedat. Ab Ettmullero cataplasma ex foliis Hyoscyami ad scorbuticos quarumcumque partium dolores compescendos potissimum commendatur. Ad tumores dolentes, & inflammatorios demulcendos, & resolvendos in cataplasmatibus anodynis, & resolventibus Hyoscyami folia, & semina usurpantur, vel sola, vel cum aliis conjuncta.

℞. Folior. Hyoscyami, Mandragoræ, Solani ana M. ij. Seminum Hyoscyami, & Papaver. alb. contusor. ana ℥j. Coquantur in lactis vaccin. q. s. Pulpæ per Setaceum expressæ adde Croci pulver. ʒß. vitellos ov. n. ij. Fiat cataplasma anodynum, & resolvens.

Ex Hyoscyami foliis fotus aut cataplasmata a nonnullis præscribuntur ad arthriticos dolores sedandos. Sed minus tuta sunt hæc præsidia, quæ arthritidis dolores consopire valent potius quam eorum causam destruere aut foras quocumque modo eliminare. Eadem folia supra calidos cineres emollita, & mammis admota nutricum lac grumescens dissolvunt. Tabernæmontanus semina Hyoscyami cum vino contundit, & puerperarum mammis applicat ad lac avertendum.

Quidam adversus pruriginem illam molestam, & tumores manuum pedumque a frigore contractos Hyoscyami cytinos cum seminibus vel semina sola carbonibus inspergunt, fumumque exhalantem manibus pedibusque excipiunt. Clar. Tournefortius observat lympham sub cute effusam, & inspissatam, digitorum forti compressione exprimi, & per cutis poros sub vermiculorum specie expelli.

Adversus capitis aut dentium dolores fumus ex Hyoscyami semine prunis imposito ab agyrtis plurimum laudatur. Fumus ille licet teterrimi odoris, naribus vel ore per infundibulum excipitur, quo expelluntur vermiculi, qui aliquando in naso vel dentibus nascuntur; eosque in subjecta pelvi aqua repleta excipiunt ut melius oculis percipiantur. Verum Matthæus Jacobæus *in actis Hafniensibus T.* 1. *Obs.* 14. *p.* 209. Hanc fumigationem noxiam observat. Ancilla, inquit, odontalgia immani diu vexata, suasu „ juvenis cujusdam, seminis Hyoscyami supra prunas injecti fumum per „ infundibulum ore excepit, unde subito plusquam quinquaginta vermes e „ cavitate dentis prosilierunt, albicantes, & exiles admodum, vix fili crassitiem æquantes, qui statim se nonnihil contorquendo mortui sunt. Sedatus quidem dolor fuit nec post rediit, sed vertigine, stupore, & imbecillitate capitis ex eo tempore correpta fuit, & per sat longum tempus vexata, adeo ut plus hìc mali quam illic boni fuerit. „

In Hyoscyami usu vel interno vel externo eædem cautiones observandæ sunt, quæ in cœterorum narcoticorum, & Opii præsertim usu observari solent: quas *Capite de Opio* videre licet.

Si vero vel per imprudentiam vel per malitiam exhibitus nocivas suas qualitates exerceat, tum vomitorium statim initio præscribendum est, deinde ad narcoticorum antidota confugiendum est, quæ sunt omnia acida, quibus Hyoscyami malitiam refrænari fere omnes Medici consentiunt. Tandem quibusdam stomachicis, & cephalicis ventriculus, & cerebrum roboranda sunt, & firmanda.

Hyoſcyami folia uſurpantur in unguento Populeo *Nicol. Alexandrin.* Semina in antidoto *Requies Nicolai Myrepſi* dicto, Philonio romano, *Nicolai Alexandrini*, Philonio magno, *Th. Reg.* Tryphera magna, *Ejuſdem* Pilulis de Cynogloſſo, *Th. Reg.* & Trochiſcis Alkekengi.

## HYPERICUM.

Hypericum, Hypericon, Perforata, & Millefora, *Off.* Hypericum vulgare, *C. B. P.* 279. *Inſt. R. H.* 254. Hypericum vulgare ſiva Perforata caule rotundo, foliis glabris. *J. B.* 3. 381. Hypericon, *Dod. Pempt.* 76. *Raii Hiſt.* Herba perforata, *Tragi*: Androſæmum minus, *Geſner*: Aſcyron, *Cordi*: Fuga Dœmonum, *Quorumdam*: Herba ſolis, & Ruta ſolis perforata, *Nonnullorum*: vulgo, *Millepertuis*.

Radice eſt lignoſa, fibroſa, flaveſcente: caulibus compluribus, rigidis, lignoſis, teretibus, ſubrubentibus, ramoſis, cubitalibus, & altioribus, in quibus naſcuntur folia bina ex adverſo poſita abſque pediculis, ſemiunciam ſuperantia, tres lineas lata, glabra, nervis per longum excurrentibus donata, quæ Soli objecta innumeris foraminulis pertuſa eſſe videntur, unde Perforata dicitur hæc herba. Sed hæc puncta tranſlucida nihil aliud ſunt quam veſiculæ ſucco oleoſo repletæ, ſapore ſicco adſtringente cum aliquo amarore. Flores in extremis ramulis copioſi, roſacei, e quinque petalis aureis conflati, utrimque acutis, quorum medium occupat numeroſa ſtaminum congeries cum apicibus aureis. Ex calyce pentaphyllo ſurgit piſtillum craſſum, tricorne, quod floris centrum occupat, & marceſcente flore abit in capſulam diviſam in terna loculamenta, in quibus adſunt ſemina minutiſſima, nitida, oblonga, ex fuſco nigricantia, ſaporis ſubamari, reſinoſi, odoris picei: tam flores quam capitula ſemine gravida, ſi terantur, ſanguineum ſuccum reddunt: abunde naſcitur in campis, & ſylvis agri Pariſienſis. Folia, flores, & ſemina in uſum veniunt.

Analyſi chymica, ex totius plantæ floridæ ℔v. demptis radicibus per B. V. diſtillatis prodierunt humoris limpidi, odoris, & ſaporis non ingrati, obſcure ſubacidi, cum olei eſſentialis portione aliqua, ℔ij. ℥iiij. humoris limpidi, manifeſte acidi, ſubauſteri ℔j. ℥j. ʒij. Maſſa reſidua per retortam diſtillata præbuit humoris rufi, leviter empyreumatici, acidi, auſteri, ſubſalſi ℥vj. ʒv. humoris fuſci, empyreumatici, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ʒiiij. gr. xxxvj. olei tum tenuis eſſentialis, oleo Terebenthinæ ſimilis, tum craſſi, adipoſi ℥iiij. ʒj. gr. l. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥xj. ʒiiij. quæ per horas xviij. in crucibulo calcinata reliquit cinerum albicantium ℥j. gr. lx. ex quibus ſalis fixi parum alcali ʒij. gr. lj. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. ʒvj. gr. lviij. in calcinatione ℥x. ʒiij. gr. xij.

Hyperici folia ſaporem ſtypticum ſubſalſum, & ſubamaricantem referunt. Flores, & ſemina contrita ſpirant odorem gratum reſinoſum, ſuccum vero fundunt rubentem. Multum olei eſſentialis Terebenthinæ oleo ſimilis hæc planta continet. Puncta enim tranſlucida quæ in foliis pro foraminibus perperam habentur, puncta nigra quæ in petalorum margini-

bus deprehenduntur, & tubercula quæ ad fructuum superficiem occurrunt, totidem sunt vesiculæ hoc oleo essentiali repletæ. Salem igitur essentialem continere videtur Hypericum vitriolico-ammoniacalem cum oleo tum tenui his in vesiculis recondito, tum crasso & intime permixto consociatum.

Hypericum vulgatissimum quidem multi usus est & emolumenti in affectionibus quamplurimis. Inter plantas vulnerarias principem locum occupat: unde præcipuus ejus usus est in vulneribus, & exulcerationibus tum internis, tum externis mundificandis, & consolidandis tam interne quam externe adhibiti. Sanguinis exscreationi, & mictui cruento medetur. Sanguinem coagulatum resolvit, Menses, & urinas promovet; calculos, & arenulas expellit: lumbricos enecat: in hysterica passione, melancholia, hypochondriaca affectione, mania, & mentis aberratione plurimum commendatur. His qui pro Dœmoniacis habentur, opitulari dicitur, unde Fuga Dœmonum nuncupatur. Non quod Dœmones ad hujus plantæ aspectum fugere visi fuerint, sed quod conferat illis hypochondriacis qui eo melancholiæ aut maniæ pervenerunt ut pro Dœmoniacis habeantur. Nullos enim Dœmoniacos vel a Dœmonibus vere obsessos vidimus. Summitates floridæ ut plurimum in aqua vel vino decoctæ vel infusæ ad M. j. usurpantur: folia nonnumquam, & semina ad ℨj. præscribuntur, sola vel cum aliis vulnerariis consociata.

Ettmullerus affirmat summitates recentes pro usu vulnerario diuretico par sibi remedium non habere. Eapropter in affectionibus renum, & vesicæ, in primis in dysuria, renum, & vesicæ ulceribus earum decoctum plurimum commendat sive solum sive cum Agrimoniæ decocto. Idem decoctum, teste eodem, mictum cruentum tollit, & sanguinem grumosum resolvit. Ex Hyperici seminibus cum conserva Violarum, vel Malvæ, aut Rosarum paratur electuarium ab eodem Ettmullero laudatum velut nobile specificum præservativum in dolore nephritico, si bis in septimana Castaneæ quantitate usurpetur. Herbæ decoctum per sat longum tempus mane jejuno stomacho potum calculos pellere dicitur, teste J. Raio.

Tinctura florum Hyperici vel sola, vel cum tinctura Anagallidis a plurimis laudatur in mania & melancholicis affectionibus. Andreas Tentzelius *in Exegesi Chymiatrica ad Angli Salæ opera* hanc Hyperici tincturam sic describit.

℞. Summitatum floridarum Perforatæ contritarum q. l. Macerentur in spiritu vini per octiduum in vase clauso. Expressio instar sanguinis rubro colore tincta resideat. Pars purior a fœcibus per inclinationem vasis effundatur, & separetur. Spiritus vini major pars distillatione abstrahatur ut remaneat liquor spissus seu tinctura, Balsamum vere pretiosum.

Angelus Sala hujus balsami ℨij. recipiebat, Sacchari ℥jß. & aquæ distillatæ folior. Hyperici vel Betonicæ ℔j. Solutione rite peracta, hujus mixturæ cochlearia duo, tria vel quatuor exhibebat, mane & vesperi maniacis, melancholicis, hypocondriacis, & mentis alienatione absque causa manifesta laborantibus, & subita intellectus depravatione. Plurimos hac mixtura restitutos fuisse, & sanæ mentis compotes factos testatur. Observat tamen his ægritudinibus satis tempestive succurrendum esse, quando scilicet malum nondum altas egit radices, ratioque non omnimode abolita est, ac prorsus corrupta.

Ad lumbricos pellendos Thomas Bartholinus *in Actis Hafnienſibus*, flores Hyperici in ſpiritu vini infuſos & cum liquore exhibitos commendat velut præſtantiſſimum remedium experientia comprobatum Camerarius eorumdem ſuccum expreſſum vermifugum aſſerit. Schroderus quoque, ſed ſuperſtitioſe nimis, Hypericum lumbricos fugare ſcribit, ſed ſi tempore exaltationis collectum fuerit, alias hac facultate deſtitui.

♃. Summitatum floridar. Hyperici & Virgæ aureæ ana M. j. Radic. Symphyti major. taleolatim ſect. ℥ß. Raſur. Corn. Cerv. ʒij. Coquantur in aq. ferrarior. ℔iij. ad ℔ij. Colatura diſſolve ſyrup. de Hedera terreſtri vel de Symphyto ℥jß. F. apozema vulnerarium per cyathos debitis intervallis propinandum in hæmorrhagiis, & renum aut inteſtinor. exulcerationibus.

♃. Summitatum Hyperic. & herbæ Anagallid. flore purpureo ana M. j. Infund. in aq. bull. ℔ij. Colatura detur pro potu ordinario in melancholia, mania, &c.

Hypericum externe admotum vulnerarium eſt inſigne: nervoſarum præſertim partium contuſionibus, vulneribus, & ulceribus dicatur. Reſinoſis enim & balſamicis ſuis partibus reſolvit, detergit, & conſolidat: eapropter nullum fere eſt balſamum quod illud non admittat. Herba florida contuſa applicatur, vel in vino aut oleo maceratur & decoquitur. Quidam, referente Paulo Hermanno, ad vulnera conſolidanda & cicatrizanda capiebat Hyperici floridi recentis q. l. & affundebat vinum. Idem vinum per aliquot dies maceratum bis vel ter ſeminibus affundebat, & poſtea diſtillabat uſque dum ſpiritus vini per alambicem prodiens totus reſinoſus apparebat: hoc penicilla imbuta vulneribus applicabat. Chirurgus quidam, referente J. B. Chomel *in ſua Plantar. Uſual. Hiſtoria*, tincturam Hyperici præparabat, vas vitreum floribus Hyperici adimplendo & ſpiritum vini affundendo. Vas accurate obturatum ſolaribus radiis per menſem circiter exponebat, donec ſpiritus rubro colore tinctus fuiſſet. Tinctura percolata Camphoræ ʒj. pro ſingulis ſemilibris diſſolvebat. Hac tinctura in vulneribus, contuſionibus, rheumaticis doloribus felici cum ſucceſſu utebatur.

Oleum Hyperici duplex in Officinis habetur, ſimplex & compoſitum; & utrumque varie apud varios conficitur. Simplex vulgo fit per infuſionem florum cum oleo Olivarum quod novis floribus ſemper affunditur quouſque rubrum colorem aſſecutum fuerit. Apud Monſpelienſes flores macerantur in liquore reſinoſo ex Ulmi veſiculis extracto. Olei Hyperici compoſiti legitimam confectionem videre eſt *in Pharmacop. Reg. Moyſ. Charas*. Hoc oleum habetur præſtantiſſimum balſamum, quod potenter attenuat, reſolvit, & diſcutit. Dolores omnes a frigore contractos ſedat, arthriticos demulcet, vulnera detergit & conſolidat, ambuſtis medetur. In injectionibus vulnerariis, unguentis digeſtivis, & cataplaſmatibus frequenter adhibetur. Intus nonnunquam etiam uſurpatur ab ℥ß. ad ℥j. ad cruentam exſpuitionem, & dyſenteriam: necnon in enematibus utiliter admiſcetur ad inteſtinorum exulcerationes ſanandas.

Hypericum uſurpatur in ſyrupo antinephritico, aperiente & cachectico *Pharm. Reg.* ſyrupo de Artemiſia, Pulvere contra rabiem *Palmarii*, Theriaca *Andromachi*, Mithridatio, oleo Scorpionum compoſito,

Ung. Martiato , *Ph. Reg.* mundificativo de Apio , Aqua vulnerar. *Peſnicher.*

## HYSSOPUS.

HYſſopus & Hyſſopum, *Off.* Hyſſopus Officinarum , cœrulea ſeu ſpicata , *C. B. P.* 217. *Inſt. R. H.* 200. Hyſſopus vulgaris , ſpicatus , anguſtifolius , flore cœruleo , *J. B.* 3. 274. *J. R. Hiſt.* 516. Hyſſopus vulgaris , *Dod. Pempt.* 287. vulgo , *Hyſope* .

Radice eſt lignoſa , dura , fibrata , craſſitudine digitali : caulibus cubitalibus , fruteſcentibus , fragilibus , ramoſis : foliis binis ex adverſa naſcentibus , unciam aut ſeſquiunciam longis , duas lineas latis , acutis , glabris , obſcure virentibus , guſtu acribus & ſuaveolentibus . Flores denſis verticillis ſpicas longas mentientibus , in caulium ſummitatibus , in unam partem fere ſpectantes , e calycibus longis , ſtriatis , in quinque acuta ſegmenta partitis exeunt , ampli , monopetali , cœrulei , labiati , quorum labium ſuperius ſurrectum eſt , ſubrotundum , bifidum , inferius vero in tres partes diviſum , media cochlearis inſtar excavata bicuſpide & quodammodo alata : ſingulis floribus ſtamina inſunt quatuor oblonga , cœrulea , cum ſuis apicibus parvis , obſcure cœruleis : ex calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum , & quatuor veluti embryonibus ſtipatum , qui deinde abeunt in totidem ſemina minima , ſubrotunda , fuſca , in capſula quæ calyx floris fuit recondita . Vulgo colitur in hortis . Herba integra florida uſitata eſt .

Analyſi chymica , ex Hyſſopi floridi ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi , odorem & ſaporem plantæ referentis , obſcure acidi , cum olei eſſentialis guttis aliquot ℔j. ℥v. ʒvj. gr. xlij. humoris primum limpidi , deinde rufeſcentis , ac tandem ruſi , magis ac magis manifeſte acidi , ac tandem auſteri ℔ij. ℥viij. ʒiiij. gr. xxx. humoris ruſi, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥iij. ʒiij. ſalis volatilis urinoſi concreti , gr. xxxvj. olei tum tenuis eſſentialis , tum craſſi & ſpiſſi ad inſtar extracti ℥ij. ʒvij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vij. ʒj. gr. xxiiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒvj. gr. xxiiij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒvj. extractæ fuerunt . Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒj. gr. xii. in calcinatione ℥iiij. ʒiij.

Hyſſopus ſapore acri & odore gravi aromatico donatur . Salem eſſentialem obtinet ammoniacalem cum oleo tenui eſſentiali aromatico & oleo craſſo bituminoſo conſociatum.

Vi incidendi , attenuandi , & diſcutiendi pollet . Pulmonum affectibus tartareis potiſſimum dicatur . Ventriculum roborat , & ciborum concoctionem juvat . Acrimonia ſua aromatica viſcidum pulmonum mucum eorum veſiculas infarcientem incidit & ad expectorationem promovet : unde in aſthmate humorali ſpecificum audit : ſimili modo ventriculi inflationi & ciborum inappetentiæ medetur , incidendo & adſtergendo glutinoſam pituitam hujus viſceris parietibus inhærentem . Sunt qui eum Abſinthio in corroboratione ventriculi præferunt . Cerebri quoque pituitoſis & nervorum affectionibus opitulari dicitur , non ſolum pituitam diſcutiendo , ſed etiam eaſdem partes roborando . Eapropter in catarrhis & morbo comitia-

tiali a nonnullis proponitur. Ejus infusum vel decoctum in aqua, vino, vel Cerevisia præscribitur. Syrupus simplex & compositus, & conditum in officinis præparantur in affectibus pulmonum eximii usus. Ejusdem aqua distillata ad eadem utilis servatur.

℞. Radic. Chinæ ʒij. Bulliant leviter in aq. fluvial. ℔ij. Adde folior. Hyssopi M. ij. Macerentur donec decoctum refrigeratum fuerit. Colatura dilue Syrup. de Hyssopo, vel Erysimo aut Stœchad. ℥ij. Sumat æger per cyath. 3. quaque hora in asthmate humorali & catarrhis.

℞. Rad. Iridis Florentin. ℥ij. Agaric. minutim concisi & in nodulo ligati ʒjß. folior. Nicotianæ exsiccator. ℈j. Summitatum floridar. Hyssop. & Thymi ana M. j. Coquantur in ℔ijß. aq. comm. ad ℔ij. Colatura dissolve Oximel. simplicis ℥iiij. F. apozema expectorans, in asthmate humorali præpotens remedium. Propinetur calidum ad instar Caffe ad ℥v. bis vel ter in die.

℞. Conserv. flor. Hyssop. & Conserv. ad Enul. camp. ana ℥ij. Aristoloch. rotund. & Ireos Florentin. ana ʒiij. c. s. q. Syrup. de Althæa Fernel. F. opiata ad magnitudinem Nucis Moschatæ in asthmate humorali.

Externe quoque in oculorum suggillationibus & sanguine sub cornea collecto sive a causa interna sive contusionibus nihil conducibilius Ettmullerus asserit quam summitates Hyssopi recentis vel exsiccati nodulo inclusas, quæ immersæ aquæ fervidæ vel vino calido & instar fomenti humidi impositæ oculis, quemvis sanguinem grumosum & extravasatum dissolvunt. Idem testatur Riolanus senior *in Tract. de affectibus Oculor. p.* 153. „ Expertus sum, inquit, verum quod affirmat Archigenes apud „ Galenum, quod si Hyssopi coma nodulo inclusa bulliat in aqua, & te„ pide nodulus oculo cruento applicetur, tam manifeste fugit sanguinem, „ ut linteum ipsum sanguinolentum videri possit. " Simon Paulli hujus auctoritatem secutus, ubi occasio tulit, decoctum Hyssopi aliquammultis adversus suggillationes quascumque, imo etiam oculorum commendasse asserit, sed loco aquæ sacculum in vino bulliendum quandoque curavisse, & ex voto eas evanuisse, dum lectum petentibus, sacculus subtepidus clausis palpebris fuit applicatus. Aliam observationem ex Roberto Boyle J. Rajus sic refert. Vir quidam celebris, qui femur ictu equi calcibus in„ cusso graviter contusum fuit, sola applicatione cataplasmatis cujusdam „ ex Hyssopi foliis minutim concisis & cum butyro recenti non salito „ commixtis parati intra paucas horas a dolore liberatus est, deleta etiam „ livida & decolori macula in cute. "

Aqua Hyssopi distillata servatur in Officinis ad oculorum inflammationes utilis. Quidam aquam Hyssopi & aquam Hyoscyami conjungere solent, & externe applicant in suggillatione. Ex ejus summitatibus floridis conditum præparatur & syrupus simplex.

Usurpatur in syrupo de Hyssopo composito *Mesuæ*, syrup. de Artemisia *Pharm. Reg.* syrupo antiasthmatico D. Daquin *ejusdem Pharm. Reg.*

## J A C E A.

JAcea nigra, Jacea vulgaris, *Off.* Jacea nigra pratensis, latifolia, *C. B. P.* 271. *Inst. R. H.* 443. Jacea nigra, vulgaris, capitata, & squama-

 ta, *J.*

ta, *J. B.* 3. 27. Jacea nigra, *Taber. Icon.* 152. Jacea nigra, *Dod. Pempt.* Jacea nigra vulgaris, *Lobel.* Hyosiris Plinii, *Anguill:* Jacea nigra Gerardi, *Inst. R. H.* 325. vulgo, *Jacee.*

Radice satis crassa, lignosa, vivaci, multis fibris stipata, sapore cum nausea adstringente, nititur: folia priora, quæ a radice exeunt, aliquid commune habent cum Cichorii foliis; sunt enim longa, nonnihil laciniata, præ virore nigricantia, brevi lanugine hirsuta: caulis ex eadem radice interdum unicus, sæpius plures assurgunt cubitales aut sesquicubitales, hirsuti, teretes, striati, firmi & rigidi, fractu contumaces, medulla farcti, foliis crebris, nullo ordine positis, iis quæ ad radicem similibus, verum angustioribus, obiter præcipue ad exortum dentatis, cincti: e quorum alis seu sinubus a medio caule sursum versus ramuli egrediuntur consimilibus foliis seu minoribus donati, in fastigiis unum, duos, tresve flores sustinentes flosculosos, plurimis scilicet flosculis constantes tubulosis, profundius in summitate quinquefariam divisis, purpurascentibus, arcte stipatis, embryoni insidentibus, & calyce squamis composito nigricantibus, circa margines cilii instar pilosis, imbricatim positis. Flosculis marcescentibus embryones abeunt in semina oblonga, parva, per maturitatem ex cinereo nigricantia, barbata, & denso, sed brevi pappo intermixta. In agro Parisiensi sponte nascitur. Flores & folia in usum veniunt, sed raro.

Analysi chymica, ex Jaceæ floridæ ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore herbaceo, cum levi quadam acrimonia, obscure alcalini, urinosi, & subsalsi ℔j. ℥ij. ʒij. gr. xij. humoris subsalsi, alcalini, urinosi ℔iij. ℥iiij. ʒvj. gr. lxvj. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒv. olei adiposi ℥j. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. ʒvij. gr. liiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. xij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xxvj. lixivio fuerunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒj. gr. xij. in calcinatione ℥iij. ʒj. gr. xlij.

Jacea itaque plurimum continet salis acris seu alcalini tum volatilis, tum fixi, cum oleo bituminoso conjuncto.

Inter plantas vulnerarias ab Italis recensetur qui eam *Herba d' elle ferite* nominant. Præstantissima in aphthis oris sanandis ab Anguillara dicitur. Ulcera optime detergit. Potenter resolvit; quapropter ad faucium, tonsillarum, uvæque tumores commendatur. Tabernæmontanus ad hernias eam valere scribit, si pulverata ad ʒj. in jusculo sumatur.

## JACOBÆA.

Jacobæa, *Off.* Jacobæa vulgaris, laciniata, *C. B. P.* 131. *Inst. R. H.* 485. Jacobæa vulgaris, *J. B.* 2. 1057. *J. R. H.* 284. Jacobæa, *Dod. Pempt.* 642. Flos Sancti Jacobi, *Tragi* 287. Senecio major, sive flos Sancti Jacobi, *Matthiol. Lugd.* 575. vulgo, *Jacobee*, *Herbe de S. Jacques*, *Fleur de S. Jacques*.

Radix plurimis fibris majusculis, albentibus terræ firmiter adhærescit, ut non sine difficultate possit extirpari. Caules exinde exsurgunt non raro plures,

res, interdum unicus, teres, ſtriatus, alias glaber, alias nonnihil lanuginoſus, in apricis plerumque purpuraſcens, ſolidus, foliis crebris, nullo aut alterno ordine poſitis veſtitus, ſeſquicubitalis aut altior, ſumma parte in ramos aliquot diviſus. Folia oblonga ſunt, profunde diſſecta, primo in laciniarum quaſdam conjugationes ad mediam prope coſtam, deinde in alias lacinias ſecundarias ſubdiviſa, glabra, & obſcurius virentia, præſertim ſupina parte. Flores in ſummis caulibus & ramulis naſcuntur in umbellas quodammodo diſpoſiti, magnitudine mediocri, radiati, flavi, quorum diſcus ex plurimis floſculis fiſtularibus, in ſummitate quinquifidis, corona vero ex ſemifloſculis cuſpidatis componitur, embryonibus inſidentibus, & calyce tubiformi, ac multifido comprehenſis. Embryones marceſcente flore abeunt in ſemina perexigua, oblonga, pappis inſtructa, per maturitatem rubeſcentia. Agri Pariſienſis incola in uſum medicum nonnumquam venit.

Jacobææ folia amara ſunt, aromatica, nonnihil adſtringentia, & cæruleam Heliotropii ſolutionem parumper mutant. Salem eſſentialem ſali terræ naturali fere ſimilem cum plurimo oleo & terra copioſa conjunctum eam continere Cl. Tournefortius exiſtimat.

Vulneraria dicitur. Eaſdem cum Senecione vires, & facultates obtinere Hieronymus Tragus ſcribit, in primis autem vulneribus, inflammationibus, & fiſtulis mederi. Cui C. Hoffmannus, & S. Paulli haudquamquam ſubſcribendum cenſet. Viribus quippe a Senecione diſcrepare autumant. Senecio, inquit Hoffmannus, *Lib.* 2. *de Med. Offic. cap.* 66. *pag.* 221. *§.* 34. quia inſipidus, cum modica caliditate, digerit: Jacobæa vero quia amara, cum majori caliditate diſcutit, & abſtergit. Ubi ergo mitigandi dolores in inſipientibus inflammationibus ſunt, Senecio potius præ Jacobæa eligatur: ubi vero ſiccare, & abſtergere citra morſum, & conſolidare ulcera animus eſt, priores Jacobæa teneat, inquit, S. Paulli. Jacobæam ad anginas tonſillarumque inflammationes utiliter adhiberi docet Camerarius, & ex ea gargariſma parat, quod tamen rejicit S. Paulli propter ingratum & propemodum abominandum ejus ſaporem. Idem S. Paulli narrat ſe a Chirurgo quodam Caſtrenſi accepiſſe, cum dyſenteria epidemica graſſaretur in caſtris, complures militum gregariorum, ſolius decocto Jacobææ, aut ea in pulmentum cocta, ſanitatem priſtinam eſſe conſecutos. Quin & idem obſervarat nonnullis Jacobæam calidam cataplaſmatis forma adverſus ventris tormina, quæ dyſenteria affectos nonnumquam miſere excruciant, felici ſucceſſu fuiſſe abdomini applicatam. Simon Paulli *in Quadr. Botanico* ægrotantium palati delicatioris miſeratus hæc euporiſta medicamenta nauſeabunda pro militibus, ruſticis ac plebejis relinquit. Revera Medicus tuto, cito & jucunde quantum fieri poteſt, mederi debet. Sed ſi palato minus grata remedia rejiceremus, exigua ſane & curta foret Officinarum pharmaceuticarum ſupellex. Non ideo igitur propter faſtidioſum, & S. Paulli palato minus arridentem ſaporem a foro medico Jacobæa rejicienda eſt.

Externe Jacobæa ad vulnera & ulcera inveterata ac ſordida ab omnibus fere Botanographis commendatur. Eapropter idem auctor in contumaciori dyſenteria aut ſordido inteſtini recti ulcere clyſteres aut injectiones ex Jacobææ de-

coćto

cocto vel succo solo aut cum aliis sarcoticis consociato proponit. Remedium quidem tentandum, sed nondum expertum. Nonnulli unguentum adversus erysipelata utile ex ejus succo parant: sed Cl. Tournefortius ejusdem decoctum pro fotu præstantius fore censet, & multa cum ratione, siquidem adiposa & pinguia externe admota in erysipelate sæpius noxia deprehenduntur.

## JUGLANS.

JUglans, Nux, & Nux Juglans, *Off.* Nux Juglans, sive Regia vulgaris, *C. B. P.* 417. & *Inst. R. H.* 581. Nux Juglans, *J. B.* 1. 241. *Dod. Pempt.* 816. & *Raii Hist.* 1376. vulgo, *Noyer*. Cujus fructus Nux simpliciter, Nux Juglans quasi Jovis glans, vel juvans glans, Nux basilica, Nux regia, Persica Nux, Nux Græca, Nux Euboica, *καρυον Græcis*: vulgo, *Noix*.

Prægrandis arbor est, multis prælongisque nixa radicibus; caudice procero & crasso ad binum ternumve sæpius cubitorum amplexus, multis ramis in summo sese diffundentibus. Cortice truncus vestitur crasso, cineraceo, subvirente, levi per senium hiulco & in rimas altas dehiscente. Materie constat ampla, rufa vel subfusca, multis exiguis segmentis scarificata, quibusdam partibus undulatim crispa, robusta. Folia pinnatim disponuntur, quina senave ad unam costam cohærentia, conjugationes claudente folio impari, primum tenera, rubicantia suaviterque olentia; cum adoleverint ampla sesquipalmum longa, palmum fere lata, principio & mucrone angustiora, venis obliquis a medio nervo deductis, lævia pulchre viridantia, odore jucundo fere laureo, sed graviori & vehementi, sapore adstringente. Flores amentacei sive juli cum foliis vere erumpunt juxta foliorum pediculos, duas tresve uncias longi, suaveolentes, plurimis foliolis seu petalis constantes, axi squamatim affixis, quibus singulis denso agmine subsunt stamina & apices flavescentia, quæ brevi decidunt. Fructuum embryones in eadem arbore a floribus separati nascuntur plurimi eidem pediculo innixi, singuli singulis calyculis herbaceis, in summo bifidis inclusi: abeunt deinde in fructum subrotundum, duas tresve uncias crassum, qui maturitatem assecutus constat cortice carnoso foris virente, intus albicante, acerbi, & amari saporis non sine acrimonia, nigro colore manus inficiente & subjecto putamine seu testa, quæ sub initio pulposa fuit & candida substantia, ex acido amaricans, per maturitatem ossea sive lignosa, rugosa, unciam circiter lata, & ipsa latitudine longiore, in duas carinas fissili, nucleum continente in duas partes ad medium fere fissum & pene quadripartitum, revolutionibus cerebri similiter inæqualem primo mucosum, ac fere insipidum, deinde per maturitatem callosum, candidum, dulcem, ori gratum; dum recens est, (aridus enim oleosum & rancidum quid contrahit) cuticula tectum amara, acri, ori ingrata, quæ dum nux recens est, facile deglubitur, cum arescit adhæret, nec potest separari, extrinsecus flavicante, intus albicante, intercusante lignea quasi membrana divisum. In agris secus vias, & semitas & in viridariis plantatur. Ubi sponte proveniat, nesciunt. Lætis gaudet collibus; montibus delectatur: aquas odit, aquososque tractus spernit.

Nuces Juglandes magnitudine, figura, duritie, sapore multis modis differunt

runt. Nux Juglans sive Regia vulgaris, quæ a duro cortice & frangendi mora Morancia, & Moracilla a nonnullis dicitur. Surdam nominat Cæsalpinus, fortasse quia exsiccata & concussa sonitum non edit. Nux Juglans fructu maximo, quam Caballinam Dalechampius vocat, & Angli Nucem Gallicam. Mali magnitudinem fere æquat. Bonitate & pondere ratione molis reliquis cedit. Non enim intus oppleta, sed magna ex parte vacua est, & minus sapida. Nux Juglans fructu tenero, & fragili putamine, a Dalechampio Mollusca dicta, quod cœteris generibus mollior sit, ejusque putamine digitis facile rumpatur. Tarentinæ veterum vel eadem est vel similis. Cœteras differentias prætermitto.

Umbram Juglandis noxiam esse plerique affirmant non solum humano capiti, sed & stirpibus omnibus juxta satis. Hinc a græcis Καρύα, quod Κάρα id est caput sua umbra lædat. Hinc in hortis & agris extremis partibus locatur ac plantatur. Unde versus:

*Me, sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor,*
*Cultus in extremo margine fundus habet.*

Reipsa decubitum sub hac arbore nonnullis capitis dolorem inducere experientia comprobatum est; quod non provenit ab umbra, sed a graveolentibus halitibus ex foliis arboris emanantibus, qui quidem nonnullis cerebris noxii sunt, sed non omnibus, ut patet ex J. Raii & Evelyni testimonio, qui hanc umbram non tantum innocuam, sed & amœnam & salubrem asserunt ob odorem gratum quem folia exspirant. Cum etiam hæc arbor sit admodum ramosa, & patula, spissiorem umbram constituit, in qua plantæ satæ minus bene quam sub aperto cœlo crescunt.

Trunci materies seu lignum maxime æstimatur ob elegantem suum colorem varium, venas undulatas & crispas, materiei solidatem, ac durationem, quod egregie poliatur, & nitidum splendorem acquirat. Hinc mensis, armariis, utensilibus, & operi tectorio potissimum dicatur.

Truncum igitur Nucis fabri lignarii quæritant, fructuum corticem exteriorem infectores, fructum pueri ad lusum, & esum Pharmacopæi ad usum medicum partes fere omnes, sed in primis folia, flores, germina, Nuces tum virides, tum maturas adhibent.

Analysi chymica, ex Nucum viridium tenerrimarum quales condiri solent ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori, & insipidi, & subsalsi, & subacidi ℔j. ℥ij. ʒvij. gr. xlviij. humoris primo limpidi, magis ac magis acidi, austeri, deinde rufescentis, odoris, & saporis empyreumatici, impense acidi, & austeri ℔ij. ℥xij. ʒiij. gran. xxxviij. humoris rufi, empyreumatici, sale volatili urinoso, copioso imprægnati ℥j. ʒij. gran. lviij. olei ʒij. gran. lx. Massa nigra residua pendebat ℥iij. ʒiiij. gran. xxiiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ʒiiij. gran. vj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒj. gran. lxviij. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥xj. ʒij. gran. lx. in calcinatione ℥iij. gr. vj.

Nucum bene maturarum recentium medullæ ab omnibus involucris & pellicula spoliatæ ℔v. per retortam distillatæ præbuerunt humoris limpidi, Nucum aliquantisper torridarum odorem levem referentis, obscure subsalsi, deinde subacidi ℔j. ℥iiij. ʒiij. gran. ix. humoris limpidi, odorem & saporem

rem axungiæ veteris, & rancidæ referentis, obscure acidi ℥iv. ʒij. gr. xv. humoris rufescentis, subacidi, obscure subausteri ℥j.ʒj. gr. xlij. humoris parum rufescentis tum acidi, tum alcali urinosi cum oleo pingui, fusco ℥j. ʒvij. gr. xlv. humoris tum subacidi, tum salsi & alcali urinosi, & austeri ʒvij. gr. xxxvj. cum multo oleo fluido, & olei spissi Resinæ seu Colophoniæ ad instar, fortiter recipientis parietibus adhærentis ℥vj. gr. xvij. olei tum fluidi, tum spissi & resinosi ℔ij. ℥vj. gr. xxij. Massa nigra valde sicca in retorta residua pendebat ℥v. quæ per duodecim horas igne vehementi calcinata reliquit cinerum nigricantium ʒv. gr. lxiv. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali gr. lxiij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥viij. ʒj. gr. xj. in calcinatione ℥iv. ʒij. gr. viij.

Nuces virides saporem herbaceum stypticum obtinent, nonnihil aromaticum: parum terræ, perparum olei continent, plurimum phlegmatis, & salem essentialem aluminoso-tartareum. Nucum autem maturarum medulla saporem dulcem, gratum, amygdalinum obtinet: cum aqua contusa lactescentem aquam efficit. Multum olei, mediocrem phlegmatis portionem, & salem essentialem tartareum præbet.

Diversæ sunt diversarum hujus arboris partium facultates. Cortex interior seu potius liber Juglandis exsiccatus vim insignem emeticam possidet; juli seu nucamenta leniorem, & a ʒß. ad ʒj. eorum pulvis exhibetur, affirmantibus Fernelio, Camerario, Sennerto, & aliis. Ducunt satis valide bilem pituitamque viscidam ex ventriculo vicinisque partibus, ita ut in robustis corporibus tuta sint remedia ad febres extinguendas. Et Camerarius, *in Horto*, julorum pulverem exhibet pro vomitivo in doloribus colicis, & nephriticis.

Attamen Matthiolus in suffocationibus uterinis eumdem pulverem ad ʒj. exhibet. In epistolis Cratonis idem medicamentum cum hoc elogio commendatur ab eo, qui scribit adversus eumdem morbum. „ In hoc af- „ fectu nihil novi præstantius. "Hunc autem pulverem exhibet ad ℈ij. cum olei Succini gutt. ij. Eidem quidam Joannes Ranzenbach affirmabat, Anabaptistas in Moravia jactare, habere se antiepilepticum secretissimum, quo dato infantibus novissime natis ante omnes alios cibos, præstent illos securos per totam vitam, hos nempe Julos. Has diversas facultates emeticam & antispasmodicam, S. Paulli conciliare vix potest. Quod tamen non prorsus impossibile est; sed ad experientiam confugiendum. Iidem Juli a nonnullis, referente Ettmullero, commendantur veluti arcanum specificum adversus dysenteriam, pulverati & in aqua conveniente ad ʒj. propinati.

Folia arboris Juglandis aroma spirantia, a vulgo Germaniæ, inquit S. Paulli, frequenter expetuntur, æque ac folia Menthæ corymbiferæ seu balsamitæ; ad pediluvia & balnea sanorum, quæ conservandæ valetudinis causa instituuntur. Idem S. Paulli refert eadem folia adversus podagram commendari, si ex illis virentibus & modico sale, in olla vitrea stratum super stratum fiat reponendum quotannis in cellam, ut paroxysmi tempore semimarcida folia parti dolenti cataplasmatis in modum applicentur. Hoc remedium discutiendi & roborandi, minime autem repellendi facultate præditum censet.

J. Rajus refert, succum radicis violenter purgare, nec nisi rusticis exhibendum esse: quod quidem de expresso radicum recentium contusarum succo intel-

telligendum existimo. Nam alius succus ex radicibus mense Februario vulneratis aut perforatis sponte stillat, narrante Ettmullero, in plurimis morbis, præsertim chronicis commendatus, in primis in arthritide, nephritide, & cephalalgia. Urinam potenter movet: minus dulcis est quam Betulæ succus.

Nuces pro diversa earum ætate, diversis virtutibus donantur, necnon variæ sunt diversarum earumdem partium facultates.

Nuces virides decerptæ Majo vel Junio appetente, antequam earum putamina obduruerint, Saccharo conditæ stomacho utiles dicuntur. Antequam condiantur, cortice viridi spoliantur, stylo undequaque perforantur, & in aqua per plures dies macerantur, singulis diebus mutata & nova affusa; coquuntur igne blando donec mollescant, ac tandem cum Saccharo & aromatis perfecte coquuntur. Nuces sic conditæ commendantur ad ventriculi imbecillitatem, ad flatuum dissipationem, colicum dolorem sedandum, ciborum concoctionem juvandam, ad pestis contagium arcendum: quin & frigidis maritis & ad venerem pigris conceduntur, eamque excitare perhibent. Attamen si quid hac in re præstent Nuces conditæ, non tam ipsis debetur, quam admixtis aromatibus. J. Raius ex propria observatione refert Juglandes virides adhuc immaturas, integras cum cortice viridi Saccharo conditas, ut moris est, si duæ vel tres sub vesperam a sumpto cibo sumantur, alvum blande subducere.

Cortex viridis exterior Nucum Juglandium saporem habet adstringentem vitriolicum; unde ex eo vitriolum quoddam vegetabile Ettmullerus parare tentat hoc modo. Cortices Nucum Juglandium quando maturescunt, deglubiti contunduntur, & cum aq. q. s. decoquuntur. Decocti per pannum laneum transcolati mensuris tribus salis communis manipuli duo dissolvuntur. Solutio ad cuticulam evaporata in locum frigidum reponitur, ubi crystalli virides saporis adstringentis concrescunt, vitriolum vegetabile dictæ. Ex hoc vitriolo cum Boli triplo distillato spiritus acidus extrahitur ad coralliorum perlarum solutionem a quibusdam commendatum. Sal ille improprie vitriolum dicitur, cum revera nil aliud sit, quam sal cibarius seu communis cum corticis Nucum essentiali sale permixtus. Spiritus vero inde distillatus a spiritu salis parum differt.

Viridi huic cortici recenti vim quamdam vomitoriam Ettmullerus tribuit. Eumdem corticem viridem exsiccatum & pulveratum a nonnullis Piperis loco usurpari Tragus refert; & huic pulverem foliorum Salviæ saporis gratia commisceri: pravum sane condimentum.

Ejusdem corticis succus expressus adstringens est, & in omnibus faucium inflammationibus, præsertim in principio morbi in gargarismatibus usurpatus commendatur, & ad uvulæ relaxationem. Ex eodem succo cum melle inspissato ad syrupi consistentiam Rob Nucum conficitur, Dianucum vel Diacaryon a pharmacopœis dictum, ad eadem utile.

Nonnulli succum hujus corticis inspissant ad extracti consistentiam, & hujus extracti grana aliquot in ejusdem corticis aqua distillata vel alia quacumque solvunt, sicque parant collyrium in ophtalmiis & oculorum inflammationibus perutile sub initio morbi.

Ejus corticis aqua distillata non solum ad oculorum & faucium inflamma-

mationes commendatur ob vim quamdam adstrictoriam, sed etiam ratione tenuium suarum partium quæ odore facile deprehenduntur, ad multa alia utilis dicitur: ab Ettmullero ad calculum, a J. Raio & aliis ad dissolvendos thrombos concreti sanguinis intus sumpta, ad vulnera & ulcera calida, & ad anthracem pestilentem foris imposita. Quin & vis alexipharmaca a S. Paulli ipsi tribuitur: & aquam antipestilentialem describit ab Henrico Paulli patre suo multis optimo cum successu peste affectis exhibitam, ex Nucibus Juglandibus & aliis alexipharmacis sic compositam.

♃. Scabiosæ, Veronicæ, Borrag. Bugloss. Acetosæ, Rutæ, Calendulæ, Card. bened. ana M. ijß. Rosar. rubrar. M. iijß. Cortic. Citri ℥j. Nuc. Jugland. virid. n. xxv. Omnia contusa distillentur baln. Mar. In hujus aquæ cochleari uno atque altero dissolvit sequentis electuarii ʒj. vel ʒjß.

♃. Diascordii ℥ß. Pulver. Card. bened. ℈iiij. Sal. Card. bened. ℈j. cum syrupi acetositatis Citri q. s. Fiat l. art. electuarium.

Aqua e tribus Nucibus distillata in Officinis hodie celebratissima est & usitatissima in febribus intermittentibus, necnon in malignis, in hystericis affectionibus, in hydrope. Exhibetur ad ℥iiij. vel vj. quarta vel sexta quaque hora. Sudorem movet, urinam provocat, flatus discutit, ventriculum roborat. Sic autem præparatur.

♃. Julor. seu florum Juglandis ℔x. Terantur & macerentur calide in succi expressi & colati aliorum nucamentorum ℔xij. per duodecim horas. Deinde distillentur per alambicem. Aqua distillata affundatur embryonum fructuum primo erumpentium ℔vj. & distilletur secundo. Tertio denique aqua distillata supra eamdem Nucum fere maturarum quales condiri solent, & vulgo *des Cerneaux* dictarum quantitatem affusa distillatur; aqua e tribus Nucibus dicitur.

Per solum hujus aquæ ad ℥vj. quarta quaque hora propinatæ usum uxor Pharmacopœi Parisiensis peritissimi, plurimis aliis remediis frustra tentatis, paucis abhinc annis ab hydrope liberata fuit.

Nuces novellæ, vulgo *des Cerneaux*, palato placent quia suaves & dulces, si delibratæ; & ideo mensis secundis frequentissime apponuntur, & cum sale & aqua suaviter esitantur. Parum nutriunt, ægre concoquuntur, tarde descendunt. Quanto vero magis ad maturitatem accedunt, eo minus sunt gratæ. Ætate oleaginosam & rancidam qualitatem contrahunt quæ illas reddit esui ineptas. Maturitatem assecutæ & aridæ parce nutriunt, tenuis cuticulæ qua velantur ratione, haud leviter adstringunt. Difficulter concoquuntur. Bilem venenis non inferiorem gignere dicuntur; tussim etiam excitant, vocem extinguunt, asperum quid & raucum in faucibus pariunt; gravitatem capitis afferunt. Corriguntur tamen si edantur cum Caricis & passulis. Ut vero diutius recentes sint, in media maturitate colligi debent & in cella vinaria sabulo sepeliri. Imo aridæ si per aliquot dies in aqua macerentur, albescunt, & membrana ut virides facile exuuntur.

Nuces Juglandes post piscium esum comestæ, eorum concoctionem adjuvare creduntur. Unde illud scholæ Salernitanæ:

Post

*Post pisces nux sit, post carnes caseus esto.*

Existimaverunt enim piscium frigiditatem, & humiditatem ab aridarum Nucum caliditate, & siccitate temperari, & emendari.

Quæritur quis sit sensus alterius versiculi ejusdem scholæ:

*Unica nux prodest, nocet altera, tertia mors est.*

Per primam nonnulli intelligendam esse putant nucem moschatam omnino salutarem. Per alteram intelligunt alii nucem Avellanam, alii nucem Juglandem. Per tertiam vero quidam Balistæ nucem, vel sclopeti glandem jocose interpretantur, quod nimirum repentinam inferant mortem. Verum alii nucem intelligunt Metellam, seu fructum Stramonii (fructu spinoso rotundo, semine nigricante *Inst.* Solani pomo spinoso rotundo longo flore, *C. B. P.*) quippe quæ venenum sit narcoticum seu torporem inducens. Plerique per hanc triplicem nucem nihil aliud intelligendum esse censent quam unam, & eamdem Juglandem: per unicam quidem paucas numero quæ citra denarium consisterent: per alteram quæ paulo largiore copia ingererentur: per tertiam vero quæ immoderatissime sumerentur.

Nucibus bene maturis virtutem alexipharmacam veteres tribuerunt. Eas venenis resistere cum Ficubus, & Ruta ante alios cibos comestas, vel etiam post ipsa venena hausta sumptas asserunt. Necnon contra pestem, & malignos morbos præservative, & curative commendantur. Hinc antidotum Mithridatis regis ingrediuntur adeo celebratam adversus venena in devicti a Cn. Pompejo regis Mithridatis sanctuariis repertam, quæ duas nuces, Ficus totidem, Rutæ folia viginti, simul trita cum salis grano admittebat. Qui hanc jejunus sumit, nullum venenum illo die nociturum asserunt. Nec paucæ sunt compositiones alexipharmacæ, & antipestilentiales, in quibus nux Juglans usurpatur. Attamen C. Hoffmannus de hac alexipharmaca quæ nucibus tribuitur virtute, valde dubitat.

Juglandibus maturis ab Andræa Matthiolo propria quædam, & peculiaris facultas tribuitur ad remoratos menses ciendos, aliis medicamentis nihil proficientibus. Ad id macerantur in aqua donec nuclei membranis possint nudari: deinde nuclei ita exspoliati macerantur in aqua vitæ per biduum, eorumque duo vel tres quotidie mane jejunæ prius perpurgatæ exhibentur comedendi per decem dies ante tempus menstruæ fluxionis.

Singulare quoque medicamentum ex membrana aut tunica illa subamara lutea, quæ nucleum juglandium arctissime investit, paratur, & ʒj. pondere contra colicos dolores propinatur.

Sunt qui præmansas juglandes nuces eum in finem commendant ut earum beneficio exploremus morsus canum. Etenim si præmansæ nuces parti affectæ aliquamdiu applicentur, ac postea projiciantur devorandæ gallinis, nec illæ ab earum esu male se habeant, pronunciandum arbitrantur, canem qui ægrum momordit non fuisse rabidum. Imo nonnulli quoque tradunt easdem morsui canis licet rabidi posse mederi, ubi commanducatæ a jejuno homine illitæque fuerint.

Nucum testæ, & lignea intermedia sepimenta vi exsiccante, & sudorifera instructa censentur: unde in quibusdam decoctis sudoriferis, & exsiccantibus adversus catarrhos, & rheumaticos dolores, & venereos usurpantur.

24. An-

♃. Antimonii crudi contusi ℥vj. Rad. Sarsæparillæ ℥vj. Rad. Chinæ ℥j. Testas, & sepimenta intermedia lignea juglandium n. xl. Contusa coquantur in aq. commun. ℔xij. ad ℔viij. F. colatura, de qua sumat æger cyathos tres quatuorve singulis diebus, per dies 21.

Ex nucibus bene maturis, aridis, tusis, & expressis oleum elicitur, cui eædem tribuuntur virtutes ac oleo amygdalino: imo flatus potentius dissipat, & in coli affectibus a flatu genitis plurimum affert auxilii. Non solum per os intus sumitur ad ℥j. aut alteram, sed etiam cum decoctis carminativis in clysteribus injicitur. Infusum auribus surditati prodest, & idem utile calidis doloribus illitum. Eodem nonnulli ad ambusta a pulvere tormentario utuntur, qui præcipiunt partem ustulatam eo esse inungendam, mox eidem esse applicandum arboris Juglandis folium: ad ambusta alii illud cum aqua calcis permixtum, & diu agitatum utiliter usurpant. Robertus Boyle oleum Juglandium vetus, & per annum, & amplius asservatum commendat veluti specificum adversus calculum, & arenulas in seipso expertum. Imo quo vetustius est, eo efficacius deprehenditur. Calculos, & arenulas comminuit, & expellit: ad ℥ij. vel tres mane jejuno ventriculo, oleo amygdalino recenti ob spissitudinem dilutum propinatur. Quod quidem identidem reiterandum est. Hoc oleum ad lucernas præcipue expetitur quod durabilius sit oleo olivarum. Quin etiam a pictoribus quod colores incorruptos diutius conservet, & a lignariis fabris ad splendorem suis operibus conciliandum.

In Juglandis arboris truncis fungus nascitur seu spongiosa substantia satis tenax, & pene coriacea sub forma tuberum, græcis ἴσκα. Hoc inter cauteriorum genera usos fuisse antiquos Paulus Ægineta testatur, in longis stomachi defluxionibus, & in hydrope. Ita autem, teste Cælio Aureliano, vocabatur in usum. Fungum hunc acuminatum in pyramidis formam, cuti apponebant, & summitate accensum concremari sinebant, donec cineresceret, & sponte decideret. Simili fere modo Turcæ aridam sarmenti Vitis portionem parti male affectæ applicant, & summitatem ejus accendunt: hoc modo Moxa sua Sinenses utuntur ad podagram, & alios morbos.

## JUNIPERUS.

JUniperi species duæ in officinis vulgo distinguuntur; Juniperus fruticosa, & Juniperus arborescens, quæ quidem nonnisi magnitudine inter se differre videntur. De arborescente jam egimus *articulo de Sandaracha*. Nunc de fruticosa.

Juniperus fruticosa, Juniperus vulgaris, *Off.* Juniperus vulgaris, fruticosa, *C. B. P.* 488. & *Inst. R. H.* 588. Juniperus vulgaris baccis parvis, purpureis, *J. B.* 1. 293. *Raii Hist.* 1411. Juniperus, *Dod. Pempt.* 852. vulgo, *Genevrier* ou *Genievrier*: & fructus, *Genievre* ou *Genevre*.

Frutex est omnibus notus & omnibus Europæ regionibus familiaris, in sylvis & montibus nascens, radicibus numerosis, hinc inde sparsis, nonnullis etiam alte descendentibus: stipite hominis proceritatem nonnumquam assequente, non multum crasso, ramoso, densissimo, cortice scabro, deciduo, rubente: mate-

materie firma nonnihil rubefcente, maxime fi ficcata fuerit, odore refinofo grato: foliis acutiffimis, anguftiffimis, raro uncia longioribus, fæpe brevioribus, rigidis, pungentibus, femper virentibus, ternis plerumque fimul per intervalla. Julos profert Aprili, & Majo in foliorum alis duas trefve lineas longos, purpura cum croceo mixta pictos, e plurimis fquamis compactos, quarum infima pars munitur veficulis tribus quatuorve, Papaveris femine minoribus, pulvere aureo tenuiffimo plenis. Steriles funt illi flores. Fructus vero numerofi in aliis Juniperi fpeciebus nafcuntur quæ ftaminibus carent. Baccæ funt fphæricæ, primum virides, minutiffimæ, & calyce tribus foliolis minutiffimis conftante involutæ, deinde per maturitatem granis piperis duplo majores, cum umbilico trifulcato, nigræ & pulvere cœruleo confperfæ, pulpa fubrufa refertæ, fapore acri, aromatico, refinofo, dulci, tria officula continente oblonga, angulofa, dura, femine oblongo fœta, quibus fingulis totidem veficulæ fucco refinofo turgidæ adhærent. Fructus maturitatem nifi anno fecundo non confequuntur: ita ut aliquando fructus trium annorum in eadem arbore confpiciantur. Quædam funt Juniperi arborefcentis fpecies quarum baccæ non fphæricæ funt fed oblongæ, & fubrotundæ: aliis quoque baccæ rufefcunt. In calidis regionibus ex Junipero arborefcente refina fponte vel per corticis incifiones ftillat quæ Sandaracha, vernix, & gummi Juniperinum dicitur: de qua fuo loco mentionem fecimus.

Omnes Juniperi partes odoratæ funt, & in ufum medicum veniunt; nempe radices, lignum, folia, baccæ.

Analyfi chymica, ex baccarum Juniperi maturarum, & contufarum ℔v. per retortam diftillatis prodierunt humoris primo limpidi, baccarum odorem, & faporem referentis, acidi, fubaufteri, deinde magis ac magis aufteri, tandem rufefcentis, empyreumatici, ℔ij. ℥j. gran. xxxvj. olei effentialis, limpidi, rufefcentis ʒij. gran. xlviij. humoris primo rufefcentis, tum impenfe acidi, tum falfi, urinofi, deinde rufi, fale volatili urinofo impraegnati ℥iij. ʒij. gr. liiij. olei rufi, fpiffi ad inftar fyrupi ℥ix. gr. xxvij. Maffa nigra in retorta refidua pendebat ℔j. ℥iiij. ʒv. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥ij. gr. lx. ex quibus falis fixi alcali ʒiiij. gran. xxxviij. lixivio funt extracta. Partium jactura in diftillatione fuit ℥xij. ʒvj. gran. xv. in calcinatione ℔j. ℥ij. ʒiiij. gr. xlviij.

Baccarum contufarum ℔vj. per biduum in aquæ limpidæ ℔xxxvj. maceratæ, igne vehementi diftillatæ præbuerunt olei effentialis limpidi ʒvij. extracti ℔j. ʒiiij. Maffa craffa refidua poft debitam expreffionem, & exficcationem pendebat ℔iiij. ℥xiiij. ex quibus olei effentialis limpidi flavefcentis ʒvij. olei vero craffi, rufi ℥vj. ʒj. gr. liiij. diftillata funt. Maffa nigra in retorta refidua pendebat ℥xv. ʒvj. quæ poft calcinationem reliquit cinerum ℥j. ʒvij. gran. lx. Liquores vero proliciti pro majori parte acidi aufteri erant, fub finem nonnihil alcalini urinofi. Unde liquet baccas Juniperi parum terræ, plurimum vero olei tum tenuis effentialis, tum craffi, tum etiam fixi, ut ita dicam, continere, quod nonnifi diuturna calcinatione elevatur, & comburitur: falem autem effentialem aluminofo-tartareum obtinent.

Si baccæ contufæ diutius in aqua macerentur, fermentefcunt, & humor vi-

vinosum odorem saporemque contrahit, qui debite distillatus spiritum ardentem fundit, nihil vero aut perparum olei essentialis.

Ligni Juniperi ℔v. multum liquoris acidi austeri præbuerunt: olei essentialis limpidi circiter ℥j. ʒiiij. olei rufescentis, & spissi syrupi ad instar ℥ix. cinerum vero debite calcinatorum ℥ij. ʒiiij.

Summitatum viridium Juniperi ℔v. præpter liquorem acidum austerum ac tandem nonnihil alcali urinosi, præbuerunt olei fluidi tum limpidi, tum rufi ℥viiij. ʒiij. gr. iij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥xiij. ʒiij. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gr. xxj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xlij. lixivio extracta sunt.

Baccæ itaque majorem olei quantitatem fundunt, lignum minorem; minorem adhuc folia, & summitates.

Juniperi baccæ apud Germanos in culinis conditturæ nomine frequenter adhibentur, & ab Ettmullero, & aliis aroma Germanorum appellantur: apud nos vero medicamenti tantum rationem habent. Potenter resolvunt, discutiunt, attenuant, calefaciunt, abstergunt, roborant. Ventriculo frigido prosunt, pituitam, quæ in illo coit, digerunt, flatus inde ortos discutiunt, colicos dolores sedant, ciborum concoctionem juvant, urinam promovent, viscidum mucum renibus aut vesicæ inhærentem abstergunt, & expellunt, calculos, & arenulas hoc muco irretitos, & in his partibus morantes foras amandant, & eo nomine lithiasim earum usu præcaveri dicitur. Viscidam pituitam pulmonum glandulas infarcientem resolvunt, & expectorationem promovent, tussi medentur, & æsthmati humido. Utiles sunt in affectionibus catharrosis, & in mensium suppressione conducunt. Sanguinis fluiditatem restituunt, motum augent, sudorem excitant, venenis coagulantibus resistunt; & merito Theriaca rusticorum a nonnullis vocantur. Verum non ideo, ut nonnulli volunt, pro panacea omnibus in morbis usurpandæ sunt: conveniunt tantummodo in pituitosis affectionibus, & ubi fibrarum atonia aut imbecillitas deprehenditur: alioquin sanguinis æstum augent, partibus solidis ardorem, & phlogosim inferunt. Unde sæpius videre licet urinæ suppressionem aut ardorem earum usum subsequi, ventriculi inflationem, ructus, & flatuum majorem copiam produci, ubi nempe ventriculus, intestina, renes ardore aut inflammatione laborant.

Ad ʒj. præscribuntur per diem identidem esitandæ; vel contusæ in aqua bulliente Theæ instar macerantur, & infusum ante cibum propinatur calidum ad ciborum concoctionem promovendam; aut in vino per noctem macerantur, & calculosis mane jejuno ventriculo colatura exhibetur. Sic S. Paulli plurimos a jugi nephritico dolore vindicasse asserit. Quidam Laurentius Rostochiensis Professor, narrante eodem, quotidie circiter pugillum unum baccarum comedebat, quo simplici medicamento obtinuit, ut non solum arenulas, sed calculos minutulos, imo etiam lentis magnitudinem æquantes, si non sine omni molestia, attamen dolore, excreverit, cum ante usum harum baccarum sæpe oppido male se habuisset.

Observandum est baccas Juniperi comestas aut earum essentialis olei guttulam deglutitam urinam violarum odore imbuere, non secus ac Terebinthina vulgaris, & stillatitium ejus oleum.

Non

Non semper tamen tutus est granorum Juniperi usus in calculosis. Imo Carolus Piso *in suis Observationibus*, *sect.* 4. *c.* 2. *Observ.* 105. *p.* 319. scribit pulverem granorum Juniperi semper ipsi suspectum fuisse, quod ab illius usu diuturno urinæ tandem cruentæ emittantur. Simon Paulli baccarum defensionem suscipit, cruentam mictionem calculorum asperitatibus tribuendo. Quod quidem reipsa verum esse potest. Attamen sæpius observavi, usum baccarum urinas ardentes, & flammeas excitare, renum dolores, urinæ ardorem producere, ac tandem in cachecticis, & hydropicis, ubi adest in visceribus inflammatoria dispositio, urinæ notabilem imminutionem. Unde non facile hujus diuretici usum suadeo, nisi prius viscerum crasis rite perspecta ab omni æstu, & inflammatione libera deprehendatur. Eadem cautione opus est in quibusdam ventriculi affectionibus, in appetentia, flatulentia, difficili ciborum concoctione, nausea, vomituritione, quæ sæpissime sunt renum ægritudinis symptomata, his enim in ventriculi affectionibus symptomaticis nocet baccarum usus, qui in iisdem prodest cum idiopathicæ sunt.

Baccæ apud Germanos velut singulare remedium ad grassantia pestilentiæ contagia depellenda commendantur: comestæ solæ, vel aceto maceratæ.

Ob tot ac tantas Juniperi baccarum virtutes, diversa præparata ex his conficiuntur, aqua Juniperi distillata, vinum Juniperinum, spiritus per fermentationem extractus, oleum essentiale, Rob seu extractum, Elixir.

Inter præparata ex baccis aqua sese offert quæ ab Ettmullero colicis, & nephriticis admodum utilis prædicatur, urinam ciendo, vias urinarias abstergendo, moderate easdem stimulando, & in primis dispositionem calculosam renum corrigendo, si jejuno ventriculo potetur per balneum mariæ distillata, ad ℥iiij. vel ℥vj.

Vinum Juniperinum paratur ex baccis contusis cum affusa aqua fermentatis donec vinosum odorem saporemque referant: potum præbet haud ingratum, & quibusdam in Galliæ locis familiare rusticis deficiente vino, & in frigidis ventriculi, intestinorum, & renum affectionibus utilimum. Ex hoc fermentato liquore spiritus ardens extrahitur commendatus in affectionibus capitis, & nervosarum partium, interne, & externe adhibitus: intus sumptus urinam potenter movet.

Oleum essentiale, & Rob, seu extractum Juniperi sic præparantur. Recipiuntur libræ octo baccarum Juniperi recentiorum, & succulentarum; affundantur aquæ limpidæ ℔xxiiij. Macerentur per duos tresve dies in loco calido. Postea per vesicam cupream igne vehementi distillatio instituatur, cum aqua olei essentialis fragrantissimi odoris, & flavi coloris unciæ tres ad summum prodibunt. Quod relinquitur in vesica, decoctum per pannum transcoletur, & leni calore inspissetur. Ita obtinetur Rob spissioris consistentiæ, coloris ex flavo fusci, saporis amaro-dulcis, balsamici. Oleum essentiale Juniperinum in spiritu vini rectificatissimo solutum insigne diureticum est, emmenagogum, & carminativum, quod cum infusis foliorum Theæ vel cum vino Hispanico sumitur ad guttas aliquot vel etiam elæosaccharum ex hoc oleo essentiali paratur cum saccharo, sicque facile cum aquosis liquoribus admiscetur. Externe in unguentis nervinis, & antiparalyticis usurpari potest. Michael Alberti *in sua introductione in Medicinam*, baccarum oleum aut spiritum non ita facile, &

 libe-

liberaliter in nephriticis morbis admitti debere pronuntiat: quoniam acriorem qualitatem habent, valde calefaciunt, & sanguinem impetuosius exagitant: quapropter ea ad usum externum reservanda suadet.

Rob Juniperinum quod extractum, & mel Juniperinum ratione consistentiæ, Theriaca Germanorum ratione virtutum, oleo & spiritu magis temperatum est, & ideo multo magis usitatum. Præstantissimam præbet medicinam ad imbecillem ventriculum roborandum, ad dejectum fibrarum ventriculi tonum restituendum, ad præservationem a calculo, & ab hydrope. Senibus prodest, qui vesicæ vitiis, urinæ difficultatibus, & imbecillitatibus ventriculi, & intestinorum obnoxii sunt. Urinam blande provocat, menses movet, sudores quoque nonnumquam propellit, & vis alexipharmaca, & antipestilentialis ipsi tribuitur, si cum cœteris cardiacis, & alexiteriis medicamentis consocietur, unde frequenter loco mellis in electuariis stomachicis, antinephriticis, & alexipharmacis usurpatur. Ad ℥j. in vino Hispanico, aceto, aqua Cardui benedicti aut alio liquore conveniente exhibetur, vel mane jejuno ventriculo, vel ante aut post cibum.

Ex hoc melle Juniperino cum s. q. spiritus Juniperini supradicti diluto, paratur elixir Juniperinum, stomachicum, & diureticum insigne. Dosis cochlear. j. Ex baccis Juniperi contusis, & in axungia suilla decoctis unguentum fit adversus porriginem, vulgo, *Teigne*, a D. Chomel plurimum laudatum. Humores identidem evacuandi sunt blando cathartico ex Aquilæ albæ, & Diagridii ana granis vj. vel viij.

Juniperi folia seu summitates rarius in usum veniunt. Fridericus Hartmannus *in notis ad Schroderum*, & S. Paulli post Matthiolum, & Hartmannum lixivium proponunt ex earum cineribus cum vino factum adversus hydropem. Ettmullerus scribit easdem summitates seu turiones alvum laxare eodem modo ac turiones Sambuci.

Magis familiaris est usus ligni Juniperini. Ob suaveolentiam commendatur incensum ad aerem pravis halitibus inquinatum emendandum, & odores noxios, & contagiosos arcendos. Sudorifera virtus huic ligno tribuitur, ejus scobis in decoctis sudoriferis a nonnullis usurpatur adversus catharros, & luem veneream; & scobi Guaiaci vix cedere credunt. Ex eadem scobe in aqua diu macerata cum sale, oleum essentiale flavescens, & fragrans distillatione per vesicam aheneam extrahitur sudoriferum simul, & diureticum. Ex eodem ligno per retortam distillato oleum rufum nigrumve empyreumaticum elicitur oleo cadino dicto non dissimile. Hoc autem cadinum oleum recipitur ex truncis, & ramis Oxycedri, & Juniperi arborescentis in quibusdam furnis huic usui destinatis, combustis. Externe illitum potenter resolvit. Utile dicitur impetigini, capitis porrigini, pecorum etiam scabiei, & ulceribus, quibus a tonsione infestantur.

Baccæ Juniperi usurpantur in Elixir vitæ *Fioravanti*, Elixir pestilentiali *Sennerti*, Elixir asthmatico *Zuelferi*, in opiata *Salomonis*, Antidoto Orvietano *Ph. Reg.* Oleo scorp. comp. *Matthioli*. Rob seu extractum mellagineum in Theriaca reformata *Ph. Reg.* & antidoto Orvietana *Frid. Hoffmanni*. Oleum Juniperi essentiale usurpatur in Balsamo vulnerario Metensium *Schroder.* vulgo, *Beaume vert de Fevillet*.

Kei-

# K E I R I.

Keiri, Cheiri, Leucoium & Leucoion luteum, *Off.* Leucoium luteum vulgare, *C. B. P.* 202. Leucoium luteum: vulgo, *Cheiri* flore ſimplici, *J.B.* 2. 872. *J. Raii* 782. Leucoion luteum, *Dod. Pempt.* 160. Viola lutea, *Tragi* 560. Viola petræa lutea, *Tab. Icon.* 305. Leucoium aureum, *Matthiol*: vulgo, *Violier* ou *Giroflier jaune*, & flos *Giroflée jaune*.

Radicibus, ſurculiſque ſeu ramulis ubertim fruticantibus luxuriat, lignoſis, albicantibus, quos obſident folia nullis appenſa pediculis, crebra, unciali & ampliore longitudine, ex anguſto principio ſenſim dilatata, virentia aut caneſcentia, idque maxime prona parte, ſapore ſubacri. Flores edit ſuaveolentes, ſapore parum grato, ſubacri, ſubamaro, cruciformes, quatuor ſcilicet petalis luteis conſtantes, ſtaminibus ſenis & piſtillo palleſcentibus, in medio penitus fere latentibus. Succedunt fructus ſeu ſiliquæ longæ, compreſſæ, in duo loculamenta diviſæ, cum ſepto intermedio, cui valvæ adhæreſcunt, & ſeminibus planis, orbiculatis, rufis, guſtu acri amaro. In pervetuſtis muris, ruderibus & ſaxoſis locis libentius naſcitur: ſeritur & in hortis juxta parietes & muros. Flores potiſſimum in uſum veniunt. Keiri folia ſaporis ſunt amari, herbacei, ſubſalſi: & eorum ſuccus chartam cœruleam rubro colore tingit.

Analyſi chymica, ex florum Keiri ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori & inſipidi, obſcure acidi ℥vj. ʒj. gr. xlviij. humoris aliquantiſper empyreumatici, primo ſubacidi, deinde magis ac magis acidi ac tandem auſteri ℔iij. ℥xiiij. ʒvij. gr. xxiiij. humoris rufi, turbidi, empyreumatici, manifeſte acidi, & nonnihil alcali urinoſi ℥j. ʒvij. gr. xviij. humoris rufi, ſale volatili urinoſo impraegnati ʒv. gr. xxiiij. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥j. ʒvij. gr. xxxvj. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gr. xxx. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iiij. ʒij. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum albicantium ℥j. ʒij. gr. xxxvj. ex quibus lixivio ſalis fixi ſalſi ʒiiij. gr. xxiij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥j. ʒvij. in calcinatione ℥iij.

Keiri ſcatet ſale ammoniaco cum multo ſulphure tum tenui, tum craſſo conjuncto.

Flores Keiri attenuant, diſcutiunt, abſtergunt; dolores mitigant, utero ſpeciatim dicantur; menſes cient, ſecundinas & fœtum pellunt. Laudantur quoque tanquam diſcutiens in apoplexia & paralyſi medicamentum. Folia & flores macerantur ad M. j. per 24. horas in vini ℔j. pro duabus doſibus mane & ſero propinandis: vel in aqua communi decoquuntur ad viſcerum obſtructiones. Semen ad ʒj. vel duas intus ſumitur. Ferunt hoc ſemen magna doſi ſumptum, non ſolùm fœtum vivum pellere, ſed vivum enecare, & enecatum ejicere. De ejuſdem plantæ ſucco ſimile quid Ebrodunenſis herbarii auctores tradunt, prudenterque admonent eumdem exhibendum non eſſe niſi in ſumma neceſſitate conſtitutis.

Conſerva florum Keiri in officinis parari ſolet. Eam cum ejus aqua diſtillata crebro ſumptam, præſervare ab apoplexia, & paralyticos juvare

Camerarius auctor est. Hieronym. Reusnerus in observationibus a Wvelschio editis refert Episcopum quemdam Tridentinum ad præservationem ab paoplexia & paralysi iisdem feliciter uti.

Oleum per infusionem est floribus præparatum quod potenter resolvit & rheumaticos dolores sedat. Eodem in Italia ad facilitandum partum regio pubis inungitur.

## LACTUCA.

Lactuca a lacteo, quem fundit dum abrumpitur, succo dicta, plurimas habet varietates. Summa illius duo genera distinguuntur, sativum & sylvestre. Sativum rursus ratione magnitudinis, coloris & figuræ varium est & multiplex: album, nigrum, rubrum, capitatum, crispum, læve, laciniatum. At vero tres præcipue Lactucarum sativarum species frequentiorem in usum veniunt, tum in alimentis, tum in medicamentis: Lactuca nempe sativa non capitata, sativa capitata, & Lactuca Romana. Inter sylvestres Lactuca sylvestris costa spinosa frequentius apud nos usurpatur.

Lactuca sativa, non capitata, *Off.* Lactuca sativa, *C. B. P.* 122. *Inst. R. H.* 473. Lactuca sativa, vulgaris, non capitata, *J. B.* 2. 997. Lactuca sativa, folio Scariolæ, *Lobel. Icon.* 241. vulgo, *Laitue*.

Radice est longa, crassa, pluribus stipata fibris: foliis oblongis, latis, rugosis, lævibus, pallide virentibus, lacte aquoso prægnantibus, cum primo adolescit, grato, tandem amaro, ubi caulescit planta: caule firmo, crasso, terete, folioso, sesquicubitali & altiore, ramoso, cujus rami adhuc divisi & in latam effusi comam flores in summitate gerunt parvos, semiflosculosos, seu plurimis constantes semiflosculis luteis, embryoni insidentibus, & calyce squamoso oblongo tenui comprehensis: quibus succedunt semina papposa, parva, utrinque acuminata, oblonga, compressa, coloris cinerei. Tota planta vulnerata similem aquoso lacti succum effundit. Seritur in hortis.

Lactuca sativa, capitata, *Off.* Lactuca capitata, *C. B. P.* 123. & *Inst. R. H.* 473. Lactuca sativa, vulgaris capitata, *J. B.* 2. 997. Lactuca sativa, sessilis sive capitata, *Lobel. Icon.* 242. vulgo, *Laitue pommée*.

Folia huic breviora, latiora, extrema circumscriptione rotundiora, quam sativæ vulgari, plana & lævia, quæ brevi in caput rotundum conglobantur, Brassicæ capitatæ in modum: semen priori simile, sed nigrum.

Dodonæus Lactucam sativam culturæ mangonio folia ita mutare scribit, ut vel crispentur, vel ita in se contrahantur, ut capitatam Brassicam æmulari videantur. Ejusdem sententiæ J. Bauhinus etiam esse videtur. Verum J. Rajus tum figuram foliorum, tum seminis colorem, si perpetuo niger sit, nec unquam mutetur, differentiam specificam arguere contendit; & in eadem sententia Cl. Tournefortius fuisse videtur qui species capitatas & crispas a sativa vulgari distinguit.

Toto anno seritur in hortis olitoriis. Dum adhuc tenella est, evellitur, & alio fundo probe stercorato plantatur; sic majori foliorum copia luxuriat, & magis capitata, seu, ut ajunt, pomata evadit.

Alia

Alia Lactucæ capitatæ ſpecies elegantior paucis abhinc annis lautioribus menſis in acetariis apponitur cujus color ex albo purpureo & luteo variegatur. Dicitur a Cl. Tournefortio, Lactuca ſativa, maxima, auſtriaca, capitata, variegata, *Inſt. R. H.* 473. Lactuca caryophyllacea vulgo, *Horti Lugd. Batavi* : vulgo, *Laitue panachée*, *Laitue de Sileſie*.

Analyſi chymica, ex Lactucæ capitatæ foliorum tenerorum & nondum in caput comprobatorum ℔v. per retortam diſtillatis, prodierunt humoris limpidi, odore & ſapore virentem herbam referentis, ſubſalſi, obſcure alcali urinoſi abſque ullo acidi indicio ℥viij. ʒiiij. gr. xxiiij. humoris turbidi albicantis, primo leviter fœtentis, ſubſalſi & urinoſi, deinde magis ac magis empyreumatici, alcali urinoſi manifeſte, ac tandem ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℔iiij. ʒvij. gr. xxxvj. ſalis volatilis urinoſi concreti gr. l. olei ʒv. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ij. ʒiiij. gr. xlviij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiiij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xxxvj. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. ʒj. gr. lviij. in calcinatione ℥j.

Ex totius Lactucæ capitatæ capitum cum radicibus ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi odore & ſapore Lactucam & herbam virentem referentis, tum obſcure ſubſalſi & obſcure alcali urinoſi, tum leviter ſubacidi ℔j. ℥v. ʒv. humoris limpidi, ejuſdem odoris & ſaporis, tum obſcure ſalſi & alcali urinoſi, tum obſcure ſubacidi ℔ij. ℥xij. ʒij. gr. xxxvj. humoris fuſci, empyreumatici, ſalſi, tum ſubacidi, tum alcali urinoſi & ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ʒiiij. gr. vj. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒij. gr. liiij. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ʒiij. gr. lx. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥j. ʒiiij. gr. xxxvj. quæ rite calcinate reliquit cinerum ℥j. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gr. xiiij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥j. ʒj. gr. xxiiij. in calcinatione ʒiiij. gr. xxxvj.

Foliorum Lactucæ capitatæ tum virentium, tum albicantium, demptis caulibus & medulla ℔v. præbuerunt in diſtillatione humorem ſalſum, urinoſum, copioſum, abſque ullo acidi manifeſti indicio : ſalis volatilis urinoſi concreti gr. lx. olei ſpiſſi ſyrupi ad inſtar ʒiij. maſſæ nigræ ℥j. ʒiiij. gr. xxxiiij. cinerum ℥j. gr. xxiiij. ſalis fixi alcali ʒiiij. gr. xxxvj.

Lactucarum capitatarum caulis ſeu medulla ad ℔v. diſtillata humorem tum alcali urinoſum, tum acidum præbuit : ſalis volatilis urinoſi concreti gr. xxxvj. olei ʒiiij. maſſæ nigræ ℥j. ʒiiij. gr. xxxvj. cinerum ʒvij. gr. lxvj. ſalis fixi alcali ʒv. gr. xlviij.

Lactucarum capitatarum radices ad ℔v. diſtillatæ præbuerunt humorem tum acidum copioſum, tum alcali urinoſum : olei ʒiiij. nihil ſalis urinoſi concreti : maſſæ nigræ ℥ij. ʒiij. gr. xxxvj. cinerum ʒiij. gr. xxxvj. ſalis fixi mere alcali ʒv. gr. l.

Ex ſeminum Lactucæ capitatæ ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris tum ſalſi & obſcure acidi, tum manifeſte alcali urinoſi & ſale alcali urinoſo copioſo imprægnati ℔j. ℥iij. ʒvj. gr. liiij. olei ℔ij. ʒvij. gr. xxxix. ſalis alcali volatilis ʒij. gr. lxx. maſſæ nigræ ℔j. ℥iiij. ʒij. gr. xxxvj. cinerum ℥vj. ʒj. gr. xlij. ſalis alcali fixi ʒij. gr. lviij.

Totius Lactucæ capitatæ floridæ ℔v. præbuerunt humoris primo alcali urinoſi, deinde tum alcali, tum acidi, magis ac magis manifeſti ℔iiij.

℥ix. ʒv. gr. ix. olei adiposi ℥j. ʒj. massæ nigræ ℥ij. ʒvj. gr. vj. cinerum ℥j. ʒvj. gr. liiij. salis fixi mere alcali ℥j. gr. xxv.

Succus ex Lactucis capitatis expressus plurimum humoris præbuit limpidi, fatui, qui plantæ saporem & odorem referebat: deinde humorem alcali urinosum cum aliqua acidi occulti portione: tandem humorem empyreumaticum, tum manifeste acidum, tum alcali urinosum & sale urinoso copioso impraegnatum. Massa residua foliorum Lactucæ capitatæ ex quibus succus fortiter & accurate expressus fuerat ad quantitatem ℔v. distillata præbuit humorem tum salsum, tum manifeste acidum, tum alcali urinosum: salis volatilis concreti gr. xiiij. olei ʒvj. massæ nigræ ℥ij. ʒvij. cinerum ℥j. ʒiiij. gr. lxiiij. salis fixi alcali ʒvj. gr. xlviij.

Decoctum Lactucarum aqua coctarum transcolatum & ad extracti liquidi seu syrupi consistentiam in vase aperto redactum, in distillatione liquorem primo acidum austerum, deinde empyreumaticum, urinosum & sale alcali urinoso copioso impraegnatum præbuit. Unde concludere licet sales volatiles urinosos plantarum, cœteris principiis involutos, neque diuturna coctione, neque lenta humoris evaporatione in vase aperto exhalari, imo fortiori igne indigere ut evolvantur, aut potius fortasse ut producantur.

Lactucæ capitatæ exsiccatæ dum igne aperto comburuntur, fulgurationes identidem emittunt, non secus ac nitrum in carbones projectum producere solet.

Ex tot diversarum Lactucæ partium analysibus aut aliis tentaminibus institutis sequitur Lactucas salem essentialem continere nitrosum ammoniacalem, qualis exsurgit ex mixtura spiritus nitri & salis volatilis urinosi. Sal ille mediocri olei portione, multo phlegmate, & exigua admodum terræ portione involvitur. Mirum sane hanc plantam aquosam & fere insipidam tantam salis volatilis urinosi copiam in analysi præbere, ut plurimas plantas longe sapidiores hujus salis copia superet. In ea sal acidus alcali urinoso ita obruitur ut in nonnullis analysibus vix detegi possit; & succus Lactucæ chartæ cœruleæ colorem non mutet. Vel potius sal essentialis nitrosus hujus plantæ nitro seu Salipetræ prorsus similis sal salsus est, qui nullum acidi aut alcali indicium præbet, at distillationibus per ignem in alcalinum salem tum fixum, tum volatilem fere totus convertitur: eodem plane modo ac in nitri cum pulvere carbonum deflagratione in vasis clausis peracta observare licet: ubi nitrum non modo salem fixum alcalinum copiosum relinquit, sed etiam humorem sale volatili urinoso copioso impraegnatum distillatione fundit. Hæc nitri salis transmuratio in salem alcali fixum & volatilem fuse describitur *in Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis anni* 1717. ubi de acidorum salium in sales alcali transmutatione egi.

His in Lactucæ analysibus Academici Parisienses primario deprehenderunt quosdam liquores ex plantis distillatos acidi & alcali salis notas indiscriminatim præbere, nempe cum aliis liquoribus acidis aut alcalinis permixtos pariter ebullire, cyaneam Heliotropii tincturam rubram efficere, & limpidam Mercurii sublimati corrosivi solutionem turbidam, lacteam vel etiam spissam & grumescentem reddere, ac, ut ajunt, præcipitare. Quibus experimentis acida & alcali in ejusdem liquoris sinu pacifice & sine

ulla

ulla effervescentia aut mutua lucta saepius recondi perceperunt. Reipsa liquores mere acidos, aliosque mere alcali urinosos ex plantis extractos miscuerunt absque ulla effervescentia. Pariter acetum distillatum, spiritus urinae simul mixti nullo modo fermentescunt: attamen si sal volatilis urinae rectificatus, ut ajunt, aqua limpida solvatur, & solutioni acetum distillatum affundatur, vehemens ex hac miscela exsurgit effervescentia. Diversorum horumce effectuum ratio in eo posita est, quod in spiritu urinae aut in aliis alcali urinosis liquoribus ex plantis aut ex animalibus extractis sales urinosi plurimis oleosis involvantur partibus, quibus spiculorum acidorum ingressus intra salium alcali urinosorum poros prohibetur. Unde saepius ambo sales acidi, & alcali in eodem liquore innatant, sed non intime permiscentur, nec in se invicem agunt. At vero si sali volatili urinae rectificato aqua soluto acidus liquor affundatur, ambo liquores fermentescunt; quia salinae urinosae moleculae rectificatione oleosis particulis fere spoliatae fuerunt, sicque liberum spiculis acidis ingressum intra suos poros praebent, unde exsurgit effervescentia seu tumultus, qui mutuam horum salium & intimam conjunctionem comitatur & transmutationem in alium salem neutrum seu salsum, ut vocant.

Lactuca Romana, *Offic.* Lactuca Romana, longa, dulcis, *J. B.* 2. 998. & *Inst. R. H.* 473. Lactuca folio obscurius virente, semine nigro, *C. B. P.* 123. Lactuca folio obscurius virente *Dod. Pempt.* 644. Lactuca Intibacea, *Gerard*: Lactuca Regia: vulgo, *Laitue Romaine*, *Chicons*.

Folium huic angustius est, & productius, planum, & minime rugosum aut bullatum, modice sinuatum, & inferna parte secundum costam spinulis armatum. Flore est, & caule Lactucae vulgaris, sed semine succedente nigro. Folia dum adolescunt paleaceo simul collecta vinculo alligantur; & sic candidissima redduntur, & fragili teneritudine coeteras vincunt. In hortis olitoriis ad mensarum usum seritur.

Analysi chymica, ex foliorum Lactucae Romanae candidissimorum, & tenerorum ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore herbam virentem referentis, subacidi ℔j. ℥xj. ʒij. humoris limpidi, manifeste acidi, obscure subausteri ℔j. ℥xiij. ʒiv. gr. xxxvj. humoris limpidi, odore leviter empyreumatico, tum acidi, tum subsalsi, & leviter alcali urinosi ℥ij. gr. xlviij. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ʒvij. salis volatilis urinosi concreti gr. xx. olei syrupi ad instar spissi ʒij. gr. xxiiij. Massa nigra pendebat ℥j. ʒv. gr. vj. quae rite calcinata reliquit cinerum ʒvj. gr. x. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiij. gr. xxvj. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒij. gr. x. in calcinatione ʒvj. gr. lxviij.

Lactuca Romana prioribus magis sapida est: sale essentiali nitroso ammoniacali donatur haud dissimili, sed paulo majori copia, & in quo acidus sal paulo magis evolutus est.

Inter olera Lactucae sativae primas ab omni aevo tenent. Ut enim gratissimae sunt in acetariis crudae & in jusculis elixae, sic in medicis usibus salutares deprehenduntur. Refrigerant, humectant, & familiare praebent alimentum medicamentosum juvenibus, & biliosis naturis perutile. In ventriculo facile concoquuntur, praesertim si aqua pro potu huic cibo consocietur. Nam chylum

chylum efficiunt multum, blandum, dilutiorem, fluidiorem, minime æstuosum. Sanguinem paucum quidem gignunt, sed laudabilem, fluidum, minime acrem, minime æstuantem. Humorum acrimoniam demulcent, bilis effervescentiam, sanguinis & humorum æstum compescunt, sitim egregie restinguunt: quare æstivis temporibus passim in frequentissimo usu habentur.

Veteres conciliandi somni causâ, ultima mensâ illis vescebantur; postea mutato ordine, Domitiani tempore ab illis Promulsidem (*entree de table des Romains*) auspicabantur. Ideo quærit Poeta Martialis, *L.* 13. *Epigr.* 2.

*Claudere, quæ cœnas Lactuca solebat avorum,*
*Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes.*

Galenus quoque hoc olere ut familiarissimo cibo & juvenis & senex usus fuit. De seipso refert, se in juventute quoniam assidue os ventriculi bile effervescebat, æstus moderandi gratia Lactucas assumpsisse; cum declinante jam ætate noctes insomnes ageret ob studia longiora & raro intermissa, unicum præsentissimum adversus immoderatas vigilias remedium Lactucas vespere comestas fuisse. Cum vero dentes ipsi deteriores esse cœperunt, ita ut mandi crudæ citra molestiam non possent, easdem in aqua elixas comedisse.

Hanc Lactucarum vim anodynam quotidie experimur, quæ quidem non a quodam narcotico & noxio principio dependent, ut nonnulli opinati sunt; sed ab aquoso suo succo nitroso, quo humorum effervescentiam temperare valent, ventriculi, hepatis, renum, cœterorumque viscerum ardorem & æstum mitigare, eorum fibras nimis crispatas & vividius oscillantes laxare, sicque functiones omnes ac proinde somnum in integrum restituere. Convalescentibus agrypnia adhuc laborantibus olim Lactucæ offerebantur, teste Lucio Junio Columella:

*Jamque salutari properat Lactuca sopore,*
*Tristia, quæ relevat longi fastidia morbi.*

Alvum blande emolliunt. Ideo veteres eas prima mensâ sumebant, ut videre est apud Martialem Poetam, *L.* 11. *Epigr.* 53.

*Prima tibi dabitur ventri Lactuca movendo*
*Utilis.* . . . . . . . . . . .

Siccioribus alvi constitutionibus summi sunt levaminis sive crudæ sive coctæ sæpius comestæ, ac proin hypochondriacis scorbuticisque, quibus diuturnior alvi adstrictio non pauca inducit symptomata. Egregio id exemplo hypochondriaci cujusdam a Josepho Lanxonio *in Ephemerid. Germanic. Dec.* 3. *ann.* 2. *Observation.* 34. allegato confirmatur. Ille malo ejusmodi a longo tempore affectus cum insigni ventriculi imbecillitate, anxietate a pastu, respirandi difficultate, aurium tinnitu & flatibus copiosis in ructus erumpentibus, frequenti demum Lactucarum tam in prandio quam in cœna usu sanatus est.

Ejusdem constitutionis & Augustus Imperator fuisse videtur qui pristinam valetudinem, narrante Plinio, *L.* 19. *C.* 8. Lactucarum esu recuperavit ex Concilio Archiatri sui Antonii Musæ: cui idcirco Romanus Populus statuam juxta ædem Æsculapii erexit, narrante Suetonio.

Hæc Lactucarum præstantia advesus malum hypochondriacum a Simonis Paulli votis *in Quadr. Botanic.* commendatur. Optabat enim ut multi ad

maris Baltici oras vel littora sitorum accolarum, si non crudis, at coctis vescerentur eis, & a multis morbis vindicarentur, quos diuturnior alvi adstrictio mali hypochondriaci comes, & assecla invehere suevit. Eamdem Lactucarum in malo hypochondriaco virtutem quotidiana comprobat experientia: siquidem plurimos vidimus melancholicos & hypochondriacos assiduo earum crudarum coctarumve usu, carnium esu & vini potu prorsus interdictis, plurimum sublevatos, & sanatos fuisse. Fuere Medici qui sanguinem multum a Lactucis generari tradiderunt: quod quidem ipsis vitio vertendum non foret. Hac fretus opinione Simeon Sethi monet esum vitandum illis, qui sanguinem expuunt. At cum Galeno opinamur Lactucas sanguinem non quidem multum producere, sed chylum laudabilem efficere fluidum, tenuem, aquosum, quo sanguinea moles optime diluitur, extenditur, rarescit, & fluidior evadit; sicque sanguinis molem, non quantitatem augent. Utiliter autem sanguinem exspuentibus præscribuntur ad eorum sanguinis acrimoniam demulcendam, fervorem compescendum. Eadem ratione lac augent nutricibus, quibus propter siccorum crassitiem aut æstum lac vel deficit, vel parcius succedit.

Galenus succum refert e Lactucis expressum & ad cochlearium quatuor seu ℥ij. quantitatem intus sumptum, non secus ac Cicuta & Papaver hominem interficere: quamvis folia majori copia, quam pro succo quatuor cochlearium exprimendo opus est, comesta, damnum nullum inferant: sed Galenus aut vulgarem suo tempore opinionem inexpertus tantummodo refert, aut Lactucarum, quæ suo sub cœlo nascebantur vires a nostris prorsus erant diversæ: quandoquidem nostrarum succus non modo tuto, sed & salubriter quotidie propinatur.

Lactucas semen minuere venerisque impetus cohibere nonnulli suspicati sunt. Hinc a Pytagoricis Lactucæ quoddam genus Ευνέχιος idest castrata, & ἄστυτις, id est sterilis & infœcunda dicitur, quia viros eunuchorum instar reddit, mulieres vero steriles. Hinc Callimachus Poeta fingit Adonin a Venere inter Lactucas sepultum fuisse: & Ebulus comicus Lactucas νεκυῶν βρῶμα mortuorum cibum vocat. Quæ opinio apud Romanos multorum animis adeo inhærebat, ut Augusti temporibus plurimis religio esset Lactucis vesci, narrante Plinio *L. 19. c. 8.* quam Imperatoris exemplum prorsus delevit. Revera Lactucæ venereos appetitus non accendunt, imo humores contemperando minuunt, sed non prorsus extinguunt. Nihil igitur de illis timeant conjuges, qui progeniem expetunt; licet utiliter largissime vorandæ præscribantur illis, qui cœlibatui ex voto sunt addicti, aut illis, qui in matrimonio nimis pruriunt, ne scilicet ex immodica venere siccescant. Quorum imbecillior est ventriculus & frigidior ab earum esu abstineant. Phlegmaticis, & adsthmaticis quoque interdicuntur, & illis, quibus visus debilior contingit. Antiqua enim & vulgaris est opinio, crebriorem illarum esum claritati oculorum officere.

Comeduntur crudæ æstivis præsertim temporibus cum oleo, aceto & sale. Nonnulli ad nimiam earum frigiditatem putatitiam corrigendam Chœrefolium Dracunculum hortensem, Nasturtium, Cœpas, &c. addunt. Sed hac non indigent emendatione. Imo hæc ipsa difficilius quam Lactucæ digeruntur. Quod quidem ex ructibus, quos stomachus post eorum esum per sat longum tempus emittit, harum herbarum odorem saporemque referen-

ferentes, percipitur. Si quis Lactucarum concoctionem faciliorem, & citiorem velit; aquam & limpidam superbibat & a vino abstineat.

Quidam existimant Lactucas coctas crudis magis nutrire, & salubriores esse, illis præsertim qui imbecillo sunt stomacho. Alii contra sentiunt cum Nonnio *L. De Re cibaria*, quia Lactucas a coctura nimiam humiditatem contrahere asserit, quæ stomachum exsolvere potest, & laxiorem reddere: qua de causa, inquit Hippocrates *Lib.* vij. *Epidemior.* inter causas choleræ morbi refert esum Lactucarum coctarum, quia humiditate sua nimia stomachum subvertunt. Verum crudæ juxta ac coctæ Lactucæ salutares sunt, modo moderatus sit earum usus. Cum aqua, & sale coquuntur, addito nonnumquam butyri momento, vel in carnium jusculis.

Cum Lactucis apozemata & juscula refrigerantia, & humectantia præparantur. In decoctis pro clysteribus ad refrigerandum & emolliendum frequenter præscribuntur.

In Officinis prostant semina Lactucæ, quæ inter semina frigida minora recensentur, nempe Lactucæ, Portulacæ, Endiviæ, & Cichorii. Servatur, & aqua Lactucæ distillata, quæ utilis est ubi refrigeratione, & humectatione opus est, & in julapii, & potionibus refrigerantibus recipitur. Emulsio ex seminibus Lactucæ in ejusdem aqua parata cum syrupo Nenupharis aut Althææ urinæ ardorem mitigat, quietem nocturnam accersit, & venerea insomnia pellit.

℞. Radicum Cichorii, Acetosæ, Nenupharis ana ℥j. folior. Lactucæ, Portulacæ, Oxalydis, Buglosſ. & Cichor. albi ana M. j. Florum Violar. & Borragin. ana p. j. Bulliant in ℔ij. ad ℔jß. Sub finem coctionis adde quatuor seminum frigidior. major. contusor. ℥j. Colatura dilue nitri purificati ʒj. syrup. de Nymphæa vel Granator. ℥ij. F. apozema pro quatuor dosibus, quarta quaque hora propinandis. Ad refrigerandum, humectandum, incrassandum, & demulcendum.

℞. Pullum gallinaceum exenteratum, & decorticatum, demptis pedibus & capite, frustulum colli vitulini ad ℔ß. Coquantur in aq. limpidæ ℔vj. ad ℔iiij. Sub coctionis finem adde caput Lactucæ in quatuor partes sectum, folior. Portulacæ, Betæ, Borragin. ana M. j. pro quatuor, jusculis refrigerantibus, & alterantibus horis medicis sumendis.

℞. Radic. Tormentillæ, Bistortæ ana ℥ß. Symphyti majoris ℥j. folior. Lactuc. Portulac. Plantag. Millefol. ana M. j. Rosar. rubrar. & Balaustior. ana P. j. seminum quatuor frigidior. major. ℥ß. semin. Papaver. & Lactuc. ana ʒj. cum frustulo carnis vitulinæ vel bovinæ, vulgo, *le Trumeau*. Coquantur ex arte & fiant juscula duo ad sanguinem incrassandum in hæmorrhagiis & alvi profluviis.

℞. Aquar. Lactuc. Portulac. & Oxytriphyll. ana ℥ij. nitri defœcati ℈ß. syrupi Granor. aut Berberis ℥j. F. julap. refrigerans, & humorum æstum temperans.

℞. Quatuor seminum frigdor. major. ana ʒß. semin. Lactuc. & Papav. alb. ana ʒj. Contunde ut artis est sensim affundendo aq. Lactuc. stillatitiæ ℥vj. Expressione dilue syrup. de Nymphæa aut Althæa ℥j. F. emul-

sio

ſio pro unica doſi hora ſomni ſumenda in vigiliis immodicis vel ſæpius in die iteranda in urinæ ardore, &c.

℞. Succor. defœcator. Lactuc. Portulac. & Plantagin. ℥iiij. ſyrup. de Symphyto vel de Hedera terreſtri ℥ß. F. julap. in exſpuitione cruenta & hæmorrhagiis.

In phrenitide, delirio, febri ardente S. Paulli applicat temporibus & ſuturæ coronali, necnon carpis linteum duplicatum vel triplicatum permadefactum aqua Lactucæ in qua nitrum cryſtallizatum ſolutum fuerit.

Uſurpantur Lactucæ omnes in ſyrupo de Cichorio compoſito, in electuario *Requies Nicolai* dicto, Unguento Populeo. Semina in ſyrupo Jujubino, *Ph. Reg.* reſumptivo ſeu de Teſtudinibus *ejuſdem*.

Lactuca ſylveſtris coſta ſpinoſa, *Off.* Lactuca ſylveſtris coſta ſpinoſa, *C. B. P.* 123. *J. Raii Hiſt.* 222. & *Inſt. R. H.* 473. Lactuca ſylveſtris ſive Endivia multis dicta, folio laciniato, dorſo ſpinoſo, *J. B.* 2. 1003. Lactuca ſylveſtris, *Dod. Pempt.* 646. Seris domeſtica, *Lobel. Icon.* 234. Endivia Officinarum, *Quorumdam*: Scariola & Serriola, *Cordi*: vulgo, *Laitue ſauvage*.

Radicem habet quam ſativa Lactuca breviorem ac minorem: incondita promit per caulem folia oblonga, minora tamen & anguſtiora, ac utroque latere profundioribus inciſuris ſinuoſa, ſpinis duriuſculis ſecundum coſtam averſa & infima parte donata, amaro lacte prægnantia. Caulis cubitalis & major, in principio ſpinoſus, in ſummo multos abit in ramulos, quos flores ornant parvi, lutei, ſativæ Lactucæ æmuli, quibus ſuccedunt ſemina pappoſa, nigricantia, ſativæ ſimilia. Ad ſepes & agrorum margines reperitur. Naſcitur quoque in vineis & hortis, in quibus olera ſeruntur. Tota planta in uſum venit.

Analyſi chymica, ex Lactucæ ſylveſtris ſemipedem altæ, demptis radicibus, ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, ſapore herbaceo, primo obſcure ſubacidi, deinde manifeſte ſubacidi, ac tandem manifeſte acidi auſteri ℔iiij. ℥iij. ʒvij. gr. iij. humoris rufi, empyreumatici, tum ſalſi, ſubalcali, tum auſteri ℥ij. ʒij. gr. vj. humoris rufi, ſale volatili urinoſo copioſo impprægnati ℥j. ʒvj. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gr. xxxvj. olei adipoſi ℥j. ʒiij. gr. xxj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥iiij. ʒv. gr. lx. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥iij. gr. xviij. ex quibus lixivio ſalis fixi alcali ʒvj. gr. xlij. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥j. ʒvj. gr. xviij. in calcinatione ℥j. ʒv. gr. xlij.

Lactuca ſylveſtris ſativis amara magis eſt & lacte copioſiore referta. Analyſi plus olei fundit & majorem ſalis urinoſi copiam. Salem eſſentialem obtinere videtur nitroſo vitriolico ammoniacalem. Viribus ad ſativas accedit, ſed potentius aperit & abſtergit: alvum movet, ſomnum conciliat.

Uſurpatur in Syrupo de Cichorio compoſito *Pharm. Reg.*

## LAMIUM.

LAmii ſpecies duæ uſitatæ ſunt in Officinis, ſcilicet Lamium album & Lamium rubrum.

La-

Lamium album, Urtica iners & Urtica mortua, *Off.* Lamium vulgare album sive Archangelica, flore albo, *Parkins. Theatr.* 604. *Inst. R. H.* 183. Lamium album, non fœtens, folio oblongo, *C. B. P.* 231. Galeopsis sive Urtica iners, floribus albis, *J. B.* 3. 322. Urtica iners sive Lamium primum, *Dod. Pempt.* 153. Lamium album Gerardi, *Raii Hist.* 559. Lamium album, *Tab. Icon.* 536. vulgo, *Ortie morte, Ortie blanche, Ortie qui ne pique point.*

Radicibus plurimis fibrosis nititur: plurimis etiam surculis, oblique Menthæ fere in modum sub terra reptantibus, & e nodis subinde radices agentibus, late se propagat. Caules inde exsurgunt pedales aut cubitales, quadrati, grandiusculi prope terram tamen graciliores & infirmiores, unde etiam vix se sustentant, inanes, modice hirsuti, ramosi, geniculis rarioribus intercepti, prope terram in apricis purpurascentes. Folia ex adverso bina, Urticæ simillima, quæ in imis sunt caulibus, longis pediculis nituntur, quæ in summis, brevioribus, brevi, & innocua lanugine hirsuta. Flores ad genicula verticillatim caules ambiunt, satis ampli, monopetali, labiati, vel exterius pallidi potius quam nivei, quorum labium superius seu galea cochlearis instar est excavata, ad margines præcipue pilosa, quatuor intus staminula, duo longiora, breviora totidem occultans; inferius vero labium pallidum, non punctatum, bifidum, cordiforme, desinuntque ambo in fauces marginatas. Staminum apices marginibus circumcirca nigris formam characteris & quodammodo repræsentant. Pistillum prætenue, bifidum, staminibus adjacens, ex calycis fundo surgit posticæ floris parti ad instar clavi infixum. Calyx floris amplus, patulus, tubulatus, striatus, in quinque oblonga, angusta segmenta dividitur, quæ in tenues & acutas sed innoxias spinulas desinunt. In imo calyce pistillum quatuor veluti embryonibus stipatum est, qui deinde abeunt in totidem semina triangularia, simul juncta, in capsula quæ floris calyx fuit recondita. Odor huic plantæ aliquantisper gravis. Ad sepes, secus vias & parietes, in locis ruderatis atque dumetis, non raro in hortis parum cultis reperitur. Folia & flores in usum veniunt.

Analysi chymica, ex plantæ floridæ, demptis radicibus, ℔v. distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore herbaceo, obscure salsi ℥x. ʒiiij. gr. xij. humoris limpidi, primo obscure subsalsi & obscure subacidi, tandem manifeste subacidi ℔j. ℥xij. ʒij. humoris limpidi, primum subacidi, deinde magis ac magis acidi, obscure subausteri ℔j. ℥vj. gr. xxiiij. humoris rufi, leviter empyreumatici, tum acidi, tum subsalsi urinosi ℥v. ʒj. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥iij. ʒj gr. xlij. olei adiposi ℥ij. ʒj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥v. ʒj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiiij. gr. xlij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ℥j. ʒj. gr. xij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒiiij. gr. lxvj. in calcinatione ℥ij. ʒiiij. gr. xxx.

Lamii succus chartam cæruleam vix mutat. Salem essentialem tartareum continere videtur multo sulphure bituminoso & terra implicitum. Ab hoc sulphure potissimum ejus vis balsamica dependet.

Lamium album a recentioribus Medicis commendatur adversus fluorem album mulierum, pulmonum vitia, lienis tumores & indurationes, ad hæmorragias præsertim uterinas sistendas & ad vulnera conglutinanda. S. Paul-

Paulli de illis virtutibus valde dubitat. Attamen quotidiana experientia in fluore albo & hæmorrhagiis uterinis ejus flores & folia utilia apud nos deprehenduntur. Summitates floridæ in aqua fervida Theæ instar macerantur & unus aut alter infusi cyathus bis terve in die hauritur. Vel ex iisdem juscula cum Portulacæ foliis parantur; aut ex floribus cum Saccharo conditum, seu, ut ajunt, conserva coquitur singulis diebus ad ℥j. sumenda.

℞. Frustulum colli carnis vitulinæ ad ℔ß. Coquatur in aq. q. s. Sub finem coctionis adde summitatum floridarum Lamii albi M. iij. fol. Portulacæ M. ij. pro duobus jusculis mane & sero hauriendis.

Externe oleum Olivarum in quo Lamii flores sub sole macerati fuerunt, balsamum vulnerarium constituit, præstantissimum in tendinum vulneribus, observante Dyonisio Dodart D. M. Parisiensi Reg. Scientiar. Academiæ socio & doctrina ac probitate apud omnes commendatissimo. Plurimum valet ad ulcera detergenda & cicatrizanda, & ad tumores discutiendos, auctore Hieron. Trago. J. Raius hoc ad scrophulas remedium ex manuscripto D. Hulse transcripsit.

℞. Folior. Lamii albi M. j. Calefiat inter duos lateres calidos & tumori applicetur. Eum noctis unius spatio plurimum aperit. Aperto adhibe mixturam sequentem.

℞. Omphacii cochlearia sex, Butyri Maialis instar juglandis: misce & impone lanæ nigræ oleo e pedibus bubulis madefactæ. Intus interim propinetur aqua florum Genistæ mane & hora quarta pomeridiana singulis diebus.

Alia est Lamii species flore purpureo non fœtens quæ a priori fere non differt nisi floris colore purpureo, & dicitur Urtica iners flore purpureo, *Off.* Lamium folio oblongo, flore rubro, *Parkinf. Theat.* 606. *Inst. R. H.* 183. Lamium purpureum, non fœtens, folio oblongo, *C. B. P.* 231. Galeopsis sive Urtica iners, flore purpurascente, majore, folio non maculato, *J. B.* 3. 321. vulgo, *Ortie morte a fleurs purpurines*: ad eadem utilis dicitur, sed minus usitata.

Lamium rubrum & Lamium purpureum, *Off.* Lamium purpureum fœtidum, folio subrotundo sive Galeopsis Dioscoridis, *C. B. P.* 230. & *Inst. R. H.* 183. Galeopsis sive Urtica iners, folio & flore minore, *J. B.* 3. 323. Urtica iners altera, *Dod. Pempt.* 153. Lamium rubrum Gerardi, *Raii Hist.* 559. Lamium vulgare folio subrotundo, flore rubro, *Parkinf.* vulgo, *Ortie morte puante*.

E radice tenui, fibrosa, non repente, plures erigit caules quadratos, concavos, propemodum glabros, satis grandes, prope terram ramosos, deinde uno vel altero foliorum pari cinctos, tum ad summitatem fere nudos semipedales, infirmos. In summis caulibus flores in verticillis densius stipati, monopetali, labiati, parvi, purpurei, labio inferiori saturatioribus maculis guttato. Calyces florum breves, patuli, striati, sessiles, quinque partiti, quatuor in imo semina continent oblonga, triangularia, per maturitatem fusca & splendentia: folia Urticarum æmula sed minora & breviora, mollia, circum oras crenata, pediculis semiuncialibus insident. Odor totius plantæ fœtidus & ingratus. Ad sepes, macerias, & in locis ruderatis ac hortorum areis minus excultis nascitur. Flores & folia usitata sunt.

Hæc

Hæc planta majorem olei bituminosi copiam continet quam Lamium album, sed minorem quam Galeopsis procerior fœtida; idcirco raro usurpatur, illis vero nonnumquam substituitur. Vulneraria est, resolvens & demulcens. Ejus decoctum adversus dysenteriam commendatur. Externe herba tusa & imposita valere creditur ad tumores quoscumque discutiendos, necnon ad inflammationes compescendas, ulcera putrida detergenda, & vulnera ad cicatricem perducenda.

## LAMPSANA.

Lampsana vulgaris, *Off.* Lampsana, *Dod. Pempt.* 675. *Inst. R. H.* 479. *J. B.* 2. 1028. *Raii Histor.* 256. Soncho affinis Lampsana domestica, *C. B. P.* 124. Lampsana, *Gerardi Emaculat.* Lampsana vulgaris, *Parkins.* Chrysolachanum Plinii, *Ruell.* Papillaris herba, *Quorumdam*: vulgo, *Lampsane* ou *Herbe aux mammelles*.

Radice nititur alba, simplici, surculosa tamen & varie fibrosa. Caulis inde exsurgit bicubitalis & altior, teres, striatus, pilis rarioribus hirsutus, rubescens, concavus, ramosus. Folia ad radicem & in ima parte caulis uno vel altero pinnularum pari donata, extremitate latiore, magnitudine & figura fere foliorum Sonchi lævis muralis, aut Barbareæ dictæ, mollicella, hirsuta, alternatim posita: quæ in caulibus & ramis superiora, oblonga, angusta, acuta, nullis pediculis fulciuntur, nullis pinnulis lobisve donata. Supremæ caulis & ramorum partes glabræ, in flores terminantur exiguos, luteos, semiflosculosos, plurimis scilicet semiflosculis constantes, singulis singulo embryoni insidentibus, & calyce comprehensis monophyllo & multifido, qui deinde abit in capsulam striatam, seminibus fœtam tenuibus, oblongis, nigricantibus, nonnihil incurvis, acutis, minime papposis; licet J. Bauhinus flores in pappos abire scribat. Tota planta vulnerata lac fundit amarum. In hortis & cultis, juxta agrorum margines, secus vias, frequentissima est. Tota planta in usum venit, sed minus frequentem.

Analysi chymica, planta florida ad ℔v. distillata præbuit plurimum humoris primo herbacei, obscure subacidi, deinde obscure acidi austeri, ac tandem manifeste acidi & alcali urinosi: salis urinosi concreti grana aliquot: olei adiposi circiter ℥j. ʒj. Massa nigra in retorta residua ad ℥vj. ʒv. per quindecim horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒv. gr. xxxvj. ex quibus lixivio salis fixi alcali ʒvj. gr. xxxvj. extracta sunt. Partium jactura in calcinatione fuit ℥iij. ʒvij. gr. xxxvj.

Salem essentialem hæc planta continet tartareum multo oleo spisso bituminoso permixtum & non mediocri terræ & phlegmatis portione implicitum.

Refrigerat & emollit. Usurpatur nonnumquam in decoctis emollientibus pro clysteribus. Raro interne per os adhibetur.

Externe planta contusa admota ulcera & vulnera potenter abstergit, vel ejus succus expressus & unguentis admixtus. Idem succus impetigines sanat. Efficax esse censetur in sanandis papillis exulceratis: unde nomen Papillaris sortita esse videtur.

LAPA-

# LAPATHUM.

PLantæ plures in Officinis Lapathi nomine insigniuntur; scilicet I. Lapathum hortense, folio oblongo, sive Lapathum sativum. II. Lapathum majus quod Hippolapathum vel Rhabarbarum Monachorum, *Off.* III. Lapathum sinuatum. IV. Lapathum sanguiueum. V. Lapathum sylvestre, quod Oxylapathum. *Off.* VI. Lapathum rotundifolium. VII. Lapathum aquaticum, Hydrolapathum, *Off.* VIII. Lapathum Spinacia dictum. IX. Lapathum acetosum, Oxalis, & Acetosa dictum. X. Lapathum unctuosum seu Bonus-Henricus. De his duobus jam egimus.

I. Lapathum hortense folio oblongo, Lapathum sativum, Lapatium, Rumex, Parella, Patientia, *Off. & Culinar:* Lapathum hortense, folio oblongo sive secundum Dioscoridis, *C. B. P.* 114. *Inst. R. H.* 504. Lapathum sativum, Lapas, *J. B.* 2. 985. Lapathum sativum, *Dodon. Pempt.* 648. Hyppolapathum sylvestre, *Matthiol.* Rumex hortensis vel secundus, *Tragi* 314. vulgo, *Patience*, *Parelle*.

Radice est recta, prolixa, fibrosa, intus lutea: caule terete articulato, bicubitali, & altiore, nonnumquam hominis altitudinem æquante: foliis oblongis Lapathi sylvestris similibus, sed majoribus, & mollioribus, acumine magis obtuso, minoribus tamen quam Hyppolapathi folia. Flores secundum ramulos verticillata serie digesti, exigui, apetali, sex staminibus viridibus, brevibus, cum apicibus rectis albis, constant ex calyce heptaphyllo surgentibus, ut in Acetosa. Pistillum abit in semen triangulare, capsula membranacea obvolutum. Hæc autem cpnficitur ex tribus calycis foliis alternis, cœteris tribus marcescentibus. In hortis colitur: raro in usum venit.

II. Lapathum majus, Hyppolapathum, Rhabarbarum Monachorum, *Off.* Lapathum hortense latifolium *C. B. P.* 115. & *Inst. R. H.* 504. Lapathum majus, sive Rhabarbarum Monachorum, *J. B.* 2. 985. Hyppolapapathum sive Rhabarbarum Monachorum, *Dod. Pempt.* 648. Hyppolapatum sativum Gerardi, *Raii Histor.* 171. Lapathum sativum sive Patientia, *Parkins.* vulgo, *Rhubarbe des Moines*.

E radice prolixa, crassa, multis adnatis fibris donata, foris fusca, intus intense crocea; caulis assurgit interdum ad hominis proceritatem, striatus, rubens, superiora versus in numerosos surculos divisus: cui adhærent folia pedalia, & sesquipedalia, lata, acuminata, firma, non tamen dura, & rigida, lævia, & obscurius viridia, oris aliquando sursum nonnihil reflexis, æqualibus tamen, & minime crenatis, pediculis rubentibus longis nixa. Flores per totos fere caulis ramulos longa serie disponuntur apetali, staminei, Acetosæ floribus similes, quibus succedunt semina angulosa, folliculis membranaceis circumdata, seminibus Lapathi aut Acetosæ similia. In hortis colitur.

Iisdem fere donatur principiis ac Lapathum rotundifolium, iisdemque viribus insignitur. Ambo leviter purgant bilem, potenter adstringunt, hepatis obstructiones reserant, tum humores crassos solvendo, tum fibrarum tonum

quam par eſt laxiorem reſtituendo. Unde in quibuſdam alvi profluviis & viſcerum obſtructionibus nonnumquam eorum pulvis vel decoctum eadem doſi utiliter uſurpantur,

III. Lapathum ſinuatum. *Off.* Lapathum pulchrum, Bononienſe, ſinuatum, *J. B.* 2. 988. *Inſt. R. H.* 504. Lapathum Pariſienſe, ſinuatum, *Horti Reg. Pariſienſ.* vulgo, *Lapaton violon.*

Ex craſſa radice multa folia, duarum pleraque unciarum, pediculis ejuſdem pene longitudinis, profert, unciam plus minus lata, in medio profundo utrimque ſinu ex adverſo reſpondente, extremitate ſubrotunda, adeo ut muſicum illud inſtrumentum noſtratibus *un violon* dictum figura ſua imitentur. E medio foliorum caulis pedalis, nonnumquam ſeſquipedalis exit in plurimos ramos incurvos brachiatus. Ad ſingula genicula flores herbaceos ſtamineos cæterorum Lapathorum more profert: quibus ſingulis ſuccedunt anguloſæ capſulæ ternis foliolis dentatis coagmentatæ, continentes ſemina triangularia, ſubrufa. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur. A Gallo-provinciæ ruſticis inter plantas olitorias eſculentas colitur, & Hyberno tempore comeditur.

IV. Lapathum ſanguineum, Lapathum rubrum, Lapathum nigrum, *Off.* Lapathum folio acuto, rubente, *C. B. P.* 114. *Inſt. R. H.* 504. *Raii Hiſtor.* 175. Lapathum ſanguineum, ſive Sanguis Draconis herba, *J. B.* 2. 988. Lapathum rubens, *Dod. Pempt.* 650. vulgo, *Sang de Dragon*, ou *Patiente rouge*.

Lapathi ſativi non abſimilis facile a reliquis Lapathi ſpeciebus diſtinguitur ſanguineo quo ſcatet ſucco, nervis per folia crebris diſcurrentibus varioque implexu ruborem ſanguineum virentibus foliis conciliantibus: quorum ſuccus, & manus, & alutam primum purpureo, mox in cæruleum degenerante colore tingit; quo ſimul, & pediculi foliorum turgent. In hortis pro olere colitur. Folia & ſemen uſitata ſunt.

Lapathum rubrum ſalem eſſentialem Oxylapatho magis nitroſum obtinet. Ejus folia inter olera cocta comeduntur a nonnullis. Alvum cient, & ideo in ſuſculis emollientibus, & refrigerantibus nonnumquam præſcribuntur. Semen quod in Officinis perperam ſemen Sanguinis Draconis dicitur, roborat, adſtringit, & dolores demulcet. Ad ʒß. aut ʒj. pulverizatum, & liquore idoneo dilutum propinatur ad fluxus uterinos nimios ſiſtendos, alvi profluvia torminoſa aut cruenta ſiſtenda. Joh. Georg. Volckamer, *in Eph. Germ. Dec. II. ann.* 1. *p.* 421. vinum in quo idem ſemen ad ℈j. aut ʒß. calide maceratus fuit, percolatum, in torminoſis alvi fluxibus propinaviſſe felici cum ſucceſſu aſſerit.

Analyſi chymica, Lapathi hortenſis folia plurimum liquoris manifeſte acidi, mediocrem ſalis volatilis urinoſi portionem, parum olei, & terræ præbuerunt.

Eorum ſuccus chartæ cæruleæ colorem in rubrum mutat. Salem eſſentialem tartareo-ammoniacalem obtinet.

Ab antiquis inter olera Lapathum menſis frugalioribus offerebatur. Ut videre eſt apud Horatium Flaccum in vitæ ruſticæ laudibus. *Epod. II.*

*Non Attagen Ionicus*
*Jucundior, quam lecta de pinguiſſimis*

*Oliva*

*Oliva ramis arborum:*
*Aut herba Lapathi prata amantis, & gravi*
*Malvæ salubres corpori:*

Galenus sylvestre Betam posse hoc olus vocari censet, quod gustu viribusque hortensi Betæ similis sit: nonnihil tamen interesse putat, quod videlicet hæc suavior sit, ideo quoque mensas frequentius subit. A priscis Medicis Lapatho cuicumque decocto vis alvum emolliendi tribuebatur, quod nec eumdem fugit Poetam *Satyrar. Lib. II. Sat.* 4.

*. . . . . . Si dura morabitur alvus,*
*Mytulus, & viles pellent obstantia Conchæ*
*Et Lapathi brevis herba, &c.*

Brevem autem appellat Lapathi herbam, priusquam caulis enatus fuerit decerptam, quo tempore esui potissimum idonea est.

Lapathorum hortensium folia hodie mensis nostris rarissime apponuntur. usurpantur tantum ad juscula, & apozemata emollientia, & refrigerantia conficienda. S. Paulli *in Quadr. Botanico.* suadet ut ferculum aut pulmentum ex hortensium Lapathorum foliis paretur, iis apponendum, qui dolore arthritico torti, facile alvi adstrictionem insuper incurrunt. Quod confirmat experientia Clarissimi viri Caspari Bartholini, qui ob intempestiva studia huic malo obnoxius, paroxismi tempore hujus beneficio laxam sibi alvum servare solebat. Succum producit aquosum, mediocriter crassum, & parum nutrimenti conferentem. Sylvestrium vero Lapathorum folia nonnumquam, sed radices potissimum ad usum medicum expetuntur.

V. Lapathum sylvestre, Lapathum acutum, Oxylapathum, *Off.* vulgo, *Patience sauvage.* Tres Lapathi sylvestris species sub his nominibus in Officinis indiscriminatim usurpari solent, & ob foliorum variantem formam sæpe confunduntur non solum a Pharmacopæis sed etiam ab auctoribus Botanicis. Joannis Raii distinctionem secuti sumus quæ accuratior nobi videtur.

1. Lapathum folio minus acuto, *C. B. P.* 115. *Lob. Icon.* 285. *Inst. R. H.* 504. Lapathum vulgare, folio obtuso, *J. B.* 2. 984. *Raii Hist.* 175. Lapathum sylvestre, vulgatius, *Parkins.* Lapathum sylvestre folio minus acuto, *Gerard.*

Radix huic simplex, interdum surculosa, crassa, alte in terram descendens, exterius fusca, interius lutea. Folia quæ a radice exeunt, longis insident pediculis, quæ in caulibus sunt brevioribus, palmum, & sesquipalmum lata, longitudine ad latitudinem dupla, alias rotundiora, & obtusa, alias longiora & acuta, marginibus extimis sinuatis ut crenata videantur, utrimque glabra, media tamen costa, & nervi insigniores hirsuti aversa parte, pallidius virentia. Caules plures, cubitales, & sesquicubitales, teretes, striati, brevi lanugine hirsuti, medulla farcti, ramosi, foliis ad nodos longis intervallis distantes alternatim positis cincti. In summitatibus caulis, & ramorum flores in spicas longas, laxas tamen, & e pluribus florum verticillatim dispositorum agminibus constantes digesti. Flores exigui, apetali, singuli brevibus, & tenuibus pediculis penduli, apetali, staminibus pluribus constantes cum apicibus luteis, & calyce hexaphyllo, cujus tria interiora segmenta seu foliola in magnum aucta

 & ad

& ad margines dentata vasculum seminale conficiunt, quo semen unicum, triquetrum, splendens, colore castaneo, pallidius quam Oxylapathi crispi continetur. In agro Parisiensi circa vicum Montmorenciacum sponte nascitur.

2. Lapathum folio acuto, crispo, *C. B. P.* 115. *Inst. R. H.* 504. *J. Raii Hist.* 175. Lapathum acutum, crispum, *J. B.* 2. 988. *Tabern. Icon.* 436. Lapathum acutum, minus, *Parkins.* Lapathi acuti varietas folio crispo, *Gerard. Emacul.* vulgo, *Patience sauvage frisée.*

Radice cum præcedente convenit, nisi quod minor huic sit, ut sunt & reliquæ ejus partes, foliis differt angustioribus, longioribus, obscurius virentibus, per margines crispis, & sinuatis, præsertim prope pediculos. Flores minores, longioribus tamen pediculis penduli, verticillis crebrioribus, ut semina caulem plerumque penitus contegant, & occultent. Tria illa calycis foliola quæ conniventia semen amplectuntur, & includunt, per margines æqualia sunt, non ut præcedentis denticulata. Semen quam illius magis rubicundum, seu castaneo colore intensiore præditum, magnitudine æquale. Frequens in agro Parisiensi occurrit sponte nascens, & sæpius ad usum medicum usurpatur.

3. Lapathum folio acuto, plano, *C. B. P.* 115. *Inst. R. H.* 504. Lapathum acutum, sive Oxylapathum, J. *B.* 2. 983. Lapathum sylvestre, sive Oxylapathum, *Dod. Pempt.* 648. Lapathum acutum *Gerard.* J. *Raii Hist.* 175. Lapathum acutum, majus. *Parkins.* vulgo, *Parelle* ou *Patience sauvage ordinaire.*

Folia huic quam præcedenti breviora, inferiora a lato principio in acutum mucronem sensim angustantur, minora quam Lapathi folio minus acuto. Caules in parem altitudinem attolluntur; sunt tamen graciliores, rigidi, & interdum tortuosi. Rami a caule magis exstant, seu obtusiores cum eo angulos efficiunt, florum verticilli rariores seu longius distantes, apposito interdum ad singulos foliolo ligulæ instar. Flores minores quam præcedentibus. Semina plus duplo minora. Extimo foliolorum quæ semini pro vasculo inserviunt tuberculum seu verruca rubens grandis innascitur, cui & similis in præcedente Lapatho cernitur, sed multo minor. In hortis colitur, & in usum medicum venit, sed huic Lapathum crispum apud nos sæpius substituitur.

VI. Lapathum rotundifolium, Lapathum montanum, Pseudorha, & Pseudorhabarbarum, *Off.* Lapathum folio rotundo, alpinum, *J. B.* 2. 987. *Inst. R. H.* 504. J. *Raii Hist.* 171. Lapathum hortense, rotundifolium sive montanum, *C. B. P.* 115. Hyppolapathum rotundifolium, & Pseudorhæ recentiorum, *Lobel. Icon.* 287. Hyppolapathum rotundifolium vulgare, *Parkins.* vulgo, *fausse Rhubarbe*, *Rhubarbe batarde.*

Radice surculosa, & longa nititur, cujus singuli surculi plusquam pollicarem crassitudinem facile assequuntur, rugosi, & fibrosi, intense flavescentes, sapore amaro. Caulis bicubitalis, & tricubitalis, cavus, profundis sulcis exaratus, rubescens, alis multis donatur. Folia Bardanæ similia, notabilis latitudinis, rotunda, glabra, pallida, & quasi ex luteo virentia, pediculo rubenti, & striato appenduntur. Flores copiosi alas fere totas obsident ex staminibus, & apicibus multis luteis compositi, & calyce

hexa-

hexaphyllo herbido; quibus ſuccedunt ſemina triangularia nonnihil rubentia. Naſcitur in Arverniæ montibus, unde ejus radix afferri ſolet. In hortis quoque colitur. Radix in uſum venit.

Lapathi rotundifolii radix ad Rhabarbari veri colorem accedit ex flavo & rubro variegatum: ſaporis eſt amaricantis, ſtyptici & glutinoſi; chartæ cœruleæ colorem ſubrubrum inducit.

Analyſi chymica, ex hujus Lapathi radicum recentium ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, ſapore leviter herbaceo, primum obſcure ſubſalſi, deinde obſcure ſubacidi ℔j. ℥ix. ʒij. gr. liiij. humoris acidi, magis ac magis, & tandem obſcure ſubauſteri ℔ij. ℥v. ʒv. gr. xlij. humoris rufi, manifeſte acidi & ſale volatili urinoſo impraegnati ℥iiij. ʒj. gr. xxiij. olei adipoſi, ſpiſſi, gravis ℥ſ. ʒiij. gr. xij. Maſſa nigra reſidua pendebat ℥viij. ʒij. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒv. gr. xxiij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gr. vj. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. gr. xlviij. in calcinatione ℥vj. ʒv. gr. xij.

Hæc Lapathi montani radix ſalem eſſentialem obtinet tartaro ſimilem cum aliqua ſalis ammoniaci portione conjunctum, ſulphure craſſo copioſo & terra non pauca.

Eædem ac Rhabarbaro virtutes tribuuntur, ſed longe debiliores. Purgare ajunt, ſi ad duplum Rhabarbari exhibeatur. Præſcribitur ejus pulvis ad ʒij. in infuſo vero uſurpatur ad ʒvj.

Hic Pariſiis Lapathum criſpum, utpote in agro Pariſienſi frequentius occurrens, magis uſitatum eſt. Hujus radix amara eſt, adſtringens & chartam cœruleam rubentem efficit. Ejus folia ſubacida ſunt & chartæ cœruleæ colorem intenſe rubrum inferunt. Unde conjicere licet foliis majorem acidi ſalis quantitatem ineſſe, radices vero plus ſalis acris & terræ obtinere. Sal eſſentialis hujus plantæ tartareus eſt ammoniacalis ad nitri naturam aliquantiſper accedens: & in aliis ſylveſtribus Lapathis haud abſimilis videtur.

Eorum radices alvum hortenſibus magis laxant: viſcerum obſtructiones aperiunt, nec fibrarum tonum dejiciunt: in illis enim, ſicut in Rhabarbaro vis ſubadſtringens ſeu fibrarum tonum nimis laxum roborandi, ſed longe debilior deprehenditur. Unde ad hepatis & lienis obſtructiones tollendas, functiones reſtituendas Oxylapathi radicis decoctum ſolius vel cum aliis aperientibus conſociatæ utiliter præſcribitur. Idem decoctum prodeſt in alvi adſtrictione nimia; vel juſcula ex eadem radice & Polypodio conjunctis parantur ad alvum emolliendam utiliſſima.

℞. Radicum Oxylapathi taleolatim conciſar. ℥j. Liquiritiæ raſ. & contuſ. ʒj. Coq. in aq. comm. ℔jß. ad ℔j. Hauriat æger quotidie mane jejuno ventriculo. Vel

℞. Carnis vitulin. ℔ß. radic. Lapath. ſylveſtr. & Polypod. querni ana ℥j. Coquantur in aq. ℔iij. ad medias pro juſculis duobus mane & ſero propinandis in alvi ſiccitate nimia., & viſcerum infarctu.

℞. Radicum Oxylapathi, & Althææ ana ℥j. foliorum Lapathi hortenſis, Oxylapathi, Malvæ, Betæ, Lactucæ, Oxalidis, Atriplicis ana M. j. Coquantur cum fruſtulo carnis vitulinæ in aq. ſ. q. pro quatuor juſculis emollientibus & refrigerantibus.

♃. Radicum Oxylapathi, Polypod. Eryng. ana ℥j. carnis vitulinæ ℔ß. Coquantur in aq. ℔iiij. ad ℔ij. Sub finem coctionis adde folior. Cichor. sylvestr. Taraxaci, Scolopendr. Agrimon. ana M. j. pro jusculis duobus, quibus singulis dissolve vel salis Tamarisci ʒj. vel Tartar. Martial. solub. ʒß. Mane & sero propinentur in viscerum obstructionibus.

Adversus cutaneos affectus quoscumque Oxylapathi radices tum interne, tum externe adhibitæ ab omnibus plurimum commendantur. In decoctis & jusculis præscribuntur solæ vel cum Helenii radicibus consociatæ.

♃. Radic. Lapathi sylvestr. mundatæ & taleolatim concis. ℥ij. Radic. Helenii concisæ ℥j. Liquiritiæ ras. & contus. ʒij. Coquantur in aq. comm. ℔iiij. in vase terreo, in quo ʒj. Aquilæ albæ subtilissime tritæ & nodulo inclusæ filo suspensa fuerit. Decoctum ad ℔iij. redactum propinetur pro potu in scabie & aliis cutaneis affectibus.

♃. Carnis vitulin. ℔ß. cancros fluviatiles leviter contusos N. xij. radicum Oxylap. ℥ij. Enul. campan. ℥j. Bardan. ℥ij. Coq. in aq. comm. q. s. pro duobus jusculis. Sub finem coctionis adde folior. Oxylapathi, Scabiosæ, Fumar. Chærefol. ana M. j. Sumat æger mane & sero in affectionibus cutaneis.

Externe radices Oxylapathi recens e terra eradicatæ, vel etiam in umbra exsiccatæ, in fotibus, linimentis & unguentis adversus scabiem, porriginem, impetiginem aut alios cutaneos affectus usus sunt creberrimi, præmissis tamen præmittendis. Ex radicibus recentibus vel solis vel cum radicibus Enulæ campanæ consociatis paratur decoctum quo pars affecta sæpius abluitur. S. Paulli plurimum laudat decoctum radicum Oxylapathi, quo quædam stercoris galli gallinacei portio diluitur, & velut remedium adversus scabiem nulli secundum prædicat.

Radices recentes in aqua decoctæ & contusæ sub forma cataplasmatis partibus scabie affectis utiliter applicatur. Solæ, vel cum radicibus Helenii, sulphuris floribus, Mercurio præcipitato albo aut aliis hujuscemodi conjunctæ cataplasmata & unguenta adversus cutaneos affectus usitata subeunt. Pulvis earumdem radicum cum aceto dilutus ad serpigines tollendas plurimum valere dicitur.

♃. Radicum Lapathi sylvestris ℥iiij. Coquantur in aq. communi ℔v. ad ℔iiij. Colatura dissolve stercoris galli gallinacei ℥j. pro fotu adversus scabiem.

♃. Radicum Oxylapath. & Enul. campan. ana ℥ij. Coq. in aq. comm. ℔vj. ad medias. Colaturæ adde Mercurii præcipitati albi ʒj. qua partes scabie affectæ sæpius abluantur.

♃. Radicum Oxylapathi & Helenii minutim concisar. ana q. l. Coquantur in aq. comm. q. s. ad putrilaginem, ut ajunt. Per setaceum radices coctæ trajiciantur. Tum

♃. Hujus pulpæ ℥iiij. butyri recentis ʒij. Florum sulphuris ℥jß. M. F. unguentum quo partes affectæ inungantur.

♃. Radic. Oxylapath. Althææ ana ℥ß. rad. Helenii ʒij. folior. Aristoloch. Scabios. Nummular. Plantag. ana M. ß. Coq. ad putrilag. in suff. q. aq. comm. Trajiciantur per setaceum rarius: addantur deinde

flor.

flor. sulph. ℈ij. Balsam. Peruvian. parum. F. l. a. linimentum ad scabiem a S. Paulli commendatum.

℞. Succor. Oxylapathi, Rhabarbar. Monachor. & Chelidon. major. ana ℥ij. pinguedinis lactis ℥iiij. Mixta coque ad succi fere consumptionem. Adde Diapompholygos ℥j. Cerusæ ʒij. Alumin. ʒj. Thuris ʒß. flor. sulph. ℈j. Mixta deinde diu multumque agitentur in mortario plumbeo. Quod si inter agitandum siccius fiat, addatur semper pinguedo lactis, ut fiat linimentum mollius ab eodem S. Paulli in scabie commendatum.

Obiter hic notandum est & observandum hæc remedia externa nunquam esse adhibenda, nisi prius æger rite præparatus fuerit tum venæ sectionibus, tum catharsi plus minusve reiteratis, tum balneo, tum etiam medicamentis supra præscriptis, aut aliis idoneis debite & per sat longum tempus administratis, quibus humores acres & vitiosi in sanguine exsuperantes emendentur, evacuentur, & debita massæ sanguineæ crasis restituatur. Tutum enim non foret, imo sæpe maxime noxium, dum sanguis pravis scatens succis eos e suo sinu ad cutim propellere & per ejus poros expellere consuevit, hanc viam derepente intercludere medicamentis topicis. Tunc enim pravi illi succi ad alias partes internas collati novas ibi parerent congestiones, & mala sæpe prioribus pejora procrearent. Quot autem & quanta mala quotidie videmus ex retropulsa scabie aut ex aliis cutis vitiis citius & incaute per topica remedia extinctis?

Oxylapathi radices cerevisiæ infusæ a VVillisio adversus scorbutum commendantur: a nonnullis adversus icterum præscribuntur.

Semen hepar roborat & fluxus alvi quoscumque sistit: tunc vero semen Lapathi sanguinei ut præstantius eligitur.

Oxylapathum usurpatur in unguento martiato *Nicolai Alexandrini*.

VII. Lapathum aquaticum, Lapathum palustre, Hydrolapathum, *Off.* Lapathum aquaticum, folio cubitali, *C. B. P.* 116. *Inst. R. H.* 504. Lapathum aquaticum maximum, sive Hydrolapathum, *J. B.* 2. 986. *J. Raii Hist.* 171. Lapathum palustre, *Tabern. Icon.* 437. Lapathum longifolium nigrum palustre, sive Britannica antiquorum vera, vel Hydrolapathum nigrum Muntingii, *J. Raii hist.* 172. Britannica antiquorum vera *Muntingii Phytographiæ* 202. vulgo, *Patience aquatique* ou *Parelle de marais*.

Magis huic in fibras diducta est radix quam vel Oxylapatho vel Hyppolapatho, foris nigra, intus buxea, cum notabili adstrictione amaricans. Caules assurgunt ad duos tresve cubitos, flores & semina Lapathi acuti sed majora. Folia lata, prælonga, Rhabarbari Monachorum non dissimilia, sed multo longiora, duriora, rigidiora & surrectiora, longitudine fere sesquicubitali, in mucronem acutum desinentia, leviter crispatis oris, subacida & strenue adstringentia. Flores & semina Lapathis similia sunt. In aquosis, palustribus locis & fossis humidioribus sponte nascitur. Radices & folia in usum veniunt.

Analysi chymica, folia Lapathi aquatici ad ℔v. per B. V. distillata præbuerunt humoris limpidi, sapore herbaceo, obscure subsalsi & obscure subacidi ℔ij. ℥viij. humoris limpidi, manifeste acidi, ℔j. ℥viij. ʒvj. per

retortam humoris rufi, empyreumatici, manifeste acidi austeri ℥j. ʒvij. gr. xxxvj. humoris rufi sale volatili urinoso imprægnati ℥ij. gr. xxxvj. olei spissi fere adiposi ℥j. ʒiiij. gr. lxvij. Massa nigra residua pendebat ℥vj. ʒvj. quæ per 13. horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. lx. ex quibus salis fixi alcali ʒvij. lixivio sunt extractæ.

Ex radicum ejusdem Lapathi recentium ℔v. per B. V. distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore aliquantisper ingrato, primum obscure subsalsi, obscure subacidi, deinde manifeste subacidi, ℔iij. ℥x. gr. xxxvj. per retortam humoris rufi, intense acidi & austeri ℥vj. ʒiiij. humoris rufi tum subacidi, tum leviter alcali urinosi, ac tandem intense austeri ℥j. ʒiij. gr. xxxvj. Massa nigra residua pendebat ℥ix. ʒvj. gr. xxxvj. quæ per 21. horas calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiiij. gr. lx. ex quibus salis alcali fixi, ʒiiij. gr. xx. lixivio sunt extracta.

Hujus plantæ folia styptica sunt, amaricantia, & eorum succus cœruleum chartæ colorem intense rubrum efficit. Eumdem radicis succus minus rubentem reddit. Radicis sapor stypticus est & valde amarus. Lapathum aquaticum salem essentialem obtinet vitriolico-ammoniacalem cum multo oleo crasso & bituminoso conjunctum.

Abrahamus Muntingius Groninga-frisius, Medicinæ & Botanices Professor, tractatu *De vera antiquorum herba Britannica, ejusdemque efficacia contra stomacacen & scelotyrben, Amstelodami* 1681. 4. hanc plantam veram & genuinam antiquorum Britannicam herbam esse contendit: siquidem descriptionibus ejus quæ apud veteres exstant, tum facie, tum viribus per omnia respondeat. Reipsa Dioscorides refert eam folia habere sylvestris Lapathi, sed nigriora, pilosiora, gustu adstringentia, ejusque succum speciatim esse depascentibus oris & tonsillarum ulceribus accommodatum.

Radix sicut cæterorum Lapathorum, alvum leviter emollit & laxat; viscerum obstructiones tollit, cutaneis affectionibus quibuscumque medetur, in rheumaticis doloribus, arthriticis & ischiadicis, chronicisque ægritudinibus & contumacibus utiliter adhibetur. In jusculis & apozematibus aperientibus recens usurpatur ad ℥j. aut ℥ij. vel infusum ʒj. aut ʒij. exsiccatæ radicis præscribitur. Adversus scorbutum, auctore Muntingio, plurimum valet. „ At quoniam, inquit, scorbutus altas adeo in quibusdam egit radices, ut ex solius Britannicæ decocto parum commodi „ sentiant, hanc ob causam confectum medicamentum auro pretiosius, „ ac domi adversus omnem scorbuti suspicionem, inæstimabilis instar the„ sauri habendum apponere volui.

♃. „ Croci ℥ij. Macis, Glycyrrhizæ, Cinnamomi, Piperis nigri, Ra„ dic. Gentianæ, ana ℥iij. Rad. Britannic. ℥vj. Omnia grosso modo „ pulverizata immisceantur vini Hispanici ℔xvj. aceti sambucini vel „ alterius fortissimi ℔iiij. ovorum recentium vitellis tribus. Macerentur „ simul in vase lapideo vitreato probe obturato, per triduum in „ cinere calido aut fimo equino, aut arena calida, eo tamen modo „ ut ultera calorem tepidum non progrediatur. Reponatur deinde & „ ad usum servetur.

„ Hu-

„ Hujus infusi tres, quatuor, quinque, vel sex etiam uncias sumat æ-
„ ger mane, jejuno stomacho, per dies quatuordecim, viginti vel plures.
„ Bibat etiam quotidie ad sitim extinguendam vinum Rhenanum opti-
„ mum, vel cerevisiam non recentem, sed defœcatam, & bene coctam
„ singulis cyathis cochlearia tria hujus vini medicati affundendo, Notan-
„ dum tamen, quod si in hujusmodi ægro siccitas quædam, tussis vehe-
„ mens, vel suspicio tabis adsit, piperis loco sumatur Glycyrrhiza ad ℥vj.
„ Hoc vino non solum brevi temporis spatio inveteratus scorbutus, præ-
„ sertim si absque febre vel inflammatione sit, verum etiam reliqua scor-
„ buti genera omnia, inveteratæ herniæ, paralysis, & venerea lues fe-
„ licissimo successu curantur. " Hæc omnia Muntingius. Adversus Arthri-
tidem hic Parisiis sequens infusum non prorsus dissimile a nonnullis com-
mendatur.

℞. Rad. Lapath. aquatic. exsicc. ℥vj. Gentians ℥iij. Liquiritiæ, Cinna-
momi, Macis ana ℥iij. Croci minutim concisi ℥ij. Macerentur in vini
albi generosi ℔xij. supra cineres calidos per triduum in vase rite ob-
turato. Tum adde spir. vini rectificati ℥viij. Reponantur in loco fri-
gido per 24. horas. Fiat colatura. Exhibeatur quotidie mane ad ℥ij.
vel ℥iij.

Omnes Hydrolapathi partes, sed præcipue radices externe admotæ levi-
ter abstergunt, valide adstringunt & conglutinant. Hinc omnia putrescen-
tia, ut erysipelata tam ulcerata quam integra, herpetes, phagedæna,
gangrænas, inhibent & sanant. Undecumque manantem sanguinem, hæ-
morrhoides simul & menses sistunt. Decoctum vel succus foliorum,
aut radicum anginam, uvulæ relaxationem, oris & faucium mala adstri-
ctione egentia, apostemata, & ulcera probe depellunt, folia viren-
tia contusa ulceratis partibus per duodecim horas imponuntur, & alia
renovantur. Succus quoque caniculari sole, aut igne inspissatus inun-
gitur.

VIII. Lapathum Spinacia dictum, Spinacia, Spinachia, Spinaceum olus
& olus Hispanicum, *Off.* Hispanac *Arabum*: vulgo, *Epinars*. Hujus ole-
ris tres species a nonnullis distinguuntur, scilicet Spinacia mas semine spino-
so, Spinacia mas semine non spinoso, & Spinacia fœmina seu sterilis.
Alii vero has stirpes non distinctas species, sed ejusdem speciei varietates
tantum esse contendunt. Revera ex ejusdem plantæ seminibus fructiferas
& steriles nasci satis compertum est. Verum apud Botanicos non certo
constat an Spinacia semine spinoso, necnon Spinacia semine lævi satæ
semper producant sui generis sobolem, hæc nimirum semine lævi, illa se-
mine spinoso fœtam, an interdum diversam? quod illis ulterius exami-
nandum J. Rajus proponit. Quidquid sit, ad usum medicum & culina-
rium indiscriminatim sumuntur: viribus enim inter se conveniunt.

α Spinacia vulgaris, capsula seminis aculeata, *Inst.* *R. H.* 533. Spinachia mas
*J. B.* 2. 963. Lapathum hortense seu Spinacia semine spinoso, *C. B. P.*
114. Sinacia, *Lobel. Icon.* 257. Olus Hispanicum Spinachia vulgaris, *Tra-
gi* 325.

β Spinacia vulgaris sterilis *Inst R. H.* 533. Spinachia fœmina, *Lugd. J.
B.* 2. 963. Lapathum hortense seu Spinacia sterilis, *C. B. P.* 115. Spina-
chia Gerard. & Parkins. *Raii Hist.* 162.

E ra-

E radice tenui, alba, simplici, paucissimis fibris donata: caules surrigit pedales, fistulosos, teretes, striatos, in alas divisos: folia Atriplicis fere, longis pediculis nixa, inferiora ad basim suam interdum utrinque laciniata mucronibus acutis: quæ autem in summo caule existunt, duos tantum processus velut auriculas ad basim obtinent, tenui quodam polline Atriplicis in modum aspersa. Flores, & fructus in speciebus distinctis nascuntur. In florigeris speciebus flores in caulibus a medio usque ad fastigium digesti, apetali, plurimis staminibus, & apiculis herbaceis aut purpurantibus calyci tetraphyllo insidentibus constant, in oblongis surculis seu racemis e foliorum alis hortis: steriles sunt. In fructiferis speciebus nulli flores cernuntur: sed tantum fructuum embryones subvirides filamentis quatuor albicantibus onusti foliorum alis arte adnascuntur, conferti, in globulos seu racemulos congesti, qui abeunt in fructum seu capsulam majusculam, nonnihil compressam, orbiculatam, in aliis spinosam, in aliis levem, semine turbinato fœtam. Spinacia ubi sponte oriatur, non constat. Colitur ab hortulanis, & rusticis tam in hortis, quam in arvis, & quovis fere tempore anni seritur, nullum solum aut cœlum respuens. Verno tempore sata brevi progerminat, & semina intra duos menses perficit. Autumno sata non tam cito crescit, foliis magis luxuriat, sed hyemem perdurans mox primo vere semen profert.

Spinacia vulgaris, capsula seminis non aculeata, *Inst. R. H.* 533. Spinachia semine non pungente, folio majore rotundiore, *J. B.* 2. 964. Lapathum hortense seu Spinacia semine non spinoso, *C. B. P.* 115. Spinachia nobilis, *Trag.* 324.

Longe major majoribusque est foliis quam Spinacia vulgaris, necnon rotundioribus; semina conglomerata sunt veluti in racemulum, lenticulis fere paria, rotunda, nullis spinis horrida, cinericei coloris. In hortis olitoriis colitur.

Analysi chymica, ex recentium Spinaciæ vulgaris folior. ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore herbam virentem referentis, obscure subsalsi, & alcali urinosi obscure acidi, ac tandem manifeste subacidi ℔ij. ℥ix. ʒiij. gr. lxij. humoris acidi aliquantisper subausteri ℔j. ℥ix. ʒiij. gr. x. humoris primo limpidi tum subacidi, tum alcali urinosi, ac tandem rufescentis, & sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥iv. ʒij. gr. lxiij. salis volatilis urinosi concreti ʒj. olei fluidi ℥j. ʒv. gr. xxxij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iij. ʒiij. g. xxiiij. quæ rite calcita reliquit cinerum ℥j. ʒvij. gr. xxx. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ℥j. gr. xij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒiv. gr. xxv. in calcinatione ℥j. ʒiij. gr. lxvj.

Spinaciæ crudæ sapor herbaceus est non ingratus: coctæ vero sapidus est, subsalsus, nonnihil acris. Chartæ cæruleæ colorem non mutat. Salem essentialem videtur obtinere ammoniacalem, nonnihil nitrosum, cum mediocri olei & exigua terræ portione consociatum, at multo phlegmate dilutum.

In culinis per totam fere Europam vix quicquam frequentioris est usus pultibus ex Spinacia confectis, quas butyro, aut oleo condiunt, herba minutim concisa. Citra aquam coquitur hoc olus, quod plurimum humoris inter coquendum emittat, & velut proprio contentum jure alie-

num

num aspernetur. Editur apud nos cocta semper; magis enim sapida est & grata majori phlegmatis parte exhalata. *Alibi* quandoque inter cruda recipitur acetaria, cum scilicet recens enata. Parantur quoque ex ea placentæ non injucundæ: vulgo, *Tourtes d'Epinars*. Refrigerat & humectat, cito descendit, alvum emollit. Parcæ vero admodum nutrit. Effervescentes circa primas vias acres, & biliosos succos temperat, & inde natos ardores mitigat. Serosos humores generat; quod vitium coctione corrigitur & sale, butyro, pipere, nuce moschata, aut aliis aromatibus quibus condiri solet. Licet autem ut alia olera paucum nutrimentum suppeditet, non ideo tamen insalubre videtur. Imo plures Medici ejus usum suadere solent, propter vim emolliendi qua pollet, ideo a nonnullis Seutlomalache (*a*) quasi malvaceam Betam dicas, denominatur. Uberiori enim humore quo turget, alvum movet. S. Paulli hoc olus febricitantibus & senibus adstrictioris alvi maxime commendat; illis imo vel hecticis, ut febrilem æstum temperet, his ut alvum lubricet, quod longe magis expedit quam ut vel suppositoriis, clysteribus, pilulis Aloeticis aut Scammoneatis alvus illis quotidie exstimuletur. Tussi aridæ medetur & expectorationem promovet. Juscula ex ea parata cum oleo amygdalarum dulcium aut butyro recenti hausta asthmate & raucedine laborantibus medentur.

Illustrissimus ac Doctissimus vir Guido Crescentius Fagon, Meritissimus quondam Ludovici Magni Archiater Spinaciis vitulinæ carnis decocto conditis assidue vescebatur & hydromelite pro potu utebatur tum ad alvi siccitatem, cui obnoxius erat emolliendam, tum etiam ad asthma, quo graviter afficiebatur sublevandum.

Nonnulli Spinaciam assiduo esu melancholicum succum gignere proferunt. Alii eamdem nauseosam esse perhibent. Sed hæc vitia huic cibo perperam exprobrantur, quæ potius pravæ quorumdam constitutioni referenda sunt. Reipsa quidam occurrunt quibus ventriculus debilior & frigidior, ut ajunt, Spinacia sicut aliis quibusdam oleribus inflatur, & subvertitur: sed illi ab eorum esu abstineant, aut ipsis aromata consocient. Cœterum Spinacia non judicio solum Tragi, Simonis Paulli, & plurimorum Botanicorum, & Medicorum, sed etiam experientia quotidiana inter culinaria olera laudatissimum & gratissimum olus comprobatur.

In jusculis emollientibus, & refrigerantibus utiliter præscribitur.

♃. Carnis vitulinæ ℔ß. Coquatur in aq. comm. ℔iij. ad ℔ij. Tum adde folior. Spinaciæ, Betæ, Lactuc. Atriplici ana M. j. Coquantur per quadrantem horæ pro jusculis duobus mane & sero sumendis.

Extrinsecus ventriculo & hepati imposita cataplasmatis instar, eorum inflammationes doloremque tollere dicitur.

## LAVANDULA.

LAvandulæ species duæ in officinis distinguuntur, & indiscriminatim usurpantur, scilicet Lavandula major seu latifolia, & Lavandula minor seu angustifolia.

La-

---

(*a*) Σευτλον, Beta; Μαλαχη Malva.

Lavandula, aut Lavendula major, Lavandula latifolia, & Spica, *Off.* Lavandula latifolia *C. B. P.* 216. *Inst. R. H.* 198. Pſeudonardus, quæ vulgo Spica, *J. B.* 3. *p.* 2. 281. Lavandula, *Dod. Pempt.* 273. Lavendula major ſive vulgaris Parkins. *Raii Hiſt.* 512. Spica Nardus Germanica, *Tragi* 58. Nardus Italica, Caſia alba Theoph. *Dalech. in Plinium*: vulgo, *Lavande male, Spic, Aſpic*, ou *Nard commun.*

E radice lignoſa, in fibras diviſa, in fruticem ſatis grandem, & lignoſum, plurimis ramulis denſum, tenuibus, quadrangularibus, geniculatis adoleſcit, altitudine ſeſquicubitali aut bicubitali: folia infima quidem crebra & incondita fere, ſuperiora ex adverſo bina, alternatim poſita, carnoſa, incana, culmum aut etiam ſemiunciam lata, duarum triumve unciarum longitudine, nervo medium percurrente, odore vehementi grato, ſapore amaricante. Summis ramulis flores ſpicæ in modum verticillatim innaſcuntur cærulei, monopetali, labiati, quorum labium ſuperius ſurrectum eſt, ſubrotundum, bifidum, inferius tripartitum. Ex calyce oblongo anguſto ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, & quatuor ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina in capſula, quæ calyx floris fuit recondita.

Folia huic longiora latioraque multo quam Lavandulæ minori magis incana, non tamen adeo crebra in caulibus & ramulis: ramuli ſeu potius pediculi ſpicas ſuſtinentes huic duplo majores longioreſque quam illi. Spicæ quoque multo longiores, & inflexæ. Flores tamen, quod mirum, quam illius minores. Odor quoque totius plantæ vehementior.

Lavandula, Lavandula minor, Lavandula anguſtifolia, *Offic.* Lavandula anguſtifolia, *C. B. P.* 216. *Inſt. R. H.* 198. Pſeudonardus, quæ Lavandula vulgo, *J. B.* 3. *p.* 2. 282. Lavandula altera, *Dodon. Pempt.* 273. Pſeudonardus fœmina, *Matthioli*: Lavandula breviore folio, & ſpica, *Cluſ. Hiſt.* Spica Italica, & domeſtica, *Cæſalpin.* 459. vulgo, *Lavande femelle.*

Tota, quidem facie præcedenti proxima eſt, minor utcumque & humilior, pariter tamen denſe fruticans: foliis minoribus ſeu anguſtioribus, & brevioribus, nec adeo albidis, odore minus vehementi. Spicæ florum, ut dictum, breviores ſunt & erectiores. Flores tamen majores. Utraque variat interdum floris colore albo. In Gallia Narbonenſi ſponte proveniunt. Apud nos in hortis ſeritur. Florum ſpicæ ad uſum colliguntur.

Analyſi chymica, ex ſpicarum floridarum Lavandulæ ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, odore & ſapore aromatico, florum odorem referentis, ſubacidi ℔j. ℥v. ʒvij. gr. lx. cum olei eſſentialis guttis aliquot: humoris limpidi magis ac magis acidi, ſub finem auſteri ℔ij. ℥iv. ʒij. gr. xxx. cum olei eſſentialis portione, humoris rufi, empyreumatici, intenſe acidi, ſubſalſi & auſteri ℥j. ʒiij. gr. xij. humoris rufeſcentis, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati, necnon acidi ℥iij. ʒij. gr. xxiiij. olei tum eſſentialis, tum empyreumatici, & ſpiſſi ℥iij. ʒiv. gr. xlviiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vij. ʒvij. gr. xxiv. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒv. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒvij. gr. xlvj. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v. ʒiv. gr. xviij. in calcinatione ℥v. ʒij. gr. xxiv.

Ex ejusdem floribus ad ℔v. per aliquot menses maceratis salis volatilis urinosi concreti gr. xxx. extracta sunt.

Lavandula salem obtinere videtur essentialem ammoniacalem, similem ammoniacali composito ex sale volatili urinoso aceti acidi plene & plusquam saturato & cum oleo copioso tum essentiali, tum crasso accurate permixto. Idem dicendum de Spica quae iisdem gaudet principiis, imo copiosioribus & penetrantioribus, ut ejus odor testatur, & similibus virtutibus donatur. Quapropter indiscriminatim ad usum medicum usurpantur. Hic vero Lavandula utpote magis familiaris frequentius in usum venit.

Oleum essentiale Spicae & Lavandulae Heliotropii tincturam rubore inficit ratione salis acidi contenti.

Lavandula cephalica, nervosa, & uterina censetur. Partibus suis salino-sulphureis, aromaticis, subtilibus; acribus, nervosas fibras ad oscillationem stimulat, earum tonum nimis laxum & debiliorem restituit, humores spissos in partibus morantes dissolvit & ad motum habiliores reddit, unde sensus & motus vitia emendare solet: ejus usus in catharris, apoplexia, paralysi, spasmo, vertigine, lethargo, artuum tremore plurimum commendatur. In urina cienda, mensibus & foetu pellendis, & in torminibus flatulentis nonnunquam usurpatur. Pulvis florum vel semina contusa a ℈j. ad ʒj. praescribuntur. Infusum florum Theae ad instar praeparatur. Aqua distillata simplex vel spirituosa, tinctura florum cum spiritu vini parata ad ℥ij. tresve, conserva ex floribus ad ℥ß. & oleum essentiale ad guttas duas, tres, vel sex intus sumuntur. In omnibus fere medicamentis cephalicis & nervinis tum internis tum externis usurpari solent.

Moderatus tamen esse debet Lavandulae sicut & caeterorum aromatum usus. Nam ex immodico & inopportuno illorum usu sanguis aestuat & accenditur, solidae partes nimis irritatae incalescunt & inflammantur. Qua de re post C. Hoffmannum & Dodonaeum S. Paulli prudenter monet. Cl. Hoffmannus *l.* 2. *de Medicamentis officinalibus c.* 132. *p.* 397. §. 10. haec aromatica & odorata medicamenta laudat ubi debilitas partium ab intemperie frigida oritur aut a frigidis humoribus vias obsidentibus: at vero ubi a caliditate, ait, tale quid est, insignem contra ex illis laesionem oportet exspectare. Dodonaei autem haec sunt verba. „ Proinde stillatitius Lavandulae liquor odoratus, & temporibus & fronti illitus, epilepsi leviori, hemiplexia, & subinde comitiali morbo, ac non raro „ syncope laborantes reficit. Sed ubi humorum copia adest, praesertim sanguini permixtorum, non satis tutus hujus est usus, sicuti neque compositionis, quae ex stillatitio vino, in quo hujusmodi herbae, flores, semina „ & aromata quaedam macerata sunt, conficitur; quam plerique temere & „ indifferenter exhibent. Nam calidorum hujuscemodi caput implentium „ usu, & morbus intenditur, & aeger in periculum inducitur: praesertim quando sanguinis missio aut purgatio non praecesserunt. Quod ideo monendum „ duximus, quia passim nonnulli Medici indocti & temerarii, audacesque nimium pharmacopoei, aliique, & stolidae mulieres, statim similes compositiones & id genus alia, non modo apoplecticis, sed & catocho cum „ febri occupatis infundunt: quibus nihil potest pejus dari, cum plurimum obsint, & non raro ipsos aegrotantes perimant. „ Hactenus Dodonaeus.

Si-

Simon Paulli immodicum eorumdem aromatum usum reformidat, & exemplum affert cujusdam opulenti aromatopolæ horrenda epilepsia correpti quæ ocius in apoplexiam degenerarat, antequam illi auxilium afferri potuisset, ideo quod sibi integerrima gaudenti valetudine, & habitu athletico, sub cincinnata & densa cæsarie cucupha suaveolentissima Cyperum, Iridem, Costum, Storacem, Moschum, Ambram redolente caput operire allubuisset. Eum vero omni motu sensibusque omnibus orbatum, sanguinis missione sexies septiesve intra unius horæ spatium repetita, habito respectu virium, & pulsu ac respiratione ab ea invalescentibus, ab hoc acutissimo morbo vindicavit & vitæ afferuit, intus propinato non Lavendulato vino, sed spiritu cranii humani vitriolato *Crollii*, quem in hisce affectionibus plurimum commendat. Reipsa plurimi vehementem aromatum odorem difficile ferunt: quapropter Medicus ea nonnisi caute tam externe quam interne adhibere debet, & explorata prius non solum morbi indole, sed etiam ægrotantis natura, quomodo ad odoramenta se habeat.

In balbutie & linguæ paralysi spiritu vini Lavandulato os sæpius abluitur. Rulandus in curationibus empyricis, teste Ettmullero, beneficio hujusce spiritus virum 70. annorum aphonia laborantem curavit, cochlear unum pro dosi propinando. In difficili partu semen Lavandulæ est oppido conducibile. Rondeletius pulverem sequentem ad facilitandum partum ut arcanum præstantissimum commendat.

℞. Seminum Lavandulæ ʒß. Semin. Plantag. Endiviæ ana ℈ij. Piper. nigr. ℈j. F. pulvis in aquar. Caprifol. Endiv. ana ℥iij. sumendus.

Sequentem pulverem cum laude proponit Simon Paulli *in Quadr. Botanico*.

℞. Semin. Lavandulæ ʒß. Succin. alb. pp. Borac. ana ℈ij. Olei Cinnamomi gutt. ix. Fiat. l. a. pulv. dividendus in tres partes æquales, propinandus in vino Rhenano, aut alio generoso.

Obiter tamen hic notandum est calida hæc acria & vehementiora medicamenta ad partum juvandum non proficere nisi in debilitate virium & partium atonia, quæ quidem minus frequenter occurrit, quam summa partium rigiditas, intumescentia & ardor. Quapropter parturientes a sanguinis missione aut e brachio aut e saphæna, ex insessu ad decoctorum emollientium & temperantium vaporem, ex clysteribus emollientibus plus levaminis sæpius accipiunt, quam ex hisce roborantibus remediis. Ad quod diligenter attendere debent Medici antequam hæc remedia præscribant.

Flores & folia in ore detenta & masticata salivationem potenter excitant. Unde in affectionibus soporosis, catarrhis, linguæ paralysi & in cucuphis ad caput roborandum utiliter usurpantur.

℞. Radicum Ireos Florentin. & Calami aromatici ana ℥ij. folior. Betonic. major. Salviæ, Rorismarin. Summitatum Lavand. Stæchados ana ℥j. Fiat pulvis tenuissimus capillis inspergendus hora somni & mane pectine excutiendus. Vel excipiatur hic pulvis pauco Gossypio, includendo in panno serico interpuncto pro cucupha seu calantica (*couvrechef*) in cerebri affectionibus & causa frigida.

Externe in decoctis cephalicis, & nervinis præscribi solent.

Oleum

Oleum stillatitium Spicæ Lavandulæ in Medicina, & apud artifices plurimos maxime usitatum paratur distillando flores exsiccatos, & semina in magna aquæ quantitate, igne sat vehementi. Hoc oleum in nervorum ac tendinum relaxatione, in paralyticis, & rheumaticis affectionibus plurimum prodest sive interne guttæ duæ, tres, sexve sacccharo affusæ in vino aut aqua cardiaca aut cephalica quacumque propinentur: sive cum spiritu vini oleis aut unguentis quibuscumque convenientibus illinatur.

℞. Olei essentialis Spicæ Lavandul. gutt. iij. Affunde sacchari ʒj. Dissolve in vini generosi ℥v. Sumat æger in lecto decumbens ad sudorem promovendum in paralyticis, & catarrhosis affectionibus.

℞. Olei essentialis Lavandulæ ʒj. Olei Hyperici ℥ij. Olei Lumbricor. terrestr. ℥iij. Balsami Fioravanti ℥ß. M. F. linimentum ad membra paralysi aut rheumatismo affecta perungenda.

Ex eodem essentiali oleo cum sale volatili ex ammoniaco permixto sublimatur sal volatilis oleosus aromaticus Lavandulatus hodie frequentis usus naribus admotus, ad spiritus recreandos in paroxysmis hystericis, lipothymiis, & languoribus hypochondriacis.

Hujus olei odorem fugiunt blattæ, pediculi, & alia insecta. Propterea in his fugandis vel enecandis apprime conducit. Certe si vesperi sub introitu lecti charta bibula hoc oleo solo vel cum oleo amygdalarum aut quocumque alio permixto inuncta, capiti aliisque locis pilosis applicetur, pediculos mire fugat, & mane interfecti omnes reperiuntur. Ettmullerus post Panarollum refert, quemdam contra minores inguinales pediculos fugandos, crebrius Mercurii litu, sed admodum infeliciter usum fuisse, qui continua penis erectione exinde laboraverit. Simul ac vero membrum oleo Spicæ fuit illitum ad pristinum statum est revocatum, & pediculi etiam prosus fugati.

Oleum Spicæ Lavandulæ distillatum ex Gallo-provincia, & Gallia Narbonensi, ubi utraque Lavandula uberrime crescit, ad nos affertur, sed sæpius adulteratum, & cum spiritu vini aut cum oleo Terebinthinæ permixtum. Mangonium utrumque facile detergitur. Illud enim quod cum spiritu vini admixtum fuit, aquæ communi affundatur, statim spiritus vini cum aqua intime permiscetur, oleum vero supernatat minori quidem quantitate, at genuinum, & sincerum. Si vero cum oleo Terebinthinæ aut alio quocumque permixtum fuerit, deflagratione portionis alicujus in cochleari metallico facile detegitur. Oleum enim Spicæ genuinum flammam tenuem, fumum paucum, nec odore ingratum emittit, at oleum Terebinthinæ fumum copiosum nigrum spargit, odoremque minus gratum.

Apud varios artifices usitatissimum est præsertim ad opera varia vernigine illinienda.

Lavandulæ flores usurpantur in decocto cephalico, syrupo antiepileptico, syrupo de Stæchade, pulvere cephalico odorato *Ph. Regiæ*, & in pulvere ad cadavera loricanda *ejusdem*.

Oleum Spicæ Lavandulæ usurpatur in balsamo apoplectico *ejusdem*.

LAU-

## LAUREOLA.

Laureola duplex in officinis usurpatur, scilicet Laureola mas, & Laureola fœmina.

Laureola mas, Laureola semper virens, & Daphnoides, *Off.* Thymelæa Lauri folio, semper virens, seu Laureola mas, *Inst. R. H.* 595. Laureola semper virens, flore viridi, quibusdam Laureola mas, *C. B. P.* 462. Laureola semper virens, flore luteolo, *J. B.* 1. 564. Laureola, *Dod. Pempt.* 365. Laureola Gerard. Parkins, *J. R. Hist.* 1587. Daphnoides sive Laureola, *Adverf. Lobell.* 156. *Lugd.* 211. vulgo, *Laureole*.

Ex radice lignosa, lenta, crassa, longa, & multiplici, multis stipitibus lentis subcinericeo seu albicante cortice vestitis fruticat, ad cubitos duos assurgens, foliis Lauri sed minoribus, ad majoris Myrti folia accedentibus, semper virentibus, nigricantibus, crassis, glabris, nitidis, utrinque acutis plurimis circa ramulorum fastigia. E foliorum sinubus egrediuntur pediculi unciales, crassiusculi, foliolis aliquot concavis velut totidem squamis vestiti, & in fastigio flores sustinent monopetalos, e luteo virescentes, posterius fistulosos, anterius in quatuor lacinias acuminatas divisos, calyce carentes, cum pistillo abeunte in baccam olivæ forma, sed longe minorem, primum viridem, per maturitatem nigram, succi plenam, in qua latet nucleus unicus durus, Cannabis semine paulo longior, medulla interiore candida. Folia, fructus, cortex tam radicis quam ramorum acrimonia sua, & urendi qualitate linguam, & fauces mordicant, & incendunt. Nascitur in sylvis, & montibus umbrosis Gallo-provinciæ, & Galliæ Narbonensis. Folia, baccæ nonnumquam in usum veniunt.

Laureola fœmina, Chamælea, Mezerum, & Mezereon, *Off.* Thymelæa Lauri folio deciduo, sive Laureola fœmina, *Inst. R. H.* 595. Thymelæa folio deciduo, flore purpureo, officinis Laureola fœmina, *C. B. P.* 462. Laureola folio deciduo, sive Mezereon Germanicum, *J. B.* 1. 566. Chamælea Germanica, *Dod. Pempt.* 364. Chamædaphne sive Pusilla Laurus, *Adverf. Lobel. Icon.* 367. Piper montanum, *Gesneri*; Chamælea Germanica sive Mezereum Gerard. *J. R. Hist.* 1587. Laureola fœmina, & Diaphnoides crocea *H. Lugd.* vulgo, *Bois gentil*.

Multis etiam stipitibus fruticat ad trium cubitorum altitudinem assurgentibus, lentis, teretibus, fractu contumacibus, cortice duplici, exteriore cinereo tenui, interiore exterius virente, interius albicante obductis. Folia e tuberculis plura ab eodem exortu oriuntur, foliis Laureolæ maris minora, tenuiora, molliora, nec ita splendentia. Flores ejusdem formæ, sed purpurei, & longe elegantiores cum staminulis aliquot croceis, odorati. Baccæ pariter purpurascunt ejusdem magnitudinis, & figuræ. Nascitur in frigidioribus sylvulis Alpium, & Pyrenæorum. Cortex, folia, & fructus in usum veniunt, sed minus frequentem.

Analysi chymica, ex Foliorum Laureolæ maris recentium ℔v. per retortam distillatis, prodierunt humoris limpidi, odore, & sapore virentem herbam referentis, obscure acidi ℥xj. ʒj. gr. lij. humoris primo limpidi, manifeste aci-

di

di magis ac magis sub finem rufescentis, intense acidi, & austeri ℔iij. ʒvj. gr. xlv. humoris rufi, empyreumatici, intense acidi, obscure subsalsi ℥j. ʒv. gr. ix. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ij. ʒiiij. gran. xlv. olei spissi extracti ad instar ℥ij. ʒvij. gran. xlv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒvij. gran. ix. quae rite calcinata reliquit cinerum albicantium ℥ij. ʒij. gran. liiij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiij. gran. ij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gran. xj. in calcinatione ℥v. ʒiiij. gran. xxvij.

Utriusque Laureolae semina, folia, & in primis cortices, tum stipitum, tum radicum acerrima sunt, & adeo fervida, ut masticantis os, & fauces adurant, & inflamment, diu multumque durante impressione. Folia recentia masticata aliquantisper mucilaginosa sunt: eorum succus chartae caeruleae rubentem colorem conciliat. Salem essentialem obtinent tartareum multo oleo foetido acri conjunctum, & glutinoso phlegmate involutum. Totius plantae vis acris, adurens, & purgans mihi videtur pendere potius ab oleosa aut resinosa quadam ejus portione in seminum, foliorum, & corticis cellulis peculiaribus latitante, quam a sale alcali caustico cui a plerisque tribuitur. Siquidem purgantis fere omnia vehementiora hanc vim a sulphurea aut resinosa substantia obtinent, ut videre est in Scammonio, Euphorbio, Gutta Gummi, Helleboro, Jalapa &c. quorum praecipua vis cathartica in resinosis partibus sita est, & in resinosis extractis conservatur.

Omnes utriusque Laureolae partes intus sumptae ventriculum admodum subvertunt, vomitum cient, biliosos, serosos humores maxime fluidos cum impetu sursum, & deorsum expurgant: partes internas laedunt, rodunt, inflammant: viscera abradunt, & vasorum sanguineorum oscula aperiunt; febres accendunt, cardialgias excitant, & superpurgationes, vires exsolvunt. A nonnullis ad serosos humores evacuandos hydropicis praescribuntur. Dosis corticis, & foliorum est a gran. vj. ad ℈ß. Semina vero tria quatuorve integra degluttiuntur. Eorum malitia corrigi dicitur macerando horas 24. in aceto, ut Elleborus, & Esula; succo mali Punici aut Cydonii, Portulacae, vel mucilagine seminis Psyllii. Alii emendare tentant infundendo in vino, & iterum exsiccando. Alii triduanam macerationem aceto requirunt, singulis diebus novum affundendo, & tandem aqua bene eluendo. Ettmullerus hujus medicamenti maceratione in aceto vim infringi asserit, sed aceti lenta evaporatione Laureolam exsiccandam esse contendit, alioquin effoeta, & nullius usus evaderet. Verum utriusque hujus plantae folia, cortex, baccae quomodocumque praeparatae & correctae ob malignitatem rarissime in usum veniunt, nec nisi tutiorum medicamentorum inopia, & casu aliquo desperato, & robustissimis tantum exhibendae sunt, idque magna consideratione, monentibus Medicis omnibus prudentioribus, vel ipsis Mauritanis, qui has plantas Terrae Leone, & Plantas viduificas cognominarunt. Quae quidem ab earum usu nos deterrere merito debent.

Externe radix Mezerei loco setacei utiliter adhibetur in oculorum affectionibus. Hujus radicis particula longa, & rotunda ad instar Turundae, in aceto aut lixivio acri macerata auriculae perforatae inseritur, quae copiosissimum se-

rum inde educit. Sic oculorum inflammationes sedantur, & imminens suffusio nonnunquam præcavetur.

Nonnulli Laureolæ baccas fuisse grana Cnidia, apud Hippocratem, & veteres græcos sæpius usitata existimant. Quod quidem prorsus incertum est: alii enim fructus cujusdam Thymelææ fuisse contendunt. Quidquid sit, hæc vehementiora medicamenta apud nos fere obsoleverunt ob eorum malitiam, & eo magis quod ab hisce priscis Medicinæ temporibus medicamenta emetica, & purgantia mitiora, tutiora, & nostræ naturæ magis convenientia detecta sint.

## LAURUS.

Lauri species duæ seu potius varietates in officinis usitatæ sunt, Laurus vulgaris, & Laurus Regia.

Laurus vulgaris, *Off.* Laurus vulgaris, *C. B. P.* 460. & *I. R. H.* 597. Laurus, J. *R.* 1. 409. Laurus mas, & fœmina, *Tabern. Icon.* 950. Laurus tenuifolia, *Matthioli* 125. vulgo, *Laurier franc.*

Laurus Regia, *Off.* Laurus latifolia, Πμαστοτέρω Dioscoridis, *C. B. P.* 460. *Inst. R. H.* 597. Laurus latifolia mas, fœmina. *Tabern. Icon.* 951. vulgo, *Laurier Royal.*

Laurus utraque tam tenuifolia quam latifolia plerumque multis stolonibus luxuriat, non raro mediocris arboris altitudinem assequitur, præsertim in regionibus calidioribus, ramosa, caudice enodi, cortice tenui, materia rara, nec multum valida; radices habet crassas, inæquales, & obliquas. Folia ei oblonga, dura, utrinque acuminata, sed mucrone alias latiore, alias obtusiore, in uno quidem genere angustiora, sesquiunciam aut duas uncias lata, palmo longiora, in altero ampliora ut ad mali Medicæ folia accedant, quæ secundum longitudinem percurrit costa recta, obliquos in margines nullo ordine nervos exporrigens, non decidua, perpetui viroris, nitidi in junioribus, in adultioribus saturatioris, odoratissima, sapore acria aromatica, nonnihil amaricantia, ramis viridantibus brevi pediculo adhærentia. Flores secundum ramos exeunt conferti, monopetali, pelviformes, in quatuor vel quinque partes divisi, e luteo albicantes, cum multis in medio apicibus, & pistillo, quod abit in fructum seu baccam Cerasiis minoribus parem, in aliis ovatam, in aliis oblongam, gracilem, colore primum viridi, ubi maturuerit, nigro, quæ sub cortice tenui testam continet unicapsularem, callosam, duram, semine fœtam ejusdem pene formæ, e rufo subnigricante, in duas partes fissili, odorato, acri, subamaricante, pingui. Sponte nascitur Laurus calidioribus in regionibus, Hispania, Italia, necnon Gallo-provincia, in sylvis, locis præsertim maritimis, ac etiam in montibus, & collibus apricis quæ lacus, & maria respiciunt. Apud nos in hortis colitur, & hyeme a frigore arceri debet. Baccæ, & folia usitata sunt.

Analysi chymica, ex foliorum Lauri recentium ℔v. per retortam distillatis, prodierunt humoris limpidi, foliorum odorem, & saporem apprime referentis obscure acidi, cum olei essentialis portione mediocri, ℔iij. ℥ix. ʒvj. gran. xxvj. humoris manifeste acidi, subausteri, subadstringentis ʒv gr. xl.

gr. xl. humoris impense acidi, subsalsi, austeri, leviter empyreumatici, cum olei essentialis guttis aliquot ʒvj. gr. xlviij. humoris rufi, acidi, austeri, empyreumatici, sale volatili urinoso impraegnati ℥iij. ʒvj. olei empyreumatici, fusci & adiposi ℥iiij. ʒvj. gr. xxiiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒvj. gr. xxxvj. quae rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒv. gr. lxiiij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒv. gr. iiij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. ʒij. gr. xlij. in calcinatione ℥vj. gr. xliij.

Lauri folia odorata sunt, saporem obtinent acrem, aromaticum, subadstringentem cum quodam amarore. In aqua per aliquot horas macerata & postea distillata oleum essentiale fundunt odoratissimum. Salem essentialem obtinent tartareum cum multo oleo tum tenui, tum crasso & pauca terra adstringente conjunctum. Baccae vero plus odoris & saporis habent. Oleum duplex fundunt, alterum tenuius, odoratissimum, essentiale ut ajunt, & limpidum, quod contusae & in aqua uberrima maceratae ac postea distillatae suppeditant: alterum crassius quod sola expressione ex baccis contusis extrahitur, vel coctione earumdem in aquae communis q. s. Supernatat enim decocto ebullienti, quo refrigerato in butyri consistentiam figitur & facile colligitur.

Laurus apud antiquos arbor fuit celebratissima. Triumphantes coronam Lauream gestabant, vel Lauri ramum dextra tenebant. Victoriae nuncia erat. Nam tabernacula, naves, fasces, militum jacula, lanceae, pilla Lauro in eam significationem ornabantur. Apollini sacram inde fabulantur Poetae quod virgo Daphne quam deperibat in hanc arborem conversa sit. Musas in Laurinis montis Parnassi sylvis sedere finxerunt. Eadem coronabantur Poetae. Necnon adhuc quibusdam in locis novi Medicinae Doctores Lauro coronantur: inde fortasse Laureandi & Laureati dicuntur. Laureum fulmine non percuti veteribus persuasum fuit. Hinc Tiberius Imperator, qui tonitrua praetermodum expavit & exhorruit, tonante coelo, contra fulminum ictus, nunquam non Lauream coronam capite gestavit. Verum quam hoc falsum & superstitiosa credulitate fundatum, experientiam quam affert Lacuna, elegantissimae Lauri Romae in palatio ducis de Castro fulmine ictae, & plurima alia exempla ab aliis allata luculenter ostendunt. Eadem superstitione nititur observatio illa de crepitu quem folia & virgae Lauri inter urendum edunt. Nam si crepuissent abunde ac sonantius, haud dubie portendi felicem eventum rebantur: quod si tacita deflagrassent, tristem & inauspicatum.

Laurus apud veteres Medicos magnum habuit in Medicina usum, & veluti panacea aestimata fuit: folia, baccae, & cortex radicum frequenter usurpabantur. Hodie vero baccae & folia solum & minus usitata, cortice radicum prorsus neglecto, in Officinas inferuntur.

Folia utpote aromatica amaricantia cum nonnulla adstrictione, calefaciunt, digerunt, resolvunt, ventriculum roborant, ciborum concoctionem juvant, flatus discutiunt: hinc a recentioribus non raro cum nonnullis cibariis, praesertim piscibus coquuntur, suillasque pernas colent. Et tantum abest ut ventriculum subvertant, ut nonnulli opinantur, quin potius nauseabundum corroborent. Ad ventriculum roborandum, colicos dolores flatulentos discutiendos eorumdem infusum

Theæ ad inſtar præſcribitur, aut pulvis ad ℥j. ingeritur. Eorumdem decoctum in enematibus ad colicam abigendam utiliter uſurpatur. Idem in Matronarum inſeſſus, & balnea additur, & vulvæ ſordes, vel prægnanti, tuto eluere, uteri ac veſicæ vitiis medere dicitur.

Baccæ magis quam folia calefaciunt: a veteribus adverſus phthiſim, orthopnœam, & omnes circa thoracem defluxiones ſive rheumatiſmos commendantur: noſtra ætate ad ventriculi, jecoris, lienis, & veſicæ affectus uſurpantur. Concoctionem crudorum humorum promovent, ſuccos lentos, ac viſcidos dividunt, & reſolvunt, languentem appetentiam excitant; cibi faſtidium pellunt, jecoris, & lienis obſtructiones aperiunt; urinas cient, menſes movent, & ad ſecundinarum expulſionem faciunt.

In baccis oleum eſſentiale tenue, & actuoſum oleo craſſo admodum anodyno involvitur. Unde interne ad ſedandos dolores utiliter exhibetur: ſed externe potenter reſolvunt, & roborant. In cataplaſmatibus, unguentis vel emplaſtris apprime conducunt ad dolores mitigandos, tumores reſolvendos, partes ſufficienti tono deſtitutatas roborandas.

Oleum in Officinis quadruplex ex baccis Lauri conficitur. Scilicet 1. oleum eſſentiale, quod ex baccis contuſis, aqua maceratis, & poſtea ſat forti igne cum eadem aqua diſtillatis: oleum prodit limpidum, ſubtile, valde odoratum, aquæ ſupernatans, quod virtutibus cum cœteris oleis aromaticis convenit. Laudatur in primis interne ad flatus diſcutiendos, colicos dolores ſedandos, paſſionem hyſtericam compeſcendam, & in doloribus poſt partum. Verum in calidis, & bilioſis temperaturis, & in inflammatoriis affectionibus ab eo abſtinendum. Doſis a guttis iij. ad vj. Sacchari fruſto affuſis, & poſtea cum liquore conveniente mixtis. Adverſus colicos dolores carminativis clyſteribus additur. Externe illitum nervorum affectibus a frigore ortis conducit: in paralyſi, & iſchiadidis doloribus prodeſt. Pubi quoque, & pectini muliebri illinitur contra paſſiones hyſtericas, colicos dolores poſt partum, & menſium ſuppreſſionem a cauſa frigida.

2. Aliud oleum e baccis in aqua fervente bullitis elicitur. Integræ vel etiam tritæ baccæ, lebeti commiſſæ, in aquæ ſufficienti quantitate per ſemihoram bulliunt, colantur, & fortiter exprimuntur. Refrigeratumque oleum pinguedinis ſubviridis inſtar aquæ ſupernatans colligitur. Hoc oleum oleo eſſentiali minus odorum eſt, craſſius, & viribus debilius. Oleum enim eſſentiale hoc in concreto adipoſo cum oleo pingui in Amygdalino baccarum nucleo contento permiſcetur, & irretitur.

3. Aliud oleum ex baccis optime tritis, & torculari fortiter expreſſis extrahitur priori adhuc minus penetrans, cum ſcilicet oleum craſſius in baccarum nucleis contentum fere ſolum exprimatur, parum vero olei eſſentialis in cellulis corticum reconditi eliciatur, niſi igni adhibeatur. Hæc ambo olea cum eſſentiali oleo viribus conveniunt, ſed longe debilioribus. Interne ad grana decem vel duodecim præſcribuntur. Sed ſi nimia quantitate exhibeantur, nauſeam excitant. Externe frequentius uſurpantur illita ſolitaria vel emplaſtris admixta.

4. Tandem oleum Laurinum paratur ex baccis & foliis Lauri tritis & in oleo om-

omphacino maceratis & decoctis, quod prioribus longe debilius est, & raro usurpatur. Hæc olea adversus scabiem commendantur, sed nihil prosunt nisi admixto sulphure, cujus ingratum odorem emendant.

♃. Baccar. Lauri ʒj. Corticis exsiccati Aurantior. malor. ʒij. Infunde in vini generosi ℥iiij. Infusum cum Sacchato propinetur in ventriculi imbecillitate, colica flatulenta, mensium remora.

♃. Florum Chamæmel. M. ij. Baccar. Lauri contusar. ʒij. Bulliant leviter in aq. q. s. Colaturæ adde olei Laurini expressi ʒj. Fiat clyster in colica flatulenta.

♃. Olei Laurini expressi ℥j. Ung. martiati ℥ij. Castor. pulver. ʒj. F. linimentum quo ventriculi regio illinatur in stomachi inflatione, membra paralytica, vel rheumaticis doloribus correpta inungantur, regio pubis infantum in urinæ suppressione.

Ex Lauri baccis electuarium de baccis Lauri vulgo dictum conficitur ad colicos affectus & uteri morbos commendatum, & Emplastrum de Baccis Lauri *Mesuæ*. Eædem usurpantur in antidoto Orvietano, *Ph. Reg.* Aurea Alexandrina, Theriaca diatessarum *Mesuæ*, & confectione Anacardina *ejusdem*. Folia usurpantur in Ung. Martiato, Empl. de Betonica. Oleum Laurinum vero usurpatur in Empl. Manus Dei, Empl. *Paracelf.* Empl. de Ranis, & Empl. Styptico *Ph. Reg.*

## LENS.

Lentis duplex genus in Officinis, arvensis & palustris: arvensis vero species duæ distinguuntur, scilicet minor & major.

Lens arvensis minor, Lens vulgaris, *Off.* vulgaris, semine subrufo, *C. B. P.* 346. *Inst. R. H.* 390. Lens, *J. B.* 2. 317. *J. R Hist.* 904. Lens minor, *Dod.* 526. Lens vulgaris, sive agrestis, & Lenticulæ primum genus, *Tragi* 626. vulgo, *Petite Lentille*.

Planta est annua radice tenui, alba, paucis fibris donata. Caulis ei satis crassus pro plantulæ modo, dodrantalis, hirsutus, angulosus, infirmus, & procumbens, nisi in propinquo sit quod scandat, a radice statim ramosus. Folia e quorum sinubus ramuli exeunt alternatim posita, ut in reliquis fere leguminibus, quinque aut sex pinnularum mediæ costæ adnexarum conjugationibus composita, costa media in claviculam abeunte. Singulæ autem pinnulæ oblongæ, angustæ, hirsutæ in acutos apices desinunt. Ex alis foliorum exeunt surculi tenues, oblongi, duos aut tres flores gestantes papilionaceos, parvos, albentes: superius tamen folium quod vexillum, alii clypeum appellant, cœruleis intus lineolis striatum est. Ex floris calyce surgit pistillum, quod deinde abit in siliquam brevem, latam, compressam, glabram, duobus vel tribus seminibus fœtam, quam pro plantulæ modo majoribus, orbiculatis, compressis, utrinque convexis, hoc est ad centrum crassioribus quam ad marginem, duris, glabris, per maturitatem flavicantibus, in aliis speciebus rubentibus: aut nigricantibus.

Lens arvensis major, *Off.* Lens major, *C. B. P.* 346. *Inst. R. H.* 390.

*J. B.* 2. 317. *R. H.* 904. Lens, *Dod. Pempt.* 526. Lens Italica, *Camerar:* vulgo, *Grande Lentille.*

Lente vulgari omnibus partibus speciosior est & major, herba, foliis, flore albo, siliquis ut A semine quod Lentis vulgari duo aut tria grana facile æquat. Utraque in arvis copiose seritur. Semina ad culinarium usum quam ad medicum sæpius advocantur.

Analysi chymica, ex Lentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris rufescentis, subausteri & obscure alcalini ℥x. humoris rufi, obscuri, acris, turbidi, tum acidi austeri, tum alcali urinosi ℥vj. ʒij. humoris rufi, obscuri, empyreumatici, acerrimi, alcali urinosi & sale volatili urinoso copioso imprægnati ℔j. ℥iiij. olei ℥vij. ʒiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j. ℥v. ʒvij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvij. ex quibus lixivio sunt extractæ salis fixi mere alcali ʒv. Partium jactura in distillatione fuit ℥xiiij. ʒiij. in calcinatione ℔j. ℥iiij.

Lentes salem essentialem obtinere videntur vitriolico-ammoniacalem cum multo oleo crasso & spisso conjunctum.

Lentes in cibo summe olim placuisse Philosophis, priscorum monumentis constat, atque etiam apud Græcos eximiam auctoritatem habuisse reperio. Ait enim Athenæus *L.* 4. *c.* 18. Stoicum dogma esse, sapientem omnia recte agere, & Lentem prudenter condire. Causa forsan fuit, quod Philosophi rerum contemplationi addicti, de cupediis, scitamentis, & ganeatis ciborum deliciis minime fuerint solliciti. Ut enim ornatum & luxum vitabant in vestitu, sic apicianas gulæ voluptates respuebant: simplici tenuique victu, qui vitam conservaret contenti. Lentibus vescentes æquanimitatem sibi conciliari asseverabant. At verisimile est priscos hanc opinionem, non tam ex hujus cibi natura hausisse, quam ex sobrietate eorum qui tam vili & parum sapido cibo vescebantur. De Lentibus enim aliter sentit tota peritiorum Medicorum schola: quæ docet crebram & assiduam φακοφαγίαν turbare caput, spiritus inquinare, visum obtundere, terriculamenta invehere nocturna, affectus melancholicos gignere, viscera oppilare, cancrum, lepram, scabiem, scirrhos hepatis ac lienis, calculum, & quartanas efficere, ventrem inflare atque sistere, stomachum male afficere, naturales mensium & hæmorrhoidum vacuationes impedire. Uno verbo Lens apud Medicos fere omnes habetur flatulenta, concoctu difficilis, & succi pravi, crassi, terreni, & melancholici. In Lente autem duplex substantia distinguitur, membranosa seu cortex, & medullaris quæ illius caro seu pulpa dicitur, diversarum facultatum. Cortex juxta Galenum *L.* 1. *de Al. Fac.* *c.* 18. austeræ qualitatis particeps adstringit. Pulpa austeri habet exiguum, sed succi est crassi atque terreni. Cortex alimenti est pejoris: pulpa melioris. Jus primum, in quo Lens elixa fuit, ventrem solvere Galenus asserit: ideoque magis si vel sale, vel oleo, vel garo fuerit conditum. Oleum enim emollit & laxat: sal vero & garum abstergunt & expultricem ad dejiciendum irritant. Jus Lentium secundo coctarum, inquit idem Galenus, juri primo contrarium est. Ut enim hoc alvum movet, sic illud eamdem supprimit: ideoque accommodatum iis qui diarrhæa, dysenteria & cœliaca laborant, quoniam & stomachum

chum & inteſtina & ventrem totum corroborat. Lens vero decorticata, ſeu puls ex ea expreſſa, ut illam adſtringendi vehementiam, & ea quæ illam conſequuntur, amittit, ſic magis nutrit quam Lens quæ cortice ſpoliata non eſt: verum ſuccum craſſum ac pravum gignit, tardeque deſcendit, non tamen alvi fluxus deſiccat ſicut Lens cui cortex non eſt ademptus. Noſtrates pelli maxime Lentis vitia putant, ſi cum optimis carnibus excocta aſſumatur. Rarius in menſas nobiliorum venit apud nos. Rura in quibuſdam tractibus Galliæ eam in uſu frequentiori habent. Ex his panis aut rariſſime, aut nunquam tentatus, propter ariditatem & quia eſt ſumme friabilis.

In variolis & morbillis curandis cum decoctum Lentium paſſim apud Medicos Arabes maxime commendatum, etiam apud multos in uſum veniat, & ab aliis non imperitis Medicis damnetur, non abs re eſſe credidi, quid de earum uſu his in ægritudinibus ſentiendum ſit hic differere. Inter eos qui Lentium uſum in cura variolarum & morbillorum rationibus quibuſdam ſtabiliunt; cum primis elucet Avicenna qui *L.* 4. *ſect.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 10. Lentes excorticatas una cum aliis quibuſdam ſimplicibus, Lacca, Caricis, Tragacantho, & in principio ſtatim, cum ebullitio & effervescentia ſanguinis adhuc viget, & in progreſſu quando materia ad cutim abire incipit, uſurpat. Avicennam ſequuntur ex neotericis plurimi: Mercurialis *L.* 1. *de Morbis Pueror. c.* 2. Augenius *L.* 10. *de Febribus*, *c.* 9. Antonius Portus *L.* 4. *de Variolis ac Morbillis*, *c.* 22. Lazarus Riverius *Prax. Med. de Variolis & Morbill.* Liddelius *L.* 3. *de Febribus*, *c.* 9. Paræus *L.* 19. *c.* 2. Campilongus *L.* 1. *De Variolis*, *c.* 45. aliique multi: qui tamen in Lentium præparatione & exhibendi tempore inter ſe diſcordant. Etenim quidam eas offerunt in principio tantum, priuſquam variolæ ac morbilli erumpant; alii in augmento, ut eruptionem juvent; nonnulli decoctum dumtaxat propinant; aliqui etiam ſubſtantiam cum decocto porrigunt; rurſus quidam coctas cum cortice; alii cortice exutas præbent.

Commendant autem Lentes ob varias cauſas. Mercurialis eas dat, cum corpora laborant cachexia aquoſa; motus monito Galeni, quod habetur *L.* 1. *de Alimentor. facultatibus*, *c.* 18. ubi dicitur, Lentem in cibo utiliter iis ſolum offerri, quibus aquea in carnibus eſt cachexia: nimirum ut excrementitia humiditas conſumatur. At variolas & morbillos ab ichore aquoſo provenire Mercurialis aſſeverat. Verum acetum illis admiſcet ut craſſities Lentium incidatur atque attenuetur. Liddelius Lentes præbet ut inteſtina defendant: Campilongus ut materia expellatur ad cutem: Augenius non ſolum ut materia abeat ad cutem, ſed ut viſcera roborentur, calor febrilis mitigetur, alvus ſubducatur: Paræus utitur Lentibus, ut fauces, laryngem, aliaque interanea a poſtulis & alvi fluxu defendant: Antonius Porus & Lazarus Riverius *Prax. Med. de Variol. & Morbill.* Lentes offerunt, ut ſanguinis ebullitio primis diebus minuatur, interiora corroborentur, materia ad cutem protrudatur. Alii plurimi practici de Lentibus in variolarum curatione ne mentionem quidem faciunt, ut Vidius *L.* 6. *de Curatione generatim*, *cap.* 6. Fuchſius *L.* 5. *de Med. Morbill. c.* 9. Caſp. Hoffmann. *L. de Med. Offic.* S. Paulli *Quadr. Botan.*

At alii, ut Cardanus, *L.* 2. *De tuend. ſanit. c.* 12. Amatus Luſitanus,

*in L. 2. Dioscorid. enarration.* 101. Joann. Bapt. Sylvaticus *Controvers. Med.* 92. Ranchinus *Tract. de Morb. Pueror. Lib. 2. Cap.* 1. Ludov. Septalius *Animadversion. & caution. medicar. Lib. 5. de Febribus*; Melchior Sebizius *De Alimentis* a Lentibus plane abhorrent. Eas neque ut alimenta, neque ut medicamenta in variolis & morbillis, neque in pestilentibus morbis convenire pronuntiant. Non ut alimenta, quoniam ut supra ostendimus, stomachum gravant, ægre concoquuntur, pravum sanguinem generant, uno verbo naturæ molestæ sunt, eamdemque in expellenda variolarum materia faciunt tardiorem. Non etiam ut medicamenta conducunt; quia sanguinem incrassando, viasque per quas ad cutim meare tenetur, oppilando, variolarum & morbillorum eruptionem impediunt; quæ tamen omnibus modis promovenda est, jubente Avicenna, aut saltem non inhibenda; juxta Hippocratis *Aphor.* 20. *S.* 1. „ Quæ judicantur & judicata sunt perfecte, neque movere „ oportet, neque innovare, sive purgantibus, sive aliis irritamentis, „ sed sincere. Et *Aphor.* 21. *S.* 1. Quæ ducere oportet, quo maxime „ vergant, eo ducenda, per loca convenientia." Frustra vero proferunt Lentium defensores, eas adstrictione sua viscera roborare, & proinde expulsionem materiæ morbificæ ad emunctorium universale totius corporis, cutim nempe juvare. His respondemus, quod si aliquando viscera adstrictione & roboratione indigent, illud non efficiendum Lentibus, eduliis pravis & naturam gravantibus, sed aliis quæ meliora & naturæ magis amica sunt & id citra noxam præstare possunt, ut sunt radices Tormentillæ, Bistortæ, Pentaphylli, Contrayervæ, Rosæ rubræ, Corallia, &c.

Externe Lentes in cataplasmatis ad multa adhiberi solebant a veteribus. Hodie rarius adhibentur. Discutiunt & resolvunt. Lentium decoctum primum nonnullis variolarum pustulis adhibetur ad cutim laxandam, emolliendam, & pustularum suppurationem promovendam, earum ardorem & dolorem compescendum.

Lens palustris & Lenticula palustris, *Off.* Lenticula palustris vulgaris, *C. B. P.* 362. Lens palustris, *J. B.* 3. 784. *J. Raii Hist.* 117. Lens lacustris *Dod. Pempt.* 587. vulgo, *Lentille de eau ou de marais.*

Stagnantium aquarum incola eisdem innatat, veluti muscus quidam viridis, totam earum superficiem densissimo foliorum minimorum, inferne nigricantium, superne virentium, nitidorum, orbiculatorum, Lentisque modo compressorum, stipatu obtegens, quæ inter se capillamentis tenuissimis, & albis arcte revinciuntur, iisdemque ceu radicibus e limo adhærescente alimentum hauriunt. In lacubus, urbium fossis & aliis stagnantibus aquis innatans & late sæpe earum superficiem occupans reperitur. Flores & fructus, quibus carere videtur, nondum detecti sunt.

Analysi chymica, ex Lenticulæ palustris recentis ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, sapore & odore herbam virentem referentis, obscure subsalsi ℥vij. ʒij. gr. xxxvj. humoris limpidi, sapore herbaceo, subsalsi ℔j. ℥xij. gr. xxiiij. humoris limpidi, subsalsi & leviter alcali urinosi ℔ij. ℥vj. gr. xij. humoris fusci, empyreumatici, sale volatili urinoso copioso impraegnati ʒvij. salis volatilis urinosi concreti gr. xij. olei spissi syrupi ad instar ʒvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥ij. ʒv. quæ

rite

rite calcinata reliquit cinerum cærulescentium ℥ij. ʒiv. gr. xxxvj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒv. gr. xlviij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒij. gr. lx. in calcinatione ℥j. gr. xxxvj.

Lenticula palustris salem essentialem obtinet nitroso ammoniacalem cum oleo & multo phlegmate conjunctum.

Externe tantum usurpatur, incidit, resolvit, refrigerat, & dolores demulcet. Unde inflammationibus podagræ a causa calida, & ignibus sacris convenit sub forma cataplasmatis imposita. Ad hæmorrhoidum dolorem compescendum Lenticulæ palustris duo manipuli cum Myrrhæ pulveratæ semiuncia simul permixti in sacculo lineo includuntur, & liquore ex eodem sacculo stillante hæmorrhoides dolentes foventur.

J. Rajus pro secreto ad icterum infusionem Lentis palustris in vino albo per novem dies quotidie mane ad ℥vj. pro dosi haustam proponit.

Lenticula palustris hernias intestinorum in pueris admota agglutinare dicitur. Ea vescuntur anates magna cum voluptate.

## LEPIDIUM.

Lepidium duplex in Officinis usitatum, Lepidium vulgare, & Lepidium hortense sive Iberis.

Lepidium vulgare, *Off.* Lepidium latifolium, *C. B. P.* 97. *Inst. R. H.* 216. *J. Raii Hist.* 828. Lepidium Paulli, *J. B.* 2. 940. Lepidium Plinii, *Dodon. Pempt.* 716. Piperitis sive Lepidium vulgare, *Parkinson.* Raphanus sylvestris Officinarum, *Advers. Lobel. Icon.* 308. Raphanus sylvestris Officinarum, Lepidium Æginetæ Lobelio, *Gerard.* vulgo, *Passerage*.

Radix digitali crassitudine & major, albida, gustu acri, & calido, sed qui subito evanescit, sub terra reptat. Caules emittit plures, bicubitales, teretes, læves, medulla farctos, ramosos, minimo digito minores, glauco quodam polline, qui facile detergi potest obductos. Folia longa, lata, in acutum desinentia, mali Citriæ similia, sed sæpius majora, molliora, glabra, pinguia, obscurius virentia, per margines serrata, alternatim adnata: quæ e radice exeunt & in imo caule sunt pediculis longis suffulta. Flores in summis caulibus & ramulis pro plantæ proportione minimi, cruciformes, quatuor petalis candidis constantes, conferti & copiosi, pediculis tenuissimis insident: ex quorum calyce surgit pistillum, quod deinde abit in fructum minutissimum, compressum, lanceiformem, apice acuto, septo intermedio, cui valvæ adhærescunt, in duo loculamenta divisum, seminibusque fœtum exiguis, oblongis, rufis. Tota planta acri sapore donatur. In fluminis Matronæ insulis uberrime crescit. Radices & folia in usum veniunt.

Analysi chymica, ex totius plantæ florescentis, demptis radicibus, ℔v. per vaporarium distillatis prodierunt humoris limpidi, sapore leviter acri pungente, obscure salsi ℔j. ℥viij. humoris limpidi, obscure acidi ℔ij. ℥vj. ʒv. Massa residua per retortam distillata præbuit humoris rufescentis, leviter empyreumatici, tum subacidi, intense austeri, tum salsi ℥iij. ʒiv. humoris rufi, alcali urinosi, & sale volatili urinoso copioso prægnati, cum salis volatilis concreti granis aliquot ℥j. ʒvij. olei adiposi ℥ij.

℥ij. ʒv. gr. xviij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vj. ʒvj. quæ per horas octo in crucibulo calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiij. ex quibus salis fixi salsi ℥j. gr. xxiv. cum pauca terra talcosa, lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒiv. gran. liv. in calcinatione ℥iv. ʒiij.

Lepidii succus chartam cæruleam rubro colore tingit. Tota planta sapore donatur acri aromatico ad Piperis, & Sinapeos saporem accedente. C. Tournefortius salem ejus essentialem terræ foliatæ tartari haud dissimilem arbitratur. Hunc ego vitriolico-ammoniacalem censeo, cum oleo tenui acri & oleo crasso conjunctum.

Hæc planta viscidos corporis succos potenter incidit, hepatis & splenis obstructiones aperit & ab Ettmullero inter primaria antiscorbutica medicamenta numeratur, ejus folia pro acuendis aquis, spiritibus, & essentiis antiscorbuticis cœteris plantis antiscorbuticis adjungit. Cum spiritu vini ejus folia distillantur & essentialem præbent antiscorbuticam insignem. Præterea stomachicum est medicamentum egregium, quatenus pituitam viscidam ventriculi parietibus adhærentem incidit ac dividit. Folia jejuno ventriculo masticata languentem appetitum excitant, & ciborum concoctionem juvant. Hypochondriacis medetur affectionibus, quæ ab humoribus lentis ac viscidis in primis viis latitantibus dependent, eos incidendo, & abstergendo.

Coqui apud Danos, narrante S. Paulli Lepidii succum expressum aceto miscere solent vel ejus folia minutim concisa aceto inspergunt, ad intinctus carnium assatarum ex iis parandos.

Lepidii folia exsiccata, & pulverata ad ℥ß. ex vino sumpta quotidie mane jejuno ventriculo, urinas mire provocant & hydropicis conducunt.

Externe folia vel radices recentia cum butyro vel axungia trita ischiadicum dolorem levant. Inter rubefacientia medicamenta recensetur; cutim enim irritando & vellicando, sanguinem, spiritus & humores e profundo ad cutis subperficiem potenter attrahit.

Lepidium hortense, Iberis, *Off.* Lepidium gramineo folio, sive Iberis, *Inst. R. H.* 216. Iberioris latiore folio, *C. B. P.* 97. *Parkins.* & *Gerard. Emaculat.* Iberis, *J. B.* 2918. *Dod. Pempt.* 714. Lepidium hortense, *Anguillar.* Iberis cardamentica, *Adverf. Lobel.* vulgo, *Passerage sauvage*, *Cresson. sauvage*.

Statim radice alba, lignosa, mediocriter crassa, paucis fibris donata plures profert caules, dodrantales & altiores, duros, frequentibus alis concavos. Folia quidem prima longis pediculis appensa semiunciam lata, duas tresve uncias longa, per extremum serrata: superiora vero, & quæ in caulibus ramisque, Linariæ foliis paria, angusta, acuta, nullo pediculo donata, nec crena ulla incisa. Flores extremis ramulis coacervati hærent candidi, tetrapetali, cruciformes, prioris Lepidii similes sicut & fructus seminaque. Sapor omnibus plantæ partibus fervidus Nasturtii. In incultis ruderatis & secus vias in meridionalibus Galliæ regionibus frequens nascitur. Hìc in hortis colitur.

Iisdem principiis, virtutibusque cum priori convenit, & in ejus locum substitui potest. Commendatur potissimum ad dolorem ischiadicum. Radix recens contusa magna copia cum modica axungia, adhibetur toti cruri, & ma-

& maxime coxendici: finitur per quatuor horas, deinde aufertur, & crus in balneo ponitur post inungendum ex oleo & vino, ac demum tersa pinguedine & sudore, tegendum molli lana ut æger ambulet.

## LEVISTICUM.

Levisticum, Ligusticum foliis Apii, *Off.* Angelica montana perennis, Paludapii folio, *Inst. R. H.* 313. Ligusticum vulgare, an Libanotis fertilis Theophrasti, *C. B. P.* 137. Ligusticum vulgare, foliis Apii, *J. B.* 3. *P.* 2. 122. Levisticum vulgare *Dod. Pempt.* 311. *Gerard. Parkins. J. Raii Hist.* 437. Laserpitium, *Ang.* Hipposelinum Matthioli, *Lug.* 703. Smirnium, *Lacun.* Laserpitium Germanicum, *Lobel. Icon.* 703. vulgo, *Livesche* ou *Ache de montagne*.

Ab una radice grandi, torosa seu carnosa, restibili, foris nigricante, intus alba, plures non raro assurgunt ad hominis altitudinem proceri ac geniculati caules, crassi, interius inanes, striati, in ramulos nonnullos subinde divisi. Frondes pedales & ampliores, ex pluribus foliorum alis rursus divisorum constant, quorum extremæ divisiones ad folia Apii palustris aliquatenus accedunt, sed longe majores, marginibus incisæ, læves admodum ac resplendentes, obscure virentes, odore valido. Rami ut & summus caulis umbellas gerunt amplas florum rosaceorum, quinque petalis luteis ut plurimum constantium, in orbem positis, & insidentibus calyci qui deinde abit in fructum ex duobus seminibus compositum oblongis, crassiusculis, Apii semine majoribus, hinc gibbis, & striatis, inde vero planis, sordidi coloris. Tota stirps odorem fortem aromaticum, & medicamentosum spirat, sed semen graveolentius est. In hortis colitur. Tota planta in usum venit, sed præsertim semen & radix.

Analysi chymica Levistici radices, & semina plurimum olei tum tenuis essentialis, tum crassioris empyreumatici, humorem tum acidum, tum alcali urinosum, perparum salis volatilis urinosi concreti, & parum terræ præbuerunt. Saporem obtinent acrem aromaticum, subdulcem, odorem fragrantem non injucundum. Salem continet ammoniacalem multo oleo tenui & acri implicitum.

Levisticum alexipharmacum est, carminativum, diureticum, uterinum & vulnerarium. Nonnulli jubent radicem in aceto macerari, & masticari contra aerem infectum. Ventriculum roborat, ciborum concoctionem juvat, flatus discutit, viscidos humores attenuat, colicos dolores sedat; asthmati subvenit, hepatis & lienis obstructiones reserat, in ictero specifice laudatur, præprimis quando a bile viscidiore ortum habet. Cunctantibus a partu lochiis medetur fœtum mortuum & placentam retentam ejicit. Radix pulverata ad ʒß. vel ʒj. exhibetur. Semen iisdem pollet virtutibus, & a ℈j. ad ʒß. præscribitur. Forestus pro secreto habuit succum foliorum Levistici recentium in secundinis retentis: ad ℥iij. solum vel cum aqua Artemisiæ propinabat. Hyeme vero semen in aqua Artemisiæ ad ʒß. contusum & aliquantisper ebullitum præscribit, & colaturam propinat. Foliorum Levisti vires luculento exemplo a Gabelchovero comprobantur. Honestissima quædam matrona, cum ex terrore filii in venatione interfecti men-

cti menses subito sisterentur, folia tantum pauca Levistici comedit. Unde, cum antea insigni dolore lumborum & uteri torqueretur, statim dolor omnis fuit mitigatus. Inde quoties menstruæ purgationes sibi fuerunt suppressæ, iisdem usa est cum felici successu.

℞. Semin. Levistic. contus. ʒß. Contunde in folior. Levistici succi recenter expressi q. s. vel ℥iij. Macerentur per noctem. Fiat colatura mane propinanda ad retenta lochia.

℞. Rad. Levistici. ʒß. Rad. Mei, Zedoariæ, Zingiberis ana ʒij. Cinnamom. ʒjß. folior. Absinth. Meliss. ana M. j. cortic. Aurantior. Citrior. ana ℥ß. Affunde vini generosi q. s. ad eminentiam trium transvers. digitor. Digerantur per novem dies. Fiat colatura bis in die propinanda ad ℥iiij. in ictero a bile viscidiore.

Extrinsecus ejus usus est in balneis, cataplasmatibus utero, & ureteribus dicatis, in emplastris vulnerariis.

Semen, narrante Ettmullero, intro sumptum, vel solum vel cum aliis medicamentis mixtum urinam nigro colore tingere dicunt.

Radix usurpatur in syrupo de Artemisia *Fernelii*. Folia in Emplastro Diabotano D. Blondel. *Collect. pharm.*

## LICHEN.

DUæ sunt plantæ sub Lichenis nomine in officinis usitatæ. Lichen Petræus dictus sive Hepatica fontana, de quo sub nomine Hepaticæ jam actum est; & Lichen arboreus seu Pulmonaria arborea, de qua sermo est.

Lichen arboreus, Pulmonaria arborea, *Off.* Licheo arboreus sive Pulmonaria arborea, *J. B.* 3. 759. Muscus Pulmonarius, *C. B. P.* 361. *Lobel. Icon.* 248. *J. Raii Hist.* 116. Pulmonaria, *Dod. Pempt.* 474. *Tragi* 524. Pulmonaria fungosa, *Lugd.* vulgo, *Pulmonaire de Chene.*

Annosis Quercuum, Fagorum, Abietum, aliarumque sylvestrium arborum caudicibus innascuntur in opacis ac densis sylvis, Hepaticæ fontanæ similis, sed major per omnia, squamato foliorum sibi invicem multipliciter implicatorum incubitu, ineffabili laciniarum variatione, profundiorum quam in Hepatica, aridior, asperior, corii fere modo densus lentusque, tota forma pulmonem exsiccatum aliquo modo referens, qua arborum cortici hæret albicans, altera vero parte virens, sapore amaricante non sine adstrictione. Flores ejus fructusque nondum innotuerunt. Observatur etiam adhærens saxis coacervatis in umbrosis jacentibus. Qui Quercubus adhæret, vulgo colligitur, nonnulli tamen eum qui Abjetibus annosis adnascitur, Quercino anteponunt, ob resinosas quasdam partes quas a matre sua mutuari credunt. In sylvis San Germaniacis, & Fontis bellaquei reperitur.

Analysi chymica, ex Pulmonariæ quercinæ ℔v. per vaporarium distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore ingrato fungorum odorem referentis, obscure salsi ℥xij. gr. xlviij. Massa superstes per retortam distillata præbuit humorem rufescentem leviter empyreumaticum, obscure subsalsum, obscure subacidum & austerum ℥x. ʒj. humoris empyreumatici, rufi, obscure subsalsi, obscu-

obſcure acidi, impenſe auſteri ℥xiiij. gr. xxviij. humoris empyreumatici, rufeſcentis, urinoſi, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥j. ʒvij. gr. xxxvj. olei fluidi ℥vij. ʒj. gr. lx. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℔j. ℥v. ʒvij. Rara erat, levis & igniariam fungoſam materiam referebat qua ad ignem excitandum utuntur, vulgo, *Amadoue*, dictam. Hæc maſſa pruna candente accenſa paulatim (intra 10. horarum ſpatium) in cineres fuſcos redacta fuit, qui ℥v. pendebant. Cineres illi iterum in crucibulo per ſex horas calcinati leucophæi facti ſunt & ℥ij. ʒiiij. gr. xlviij. pondus reliquerunt: ex his ſalis fixi ſalſi ʒj. gr. xl. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥xij. ʒv. gr. xliiij. in calcinatione ℔j. ℥iij. ʒij. gr. xxiiij.

Lichen ſapore amaro adſtringente donatur. Salem eſſentialem obtinet vitriolico ammoniacalem multo oleo craſſo & terra implicitum.

Siccat & adſtringit: unde ſanguinem profluentem compeſcit, vulnera recentia glutinat, alvum ac menſes ſiſtit. Dodonæus refert paſtores & Mulo Medicos quoſdam hujus pulverem, addito ſale, utiliter ovibus & aliis pecoribus tuſſientibus & difficilius reſpirantibus exhibere. Prodeſſe hinc & hominibus poſſe crediderunt. Ad pulmonis ulcera ſanguiniſque ſputationem perquam utilis deprehenditur. Pulvis exhibetur ad ʒj. Decoctum vel infuſum ad ℥vj. Angli, narrante J. Raio, ad phthiſim & tabem eo utuntur non ſine ſucceſſu, confecto ex eo pulvere, ſyrupo; aut aqua diſtillata.

Lichenem qui Quercui innaſcitur in ictero omnium Medicorum ſolertiam eludente efficax remedium eſſe Jacobus Breynius ſcribit multis experimentis comprobatum, *In Ephemeridibus Germanicis ann. III. obſervat.* 290. & potiſſimum curatione cujuſdam matronæ Andreæ Golii mercatoris uxoris ictero pene biennium conflictatæ. Corpore prius purgato de hoc muſco accepit manipulum unum cum libra una cereviſiæ ſecundariæ. Hæc ſimul in olla rite occluſa ad dimidium decoxit: poſtea tredecim cochlearia tepida mane atque veſperi hauſit, & intra quinque aut ſex dierum ſpatium curata fuit.

♃. Pulmonar. arboreæ, folior. Tuſſilag. ana M. j. Liquir. raſ. & contuſ. ʒj. Coq. & bulliant in aq. comm. ℔jß. ad ℔j. Colaturæ adde ſyrup. de Hedera terreſtri ℥j. Dividatur in quatuor doſes quarta quaque hora propinandas. In hæmoptoe aut pulmonum exulceratione.

Externe Lichen exſiccatus & pulveratus vulneribus inſperſus ſanguinem ſiſtit.

## LIGUSTICUM.

Sub Liguſtici nomine duæ plantæ in officinis occurrunt, Liguſticum vulgare foliis Apii ſeu Leviſticum de quo jamjam egimus, & Liguſticum quod Seſeli, *Off.* de quo nunc agemus.

Liguſticum, Seſei & Siler montanum, *Off.* Liguſticum quod Seſeli officinarum, *C. B. P.* 162. Seſeli ſive Siler montanum, vulgare, *J. B.* 3. *P.* 2. 168. Siler montanum, *Dod. Pempt.* 310. Siler montanum officinarum, *Lobel. Gerard. J. Raii Hiſt.* 439. vulgo, *Liveſche*, *Seſeli commun*, *Sermontaine*.

Radix magna coma infimum caulem ornat, rugoſa, digitali craſſitudine, albi-

albida, odorata, in altum descendens. Caulis tenuis, geniculatus, ramosus, humanam superat altitudinem, caulem ramosque frondium pediculi palmares aut sesquipalmares amplectuntur, in alas oppositas divisi, quorum segmenta extrema, terna fere semper ab uno pediculo cohærent, Trifolii aut Meliloti foliorum instar, oblonga, latiuscula, mucrone leviter obtuso, nonnihil, si confricentur, odorata, umbellæ latæ, amplæ flores rosaceos proferunt quinque petalis constantes candidis, in orbem positis & insidentibus calyci qui abit in fructum oblongum ut Fœniculi sed longiorem & crassiorem, compositum ex duobus seminibus oblongis, hinc gibbis & sulcatis cum liris (*a*) veluti foliaceis, inde vero planis, sapore acri subamaro, aromatico veluti ex corticibus Aurantiorum & Cymino mixto. In meridionalibus Galliæ regionibus sponte nascitur. Hic colitur in hortis. Semen in usum venit.

Analysi chymica, Ligustici semen præter humorem tum acidum tum alcali urinosum, non mediocrem olei essentialis tenuis acris & olei crassi empyreumatici portionem præbet.

Humores crassos ac viscidos dividit, ciborum concoctionem juvat, flatus dissipat, urinam & menses promovet, doloribus post partum medetur, nephriticis subvenit, arenulas pellit. Pulvis ad ʒß. exhibetur, vel infusum in vino. Dauci & Seseleos Massiliensis seminibus substituitur quibuscum viribus convenit, sed inferioribus, utpote acrius & minus fragrans.

Ligustici semen usurpatur in Electuar. de baccis Lauri.

## LIGUSTRUM.

Ligustrum, *Off.* Ligustrum, *J. B.* I. 528. *Inst. R. H.* 596. & *J. Raii Histor.* 1603. Ligustrum Germanicum, *C. B. P.* 475. Phillyrea, *Dod. Pempt.* 775. vulgo, *Troesne*.

Frutex est arborescens, radices hinc inde per obliquum spargens, crebris virgis lentis & in ramos divisis constans, cortice cinereo obtectis, materie albida, dura. Folia bina adverso situ ex intervallis oriuntur, oblonga, angusta, figura ad Salicis folia quodammodo accedentia, sed breviora crassioraque, atrovirentia, lævia, nitentia, gustu acri & subamaro non sine adstrictione. Flores in ramorum summis profert, racematim congestos, monopetalos, infundibuliformes, in quatuor, quinque vel sex partes divisos, candidos, suaviter olentes, quorum in medio surgunt apices ex luteo herbidi & pistillum viride, quod abit in fructum seu baccam mollem, fere globosam, Juniperinis æqualem, lævem, initio virentem, per maturitatem nigricantem, succi plenam amari ac injucundi, quamvis nonnullis aliquid dulcedinis habere videatur, seminibusque fœtam ut plurimum quaternis hinc gibbis, inde compressis, cortice spadiceo, carne exalbida, digitorum levi pressu fragilem. In sylvis, vepretis & sepibus frequens nascitur. Frutex propter lenta & flexibilia vimina, surculosque densos, & folia hilare virentia ad topiarias scenas expetitur, quas non inelegantes convestit. Folia, flores, & fructus in usum medicum veniunt.

Analysi chymica, ex Ligustri florum ℔iiij. ℥v. per vaporarium distillatis pro die-

(*a*) *Lira* Sillon, crete ou arrete.

dierunt humoris primum odorati, obſcure ſubacidi, deinde inodori, manifeſte acidi, & ſubauſteri, ℔ij. ℥x. ʒiij. per retortam vero humoris tum acidi, ſubauſteri, tum ſalſi & alcali urinoſi ℥vij. ʒv. olei ſpiſſi ad inſtar ſyrupi ℥iiij. ʒvj. gr. xxxj. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥viij. ʒiij. quæ per 25. horas calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiij. gr. xij. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒiiij. extractæ ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v. ʒv. gr. xlj. in calcinatione ℥vij. gr. lx.

Ex Liguſtri ſummis ramulis folioſis virentibus & recentibus ad ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris primo limpidi inodori & inſipidi, deinde ſubruféſcentis & ſubacidi ℔j. ℥xiij. ʒv. gr. lxvj. humoris rufi, empyreumatici, impenſe auſteri ℔j. ʒvij. gr. xxxvj. humoris rufi tum impenſe acidi, auſteri, tum ſalſi, alcali urinoſi, ℥xij. olei ſpiſſi, aqua gravioris ℥iij. ʒiiij. gr. xxxvij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ix. ʒij. gr. xlij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥iij. gr. xxx. ex quibus ſalis fixi mere alcali gr. xliij. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥viij. ʒiij. gr. xxxv. in calcinatione ℥viij. ʒvij. gr. xij.

Liguſtri folia amara ſunt & ſtyptica, chartam cæruleam ſubrubram efficiunt: flores verò & fructus eamdem magis rubram reddunt. Salem eſſentialem tartareo-aluminoſum obtinent multo oleo implicitum. Idem ſal in floribus magis evolutus eſt & magis ad ammoniacum vergit, plus enim humoris urinoſi præbent: unde folia magis adſtringunt, flores vero magis abſtergunt.

Interne vix aut rariſſime in uſum veniunt. Succus tamen florum & foliorum ad ℥iiij. aut eorumdem decoctum ad ℥vj. vel octo commendantur a nonnullis adverſus hæmopthiſim, hæmorrhagias quaſcumque & album mulierum fluorem.

Externe utiliter uſurpantur in oris exulceratione, inflammatione & excoriatione faucium & uvulæ, uti contra ejus laxationem & procidentiam, item in aphthis exulceratis faucium & ulceribus gingivarum ſub gargariſmatis forma. In ſcorbutica gingivarum laxitate decoctum foliorum & florum cum aqua ferrariorum cum tantillo aluminis in ore detentum admodum juvat, necnon in pudendorum excoriationibus & ulcuſculis. Ettmullerus ad faucium excoriationes & ulcera, foliorum & florum decocto Rob nucum diluit, vel tincturam Bellidis & roſarum addit. Simon Paulli ad narium ulcuſcula ſequens medicamentum commendat.

♃. Aquar. ſtillatitiar. Liguſtri, Solani ana ℥j. Sacchar. candi ℈ß. Sacchar. ſaturni ℈j. Caphuræ gr. vij. Miſce. Abluatur ulcus.

♃. Decoct. folior. & flor. Liguſtr. ℥vii. Mellis roſati ℥j. ſp. Vitrioli guttas xx. Fiat gargariſma in faucium exulcerationibus, & aphthis.

*In Ephemeridibus German. ann. 4. append. p. 35.* referunt mulierem quamdam oleum parare ex floribus Liguſtri in vitro ſoli expoſitis cum olei olivarum tantillo, qui colliquati in balſamum vertebantur, quo in Italia magna fama utebatur ad ſcrophulas & ulcera quævis putrida.

LI-

# LILIUM.

Lilium candidum, *Off.* Lilium album, vulgare, *J. B.* 2. 685. *Inst. R. H.* 369. Lilium album, flore erecto & vulgare, *C. B. P.* 76. Lilium candidum, *Dodon. Pempt.* 197. Lilium album Gerardi, *J. Raii Histor.* 1109. Ambrosia sive Lilium album Nicandri, *Anguillar*: vulgo, *Lis blanc.*

Ex radice bulbosa, ex plurimis squamis carnosis simul unitis & axi affixis constante, & subtus fibris quibusdam donata, caulem surrigit rectum cubitalem & sesquicubitalem, singularem, teretem: cui ab imo ad summum adnata folia nullo pediculo, oblonga, & latiuscula, carnosa, lævia in herbaceo & diluto virore splendentia, versus summum caulem sensim minora & angustiora, odore carnem Vervecinam elixam, si digitis fricentur, quodammodo referentia. Flores in scapo serie quadam plures, non eodem tempore panduntur pulcri, candidi, odorati, senis, pinguibus repandis foliis campanam vel calathum quodammodo imitantes; quorum meditullium occupat pistillum longiusculum, trisulcum, ex albo viridans & stamina, foliis numero & colore paria, quibus apices insident crocei. Pistillum abit deinde in fructum oblongum, trigonum, in tria loculamenta divisum, seminibusque fœtum subrufis, quasi marginatis, gemina serie sibi incumbentibus. Succo lento & glutinoso folia, caules & bulbi redundant. Ad hortorum ornamentum, ob elegantiam formæ & suavitatem odoris eximiam apud nos colitur. In Syria sponte nasci dicitur. Flores & bulbi ad medicos usus adhibentur.

Analysi chymica, ex bulbis præter phlegma primo insipidum & inodorum, deinde subsalsum, empyreumaticum, tum acidum, tum alcali urinosum, nonnihil salis volatilis urinosi concreti, parum vero olei, salis fixi & terræ extractum fuit.

Ex floribus vero humor primum odoratus, deinde acidus & nonnihil subsalsus & urinosus subausterus extractus fuit: parum vero olei & salis fixi mere alcali.

Liliorum bulbi succo mucoso abundant: salem obtinent ammoniacalem multo phlegmate dilutum, & cum mediocri conjunctum portione olei quocum sal ille mucaginem constituit blandam, a qua vis eorum præcipua pendet. In floribus tenuior est mucosa illa substantia.

Liliorum floribus vis anodyna. Externe tantum, rarissime interne usurpantur. Dolores demulcent, digerunt & maturant; unde in cataplasmatis emollientibus, demulcentibus, maturantibus & suppurantibus nonnumquam adhibentur, necnon etiam in decoctis emollientibus pro clysteribus. Oleum in officinis ex floribus per insolationem paratum servatur. Dicitur oleum Liliorum vel Lirium, crinimum & susinum. Cavendum ne diutius flores in oleo relinquantur: cum enim tota planta turgeat succo mucagineo, facile putrescunt, & oleum jam redolet non Lilia, quæ prima bonitatis nota est, sed grave & fœtidum quid. Sufficit igitur triduum, quo exacto, alii imponantur flores, tum denique iterum alii. Sufficit enim tertium repetiisse. Illud oleum frequentissimi est usus in doloribus & tumoribus quibuscumque. Tensa remittit, dura emollit, dolores

ſedat. Speciatim ad uteri duritiem emolliendam commendatur. Digerit etiam, & maturat; unde in cataplaſmatibus emollientibus, aut maturantibus adjicitur ad conſiſtentiam ipſis conciliandam, vel pars affecta hoc oleo prius inungitur quam cataplaſma admoveatur.

Ex Liliorum floribus aqua odora per baln. mariæ diſtillatur. A nonnullis ad partum juvandum, & ſecundinas pellendas commendatur intus ſumpta. Ab aliis in pulmonum affectibus, aſthmate, & tuſſi præſcribitur. Sed frequentioris eſt uſus externi ad virguncularum faciei nitorem conciliandum, & maculas ejus detergendas. Ad id enim utilis eſt, ſi præſertim ſalis tartari tantillum in ea diſſolvatur.

Bulborum uſus internus nullus eſt, aut rariſſimus, externus frequentiſſimus cum ſit ex primariis emollientibus, maturantibus, & ſuppurantibus. Hic nullum fere cataplaſma ad abſceſſuum maturationem, & ſuppurationem promovendam conficitur cui recentes Liliorum alborum bulbi coctì non admiſceantur.

℞. Bulbos Lilior. albor. n. iiij. Radicum Althææ minutim inciſar. ℥iij. Folior. Malvæ, Althææ, Senecionis, violariæ, Parietar. & Brancæ urſinæ ana M. j. Coquantur ex arte in aq. comm. q. ſ. ad putrilaginem uſque; deinde contundantur in mortario marmoreo, & per cribrum trajiciantur. Pulpa ſecreta cum farinæ Lini, Fœnu-Græci, & olei Liliorum ana ℥iij. coq. igne lento aſſidue agitando ad debitam ſpiſſitudinem pro cataplaſmate emolliente, & maturante.

℞. Bulbos Lilior. albor. ſub cineribus coctos, & contuſos n. ij. Folior. Oxalidis M. ij. cum axungiæ porcinæ q. ſ. coctos ad debitam ſpiſſitudinem. Miſceantur pro cataplaſmate ſuppurante.

Nonnulli ad ambuſta commendant cataplaſma ex bulbis Liliorum ſub cinerem coctis, contuſis, & cum oleo nucum mixtis.

Guillelmus Goderus Eliſabethæ Reginæ Chirurgus, referente Gerardo, multos hydrope laborantes ſanavit bulborum Liliorum alborum ſucco cum farina hordacea mixta; pane ſcilicet ex iſtiuſmodi maſſa confecto, ægro per menſem aut ſex hebdomadas continuas exhibito: quo ſolo, & non alio pane per totum id tempus veſceretur.

Antheræ ſeu flavi ſtaminum apices a nonnullis laudantur ad menſes provocandos, ad partum accelerandum, fœtum mortuum rejiciendum & ſecundinas pellendas. Pulveratæ propinantur cum croco, & aliis in aqua Verbenæ. Artemiſiæ aut quocumque alio vehiculo idoneo. De qua tamen efficacia Ettmullerus valde dubitat.

Oleum Liliorum uſurpatur in emplaſtro de mucaginibus, & emplaſtro de Ranis cum Mercurio *Ph. Reg.*

## LILIUM CONVALLIUM.

Lilium convallium, *Off.* Lilium convallium album, *C. B. P.* 304. *Inſt. R. H.* 77. Lilium convallium vulgo, *J. B.* 3. 531. Lilium convallium. *Dodon. Pempt.* 205. *Gerard. J. R. Hiſt.* 667. Lilium convallium flore albo, *Parkins*: Lilium convallium vel vernum Theophraſti, *Adv. Lobel*: Ephemerum non letale, *Fuchs*: Gallionymus Chamæcitinus, *Geſneri*: vulgo, *Muguet ou Lys des vallées*.

Radice tenui, alba, fibrata repit summæ telluri inhærens: folia profert bina ternave, ex oblonga forma in acumen ducta, sesquipalmaria, duas uncias lata, nitida, læte virentia, nervosa, quæ sub basi convoluta sese excipiunt. Hæc inter caulis assurgit spithameus, gracilis, angulosus, nudus; a cujus medio ad summum longa serie flores per intervalla nascuntur in unam fere partem vergentes, brevibus pediculis pendulis, & nutantes, monopetali, campaniformes, candidi, odorem suavissimum spirantes, & in quinque vel sex segmenta divisi, cum totidem staminibus ex herbido luteis, fundo adnatis, & pistillo triquetro, quod abit in fructum sphæricum, mollem, rubrum, pulpa plenum, & seminibus fœtum duris quasi corneis, & amaricantibus. Nascitur in sepibus, & dumetis umbrosis, & fruticosis. Flores in usum veniunt, rarissime radices.

Analysi chymica, ex florum recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odorem florum referentis, obscure subsalsi, obscure alcali, & obscure subacidi ℔j. ℥xij. ʒvij. gr. xx. humoris limpidi, manifeste acidi magis ac magis impense, austeri ℔ij. ℥vj. ʒv. gr. lvij. humoris rufi, empyreumatici; impense acidi, subsalsi, alcalini, urinosi, & impense austeri ℥j. ʒvij. gr. l. humoris rufi, expyreumatici, & sale volatili urinoso copioso imprægnati ℥j. gr. xvij. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gr. x. olei adiposi ℥ij. ʒiij. gr. iiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. ʒiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gr. xvj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒv. extractæ sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥vj. ʒvj. gr. lviij. in calcinatione ℥iij. ʒij. gr. lvj.

Flores Lilii convallium odorem fragrantem, & suavissimum spirant; saporem referunt amaricantem: exsiccati vero, pulverati, & naribus immissi pituitariam membranam adeo stimulant ut sternutamenta plurima excitent. Licet flores illi valde odorati sint, Ettmullerus observat odoras eorum particulas in oleum essentiale nulla arte redigi posse. Observat insuper flores simplici distillatione absque prævia fermentatione phlegma præbere minus odorum quam si prius fermentati fuerint. Nam post fermentationem spirituosum liquorem fundunt subtilem, fragrantem. Quin etiam odorem suum magis expandunt, eodem notante, si recenter collecti in spiritu vini rectificatissimo macerentur, & distillentur. Ex his, & ex analysi instituta concludendum est hos flores salem essentialem vitriolico-ammoniacalem obtinere cum multo oleo acri, & spisso conjunctum: sed præterea inesse magnam copiam olei tenuioris, fragrantis, & summe volatilis, quod quidem in simplici distillatione pro majori parte avolat, & phlegmate coerceri nequit, quod contra cum spiritu vini facillime coadunatur, aut quod cum oleosis crassioribus eorumdem florum partibus fermentatione evolutis, & attenuatis consociatum remanet, & cum iisdem spiritum ardentem constituit odoratissimum.

Lilii convallium flores inter cephalica medicamenta, & nervina primas tenent. In apoplexia, epilepsia, vertigine, convulsionibus, paralysi, catharris & aliis frigidis capitis morbis utiles habentur. Nerveas enim fibras laxas nimis, & flaccidas firmant ac roborant, earum oscillationes blanda vellicatione vividiores reddunt, & cerebri tonum restituunt, spirituumque motum tardiorem aut interruptum suscitant, tum interne,

tum

rum externe adhibiti. Eorum pulvis ad ℨj. aut conditum ad ℥ß. exhibetur. Vel ex his distillatis aqua simplex, & spirituosa præparantur. Aqua simplex distillata ex floribus recentibus, & rore matutino adhuc madidis per vaporarium extrahitur, & novis affunditur floribus ac distillatur, quod toties repeti debet, donec aqua obtineatur fragrantissima, quæ servatur pro vehiculo medicamentorum cephalicorum, & debilioris est efficaciæ. Spiritus vero plurimum commendatur adversus easdem affectiones quibus flores conveniunt. Duplici modo conficitur. Flores recenter collecti in spiritu vini immerguntur, & in vaporario blando calore distillantur. Spiritus inde distillatus novis floribus affunditur, & iterum distillatur, idque ter quaterve reiterando, sic obtinetur spiritus valde laudabilis. Alii flores ad fermentandum in vase clauso committunt donec odorem vinosum penetrantem acquirant, & spirituosum liquorem inde distillant novis floribus affundendum, & absque fermentatione distillandum. Aqua distillata ad ℥iiij. spiritus ad ℥j. exhibentur. Cum eodem spiritu Ambræ griseæ affuso fit tinctura sive essentia Ambræ quæ in omnibus virium defectionibus, subitaneis cerebri affectibus plurimum commendatur: necnon inter aphrodisiaca præstantiora recensetur.

S. Paulli commendat tincturam Castorei cum spiritu Liliorum convallium paratam adversus paralysim, si ea spina dorsi a nucha ad coccygis os usque inungatur, necnon etiam enormes cessasse puerorum epilepsias asserit spinæ admotis linteis hac tinctura madentibus.

Idem Simon Paulli monet in affectionibus cerebri inflammatoriis ab horumce spirituum usu interno abstinendum esse, ne, ut ait, camino infundi oleum videatur.

Camerarius floribus vas vitreum angusti orificii replet, & rite obturatum, in acervum formicarum per mensem recondit. Putrefactione colliquescunt. Liquorem inde collectum instar olei sedandis doloribus podagricis, ischiadicis, & similibus affectibus exterius adhibitum perutilem asserit.

In Germania alicubi conficiunt ex floribus per æstatem siccatis vinum vindemiarum tempore, ipsos calcatis uvis admiscentes, quo postea utuntur ad eosdem affectus quibus aqua, & spiritus conveniunt.

Externe flores exsiccati, & pulverati inter errhina, & sternutatoria blanda adhibentur. Fit quoque e radice pulverata blandum sternutatorium sed minus usitatum.

℞. Flor. Cyani ℥iiij. Florum Consolidæ regalis specierum colore diversarum, florum Pæoniæ, Balaustiorum, & Rosar. ana ℥iij. Flor. Calendulæ, Anthor. Rosar. ana ℥ij. Florum Lilior. convallium radic. Calami aromat. Florum Caryoph. hortens. ana ℥j. Omnia rite in umbra exsiccata, & minutissime concisa misceantur, & fiat pulvis sternutatorius colorum varietate elegantissimus.

℞. Flor. Lilior. convall. exsiccator. folior. Betonic. Majoranæ exsiccator. ana ℨij. Rad. Irid. Florentin. ℨjß. Caryophyllor. aromaticor. ℈ß. M. F. pulvis crassiusculus pro errhino summis digitis per vices naribus attrahendo. Cui addi possunt Nicotian. pulv. ℨj. Hellebori alb. & Zingiber. ana ℨß. si cerebrum potentius succutiendum sit in apoplecticis, & soporosis affectionibus.

 ℞. Pul-

℞. Pulver. de Gutteta ʒj. syrup. Stœchad. & sp. Lilior. convall. ana ℥j. Aquar. Flor. Lilior. convall. & flor. Tiliæ arbor. ana ℥iij. Tinctur. Castor. gutt. xx. Spiritus cornu cerv. Succinati ʒj. M. F. potio cochleatim sumenda in convulsionibus spasmodicis, & hystericis affectionibus.

℞. Conserv. flor. Lilior. convall. flor. Salv. & Roris-marin. ana ℥ß. Pulver. Milleped. & Viperar. ana ʒij. Rad. Valerian. sylvestr. & Seminis Eruc. pulv. ana ʒiij. Syrup. de Hyssop. q. s. M. F. electuar. Dosis ʒj. bis in die, in paralysi incipiente.

Flores Lilii convall. usurpantur in pulvere antiepileptico *Ph. Reg.* in pulvere sternutatorio, & cephalico *ejusdem*.

## LINARIA.

Linaria, & Linaria lutea vulgaris, *Off.* Linaria vulgaris, lutea, flore majore, *C. B. P.* 212. *Inst. R. H.* 170. Linaria lutea vulgaris, *J. B.* 3. 456. *J. Raii Hist.* 752. vulgaris nostras *Parkins*: Linaria prima, *Dodon. Pempt.* 183. Osyris, *Matthiol. Fuchs*: Osyris major, *Tabern. Icon.* 826. vulgo, *Linaire* ou *Lin sauvage*.

Radicibus albis, duris, lignosis, sub terra reptando immensam se propagat, si locus suppetat. Caules ex eadem radice plures surrigit pedales aut cubitales, rotundos, glabros, glaucos, summa parte ramosos, foliis vestitos crebris, nullo ordine positis, angustis, acutis, Pityusæ similibus, adeo ut nisi lac deesset, difficile foret distinguere, antequam floreat planta. Flores in summis caulibus, & ramulis velut in spicas aut thyrsos digesti, singuli pediculis brevibus e foliorum alis egressis insident monopetali, anomali, personati, lutei, posterius in caudam seu calcar aut corniculum oblongum, acutum Consolidæ regalis in modum producti, quo ab Antirrhini floribus differunt, quibus alias persimiles sunt, anterius in duo labia divisi, quorum superius in duas velut auriculas dividitur, inferius vero trifariam secatur. Ex calyce autem parvo, & quinquepartito surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum bicapsularem, seu testam subrotundam, septo intermedio in duo loculamenta divisam, & per maturitatem in duas carinas dehiscentem, seminibusque fœtam compressis, orbiculatis, marginatis, nigris. Sapor plantæ amariusculus, & subacris. In arvis, ad agrorum margines, & in pascuis sterilioribus frequens occurrit. Herba integra in usum venit.

Analysi chymica, ex Linariæ floridæ ℔v. per vaporarium distillatis prodierunt humoris limpidi, saporis herbacei, obscure subacidi ℔j. ℥ij. ʒvj. humoris limpidi, manifeste acidi, obscure subausteri ℔ij. ℥iij. ʒvij. residua massa per retortam distillata præbuit humoris empyreumatici, tum acidi austeri, tum leviter alcali urinosi ℥v. ʒij. gran. xiiij. humoris rufi, sale volatili urinoso imprægnati ʒv. gran. l. olei adiposi ℥iij. ʒiiij. gran. xliiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒiiij. gran. xij. quæ per 18. horas calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒiij. gran. xij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥viij. ʒij. xxiiij. in calcinatione ℥v. ʒvj. gr. xij.

Li-

Linara herbaceum, ſubſalſum, amariuſculum ſaporem refert: inter digitos contrita Sambuci odorem ſpirat, charta cœrulea a foliorum ſucco non mutatur, verum a florum humore rubens efficitur. Salem ſalſum tartareum nonnihil vitriolicum obtinet mediocri terræ portione implicitum & cum oleo craſſo oleorum fœtidorum diſtillatorum ſimili & copioſo conjunctum & involutum. Sal ille magis explicitus eſt in floribus quam in foliis.

Hæc planta ratione olei ſui potenter reſolvit, emollit, ac demulcet. Sanguinem, lympham aut alios ſuccos intra tenuiora vaſa concretos, vel inter partium fibras effuſos, ſtagnantes & inſpiſſatos dividit, eorum acrimoniam demulcet, ſalina eorum ſpicula involvendo, nimis tenſas partium fibras laxando dolores ſedat.

Ad internum uſum raro uſurpatur. Alvi turbatrix eſt, auctore Trago. Urinam tam potenter pellit, ut inde *Harnkrant* Germanis, Botanicis quibuſdam urinalis & urinaria dicatur. Aquæ ex Linaria diſtillatæ hauſtulum cum ʒj. corticis Ebuli exſiccati & in pulverem tenuiſſimum redacti, idem Tragus potentiſſime urinam pellere aſſerit, uſque adeo ut ſolis hydropicis ſit propinandum. Eadem aqua diſtillata ac pota alvum laxat, ſudores movet, jecur obſtructionibus liberat, morbum diſcutit regium, adverſus quem herbæ decoctum ex vino paratum in primis facit, notante eodem auctore. Nonnulli, referente Simone Paulli, ad diſſolvendum illorum ſanguinem, qui ex alto deciderunt, illius decoctum propinant.

Externe Linaria inſigne eſt anodynum medicamentum, quo vix præſtantius ad hæmorrhoidum cœcarum dolores mitigandos datur & ab omnibus laudatur quocumque modo adhibita: nimirum ſi Linaria integra, vel flores ejus, vel ſola, vel cum Camomilla aut Verbaſci floribus coquatur in lacte quo pars dolens foveatur, vel ſi recentes hæ plantæ contundantur & cataplaſmatis in modum applicentur.

Magnopere celebratur unguentum vel linimentum de Linaria in hæmorrhoidibus dolentibus, ſi e Linaria recenti florida cum axungia porcina aut butyro non ſalito, in mortario plumbeo contuſis & cum pauca camphora fiat cataplaſma vel unguentum. Alii Linariam virentem cum floribus cum adipe porcino decoquunt, quouſque adeps valde vireſcat, fiatque unguentum, cui expreſſo & refrigerato applicationis tempore vitellus ovi admiſcetur. A nonnullis hoc unguentum præſtantius habetur, ſi prius in adipe ſuillo aſelli aut ſcarabæi decoquantur.

Linaria, ſuccus ejus aut aqua diſtillata quævis ulcera mundant, cujuſmodi ſunt cancer aut fiſtulæ, & eryſipelatis medentur, linteolis impoſita, aut ſi aqua aut ſucco loci affecti colluantur.

Idem ſuccus maculas & vitia faciei emendat; quare a mulierculis quibuſdam expetitur. Aqua diſtillata oculis indita eorum ruborem & inflammationem tollit.

Sunt qui herbam hanc intra calceos plantis pedum ſupponunt ad febrem quartanam abigendam.

## LINGUA CERVINA.

Lingua cervina, Phyllitis, Scolopendrium vulgare, Scolopendria vulgaris, *Off.* Lingua cervina officinarum, *C. B. P.* 353. & *Inst. R. H.* 544. Phyllitis sive Lingua cervina vulgi, *J. B.* 3. 756. Phyllitis vulgaris, *Clus. Hist.* 213. Phyllitis Gerardi, *J. Raii Hist.* 134. Scolopendrium. *Brunsfels*: Scolopendria vulgaris, *Tragi* 549. vulgo, *Langue de Cerf* ou *Scolopendre vulgaire*.

E capillaribus radicibus nigricantibus, numerosis, implicitis, cum foliorum vestigiis connexis, folia fundit dodrantalia aut sesquidodrantalia, duas uncias lata, in principio aurita, acuminata in extremo, læte virentia, glabra, & pediculo palmari insidentia in costam mediam abeunti. Floribus carere videtur; at capsulas plurimas profert in sulcis semiuncialibus aut majoribus foliaceis qui occurrunt in foliorum dorso primum virentes, per maturitatem rufi, dum nempe rumpuntur & capsulæ membranaceæ rufæ sese exerunt. Minutissimæ quidem sunt hæ capsulæ: sed ope microscopii facile percipiuntur. Singulæ annulo elastica vi donato muniuntur, cujus contractione vel exsiccatione rumpuntur, semenque pulverulentum & copiosum quod continent hac illac ejaculant. Nascitur in puteis & fontibus inter lapidum commissuras, & in rupibus udis ac umbrosis. Herba integra usitata est.

Analysi chymica, ex foliorum recentium Linguæ cervinæ ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori, sapore subacri, obscure subacidi ℔j. ℥viij. gr. lx. humoris magis, ac magis acidi manifeste, deinde magis ac magis austeri ℔iij. ℥iij. gr. xxxvj. humoris rufescentis, tum acidi austeri, tum sale volatili urinoso impraegnati ℥ij. ʒvj. olei adiposi ℥j. ʒvj. gr. xij. Massa nigra residua pendebat ℥vij. ʒv. gr. xxxv. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. xlviij. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. gr. iiij. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒiij. in calcinatione ℥v. ʒvj. gr. xxiiij.

Planta sapore acerbo donatur & odorem nonnihil graveolentem herbaceum spirat. Salem essentialem obtinet vitriolico tartareum ad salem mirabilem Glauberi accedentem cum multo oleo spisso bituminoso & pauca terra adstringente conjunctum.

Lingua cervina siccat & adstringit. Adstrictione sua viscerum tonum firmat & roborat: unde in eorum obstructionibus plurimum commendatur, & lieni tumido potissimum dicatur, cujus intumescentiam minuere dicunt. Insuper sale suo salso digestivo spissos humores & concretos dissolvit, obstructiones reserat, & oleo bituminoso non solum sulphurea concreta discutit, sed humorum acrimoniam nonnihil demulcet, salium spicula irretiendo. In morbis chronicis & affectionibus hypochondriacis admodum utilis est. Alvi profluvia sistit; sanguinis expuitioni medetur: necnon etiam thoracicis quibusdam affectionibus succurrit, laxiorem pulmonis tonum firmando, & ejus glandularum infarctum discutiendo. Extrinsecus vulnera & ulcera mundificat & exsiccat. Cum aliis plantis Capillaribus consociari solet, quæ sunt Polytrichum seu Trichomanes, Capillus veneris, Adiantum vulgare, Salvia vitæ seu Ruta muraria, Asplenium seu Ceterach. In decoctis & jusculis aperientibus, thoracicis &

vul-

vulnerariis usurpatur. In Germania, referente S. Paulli, cerevisia Phyllitide condita toto anno omni die usurpatur ad tumidos lienes & hypochondriacos affectus.

In incipientibus hepatis & lienis obstructionibus, vel etiam in pulmonum infarctu hujus plantæ infusum in aqua tepida utiliter pro potu solito præscribitur. Ad obstructiones potentius discutiendas & resolvendas sales digestivi ut Tartarum vitriolatum, Tartarum solubile, Nitrum &c. ipsi consociantur: & præstantius adhuc ejus decoctum vel infusum censetur quod cum aqua ferrariorum præparatur, seu in aqua ferrum candens sæpius extinctum fuit.

℞. Radic. Polypod. & Cichor. Sylvestr. ana ℥j. corticum Capparis & Tamarisci ana ℥ß. Coq. in aq. comm. ℔iiij. ad ℔iij. Tum adde folior. Scolopendr. Asplen. seu Ceterach, Agrimon. Hepaticæ & Taraxaci ana M. j. florum Calendulæ & Keiri ana pug. ij. Coquantur per quadrantem horæ. Colatura dissolve Tartar. vitriolati ʒij. Syrup. de 5. rad. aper. ℥iij. F. apozema in sex doses distribuendum in viscerum obstructionibus.

Pulvis herbæ exsiccatæ ad ʒj. aut alteram exhibetur: in hepatis obstructionibus, in palpitatione cordis, in suffocatione uterina, in motibus convulsivis mira præstat, affirmante J. Rajo, si in cerevisia tenui, aut Zythogalo seu liquore Posseti Anglis dicto, modica ejus quantitas propinetur. Potest & e foliis virentibus conserva cum saccharo ad hos usus parari.

## L I N U M.

Linum duplex ad usum medicum usurpatur, scilicet Linum sativum & Linum catharticum.

Linum, Linum sativum, Linum vulgare, *Off.* Linum sativum, *C. B. P.* 214. *Inst. R. H.* 339. *Gerard. Emaculati J. Raii Hist.* 1072. Linum, *J. B.* 3. 450. Linum sativum vulgare cœruleum, *Lobel. Icon.* 412. vulgo, *Lin.*

Tenui radicula nititur, paucis fibris donata: caule tereti assurgit, ut plurimum simplici, inani, tenui, glabro, cubitum aut sesquicubitum alto, alis circa summum ramoso, qui contritus in plurima abit filamenta: folia profert acuminata, culmum lata, uncias duas plus minus longa, alternatim aut potius nullo ordine cauli apposita, mollia, glabra. Flores in summis virgis nascuntur speciosi, cœrulei, pediculis tenuibus longiusculis insidentes, admodum caduci, caryophyllæi, quinque petalis constantes, extremo subrotundis, striatis, ex calycibus pentaphyllis & quasi tubulatis emergentibus. Pistillum ex eodem calyce surgit, abitque deinde in fructum fere globosum, leviter acuminatum, Ciceris magnitudine, ex pluribus capsulis compositum introrsum dehiscentibus, semine fœtis depresso, fere ovato, hinc obtuso, inde vero acuto, lævi, glabro, splendente, ex fulvo colore punicante. In agris seritur. Semen potissimum in medicum usum venit: sed planta ad innumeros usus mechanicos præparatur & usurpatur.

Analysi chymica, ex seminum Lini ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, sapore fere insipido, obscure subsalsi, & aliquantisper alcali ℥iij. ʒv. humoris limpidi, obscure subacidi ℥iij. ʒv. gr. xxxvj. humoris limpidi, subacidi, austeri ℥iij. ʒij. gr. xxxvj. humoris limpidi, rufi, empyreumatici, tum alcali urinosi, tum impense acidi austeri ℥xj. ʒv. olei fluidi, rufi ℔j. ℥v. ʒiij. gr. xxxvj. Massa nigra in retorta residua pendebat ℔j. ℥iij. ʒij. gr. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥iiij. ʒvj. gr. xxxvj. ex quibus salis fixi salsi talcosi ʒj. lixivio extracta fuit. Partium jactura in distillatione fuit ℔j. ℥j. in calcinatione ℥xiij. ʒiiij.

Lini semen in aqua maceratum plurimum mucaginis præbet. Salem obtinet essentialem vitriolico-ammoniacalem cum multa terra & oleo copioso conjunctum, quibuscum blandam constituit mucaginem, a qua præcipua ejus vis demulcens & emolliens pendet.

Lini semen tusum, melli adjectum, & frixum rusticis Asiaticis in frequenti cibo fuit. Quoquo tamen modo apparatum vix suave est & salutare; stomacho enim adversatur, flatuosum est, ægre concoquitur, & pravum succum gignit. Quod paucis abhinc annis Middleburgi in Zelandia, inquit Tragus, animadverti potuit, cum propter frumenti aliarumque frugum inopiam plerique ex civibus pane & cibis ex hoc coctis vescerentur. Distenta enim his valde cito hypochondria fuerunt, & facies, aliæque partes tumidæ factæ: quorum non pauci sic affecti mortui sunt. In Gallia esculentum non est, neque his in regionibus ubi laute vivitur.

Semen Lini ob mucilaginem temperatam, anodynam, acrimoniam humorum demulcentem, in ptisanis & apozematibus demulcentibus, sæpius præscribitur, præsertim in urinæ ardore & difficultate; urinæ enim sales acres muco suo involvit & demulcet, vesicæ mucum deficientem restituit, ejusque membranas ab urinæ acrimonia defendit. Observandum est ne nimis glutinosi sint & mucosi potus ex semine Lini parati; tunc enim ventriculum gravant & nauseam sæpe movent. Quapropter illud semen ebullitioni non committitur, sed post ebullitionem decoctis adhuc calidis infunditur & quidem parva quantitate. Usurpatur quoque utiliter semen Lini in decoctis emollientibus, anodynis & carminantibus pro clysteribus adversus ventris tormina, dysenteriam, tenesmum, & viscerum inflammationem.

Aqua in qua semen Lini per aliquot horas maceratum fuit, in urinæ ardore, suppressione, difficultate, nephritide, & adversus arenulas & calculum utiliter pro potu solito præscribitur.

♃. Radic. Gramin. contusæ & minutim sectæ M. j. Bulliat. in aq. com. ℔iiij. ad ℔iij. Decocto calenti adde sem. Lini pug. j. Maceretur, donec omnino refrigeratum sit decoctum tunc percolandum & servandum pro potu solito. In renum & vesicæ inflammatione, urinæ difficultate, nephritide, calculo, &c. Vel

♃. Rad. Nenuphar. ℥j. Gramin. M. j. Liquir. ras. & contus. ʒj. Bull. in aq. comm. ℔iiij. per quadrantem horæ. Decocto ab igne remoto & calenti adde rad. Althææ taleolatim sectæ, ℥ß. semin. Lin. pug. j. Decoctum refrigeratum coletur pro potu solito.

Fa-

Farina Lini potenter resolvit, emollit & maturat, quare in fomentis, & cataplasmatibus emollientibus, & maturantibus frequenter adhibetur sola vel cum Fœnugræci farina. Ex eo semine mucilago uberrima diuturna ejus maceratione & coctione in aqua, ac forti expressione extrahitur, quæ cataplasmatis in modum applicata inflammationes compescit, dolores sedat, tumores emollit & resolvit.

Oleum ex semine trito & torculari expresso extrahitur multis affectionibus perutile: Interne quidem temperat, alvum ciet, tusim sedat, relaxat, expectorationem promovet: & primario ceu singulare specificum mire commendatur contra pleuritidem, si nempe ad aliquot uncias, duas, tres, quatuorve propinetur, quod quarta vel sexta hora repetitur, donec æger insigne levamen perceperit. Colicos dolores eodem modo exhibitum mire compescit & in contumacissimis alvi obstructionibus, contra volvulum, & passionem iliacam imminentem plurimum valet epotum aut ad ℥viij. sub clysteris forma susceptum. In hœmopthoe utiliter quoque præscribitur: non solum enim tusim sedat, sed vi sua balsamica & emplastica partes affectas consolidat. Observandum est, ut hoc oleum recens sit & dulcis saporis. Inveteratum enim, ingratum est propter rancorem, & nauseam excitat. Si recens obtineri nequeat, ejus rancor & sapor ingratus tollitur illud cum aqua tepida in ampulla vitrea diu conquassando & aquam identidem mutando donec nullus sapor, & odor ingratus supersit.

Externe illitum dolores demulcet, durities emollit, nervorum tensiones contractionesque laxat. Ad hæmorrhoides dolentes a nonnullis valde prædicatur. Cataplasmatibus & linimentis emollientibus & resolventibus utiliter admiscetur.

℞. Rad. Althææ, bulbor. Lilior. ana ℥ij. fol. Althææ, Malv. Violar. Parietar. ana M. j. semin. Lini & Fœnugr. contusor. ana ℥j. Caricas ping. n. xij. flor. Camomill. & Meliloti ana p. ij. F. decoctum ad putrilaginem cum aq. q. s. Omnibus contusis & per setaceum trajectis ad unguenti de Alhæa ℥ij. olei Lini ℥j. Fiat cataplasma emolliens, resolvens, & maturans.

℞. Rad. Alth. Brion. Sigill. Salomon. & Lilior albor. ana ℥j. folior. Malv. Parietar. ana M. j. semin. Lin. & Fœnugr. ana ℥ß. flor. Melilot. M. j. Coquantur in q. s. aq. Colatura servetur pro fotu emolliente instituendo calide cum linteis quadruplicatis vel pannis laneis dicto liquore imbutis, leviter expressis & mutatis, quoties frigescere incipient.

℞. Farin. sem. Lin. ℥viij. Fœnugr. & Cymin. ana ℥iiij. Mell. ℥ij. ol. Lin. q. s. M. F. cataplasma lateri dolenti calens applicandum in pleuritide & lateris dolore punctorio: potenter resolvit & discutit.

℞. Vitellos ovor. recentium n. ij. Sacch. albi ℥j. olei Lini q. s. M. diligenter agitando. Fiat linimentum quo hæmorrhoides dolentes inungantur.

℞. Vitellos ovi ad duritiem coctos n. iv. olei Succini ℈ij. Theriaces Androm. ℥ß. olei Lini q. s. Fiat cataplasma hæmorrhoidale.

Nonnulli oleum hoc Lini cum calce viva mixtum ex retorta distillant, & oleum obtinent subtilissimum & penetrantissimum quod paralysi medetur.

Semen Lini usurpatur in syrupo de Prassio *Mesuæ*, in lohoch sano & experto *ejusdem*, Unguento de Althæa *Nicol. Alexandr.* Mundificativo de

Re-

Resina *Jouberti*, Emplastro Diachylo magno, & Emplastro de mucaginibus.

Oleum Lini expressum ad multos usus mechanicos, a pictoribus, & aliis artificibus expetitur.

Cœterum mirum est ex tam parvo semine nasci avenam adeo gracilem & pusillam, quæ tusa præparata, & in mollitiem lanæ coacta in filamenta producitur, in telas texitur, & in chartas compingitur usus immensi, unicuique noti nec satis mirandi.

Linum catharticum, *Off.* Linum pratense, floribus exiguis, *C. B. P.* 214. *Inst. R. H.* 340. Alsine verna, glabra, flosculis albis vel potius Linum minimum, *J. B.* 3. 455. Linum sylvestre catharticum Gerar. Emac. *J. Raii Histor.* 1076. Chamœlinum Clusii flore albo, sive Linum sylvestre catharticum, *Parkinf.* vulgo, *Lin sauvage purgatif.*

E radicula tenui, alba, lignosa, fibrillis aliquot donata, cauliculos emittit nonnihil reptantes, mox humo ad palmum & altius se attollentes, tenues, rotundos, rubentes, fastigio sursum ramoso, nutante. Folia infima mucrone obtuso & subrotunda sunt, superiora, quæ in caulibus bina opposita, crebra, exigua, semiunciam longa, culmum lata, glabra, absque pediculis adnata. Flores pediculis longis, tenuibus insident albi, caryophyllæi, pentapetali, petalis acutis, minime bifidis, cum apicibus totidem in medio luteis, e calyce pentaphyllo. Capsulæ seminales succedunt Lini similes, parvæ, canaliculatæ, in quibus semen lucidum, lubricum, compressum & oblongum Lini simile. Sapor totius plantæ amarus, & nauseosus. In agro Parisiensi sponte nascitur. Herba integra in usum venit.

Analysi chymica, ex Lini cathartici floridi ℔v. per vaporarium distillatis, prodierunt humoris limpidi, primum odoris & saporis fatui, obscure subsalsi, deinde obscure subacidi, ac tandem manifeste subacidi ℔iij. ℥vj. ʒij. gr. xij. Massa superstes per retortam distillata præbuit humoris rufescentis, leviter empyreumatici, tum acidi austeri, tum leviter alcali urinosi ℥iij. ʒvj. gr. lx humoris rufi, empyreumatici, sale volatili alcali urinoso impraegnati ℥ij. ʒliij. gr. lx. olei fere adiposi ℥ij. ʒvij. gr. xxxiv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒvj. gr. xxxvj. quæ rite calcinata per 15. horas reliquit cinerum ℥j. ʒv. gr. xxiv. ex quibus lixivio salis fixi alcali ʒiij. gr. xliv. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥viij. ʒiv. gr. xiv. in calcinatione ℥vj. ʒj. gr. xij.

Linum catharticum sapore amaro, ingrato, nauseoso donatur. Salem essentialem obtinere videtur tartareo-vitriolicum cum multo oleo fœtido conjunctum.

Frequentior est apud Anglos hujus plantæ usus quam apud nos. Herba integra, narrante J. Rajo, cum caulibus & capitulis vino albo per noctem super cineres calidos ad manipulum unum infusa serosos humores purgat satis valide, & nonnumquam vomitum excitat.

Folia recentia contusa ad ʒj. aut alteram sub forma boli aggeruntur, vel herbæ exsiccatæ pulvis ad ʒj. cum tantillo cremoris tartari & seminis Anisi intus sumitur & purgat sine molestia. In hydropisi incipienter utiliter præscribitur, & ad febres intermittentes fugandas.

## LITHOSPERMUM.

Lithoſpermi ſpecies tres occurrunt in officinis, ſcilicet Lithoſpermum erectum, Lithoſpermum repens, & Lithoſpermum arundinaceum.

Lithoſpermum erectum, *Off.* Lithoſpermum majus, erectum *C. B. P.* 258. *Inſt. R. H.* 137. Lithoſpermum ſive Milium ſolis, *J. B.* 3. 590. *J. Raii Hiſt.* 503. Lithoſpermum minus, *Dodon. Pempt.* 83. & *Gerard.* Lithoſpermum vulgare minus, *Parkinſ.* Saxifraga tertia, *Brunsfels*: Anchuſæ tertiæ ſimilis altera, *Cæſalpin.* 435. Milium Soler Mauritanis, quod in montibus Soler frequens naſcatur, *Serapionis*: vulgo, *Gremil* ou *Herbe aux perles*.

Radice nititur pollicem craſſa lignoſa & fibroſa: quæ caules multos edit cubitales aut ſeſquicubitales, erectos, rigidos, teretes, aſperos, ramoſos, & foliis crebris alternatim donatos duas treſve uncias longis, acutis & aſperis, ſine pediculis adnatis, & e virore nigricantibus. Quæ in ſummis caulibus ſunt, folia latiora ſunt & breviora pro magnitudinis ratione & ſaturatius viridia. Flores in ſummitatibus caulis, & ramorum, ex ſingulis foliorum alis ſinguli naſcuntur, brevibus peculis inſidentes, monopetali, candidi ſeu ex herbaceo albidi, infundibuliformes, in quinque obtuſa ſegmenta partiti, cum calyce hirſuto, in quinque anguſtas, hirſutas lacinias ab baſim uſque ſecto, & piſtillo viridi quatuor veluti ſtipato embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, dura, expolita nitida, leucophæa, (*gris de perle*,) & exiguis margaritis ſimilia, quæ in calyce ipſo ſatis ampliato raro quaterna, ſæpius bina aut terna tantum perficiuntur & matureſcunt. In agro Pariſienſi ſponte naſcitur. Semen in uſum venit.

Analyſi chymica, ex ſeminis Milii ſolis ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, inodori, ſaporis fatui, obſcure ſubſalſi ℥viij. ʒvij. humoris limpidi, fere inodori & inſipidi, obſcure ſubſalſi & obſcure acidi ʒvij gr. lx. humoris rufeſcentis, empyreumatici, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ℥vij. ʒiv. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒij. gr. xxxvj. olei ſyrupi ad inſtar ſpiſſi ℥viij. ʒv. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℔ij. ℥xiv. ʒiv. quæ per 16. horas calcinata reliquit cinerum nigrorum, ſaporis exſpertium ℔ij. ℥iij. gr. xxxvj. ex quibus lixivio terræ rufeſcentis levis aliquantiſper ſalſæ gr. lxij. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥vij. ʒj. gr. xlviij. in calcinatione ℥xj. ʒiij. gr. xxxvj.

Lithoſpermi ſemina ſapore donantur farinaceo, glutinoſo, nonnihil adſtringente. Salem obtinent eſſentialem ammoniacalem cum oleo copioſo, & uberrima terra adſtringente conjunctum ſemen hoc cum acidis efferveſcit, obſervante Nehemia Grevv *Experiment.* 22. *de Mixtura corporum*.

Milii ſolis ſemen pro inſigni diuretico habetur, & blando anodyno. Specifice ad ciendam urinam, veſicam & renes blande ſtimulandos calculum, & arenulas pellendas commendatur. Renes a mucilagine viſcida calculorum fotrice & nutrice optime abſtergit, has partes ab acrimonia urinæ optime defendit, ſi pulveratum ad ʒj. propinetur in vehiculo idoneo. Nonnulli ad arenulas pellendas tritum ſemen cum vino Malvatico propinatum proficuum exſperti ſunt, referente Ettmullero. Alii emulſiones ex hoc ſemine parant ad eumdem effectum.

♃. Se-

♃. Semin. Milii solis ℥ß. Contund. in aq. stillatitiæ Alkekeng. ℥xij. Colatura dissolve syrup. de 5. Rad. aper. ℥jß. Fiat emulsio in duas doses distribuenda. Sumat æger intra unius horæ intervallum in urinæ difficultate, ad mucum in urinariis viis inhærentem resolvendum, & arenulas expellendas.

Quidam hoc semine calculum renum, & vesicæ comminui, & frangi asserunt. Qua de re Cl. Hoffmannus, & J. Bauhinus valde dubitant, & quidem merito. Ego quidem cum J. Rajo existimo neque hoc semen, neque ullum aliud remedium calculum jam concretum frangere posse. Illud saltem lithontripticum, siquid sit, nondum novimus. Equidem pituitam, & crassos humores, arenulas, aut calculos glutinantes dissolvi, & pelli medicamentis idoneis vel etiam hoc semine concedimus.

Matthiolus, & Freitagius *in sua Aurora Medica*, in gonorrhæa cohibenda hoc commendant semen, & ex eo sequentem pulverem parant.

℞. Seminis Milii solis ʒjß. Pulver. Linguæ Cervinæ exsiccatæ ʒß. Succini albi pp.℈ij. M. F. pulvis, cujus ʒj. vel ʒjß. pro dosi singulis diebus mane jejuno ventriculo exhibeatur cum succo Plantaginis, aut Lactucæ.

Idem semen Matthiolus, & alii ad ʒij. propinant ceu certum & expertum medicamentum partu difficili laborantibus, uti & in secundinæ retentione, quod tamen Ettmullerus ulteriori experientia indigere censet. Idem auctor refert, hoc semen ad ʒj. adversus quotidianas febres ante paroxysmum per aliquot dies a nonnullis exhiberi.

Semen Lithospermi usurpatur in Benedicta laxativa, Electuario lithontriptico & pilulis arthriticis *Nicolai Alexandrini*, in decocto hepatico aperiente & syrupo antinephritico *Th. Reg.*

Huic semini semen alterius Lithospermi sequentis sæpe substituitur.

Lithospermum repens, *Off.* Lithospermum minus repens latifolium, *C. B. P.* 258. *Inst. R. H.* 137. Lithospermum majus Dodonæi, flore purpureo, semine Anchusæ, *J. B.* 3. 572. *J. Raii Hist.* 503. Lithospermum majus, *Dod. Pempt.* 83.

Radice est longa, crassa, lignescente, tortuosa, nigra: ex qua multi exsiliunt graciles, tenues, nigricantes, longi, asperi, & hirsuti surculi, humi plurima parte procumbentes, subinde fibras agentes: quos folia vestiunt uncias duas circiter longa, semiunciam lata, in acumen desinentia, ex saturo virore nigricantia, hirsuta, aspera. Flores extremis hærent ramulis conferti, violacei, quibus succedunt semina Ervi magnitudine dura candida. Caulis qui flores sustinet, erigitur, & foliis longioribus, pallidius virentibus amicitur.

Iisdem principiis donatur, iisdemque virtutibus pollet.

Lithospermum arundinaceum, Lachryma Job, *Offic.* Lachryma Job, *Clus. Histor.* 2. 6. *Inst. R. H.* 532. Lachryma Job multis sive Milium arundinaceum *J. B.* 2. 449. *J. Raii Hist.* 1252. Lithospermum arundinaceum forte Dioscoridis, & Plinii *C. B. P.* 258. Lachryma Jobi, *Gerard. & Parkins.* Lachryma Christi, *Quorumdam*: vulgo *Larme de Job.*

Radice est multiplici, in fibras multas divisa: culmis cubitum unum aut

alterum

alterum altis, geniculatis : foliis Turcici frumenti similibus, cubito subinde longioribus, uncias duas latis, quibus minora sunt illa, quæ in ramis nascuntur. Ex horumce foliorum alis petioli emergunt, quibus sustinentur grana seu nodi singuli, rarius bini, quæ fructus embryones continent. Ex his nodis prodit glumarum spica mutica, ( *sans barbe* ) quæ flores apetalos continet plurimis staminibus ex uno calyce surgentibus constantes & steriles. Embryones enim in nodis a floribus sejunctis nascuntur, abeuntque in semina in singulis singula, lævioris politissimi, nitida, ante maturitatem flavescentia, matura, rubentia, duritie lapidea, cicer æquantia, superiore parte turbinata, & composita ex amygdala & testa dura, lignea, & membrana tenui obvoluta. In hortis colitur. In orientalibus plagis sponte nascitur. Semen tantum nonnumquam, at rarissime ad medicos usus usurpatur.

Eædem ipsi tribuuntur vires quæ Milii solis semini. Lobelius illud ad calculum renum, & vesicæ saburram expellendam pulvere aut decocto, ut præsidium vulgatum commendat.

Mulierculæ & moniales seminibus istis lycio seu filo transmisso pro sphærulis precatoriis subinde utuntur, catenulas inde facientes.

## LOTUS.

Lotus hortensis odora & Trifolium odoratum; *Off.* Melilotus maior, odorata, violacea, *Moriss. Hist. Oxon. part.* 2. 161. *Inst. R. H.* 407. Lotus hortensis odora, *C. B. P.* 331. Lotus sativa, odorata, annua flore cæruleo, *J. B.* 2. 368. Trifolium odoratum, alterum, sive Lotus sativa. *Dod. Pempt.* 571. Melilotus vera, *Tabern. Icon.* 510. Lotus hortorum odora, *Lobel. Icon. T.* 2. *p.* 41. Trifolium odoratum Parkins. Gerard. *J. Raii Histor.* 950. vulgo, *Lotier odorant*, *Treste musque* ou *faux Baume du Perou*.

Radix ei gracilis, simplex, alba, lignosa, fibris aliquot donata. Caulis cubitalis & altior, rectus, gracilis, striatus & nonnihil angulosus, glaber, inanis, ab imo statim ramosus. Folia cauli alternatim adnascuntur in pediculis longis terna simul, pallide viridia, glabra, circum oras serrata, inferiora in caule breviora, obtusiora & rotundiora, superiora longiora & acutiora, ut in aliis Trifoliis fere fit. E foliorum superiorum alis longis pediculis nixæ egrediuntur spicæ seu globuli floribus exiguis, papilionaceis, dilute cæruleis, odorem aromaticum cum quadam gravitate gratum & durabilem etiam in decerpta & arida planta spirantibus compositi. Ex singuli floris calyce surgens pistillum abit in capsulam nudam, hoc est in calyce non reconditam ut in Trifolio, asperam, duo aut tria semina fulva, odorata, subrotunda continentem. Seminibus ad maturitatem perductis quotannis perit. In hortis seritur. Folia & flores in usum veniunt.

Hæc planta sale donatur essentiali ammoniacali cum multo oleo tum essentiali, tum crasso copioso conjuncto.

Abstergit, digerit, dolores demulcet, sanguinem effusum & concretum resolvit, vulnera consolidat, a nonnullis etiam inter alexipharmaca recen-

censetur. Potionibus vulnerariis admiscetur cum cœteris plantis vulnerariis. Summitatum floridarum ad ℨj. in vino vel aqua mulsa decoctum pleuritidi medetur sudorem pellendo: menses & urinam pellit. Tradunt idem decoctum vel ejus semen tusum ad ℨj. ex vino propinatum adversus venenum, si quis eo se infectum suspicetur, utiliter exhiberi.

Externe in decoctis & fotibus vulnerariis usurpatur. Oleum fit ex floridis summitatibus in oleo communi maceratis, quod ad vulnera glutinanda, & ab inflammatione defendenda, hernias puerorum sanandas, tumoresque molliendos & maturandos plurimum commendatur.

Interponitur herba arida vestimentis, quæ, ne a tineis rodantur, defendere putatur.

Aqua distillata vulneraria censetur & ophtalmica.

## LUJULA.

Lujula, Alleluia, Acetosella, Oxys, Trifolium acetosum, Oxytriphyllum & Panis Cuculi, *Off.* Oxys flore albo, *Inst. R. H.* 88. Oxys sive Trifolium acidum flore albo, *J. B.* 2. 387. Trifolium acetosum, vulgare, flore lacteo, *C. B. P.* 330. *J. Raii Hist.* 1098. Trifolium acetosum, *Dod. Pempt.* 578. Alleluia, *Lacunæ*, *Lonicer*: Lujula, *Fracastor*: vulgo, *Alleluia* ou *Pain a Coucou*.

Humilis herba est Lujula; ex crassiuscula, squamata, alba vel ex albo rubente ejus radicula longæ & crebræ pendent fibræ albicantes, indidemque emergunt pediculi infirmi, tenues, rotundi, palmares & longiores, terna gerentes folia uni pediculo insidentia, tenuia, latiora quam longiora cordata, pallide virentia, glabra, sæpe deorsum nutantia, sapore acida. Inter hæc alii surgunt pediculi, florem singuli sustinentes unicum, monopetalum, campaniformem, patentem, quinquepartium, albidum, pellucidum cum calyce quinquifido & pistillo floris infimæ parti ad instar clavi infixo, abeunte in fructum cylindraceum, pentagonum, in quinque loculamenta divisum, extrorsum a basi ad apicem dehiscentia, in quibus, semina continentur nitida, rufescentia, huc illuc tempore maturitatis cum impetu dissilentia propter vim elasticam calyptræ qua singula solent involvi. Agri Parisiensis incola opacis plurimum provenit locis, in sylvis & ad sepes. Folia usitata sunt.

Analysi chymica, ex Oxytriphylli floridi ℔v. absque radicibus, distillatis, prodierunt humoris limpidi, sapore & odore herbaceo, nonnihil salsi urinosi ℔j. ℥xij. gr. xxiiij. humoris limpidi, odore & sapore herbam virentem referentis, non amplius urinosi, primo obscure subacidi, deinde acidi magis ac magis impense ℔ij. ℥xij. ℨij. gr. xij. humoris rufi, alcali urinosi, sale volatili urinoso copioso imprægnati ℨvij. gr. xxiiij. salis volatilis urinosi gr. xlviij. olei adiposi ℥j ℨj. gr. liiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥ij. ℨiiij. gr. xij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ℨij. gr. xlij. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ℨij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ℨvij. gr. xliij. in calcinatione ℥j. ℨj. gr. xlij.

Oxytriphylli folia sapore acido grato donantur. Eorum succus chartam cæruleam rubro colore tingit: cum oleo tartari mixtus effervescit & odorem

rem emittit urinosum. Exsiccata folia prunis candentibus imposita fulminationem quamdam excitant. Salem igitur essentialem obtinet hæc planta nitroso-ammoniacali similem cum oleo & terra conjunctum.

Lujula sapore & viribus cum Acetosa convenit. Sitim sedat, ventriculi ardores extinguit, æstum febrilem mitigat, sanguinis fervorem compescit, bilis æstum temperat & coercet, sanguinem viscidiorem & spissescentem resolvit, nimis dissolutum ab acribus salibus exsuperantibus emendat, hos sales irretiendo. Ideo jecur refrigerare & cor roborare dicitur, & inter cardiaca, aperientia & antiscorbutica medicamenta recensetur. In febribus acutis, ardentibus, malignis & pestilentialibus, necnon in scorbuticis affectionibus utiliter usurpatur. Ex ea parantur decocta, succus, syrupus, conserva, aqua distillata & extractum.

In jusculis & apozematibus refrigerantibus folia ad M. j. præscribuntur: præsertim ubi adest vehementior humorum æstus; cerebri inflammatio, delirium adsunt aut imminent: linguæ & faucium ariditas & nigredo percipiuntur, hæmorrhagiæ superveniunt: tuncque ejus vis temperans & sedativa tantillo nitri plurimum augetur. Succus defœcatus ad ℥j. aut alteram solus vel cum succis plantarum aperientium & refrigerantium, vel plantarum antiscorbuticarum utiliter iisdem in affectionibus propinatur, vel jusculis & apozematibus admiscetur. Syrupus ad ℥j. & aqua distillata ad ℥vj. in julapiis & potionibus cardiacis, temperantibus, aut antiscorbuticis: Conserva a ℥j. ad ʒij. Extractum a ʒß. ad ʒj. in electuar. & bolis præscribuntur.

℞. Succor. defœcator. Lujulæ, Acetosæ rotundæ, Fumariæ, Beccabung. Nasturtii aquatic. Cochlear. Absinth. Trifol. fibrin. ℔j. Syrup. Oxytriphyll. ℥j. M. F. julapium cochleatim sumendum. In cachecticis & scorbuticis affectionibus. Vel

℞. Extractor. earumdem plantar. ℥ß. Vitrioli martis ℈j. Gentian. subtilissime pulver. ʒj. Fiant pilulæ. Dosis ℈j. vel ℈ij.

℞. Folior. Lujulæ M. j. Nasturt. aquatic. & Cochlear. ana M. ij. Poma citri recentis una cum corticibus minutim concisis n. ij. Contund. accurate in mortar. marmor. cum tantillo Sacchar. Fiat electuar. antiscorbuticum.

℞. Rad. Graminis, Fragar. ana ℥j. Cuscutæ ℥ß. Coquantur in aq. comm. ℔iij. ad ℔ij. Sub finem coction. adde folior. Agrimon. Trifol. acetosi ana M. ij. Fiat decoctum per cyathos tertia vel quarta quaque hora propinandum infantibus febre lenta cum tumore abdominis cachectico laborantibus, quod a G. Baglivio laudatur si identidem adjiciatur tinctur. Rhabarbari ℥ß. & Syrupi rosar. Solutiv. ℥j. pro decocti ℥vj.

Externe Oxytriphylli succus vel aqua distillata aluminis momento temperata erysipelatis & inflammationibus incipientibus utiliter admovetur pro fotu, & iisdem os sæpius colluitur ad aphthas & alia oris vitia emendanda.

LUPI-

## LUPINUM.

Lupinus, *Off.* Lupinus ſativus, flore albo, *C. B. P.* 347. *Inſt. R. H.* 392. Lupinus vulgaris, ſemine & flore albo, ſativus, *J. B.* 2. 288. Lupinus ſativus, *Dod. Pempt.* 529. *Gerard. J. Raii Hiſt.* 906. *Tragi* 622. vulgo, *Lupin*.

E radice fere ſingulari, lignoſa & multis capillamentis fibrata, caulis emergit cubitalis & ſeſquicubitalis, mediocriter craſſus, erectus, teres, aliquantulum tomentoſus, cavus & medulla farctus, e quo poſtquam flores in ejus faſtigio eminentes marcidi facti ſunt, alii tres ramuli infra ſpicam florum prodeunt, quorum ſinguli non raro & alios quoque modo binos, alios ternos eodem proferunt modo: præſertim ſi tempeſtive ſatus Lupinus, æſtatem calidam diuturnamque nactus fuerit. Folia nullo aut alterno ordine poſita pediculis duas treſve uncias longis innituntur, ex ſeptem plerumque ſegmentis oblongis, anguſtis, e pediculi faſtigio eodem puncto enatis, Pentaphyllorum in modum compoſita, non inepte flabelliformia dicta, ſeu digitatim pediculo innaſcentia, e glauco obſcure virentia, ad margines æqualia, ſubtus hirſuta lanugine incana, & quaſi argentea ad margines præcipue. Horum ſegmentorum latera ſub veſperam circa ſolis occaſum contrahuntur, ipſaque inſuper ſegmenta ad pediculum terram verſus reflexa dependent. Flores in ſummo cauliculorum ſpicatim digeſti, papilionacei, candidi ſunt, pediculis brevibus. Ex eorum calyce ſurgit piſtillum quod abit in ſiliquam craſſam, latam, compreſſam, tres uncias circiter longam, erectam, fabaceis minorem, pulpoſam, ſubflavam, foris tenuiter hirſutam, intus vero glabram, quinque vel ſex ſemina continentem majuſcula, orbiculata, & nonnihil anguloſa, compreſſa, quæ & germinationis principium haud obſcurum, & qua parte ſiliquæ adhærent cavitatem quamdam velut umbilicum exiguum habent, foris albida, intus ſublutea, & perquam amara. In calidioribus Galliæ regionibus in agris ſeritur. Semen uſitatum eſt.

Lupini ſemina plurimum ſalis volatilis urinoſi cum oleo craſſo copioſo, & terra non pauca conjunctum obtinent. Saporem leguminoſum, amarum, ingratum referunt.

Lupinorum uſus inter edulia frequens erat tempore Galeni, qui apud nos hodie nullus eſt. In aqua dulci calida macerati amaritudinem deponunt, & guſtui grati redduntur. Galenus elixos cum garo, & oxygaro, vel etiam ſine his ſale mediocri conditos mandi ſcribit, & fieri tunc nutrimentum ſucci craſſi, & tarde deſcendere. At ubi nativa etiamnum amaritudo manet, extergendi digerendique vim obtinent.

Tradunt auctores Lupinorum ſuccum ſeu pulpamen lumbricos interficere tum illitum, tum addito melle linctum, tum in poſca potum. Sed C. Hofmannus *L.* 2. *de Medicamentis Officinalibus*, *Cap.* 135. *ſ.* 10. nos monet cautiores eſſe in Lupinorum uſu interno, quandoquidem Aver-

rhoes

rhoes 51. *Coll.* 39. hoc semen occidere scribit. Quare non oportet intus dare, sed foris tantum farinam umbiculo imponere cum iis, quæ deducere valeant, inquit C. Hoffmannus. Quod quidem monitum Simonis Paulli observatione confirmatur, qui narrat se vidisse puerum octo vel decem annorum cui mater Lupinorum pulveratorum ʒj. circiter in haustulo hydromelli propinaverat adversus lumbricos jussu anus cujusdam edentulæ, paulo post de improviso exquisitissimis abdominis doloribus correptum, cum ventris intumescentia, respiratione difficili, voce tremula, & oculorum obscuritate fere ad cæcitatem. Unde hausti veneni suspicio parentes occupabat. Hæc cum advocatus S. Paulli vidisset, nullamque sitim urgentem, nullam faucium inflammationem perciperet, statim clysterem lacteum Saccharo insigniter edulcoratum præscripsit, quo injecto, pusio liberaliter alvum graveolentissimam dejecit, qua una excernebatur lumbricorum vivorum, mortuorum, integrorum, corruptorum ingens copia, & supra recensita symptomata illico sedata sunt. At vero si tanta sit Lupinorum malitia, qui fieri potuit, ut Græcis pro alimento fuerint: ita ut Galenus cibum polychrestum eos nominet: & Plinius referat, Protogenem quemdam insignem pictorem madidis Lupinis vixisse, dum nobilem tabulam pingeret, quoniam famem ac sitim sustineret eo legumine, ne sensus nimia dulcedine obstrueret. Vel hanc malitiam cum suo amarore in aqua calida macerati, & cocti deponunt: vel symptomata adeo gravia hujusce pueri non tam a Lupinorum pulvere amaro quam a vermium motu vehementiori per hoc medicamentum excitato oriebantur.

Lupini foris impositi ex emplasticorum genere sunt. Eorum decoctum in fotu alphos, achoras, scabies, psoras, & ulcera maligna curat, partim digerendo, partim extergendo, & citra mordacitatem siccando. Farina in cataplasmatis usurpatur, & inter farinas quatuor resolventes, a nonnullis recensetur, Hordei nempe, Fabarum, Orobi, & Lupinorum: quibus tamen pro lubitu substituuntur Frumenti, Secalis, Lentium, Fœnugræci, & Lini farinæ. Strumas, & parotidas Lupini in aceto cocti discutiunt.

Lupini usurpantur in Trochiscis de Mirrha *Rhasis*, & in Unguento ad vermes *Renodæi*.

## LUPULUS.

LUpulus, Lupus, & Lupulus salictarius, *Off.* Lupulus mas, & fœmina, *C. B. P.* 298. *Inst. R. H.* 535. *J. B.* 2. 151. J. *Raii Hist.* 156. *Camerar. Epit.* 933. Lupulus, *Dodon. Pempt.* 409. Lupus salictarius, *Gerardi*: Lupulus 1. sive sativus, 2. sive sylvestris, *Parkins.* Lupulus salictarius, spontaneus, & vitis septentrionalium, *Lobel. Icon.* 629. Convolvulus perennis heteroclitus, flori-

bus herbaceis, capſulis foliaceis, ſtrobuli inſtar, *Moriſon*: vulgo; *Houblon*.

Ex radicibus tenuibus, & ſibi invicem varie implicatis Lupulus infirmus, & humo ſe tollere vix potis cauliculos promit longiſſimos, tortiles, aſperos, angulofos, hirſutos, concavos, purpuraſcentes, capreolis deſtitutos, perticas, & alia adminicula ſtricte, & tenaciter complectentes, & ſcandentes: folia e geniculis bina, adverſa, pediculis palmaribus aſperis, & interdum rubentibus adnexa, modo Mori folia imitata, integra in mucronem abeunt, plerumque trifariam aut quinquifariam diviſa, totidem mucrones oſtentantia, tum hic tum illic per ambitum ſerrata. Quæ ſpecies flores habet, ſeminibus deſtituitur. Quæ vero ſemina gerit, ſtaminibus caret. Flores in mare dicto e foliorum alis, racemoſi, cannabacei, colore herbido palleſcentes, ſtaminei, apetali, plurimis ſtaminibus, & calyce pentaphyllo conſtantes, nullo ſequente fructu evaneſcentes. Fructus in femina, ſtrobilorum inſtar ſquamoſi, ex plurimis ſquamis compoſiti membranaceis, laxis, colore pallido ſeu ex viridi luteo axi communi affixis, in quarum alis naſcuntur ſemina exigua, compreſſa, rufa. Allium redolentia, amara, calyptra obvoluta. In ſepibus, & pratis regionum tum frigidarum tum calidarum vulgariſſimus eſt. In Anglia, & in Germania Lupuli, Vitium inſtar, in Lupuletis ſeruntur, & coluntur magna cura nec minore impenſa, depactis prælongis perticis, quas ſarmenta conſcendunt atque etiam ſuperant. Solo gaudent humidiore, lætiore, & pinguiore, bene ſtercorato. Tota planta culta lætior multo evadit, florum thyrſis foliaceis, & ſquamoſis grandioribus, ſemine etiam paulo majore.

Folliculoſi ſtrobili, qui flores non raro ſed improprie appellantur, Auguſto, & Septembri colliguntur, in furno ad id præparato exſiccantur, in ſaccos deinde congeruntur, & ad cereviſiæ uſum reponuntur. Turiones vere novo erumpentes eſitantur. Folia, & radices quoque in uſum medicum veniunt.

Analyſi chymica, ex Lupuli foliorum, & ſummitatum cum fructibus ℔v. per B. V. diſtillatis prodierunt humoris limpidi, ſaporem herbaceum dulcem referentis, primo obſcure ſubſalſi, deinde obſcure ſubacidi ac tandem obſcure acidi ℔iij. ℥xiij. ʒij. Maſſa ſuperſtes per retortam diſtillata præbuit humoris rufeſcentis, tum acidi auſteri, tum alcari urinoſi ℥iij. gran. liij. humoris, rufi, ſale volatili urinoſo copioſo imprægnati ʒvj. olei ſpiſſi, fere adipoſi ℥iij. ʒv. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gran. xxxiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vj. ʒij. quæ rite calcinata, in crucibulo per undecim horas reliquit cinerum albicantium ℥ij. ʒij. gran. xxx. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gran. lxvj. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. in calcinatione ℥iiij. ʒvij. gran. xlij.

Lupuli folia amara ſunt. Eorum ſuccus chartæ cæruleæ colorem non mutat. Fructus ſeu ſtrobili recentes odore non ingrato prædìti ſunt, & pinguedinem vel reſinam aromaticam continent nonnihil viſcidam, a qua odor, & ſapor amaricans potiſſimum oriri videntur. Salem obtinent

nent essentialem ammoniacalem, aliquantisper nitrosum cum oleo copioso, tum tenui, tum aromatico & amaricante casso conjunctum: unde fit ut Angelus Sala ex Lupulo salem essentialem crystallinum seu, ut vocat, tartarum extrahere non potuerit; ammoniacalis enim sal, si præsertim cum multo oleo consocietur, nun in crystallos solidas concrescit, sed in arenulam lutosam exsiccatus abit.

Lupuli turiones seu cauliculi vere erumpentes Asparagorum modo coquuntur in aqua, & ex oleo, sale & aceto suaviter eduntur, quin & ex butyro & aliis modis parati. Alvum blande laxant, viscerum obstructionibus ac præsertim hepatis & lienis infarctibus conducunt. Sanguinem fluidiorem efficiunt, hujus latici defœcationem promovent, atque adeo scabiei & aliis cutis vitiis mederi censetur. Vulgus prima Sambuci germina seu gemmas turionibus Lupuli nonnumquam addit, ad purgationem promovendam, quod tamen interdum periculo non caret, notante Conrado Bartholdo Behrens *in Selectis Diæteticis*, & choleras sæpe periculosissimas cum deliquiis animi, sincerique sanguinis effluxu inducit.

Fructuum seu strobilorum Lupuli usus notissimus est toti orbi, ad condiendam nimirum cerevisiam, ne cito acescat aut corrumpatur, & ut sale suo volatili & oleo aromatico eamdem a situ conservent, farinaceum ac lentum gluten attenuent, perque vias urinarias deducant. Insignem amarorem ei communicant, qui tamen ætate paulatim evanescit, cerevisia interim vinosum saporem vetustate contrahente.

*Ejusmodi* cerevisia Lupulata salubrior existimatur & sapidior: viscerum obstructiones aperit, urinas pellit & menses. Cito tamen caput afficit, inebriat, ac somnolentiam, imo incubum inducit, eoque certius quo cerevisia majori quantitate Lupuli referta, amariorque est, & Lupulus ipse constitutus fuerit. C. B. Behrens enim observat *in Selectis Diæteticis*, Lupulum juxta diversa loca variare, circa Henacum in Thuringia crescere exedentis amaritiei secus ac Brunsvicensem qui suavior est.

An vero Lupulata cerevisia calculo renum & vesicæ atterendo & expellendo conducat, an econtra ad ejus generationem & concretionem faciat, a nonnullis ambigitur. Qui adversus calculum eam commendant, eo argumento nituntur, quod Lupulus diureticus sit & calidus. Qui usum ejus in calculo damnant, sententiam suam experientia suffulciunt; qua teste; cerevisiæ Lupulatæ, quæ apud Anglos Biera dicitur, usu, calculosorum paroxismi exacerbantur: qui econtra Alæ, seu cerevisiæ cui Lupulus non fuit incoctus, potu leniuntur & mitigantur: præterea ex quo Lupuli in cerevisia usus apud Anglos introductus est, calculum apud eos epidemicum factum esse, multoque plures quam olim infestasse clamitant. Joannes Raius illis potius assentitur qui usum ejus in cerevisia probant & commendant. Inde enim salubriorem fieri, ventriculo gratiorem & cibo concoquendo utiliorem asserit. Nec obstat, inquit,

quod cerevisiæ Lupulatæ potus calculosis interdicatur, Alæ vero præscribatur a Medicis. Illud enim fit ad paroxismos leniendos, cui usui Ala ob lenitatem & lubricitatem seu lævorem suum conducit, non vero ad morbum eradicandum, ejusve causam tollendam. Falluntur autem, pergit idem auctor, qui calculum epidemicum factum, ex quo Lupuli in cerevisia usus introductus est, existimant. Nam quamvis Lupulus frequentioris hodie usus sit in urbe Londino quam umquam antehac fuerit, pauciores tamen inibi nunc dierum quam superiore sæculo, calculo laborant, ut ex accuratis D. Graunt observationibus patet. Quod ad calculum attinet, putamus liquores illos fermentatos spirituosos generationem ejus in corpore humano promovere, lympham seu sanguinis serum inspissando & ad lapideam usque duritiem coagulando. Quod experientia unicuique patebit, si sanguinis serum in spiritum vini aut ardentem cerevisiæ spiritum infundatur, quod statim concrescit sicut albumen ovi ignis calore coctum, ac tandem prorsus indurescit. Insuper observare licet eos, qui vino indulgent & merum assidue bibunt, persæpe calculo & podagra vexari, quorum morborum eadem causa, eadem materia esse videtur, ideoque non raro in se mutuo transmutantur. Unde & aquæ potatores huic morbo minus obnoxios esse arbitramur: & ad calculum præcavendum plurimum conducere opinamur, si jejuno stomacho largior sit aquæ potus, quo renes & ureteres inundentur & proluantur: ita enim & meatus omnes urinarii dilatantur, & arenulæ una eluuntur.

Lupuli folia sicut turiones & strobili aperiunt, abstergunt, & roborant, ciborum concoctionem juvant, viscerum obstructiones lienis præsertim tollunt, urinas pellunt & alvum laxant. In malo hypochondriaco, scorbuto, adversus diuturnas febres, scabiem & alia cutis vitia, in sero lactis aut jusculis alterantibus cum vel sine Fumaria incocta commendantur. Succus adhuc valentior est & bilem ac pituitam per alvum educere dicitur.

℞. Carnis vitulinæ ℔ß. Radic. Lapathi sylvestris & Bardan. major. lotar. & taleolatim sectar. ana ℥j. Coque in ℔iij. tum adde turionum vel conor. & summitatum Lupul. Fumar. ana M. ij. Bull. per horæ quadrantem pro duobus jusculis mane & sero hauriendis adversus serpigines, herpetes & alia cutis vitia.

Externe insignis est Lupuli usus, observante S. Paulli in sedandis & mitigandis partium externarum doloribus, in subluxationibus & tumoribus œdematosis, itemque contusionibus membrorum: necnon in podagricis paroxismis quos fotu cum Cerevisia coctus sedat.

Robertus Boyle *De utilitate Philosophiæ Experimentalis*, sequens pericarpium ad febrem quotidianam fugandam commendat.

℞. Salis marini, turionum Lupuli recentium ana M. ij. Uvar. corinthiacar. ℥iij. Probe contusa mixta, & in massam redacta carpis applicentur.

Semen Lupuli ʒß. pondere pulveratum vermes enecare dicitur.

Radi-

Radicibus Lupuli vis aperiens & sudorifera tribuitur. Carolus Clusius auctor est *Lib.* 1. *rarior. Plantar. Hist. cap. ultimo*, *pag.* 126. vulgum & vetulas Salmanticenses Medicinam Empiricam factitare solitas, ad curandam alopeciam a lue venerea ortam hac ratione Lupuli radicibus uti.

Ejus radices pondere libræ unius probe lotas & a sordibus repurgatas per noctem in aquæ libris octo macerabant: postridie in illa ipsa lento igne ad tertiæ partis consumptionem coquebant, vel etiam ad mediam partem, si vehemens esset alopecia. Decoctionem servabant in usum. Ejus ℥viij. mane ægris jejunis propinabant, deinde stragulis injectis sudorem provocabant. Addebant interdum Apii sive Selini hortensis duas aut tres uncias, & Graminis aliquot radices, & passas uvas a gigartis mundatas.

Lupuli turiones vel summitates usurpantur in syrupo de Lupulo dicto, in syrupo de Cichor. comp. *Ph. Regiæ Charas.*, & in syrupo Byzantino simplic. *Mesuæi*.

## MAJORANA.

Majorana duplex in Officinis nostris usurpatur, Majorana vulgaris & Majorana nobilis.

Majorana, Majorana vulgaris seu major, *Off.* Majorana vulgaris, *C. B. P.* 224. *Inst. R. Hist.* 199. *J. Raii Hist.* 538. Majorana majori folio ex semine nata *J. B.* 3. *pag.* 2. 241. Majorana sive Marum, *Dod. Pempt.* 270. Amaracus, *Matthiol. Fuchs. Lugdun.* Sampsucus sive Amaracus, Latinis Majorana, *Cordi*: Majorana vulgaris æstiva, *Parkins.* vulgo, *Mariolaine*.

Ex radicibus tenuibus assurgit humilis & fruticosa hæc stirps palmaris aut etiam dodrantem alta, cauliculis sive surculis tenuibus, lignosis, plerumque quadratis, subhirsutis & tantillum rubentibus, in plures alas divisis, circa quas folia nascuntur ex adverso posita, Origani vulgaris forma, sed longe minora, incana lanugine obducta, odore fragrante, sapore acriusculo, subamaro, aromatico & grato. Circa caulis ramorumque fastigium ex foliorum alis imbricatæ spicæ oriuntur seu capitula quam in Origano rotundiora, densiora, breviora, ex quaterno foliorum squamatim positorum ordine conflata. Ex earum hirsutarum squamarum sinu prodeunt perpusilli flores albicantes, monopetali, labiati, quorum labium superius surrectum est, subrotundum, bifidum, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem surgit pistillum posticæ floris parti infixum, & quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina minuta, subrotunda, rufa, in capsula quæ calyx floris fuit recondita. In calidis Galliæ-provinciis sponte nascitur. Hic in hortis politur.

Majorana nobilis, Majorana gentilis, Majorana tenuifolia, *Officin.*

Majorana tenuifolia, *C. B. P.* 224. *Inſt. R. H.* 200. *J. R. H.* 538. Majorana tenuior & lignoſior, *J. B. 3. P.* 2. 241.

Hæc a vulgari in eo tantum differt, quod ſit foliis tenuioribus & fragrantioribus. In hortis colitur. Utriuſque Majoranæ folia & ſummitates floridæ in uſum veniunt.

Analyſi chymica, ex plantæ floridæ, demptis radicibus, ℔v. per vaporarium diſtillatis prodierunt humoris primo turbidi, lacteſcentis ob olei eſſentialis portionem aliquam cum phlegmate conjunctam, odore & ſapore plantam virentem grate referentis, obſcure ſalſi, & obſcure acidi, deinde inodori, manifeſte acidi magis ac magis impenſe ℔iij. ℥xv. ʒiiij. Maſſa reſidua per retortam diſtillata præbuit humoris rufeſcentis empyreumatici, manifeſte & impenſe acidi, auſteri & ſubſalſi ℥j. ʒvj. humoris rufi, alcali urinoſi, ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥j. ʒv. gran. xxxvj. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. gran. lxij. olei tum eſſentialis fluidi, tum craſſi fœtidi & adipoſi ℥ij. ʒvij. gran. lxj. Maſſa nigra ſuperſtes pendebat ℥v. ʒvj. quæ per horas 16. in crucibulo calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒij. gran. xxiiij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒij. gran. xxij. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v. gran. lvij. in calcinatione ℥iij. ʒiij. gran. xlviij.

Majorana ſalem eſſentialem obtinet ammoniacalem cum multo oleo tum tenui aromatico odoratiſſimo, tum ſpiſſo empyreumatico craſſo conjunctum.

Partibus tenuibus, ſalinis, oleoſis, aromaticis & activis pollet. Cibis non ſolum pro gratia concilianda additur, ſed etiam ad eorum flatulentiam emendandam, aut eorum concoctionem faciliorem efficiendam, iis præſertim qui flatus generant ut Piſis, Fabis, Phaſeolis & piſcibus. Humores craſſos & viſcidos digerit & attenuat. Partium fibras torpidas & languide oſcillantes excitat, inertium ſpirituum diſtributionem juvat, ſanguinis motum fermentativum vividiorem efficit. Cerebri nervorumque meatus flaccidos & laxe ſubſidentes reſtituit & aperit. Auxiliatur cerebri & capitis frigidis morbis quovis modo aſſumpta. Valet ad pectoris vitia: ſtomacho utilis eſt: & ad uteri flatus cœteroſque ejuſdem frigidos morbos confert. Urinas & aquoſos humores ducit, menſes provocat. Jecinoroſos & lienoſos juvare dicitur. Cum cœteris aromaticis uſurpatur in affectibus capitis & nervorum, paralyſi, apoplexia, vertigine, artuum tremore, ſpaſmis & atonia fibrarum nervearum, ac ſpeciatim in catarrhis. Præ cœteris commendatur in coryza & in olfactus læſionibus. Hartmannus *in Praxi Chymiatrica*, *pag.* 111. aſſerit in Majorana deliteſcere perfectum arcanum pro olfactu abolito.

Ejus pulvis ad ℈j. aut ʒß. cum marmelada florum Aurantiorum quotidie mane jejuno ventriculo tanquam expertiſſimum in epilepſia remedium a nonnullis exhibetur, teſte Roderico a Fonſeca *Tom.* 2. *Conſilior. Medic.* 80. Aqua diſtillata Majoranæ inter aquas cephalicas & nervinas recenſetur, & aquas & ſpiritus cephalicos & nervinos, tum interne, tum externe adhibendos ingreditur.

Exter-

Externe contusa vel pulverizata errhinum est optimæ notæ. Quin & ejus folia recentia inter digitos parum trita & naribus immissa sternutamenta excitant, & caput ita purgant. Idem præstant ejus aqua distillata, vel infusum naribus attracta. Nicolaus Chesneau Medicus Massiliensis sequens errhinum a se sæpius exspertum in cephalalgia commendat.

♃. Radic. Hellebori albi ℥ß. folior. Majoranæ pug. ij. Decoquantur in aq. ℥vj. ad consumptionem tertiæ partis; ore aqua pleno utere, naribus attrahendo, ex decocto parum calido in vola manus posito: in dolore atroci, levem enim exasperat.

Aqua Majoranæ distillata catarrho plurimum confert, affirmante S. Paulli, si loco errhini, ore prius simplici aqua vel vino repleto, volæ seu cavæ manui infusa, compressa alterutra nare, altera exhauriatur: quo errhino summa cum laude Fabricius socer ejus in principe VValensteinio usus fuerat.

Ex eadem herba exsiccata cucuphæ adversus catarrhos & frigidas capitis affectiones cum cœteris cephalicis pulveribus parantur.

♃. Folior. Majoranæ, Salviæ, Rorismarini, Betonicæ, summitatum Lavandulæ & Stœchados, Radic. Iridis Florent. & Calam. aromatic. ana q. l. Fiat pulvis, ex quo fiat cucupha interpuncta, excipiendo hunc pulverem pauco Gossypio & includendo in panno sericeo, qui pileo assui potest vel in forma calanticæ gestari, præsertim hyeme.

De horum cephalicorum medicamentorum utilitate in capitis affectionibus nonnulli dubitant. Verum sæpissime capitis dolores & affectiones ex pericranio tantummodo affecto pendent: tuncque cephalica hæc externa maxime juvant. Nec minoris sunt utilitatis eadem medicamenta in illis affectionibus, quæ a causa interna pendent. Si enim attendamus ad vasorum sanguineorum communicationes, nullus dubitationi erit locus, quin cum sanguine tenuiores horumce medicamentorum partes tandem ad interiora cerebri pervenire possint; ibique obstructiones reserare & prolapsum fibrarum tonum restituere valeant.

Ex Majorana exsiccata oleum essentiale distillatur fragrantissimum, quod si nova distillatione rectificetur, multum adhuc resinosæ fœcis post se relinquit, observante Frederico Hoffmanno Professore Hallensi. Hoc oleum maxime conducit in affectionibus paralyticis & nervinis, tum interne ad guttam unam aut alteram exhibendo cum Saccharo mixtum sub elæosacchari forma, tum externe eo nucham & spinam dorsi inungendo. Vertici quoque capitis illitum restaurare olfactum amissum Ettmullerus scribit. Familiare est malum infantibus ut nares obstruantur, difficulter respirent, & in lacte sugendo impediantur: cui incommodo oleum Majoranæ, narrante Ettmullero, externe naribus illitum, pro resolvendo muco egregie succurrit vel solum ubi mitius, vel mixtum cum oleo Irino & infuso Nicotianæ, ubi valentius operari debet. Interne autem tuto non attrahi aut immitti debet propter acrimoniam. Balsamum Majoranæ paratur ex Majora-

na viridi in axungia porcina sæpius infusa & ex ejusdem olei essentialis guttis aliquot instillatis. Hoc a S. Paulli plurimum commendatur in catarrho & coryza, si eo pinnæ narium & μεσόῤῥινον inungantur. Eodem quoque nucha temporaque cum in modo dicto affectu, tum in aliis frigidis capitis affectibus utiliter inungi solent. Oleum essentiale Majoranæ in balsamorum apoplecticorum præparatione usurpatur.

♃. Olei nuc. moschat. ℥ß. oleor. essential. Majoranæ, Lavandulæ, Rutæ, Thymi ana gutt. iiij. olei Cinnamom. gutt. vj. olei Succin. gutt. x. M. F. balsamum.

Majorana usurpatur in pulvere cephalico, pulvere sternutatorio, decocto cephalico, syrupo de Artemisia, & in aqua apoplectica Pharmacop. Regiæ *Charas*.

## MALVA.

Inter plures Malvarum species tres potissimum in officinis usitatæ sunt, scilicet, Malva vulgaris flore majore, Malva vulgaris flore minore, quæ indiscriminatim usurpantur, & Malva rosea.

Malva vulgaris, Malva vulgaris flore majore, *Off.* Malva vulgaris, flore majore, folio sinuato, *J. B.* 2. 949. *Inst. R. H.* 95. Malva sylvestris, folio sinuato, *C. B. P.* 314. Malva sylvestris, major, *Tabern. Icon.* 768. Malva erratica 2. vel Malva equina, *Brusfels*: Malva vulgaris, *Parkins. J. Raii Hist.* 599. Malva sylvestris, *Gerardi*, Omnimorbia *nonnullis*: vulgo, *Mauve*.

Radix ei simplex est, alba, paucis fibris capillata, alte in terram descendens, sapore dulci & viscido prædita: caules sesquicubitales & altiores, ex eadem radice plures, teretes, hirsuti, medulla farcti, ramosi, minimi interdum digiti crassitudine fere. Folia singulatim per intervalla caules vestiunt, pediculis prælongis insidentia, subrotunda, ima, nonnihil laciniosa, in caulibus magis laciniata, brevi & vix conspicua lanugine hirsuta, atrovirentia, in ambitu crenata. Flores ex alis foliorum exeunt plures simul, pediculis longis, tenuibus, hirsutis innixi, ampli, monopetali, campaniformes, patentes, in quinque segmenta cordata ad imum fere usque divisi, purpurei, saturatioribus lineis striati, & nonnunquam colore albo variantes. Ex floris fundo emergit tubus pyramidatus staminibus purpurascentibus onustus: calyce sustinetur duplici. Interior quinque partitus arcte connivet & quinque lineas eminentes ostendit. Exterior tripartitus est. Ex calycis fundo surgit pistillum infimæ floris parti ruboque infixum, quod deinde abit in fructum planum, orbiculatum, placentæ umbilicatæ seu caseoli formam referentem, calyce involutum, constantem ex plurimis seminibus reniformibus, singulis capsula sua mem-

branacea peculiari cinctis axi fungoso, & striato ita cohærente ut singulæ hujus axis striæ capsulam suam quasi articulatione quadam excipiant. Juxta sepes, semitas & in locis incultis & ruderatis sponte crescit. Folia, flores & semina usitatissima sunt.

Malva vulgaris flore minore, *Off.* Malva vulgaris, flore minore, folio rotundo, *J. B.* 2. 949. *Inst. R. H.* 95. Malva sylvestris, folio rotundo, *C. B. P.* 314. Malva sylvestris minor *Tabern. Icon.* 769. *Parkins. J. Raii Histor.* 599. Malva sylvestris repens pumila, *Lobel. Icon.* 651. vulgo, *Petite Mauve.*

Hæc omnibus suis partibus præcedente minor est. Radix non minus alte in terram descendit, ita ut difficulter extirpetur. Caules tenujores, infirmiores, & in terram reclinati, hirsutiores etiam, verum lanugine breviori: medius tamen non raro erigitur. Folia minora, rotundiora, quæque in summis caulibus sunt minus laciniata præterea nigricant magis, & canitiem quamdam ostendunt. Verum præcipua differentia est in floribus, qui multo minores sunt, & ex pallida purpura albicantes, purpureis lineis striati. Non minus frequens est præcedente, & in eisdem locis proveniens. Indiscriminatim cum præcedente ad usum medicum legitur. Earum radices, folia, flores, semina usitata sunt.

Analysi chymica, ex foliorum & radicum Malvæ vulgaris recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere insipidi, & inodori; obscure acidi ℔j. ℥ix. ʒj. gran. lx. humoris limpidi, manifeste acidi, obscure subausteri ℔ij. ℥xij. ʒvij. gran. xxxvj. humoris rufi empyreumatici, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒiij. gran. xxxvj. salis volatilis urinosi concreti gran. xlviij. olei ℥ij. gr. xlij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥iiij. & densa erat: quæ rite calcinata reliquit cinerum leucophæorum (*gris de souris*) & densiorum ℥j. ʒvij gran. xxvj. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒvj. gran. lxij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. ʒj. gran. lxvj. in calcinatione ℥ij. gr. xlvj.

Malvæ succus chartam cæruleam non mutat, nonnihil glutinosus est, & saporem herbaceum fatuum tantummodo refert. Salem essentialem obtinet ammoniacalem cum oleo copioso, & uberiori phlegmate ita conjunctum ut mucaginem simul constituant, quæ igne in analysi destruitur. Attamen ab ea mucosa substantia Malvæ præcipua virtus pendet.

Malvæ in re alimentaria frequens olim fuit usus, & primum pene locum in mensis obtinuit, quæ hodie eviluit, culinis exulat, & ad Pharmacopœorum officinas prorsus relegatur. Pythagoras dixit Malvæ folium sanctissimum, referente Æliano *variæ historiæ lib.* 4. *c.* 17. Apud veteres in quotidiano pene usu erat, ut exonerarent ventrem, qua de causa & græcis μαλάχη ἀπό τοῦ μαλάσσειν ab emolliendo. Unde Martialis L. 10.

*Exoneraturas ventrem, mihi villica Malva*
*Attulit, & varias quas habet hortus opes.*

Galenus scribit nutrire Malvam mediocriter; & si trium istorum olerum Be-

Betæ Lactucæ, & Malvæ ſuccus comparetur, deprehendi ait, Betæ quidem tenuium eſſe partium, & abſtergendi virtute donatum: Malvæ autem craſſum magis & lentum: Lactucæ inter utrumque medium. Priſci non tantum coctam comedebant Malvam, ſed etiam crudam in acetariis cum Lactuca; & adhuc apud nos nonnulli vere novo cymas, & cauliculos Malvæ, Aſparagorum more, ex oleo, & aceto prima menſa manducant, ut venter fluidus evadat, ſed caveant, ne ſicut Cicero ab illis decipiantur. Scribit enim *lib. 7. Epiſtolar. Epiſtola ad Gallum*, ſe a Malva deceptum, quoniam ejus eſus alvi perfuſionem concitaſſet.

Utraque Malva indiſcriminatim uſurpatur; humectat, emollit, lenit dolores, urinæ acrimoniam mitigat, & alvum blande laxat. Inter quatuor herbas emollientes communes primum locum tenet: ſuntque Malva, Althæa, Viola nigra, & Acanthus ſeu Branca urſina: quibus adhuc aliæ quatuor minoris famæ nonnumquam adjunguntur, Mercurialis nempe, Parietaria, Sicla vulgo Beta, & Atriplex. Omnium ſiquidem uſus æque celebratur in decoctis enematum & cataplaſmatum emollientium parandis. Galenus obſervavit Malvam minus quam Lactuca refrigerare, quod obſervare licet, inquit, ſi ex ambobus viciſſim oleribus cataplaſma ad calidum quempiam affectum, quale eſt eryſipelas, componas; id quod factitare conſueverunt, molliuſcula folia perquam diligenter tundentes, donec ad lævorem exactiſſimum redacta ſint. Tum namque cognoſces Lactucam manifeſto refrigerare, Malvam vero modicum, & quaſi tepidum quemdam calorem obtinere. Reipſa analyſi in Lactuca ſal eſſentialis nitroſus deprehenditur, in Malva vero ammoniacalis.

Malvæ ſuccus ad ℥vj. vel ℥viij. utiliter exhibetur in viſcerum inflammationibus, melancholicis, maniacis, & mulieribus ægre parturientibus, teſte Matthiolo. Foliorum decoctum vel aqua diſtillata aſſidue pota in internis febrium ardoribus, peripneumonia, pleuritide, plurimum conferunt, dyſenteriam mitigant, in renum, veſicæ, & matricis inflammationibus, & abſceſſibus, dyſuria, ſtranguria, utilia ſunt. Grulingius *in praxi* decoctum vel aquam foliorum Malvæ ad ℥iij. cum ſyrupi violacei ℥jß. urinæ ardorem & acrimoniam mitigare, & reſtinguere illico prima doſi aſſerit. Quo remedio Foreſtus ſemetipſum dyſuria laborantem curaſſe teſtatur. Florum Malvæ infuſum in aqua, Theæ ad inſtar, quotidie mane ad ℔j. epotum a D. Chomel *in plantar. uſual. hiſt.* tanquam expertum remedium in dyſuria inveterata proponitur. Conſerva ex Malvæ floribus parata ab Amato Luſitano *cap. 6. curation.* 58. & ab Hochſtetero *in decad. 6. cap. 2. Scholio* in ſtranguria, dyſuria, & aliis affectibus urinariis, uti & pectoris ægritudinibus plurimum laudatur. Foliorum, & radicum cum Fœniculo, & Anetho decoctum lactitantibus copiam lactis affert. Folia, flores, & radices in juſculis & apozematibus temperantibus, & emollientibus utiliter præſcribuntur. Syrupus e ſucco foliorum Malvæ, & conſerva ex floribus præparata adverſus calculoſorum dolores commendantur.

Mal-

Malvæ radicum vel ſeminum decoctum ex aqua aut lacte per aliquot dies potum calidam tuſſim tollit, pulmonis exulcerationi medetur, & adverſus phthiſim commendatur. In clyſteribus adeo frequens eſt Malvæ uſus ut vix ac ne vix quidem ventrem emolliens ac dolores inteſtinorum renum, veſicæ, uteri mitigans clyſter præſcribatur, in quo Malva primas non occupet.

Parantur quoque ex ejuſdem foliis fotus, & cataplaſmata externis partibus imponenda, ad dolores ſedandos, inflammationes compeſcendas, humores acres temperandos, exaſperata lubricanda, tumores duros diſcutiendos, emolliendos, reſolvendos, & abſceſſus maturandos, & ad ſuppurationem perducendos. Coquuntur ex aqua vel lacte. Sæpe adeps puriſſimus vel olea cum foliorum expreſſa pulpa conſociantur.

℞. Radic. Althææ minutim ſectar. ℥ij. Folior. Malvæ, Biſmalv. Violar. & Acanth. ana M. ij. Seminum Lini & Fœnu-Græci ana ℥j. Flor. Chamæmel. & Melilot. ana M. j. Decoquantur in aq. comm. q. ſ. Decocto effuſo, cœtera contundantur, & pulpa per ſetaceum trajiciatur. Unicuique hujus pulpæ libræ addi poteſt axungiæ porcin. vel unguenti de Althæa ℥ij. vel olei Lilior. aut Chamæmel. ℥j. & coquendum iterum ad cataplaſmatis conſiſtentiam.

In tinea, & ulceribus capitis, ſicca cruſta, decoctum Malvæ pro lotione capitis ſingulariter commendatur. Ettmullerus hoc decoctum fieri jubet in aqua paululum acuata cum lixivio acri, aut urina ſana. Si vero tinea ſit humida, & achores ſint manantes, tum coquitur Malva cum Piſis in aqua ſimplici vel cereviſia. Alii unguentum ſeu linimentum parant ex Malva ejuſque radice ſubacta cum butyro majali non ſalito, & addita pauca camphora, & fit elegans linimentum, aſſerente eodem Ettmullero ad loca tinea, & achoribus affecta detergenda.

Malvæ folia uſurpantur in ſyrupo de Althæa Ph. Regiæ *Charas*: ſemina in ſyrupo de Hyſopo *Meſuæ*, Jujubino *ejuſdem*, Trochiſcis *Gordonii*, Looch ſano Pharmacop. Reg. *Charas*.

Malva roſea, *Off.* Malva roſea, folio ſubrotundo, *C. B. P.* 315. Malva roſea ſive hortenſis, *J. B.* 2. 951. *J. Raii Hiſt.* 600. Malva arborea ſive hortenſis, *Taber. Icon.* 756. Malva hortenſis, flore ſimplici, *Eyſtetens*: Haſtula regia, *Geſner. horti* cui & Malva Romana: vulgo, *Roſe d'Outremer* ou *Tremier*.

Ex radice longa, alba, lentum mucorem remittente, non alium quam Malvæ ſylveſtris ſaporem referente, aſſurgit ad arbuſculæ magnitudinem, ſtipite craſſo, ſolido, hirſuto, ramis aliquot brachiato. Folia alternatim longis mediocriter & lanuginoſis pediculis ex caule oriuntur, ſingula, lata infima & primum erumpentia rotunda, ſuperiora in caule anguloſa, quinque fere aut ſeptem interdum diviſuris inſecta, in ambitu crenata, ſupra obſcurius virentia, infra albidiora, utrinque piloſa, ſuperne tamen in nonnullis adeo brevi lanugine, ut vix diſcerni poſſit: ex quorum alis flores emicant, nunc ſinguli, nunc bini, ter-

nive, pediculis brevibus, succeſſive plures, roſæ vulgaris magnitudine; monopetali, campaniformes, patentes, & in quinque partes profunde uſque ad imum fere diviſi, colore vel rubro, vel puniceo, vel ſaturo ſanguineo, vel carneo vel albo, interdum luteo, iique modo ſimplices, medium occupante cono apiculis ſubluteis, & purpuraſcentibus prædito: modo multiplici petalorum fœtu luxuriantes. Inſident autem hi calyci geminato, cana lanugine pubeſcenti. Fructum poſt ſe reliquunt in piſtilli formam compreſſum, & Malvæ ſylveſtris ſimilem, ſed majorem. In hortis ſeritur. Flores uſitati ſunt.

Ipſa planta, inquit Ettmullerus, minus temperata eſt, quam ejus flores rubri præſertim, qui blande ſunt adſtrictorii, & ob hanc cauſam a Paracelſo inter vulneraria relati. Gargariſma ex his floribus cum lacte paratum a S. Paulli commendatur pro tonſillis male habentibus, ut magnæ efficaciæ remedium. Et ab Ettmullero laudatur hoc gargariſma anodynum in inflammationibus tonſillarum, angina, & faucium exulceratione. Quinetiam iidem flores exſiccati, pulverizati, & cum melle deſpumato, & aluminis tantillo mixti, ac gingivis illiti efficaciſſimum præbent remedium, affirmantibus iiſdem S. Paulli, & Ettmullero, adverſus oris gingivarumque corroſionem & laxitatem ſcorbuticam.

## MALUS.

MAlorum nomine fructus omnes molli tunica veſtiti intelliguntur, ex quibus Poma præcipue commendantur. Quin & Pomum etiam generale nomen eſt, cujus ſignificatio latius patet quam Mali: nonnulli enim nucem etiam hoc nomine complectuntur. Alii tamen nucem a Pomo ita diſtinguunt, ut Pomum ſit quicquid foris habet quod edendo eſt, durum intus includit: nux quicquid foris duriore corio tegitur, intus habet quod edendo eſt.

Malus autem ſive Pomus vulgo *Pommier* arbor eſt notiſſima, cujus duo genera diſtinguuntur, ſativum unum, & agreſte. Malus ſativa iterum in duo genera dividitur, majorem nempe, & minorem. Major ad arboris mediocris magnitudinem aſſurgit, minor vero vix arbuſculæ altitudinem ſuperat. Eorum fructus Malum ſive Pomum dicitur.

Malus ſativa, vulgo *Pommier cultive*, arbor eſt magis patula plerumque quam alta: cortice ſcabro, ſæpe muſcoſo obtecta, foris cinereo, intus flavo ac lævi potius quam aſpero, materie alba vel candicante, fragili, mediocriter dura, & variis utenſilibus parandis atque ad torni artificium haud incommoda: radice non valde multa, nec admodum profunda, ſed in ſummo fere terræ obhærente. Folia ex rotundooblonga, vel obtuſa vel acuminata, inferne villoſa magis quam ſuperne, præſertim nova, in ambitu crenata, alternatim poſita. Flores ſimul multi, ex brevibus tomentoſis

pedi-

pediculis, suaveolentes, rosacei, singuli quinque petalis candidis vel purpurascentibus, in orbem positis constantes, apicibus in medio subflavis, & calyce viridi quinquepartito, qui deinde abit in fructum carnosum, fere globosum, plerumque utrinque umbilicatum, in quinque loculamenta divisum, seminibusque fœtum callosis & oblongis. Hic fructus Malum dicitur, magnitudine & figura varius: quippe alius rotundus, alius turbinatus, quidam angulosus. Sunt etiam qui ad pugni gemini magnitudinem accedunt, sunt & parvi, & mediocres, tunica omnes contecti vel pallida, vel flavescente, interdum rubra aut ex toto aut ex parte, rarius subcinerea, aut ad glaucum vergente, cui caro seu pulpa subest mitis, odorata in maturis, in immaturis & sylvestribus durior: sapore vel dulci, vel subacido aut vinoso, vel acido dulci: in sylvestri, austero atque acerbo. Pediculo suo unusquisque adhæret, eo ipso longitudine & crassitudine diverso, e parte inferna, atque utplurimum cavata, rarius prominente emerso, in cujus opposito, parte nimirum superna, est id quod πυθμένα quidam vocant ex Polluce, alii ὄμφαλον umbilicus seu cavitas quædam, cui inutile floris residuum insidet. In ipso fructus meditullio, seu volva Scribonio dicta, semina latitant oblonga, altera parte obtusa, altera acuta, qua petiolum spectant, intus latentia, per maturitatem nigra, membranis quibusdam cartilagineis, ceu parietibus intergerinis sejuncta, ita ut singula in singulis latitent cellulis, interdum etiam gemina, quorum medulla candida, sapore subdulci.

Mali unam dumtaxat speciem J. Raius agnoscit. Infinitas quæ feruntur species, varietates tantum esse existimat, accidentibus quibusdam, magnitudine, figura, maturescendi tempore, differentes, quæ sationi originem suam debent: cum ex seminibus satis novæ in dies exoriantur. Nonnihil varietatis quoque ex insitione emergit, qua nempe succus ex acerbo aut acido in mitem mutatur.

Amat quævis fere loca Malus, si ferventiora excipias, sed maxime temperata aut etiam humidiora, non tamen frigidissima. Rara est in interiore Italia & Gallo-provincia ob cœli fervorem. A Normannis ob potum quem ex ejus fructo parant, præcipue celebratur & seritur diligenter.

Mala seu Poma apud nos secundas mensas toto fere anno instruunt. Eorum, ut diximus, plures sunt differentiæ, quas hìc recensere operosissimum & inutile foret. Quasdam tantum apud nos usitatiores indicabo.

Mala Paradisiana *Ruellii de natura stirp.* 251. Poma seu mala præcocia, *Tabern, Icon.* 998. vulgo, *Pommes de Paradis*: præparva sunt, mellea dulcedine, præcoci celeritate quasi verna, & omnium fere Pomorum fugacissima. Alia fructu sunt candido, alia fructu rubro.

Poma Rambura *Ruell. de n. stirp.* 251. vulgo, *Pommes de Rambour*: prægrandia, rotunda, callo fragili, tenero, mira & suavitate gustus & teneritudine, ita ut in ore frusta liquescant, sed ut fugientia diu servari non possunt. Facile ad prunas assantur, & ægris potissimum destinantur.

Poma

Poma Capendua, *Ruell. de n. ſtirp.* 251. Poma Capenduta, Curtipendia ſive Curtipenda, *Carol. Steph. Præd. ruſtic.* 147. Mala Ceſtiana quibuſdam, *Lugd.* 286. Mala Curtipendula dicta, *J. B.* 1. 21. vulgo, *Pommes de Courpendu* ou *de Capendu* ou *Pommes de Bardin*. Sic dicta ſive quod brevi pendeant pediculo, ſive Carpendula ἀπό τοῦ κάρπου a fructu ut vult Lud. Duretus, quod inter fructus primas teneant: magnitudine media, colore alia griſeo, alia rubro, alia rufa, alia dura, odoratu ſuavia, ſaporis grati, minime fugacia.

Renetea, Mala Praſomila, *C. B. P.* 433. Poma Renetia, *Caroli Stephan. Præd. ruſtic.* 147. acido dulcia ſunt & vulgatiſſima, quorum plures diſtinguuntur ſpecies; alia enim e viridi palleſcunt, *Renettes vertes*; alia albicant, *Renettes blanches*; alia flaveſcunt, *Renettes rouſſes*; alia e viridi ferrugineo colore diſtinguuntur quæ *Renettes griſes*, & inter cetera plurimum commendantur.

Roſea Mala *Petri Gontier de ſanitate tuenda* 196. & Poma Appiana *ejuſdem*: Mala Apiola & Mileroſa *Matthiol.* quorum ſpecies duæ, majora & minora ſunt: colore albo & roſeo elegantiſſima, inodora, ſed propter coloris gratiam, & propter aquæ delicioſæ ubertatem, qua os mandentium abluunt & ſitim reſtinguunt, a principibus, fœminis aut aliis delicatulis plurimum expetita.

Paſſipoma ſeu Calvilæa, *Petri de Gontier ſanitate tuenda* 196. Paſſipoma, *Ruell. de n. ſtirp.* 251. mediocri ſunt magnitudine, turbinatiore figura, carne ſuavi, dulci, prætenera, guſtu perquam jucundo, ſemine per maturitatem in utero ſonante. Eorum tria ſunt genera, alba & inodora, *Calvilles blanches*; rubra, foris & intus rubro colore tincta, & odore quaſi violaceo fragrantia, Erythromelon magnum, Pariſiacum, *J. B.* 1. 14. *Calvilles rouges* ou *Calvilles d'automne*: dilute rubentia, *Calville clair.* Saporis gratia omnibus aliis, ut mihi videtur, antecellunt, potiſſimum ſi nimis non maturuerint, quo tempore farinacea guſtu percipiuntur. Sed ut mire placent, ita cito fugiunt.

Poma Caſtinia, *Ruell. de n. ſtirp.* 252. *Pommes de Chataignier* ou *de Martrange*: ſunt oblonga, dura, mediocri magnitudine, ſapore auſteriore quaſi caſtaneæ.

Poma Francetura, *Ruell. de n. ſtirp.* 252. *Pommes de francatu*. Rotundo habitu & amplo, colore partim rubro, partim luteo, grata acerbitate, quæ tandem in dulcedinem degeneret. Diu ſervari poſſunt & annicula ſæpe reperiuntur.

Poma Fœniculata oblonga ſunt, mediocri magnitudine, colore e cinereo ferrugineo, ſapore grato, dulci, ſaccharato, ad Aniſi vel Fœniculi fere ſaporem accedente. Ideo *Fenouillettes* ou *Pommes d'anis*.

Harum & aliarum fere innumerarum Malorum ſpecierum non eadem eſt temperatura. Errant igitur, qui de Pomorum qualitatibus judicium ferunt nulla adhibita diſtinctione. Ratione ſaporis quem Medicus primario reſpicit, alia ſunt dulcia & fragrantia ut noſtra Calvilæa, & acido-dulcia ut Renetea quæ per tempus omnino dulceſcunt,

quæ

quæ utpote temperata saluberrima censentur, frigidis aut debilioribus stomachis conveniunt, reficiunt, ac nutriunt, & egregium præbent alimentum medicamentosum. Alia sunt acida, ut sunt ea quæ dicuntur apud nos *Pommes cousinottes*, quæ refrigerant, conducuntque ventriculo crasso ac viscido humore repleto, utpote quem acida hujuscemodi incidunt ac detergunt. Flatus tamen, & alvi obstructiones pariunt: & si cruda frequentius comedantur, nervis nocent. Quædam sunt aquosa, & fatui saporis, quæ cum facillime in ventriculo corrumpantur, nullius fere usus sunt. Quædam austera sunt, ut Poma Castinia, quæ crassioris sunt substantiæ, tardius per alvum descendunt, eamque sistunt, constringunt, & roborant. Immoderate comesta colicos dolores pariunt.

Rejicienda omnis generis Poma, antequam in arboribus maturuerint, decerpta. Concoctu enim difficilia sunt, tarde permeant, pravi sunt succi, & eximie nocent: unde variis, & gravibus morbis tenentur pueri fœminæque, ingluviem Malis vix dum inchoatæ maturitatis explentes. Cruda omnia, recens lecta flatulenta sunt, in debilioribus ventriculis difficile coquuntur, colicos dolores pariunt, & a nonnullis dicuntur nervosis partibus infensa. Optima sunt Renetia nostra, quæ in hyemem, & ad proximum ver usque asservantur, ceu non ita cruda, humida, & flatulenta: ita enim maturitatem quam non plenam a sole acceperant, ab ætate nanciscuntur.

In repositione Poma caduca bene separanda, ne putredine sua cœtera inficiant. Cœlo sereno collecta super asseribus collocentur, vel super palea triticea in loco frigido reponantur spectantibus fenestris ad aquilonem, vel in hordei acervo sepeliantur. Ab aliis per seriem in dolio, substrata, & superimposita palea, reconduntur; sic extructis variis Pomorum, & paleæ areis aut stratis, donec impletum sit dolium, illud ita accurate operiunt, ut aerem non admittat. Sic in vernum usque tempus durant, ac magna copia huc ex Arvernia nobis quotannis afferri solent. Verum ne a frigore nimio congelentur, diligenter cavendum est: ideoque cum gelu vehementer ingruit, vel stragulis superjectis, vel telis cannabinis aqua madidis vel copioso stramine præsertim avenaceo, contegenda sunt, vel in cellam subterraneam profundiorem recondenda, ubi a gelu etiam vehementissimo tuta, & illæsa latitant. Quod si incuria semel congelata fuerint, non igni admovenda ut restituantur, sed in aquam frigidissimam conjicienda, ut pristinam naturam recuperent: gelu scilicet ab interioribus ad externam Malorum superficiem, quæ glacie paulo post cooperta reperitur, revertente: quod equidem mirum. In ovis congelatis non modo idem evenit, sed etiam in omnibus corporis humani partibus quæ gelu rigent; quare talis pernionibus afflictis idem præstitisse auxilio fuerit.

Coctione, & assatione omnium malitia emendatur, & flatulenta tollitur. Coquendi autem varia est ratio. Assantur, elixantur, friguntur, variis modis condiuntur cum saccharo, cum butyro, aut aromatis quibusdam. Ex iis placentæ conficiuntur, opera dulciaria diversa fabrican-

cantur, pastæ gelatinæ parantur. Secta per medias, seminibus membranisque purgata in furno siccantur.

Licet Poma sint cuilibet genti gratissima, quibus ob salubritatem, & suavitatem odoris saporisque nec ulla mensa caret nec officina pharmaceutica, quæ eorum succis utitur ad confectionis Kermeticæ, & syrupi Regis Sapor condituram, ut etiam ipsorum carne ad unguenti Pomati confecturam, nihilominus Arabes de illis sinistre admodum sentiunt. Averrhoes *V. colliget cap. XL.* sic loquitur. „ Poma generant „ grossam ventositatem in secunda, & tertia digestione, & possunt „ inducere phtisim, & hecticam: quia flatus ab illis elevatus habet „ proprietatem ad erodendas arterias pulmonis. " S. Sethi illa proprietate quadam nervis obesse scribit. Rhasis *ad Almanzorem*, implere Poma viscosis humoribus stomachum: *in Aphorismis* vero Poma acria oblivionem inducere asserit. Hippocrates quoque *Lib.* 5. *Epidemior. sect.* 7. docet oculis noxam afferre Lentem, Poma dulcia, & olera: Idem *Lib. 3. de Diæta IX.* 4. inquit: „ At Poma fortiora sunt, „ quam pro humana natura. Melius est igitur a Pomis abstinere. „ Si vero quis cum cibis utatur, minime deliquerit. " Caspar Hoffmannus Pomorum crudorum malitiam comprobat motus exemplo cujusdam Jurisconsulti Scipionis Gentilis dicti. Hic laborabat vertigine, quam duo maximi Medici frustra tractabant. „ Relata re, inquit, „ ad Matthæum patrem, qui tum in Anglia vivebat, responsum „ venit. Tu nimis caperis crudis Pomis post prandium, & cœnam, „ quæ indicibiliter corrumpuntur. Abdica, & viceris. Factum fuit ut „ dictum est. " Nec magis Pomis favet S. Paulli *in quadr. Botanico*, qui sexagesimum tertium ætatis annum agens narrat se ab anno quadragesimo cordis palpitatione per longa mensium intervalla, & plerumque sub autumnum infestari, quæ quidem a Pomorum crudorum esu augebatur. Hæc autem sunt illius verba. „ Laudabunt igitur alii, „ quanto velint opere, usum Pomorum adversus gravissima cordis symptomata, per me licet: ego vero, qui antehac numquam esum „ mitiorum sed crudorum Pomorum a prandio, & cœna aversatus sum, „ manifeste adverti, me non quidem vertigine, instar Scipionis Gentilis, corripi, sed perfacile ab illorum esu cordis palpitatione infestari, eamque pertinacius mihi molestam fuisse, nisi sub autumnum „ venam brachii fero incidendam curarim; ab iis crudis, licet mitibus „ jam abstinere aut rarenter iis vesci sum solitus: præsertim cum semel „ atque iterum incubum ea nocte sim passus, qua a cœna suavitate „ Pomorum crudorum captus, ad satietatem usque ea esitavi. " Galenus *de cibis* 8. scribit Poma, & Pyra medicamentum potius esse quam alimentum. Idem succi Malorum pravitatem arguit ex eo quod expressus succus facile acescat, & ebulliat statim ut mustum. Quod de crudis Pomis intelligendum. Cocta autem minus nocere idem Galenus *lib. de victu atten.* 2. concedit. Schola Salernitana cap. VII. de vitandis cibis sic canit:

Per-

*Persica, Poma, Pyra, & Lac, Caseus, & caro salsa:*
*Et caro cervina & leporina, bovina, caprina:*
*Atra hæc bile nocent, suntque infirmis inimica.*

Dicuntur & calculum illis generare, qui ad satietatem utuntur; inquit Arnaldus Villanovanus, *in commentariis in Scholam Salernitanam*.

J. Bauhinus se vel suo periculo didicisse scribit fungosam Pomorum substantiam ventriculo frigidiori atque intestinis haud esse commodam. Nam præterquamquod diu in ventriculo obhærescit, flatus excitat atque dolores: adeo ut ab illis, & coctis, & crudis abstinere cogeretur. Pyra vero sive cruda sive cocta facilius ferebat, meliusque digerebat. Anasarcam ab iisdem nimia quantitate ingestis ortam aliquando fuisse, particularis Ridlini observatio est *in Actis Lips. ann.* 1709. *p.* 317.

Verumenimvero quidquid dicant Pomorum accusatores, Poma sanis alimentum præbent familiariamum, & quamplurimis saluberrimum, ægrotantibus quibusdam non solum innocuum, sed etiam utile, in primis melancholicis, si eis in prandio, & cœna vescantur, aquam tantummodo pro potu bibentes. Sic enim facile digeruntur: ægre vere concoquuntur in ventriculo, si vino consocientur. Confitendum est tamen ea non omnibus naturis convenire, non nimia quantitate devorari debere, nec nisi bene matura comedenda, sæpius cocta crudis anteponenda; nec sola, sed cum cibis, & præsertim cum pane esitanda, & diversa Malorum genera diversis naturis, aut affectionibus esse accommodanda. Ipse Galenus nos docet quodlibet genus Mali in suo genere non spernendas dotes obtinere, nec a mensarum honore repellenda. Austeris Pomis utendum, cum in ventriculus vel propter calidam intemperiem, vel copiosam humiditatem imbecillus fuerit; acidis vero; quando crassus succus, qui non magnopere frigidus fuerit, in stomacho collectus fuerit: alvum quidem humectant, & dejectiones movent, incidendo crassos humores, qui in ventriculo sunt; quod si vero ventriculum purum, & pravi humoris expertem invenerint, ventrem magis sistent. Dulcia autem Mala cum ad calidam qualitatem vergant, frigido ventriculo conveniunt, ventrem solvunt, minimeque inflationes movent, ac saluberrima habentur. Calvilæa, & Renætia cœteris antepono: hæc acido-dulcia sunt ac per aliquod tempus asservata prorsus dulcia evadunt: illa prorsus dulcia sunt. Utraque gustu sapido grato, odore fragranti. Unde non immerito inter cardiaca recensentur, nempe ratione tenujum partium, quibus donantur.

Analysi chymica, ex Renæteorum Malorum ℔v. semotis seminibus, membranis cartilagineis, & pellicula, per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, fere inodori, & insipidi, obscure acidi ℔j. ℥ix. ʒij. gr. lx. humoris manifeste acidi magis ac magis impense, deinde magis ac magis austeri ℔ij. ℥ix. ʒvj. gr. xxxvj. humoris rufi empyreumatici, impense acidi, & maxime austeri ℥iij. ʒvij. gr. xlij. olei spissi ad instar extracti ʒij. gr. xxx. Massa nigra in retorta residua pendebat

℥v. quæ per sex horas rite calcinata reliquit cinerum ʒij. gran. xxiii. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ʒj. gr. xxxvj. fuerunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒiiij. gr. xlviij. in calcinatione ℥iiij. ʒv. gr. xlviij.

Calvilæa mala humores præbuerunt minus austeros, paulo minus acidos, oleum minus crassum.

Utraque Mala contusa, & expressa succum præbent sapore dulcem, nonnihil mucosum, musto fere similem, qui per fermentationem vinosus fit, ac tandem acescit. Succus fermentatus, & vinosus non parum spiritus ardentis distillatione fundit. Mala, & eorum succus odorem fragrantissimum, & sæpe sua vehementia molestum spargunt. Salem essentialem obtinent tartareum, sed tenuiorem quam in uvarum succo, qui quidem sal fermentatione vel leviori volatilis fit, & in auras dissipatur. Tenuibus hisce partibus salino-acidis cum sulphureis aut mucosis nonnullis etiam tenuibus intermixtis, & consociatis. Mala, & eorum succus plurimum pollent adversus melancholiam hypochondriacam, & alias melancholicas affectiones, spissiorem sanguinis, & humorum crasim dividendo, attenuando, blandam in sanguinem fermentationem suscitando, obstructiones resolvendo; cordis palpitationi, spasmodicis motibus sæpe medentur, & hac ratione inter cardiaca medicamenta recensentur. Alvum blande laxant, & pertinaces alvi melancholicorum constipationes solvunt. Bilem subtilem, & acriorem temperant, & involvunt, atque in febribus ardentibus plurimum conducunt: sitim sedant, & eorum decoctum pro potu vel julapia ex his parata febricitantibus utiliter exhibentur. Prosunt etiam in ictero, in hepatis, & glandularum mesenterii infarctu. Cocta Mala, tenujoribus partibus exhalatis, succo suo mucoso tartareo abstergentem, emollientem, involventem, temperantem & orgastices sanguinis commotiones compescentem qualitatem offerunt, tussim leniunt, expectorationem promovent: & in decoctis bechicis usurpantur. Hecticis, phthisicis utile præbent medicamentosum alimentum. Serum lactis in quo Renetæa aut acida Mala decocta fuerunt, æstuantia viscera temperat, humorum effervescentiam compescit, ardore & acrimoniam demulcet, obstructiones aperit, & alvum blande emollit & laxat.

℞. Seri latis ope coaguli vitulini separati ℔ij. Poma Renetæa redolentia taleolatim secta n. ij. Coquantur per semiquadrantem horæ. Fiat colatura, qua dissolve syrup. de Pomis simpl. aut alterum pro indicatione. Hauriat æger per vices vel mane jejuno ventriculo, vel tertia, aut quarta quaque hora, ad ℥v. vel ℥vj. pro singula dosi.

℞. Radic. Cichor. Fragr. ana ℥j. cortic. Tamarisci, & Cappar. ana ℥ß. Coquantur in aq. communis ℔iiij. ad ℔iijß. Tum adde Malum Renetæum taleolatim sectum, & folior. Agrimon. Hepatic. Ling. cervin. & Ceterach. ana M. j. Summitatum Lupul. M. ß. Coquantur per semiquadrantem horæ. Fiat colatura pro apozemate aperiente, in quo dissolve syrup. de Pomis vel Violar. ℥iij. Dividatur in sex doses.

℞. Hor-

℞. Hordei perlati, & Orizæ ana ℥ß. Radic. Gramin. M. j. Coquantur in aq. comm. ℔iiij. ad ℔iij. Tum adde Liquiritiæ rasæ, & contusæ ʒj. Passular. excacinatar. ℥ß. Ficus, & Dactylos ana n. iiij. Coquantur per horæ quadrantem. Sub finem adde Pomum Renetæum ad ignem tostum. Fiat colatura, pro decocto pectorali.

Gesnerus in vitiis pulmonis, & dyspnœa Pomum assum excavatum, & drachma thuris repletum felici cum successu comedendum dedit. Idem remedium adversus pleuritidem plurimum commendatur. Sudorem nonnunquam movendo sanat. Quidam cum succo Pomorum acidorum limaturæ martis affuso tincturam seu extractum martis præparant in viscerum obstructionibus utile. Alii salem martis cum syrupo de Pomis simplici vel purgante consociant ad puerorum, & infantium cachexiam debellandam, necnon etiam ad rachitidem incipientem arcendam.

℞. Salis martis ʒij. Solve in infusi Gentianæ ℥j. Adde syrup. de Pomis simplic. ℥ix. Misce Dosis ℥ß. ad ℥j. bis in die.

Externe cataplasma ex carne Pomorum igne assorum, vel in aqua aut lacte coctorum pulmenti ad instar in ophtalmia, & inflammationibus aut doloribus oculorum, necnon etiam ad oculos ex percussione, & contusione vulneratos plurimum commendatur. Nec minori commodo Poma putrida oculorum inflammationibus aut tumoribus quibuscumque imponuntur. Memorabile est experimentum, quod S. Paulli refert in *quadr. Botanico*. „ Recordor, inquit, honestissimam matronam mihi „ fassam, sibi a Lithotomo quodam Stralsundensi, femur gangræna „ correptum, omnino restitutum esse, postquam illius suasu Poma „ putrida contusa, & sine ullius liquoris affusione cocta, cataplasmatis „ forma semel atque iterum applicuisset. " Ab Ettmullero aqua ex Pomis putridis per alambicem distillata magnopere laudatur in quibusvis inflammationibus, & contra gangrænam; non secus ac adversus fluxus sanguineos vulnerum, atque ulcera maligna putrida antiqua ex quacumque causa orta, ut & in ambustis. „ In hac aqua, inquit idem, „ si solvatur Mercurius dulcis, vel saccharum saturni, fit egregia ad „ ulcera phagædenica, telephia, & cacoethea, quæ experta est a „ quamplurimis, & arcana esse dicitur nonnullis: item in cancro „ putrido, & corrosivo prodest, si scilicet linteum quadruplicatum hac „ aqua humectatum imponatur, & quidem hoc non in cancro solum, „ sed etiam in ulceribus corrosivis verum esse experientia Chirurgorum „ constat. " Hactenus Ettmullerus, qui etiam eamdem aquam cum saccharo saturni mixtam, & cum linteis impositam egregiam dicit in ambustis.

Succus Pomorum usurpatur in confectione Alkermes Ph. Reg. *Charas*, in syrupo de Pomis laxativo *Regis Sapor*, & in syrup. de Pomis comp. D. Blondell. *In collect. Pharmac. Penicher*. Poma Renetæa usurpantur in unguento pomato officinali *P. Reg.*

Inter omnes ex fructibus paratos potus post vinum, Pomaceum præstat. Hoc utuntur præsertim inferioris Neustriæ sive Normanniæ populi, vocantque vernacula lingua *du Cidre*. In Vascitania, necnon

in quibusdam Hispaniæ regionibus, ubi ob cœli inclementiam exiguus est vini proventus, familiaris etiam ejus est usus. Sic fere conficitur.

Poma leguntur carnis solidiusculæ, & multi succi, medio circiter Septembre, cœlo sereno. Hæc in acervum congeruntur, & soli per dies triginta exponuntur, ut qui in iis redundat aquosus humor, consumatur. Hæc sinuntur, donec maturitatem fere adepta sint, quo scilicet tempore gratum exhalant odorem. Si enim nimis maturentur, Pomaceum fiet aquosum debile: quare debent esse in primo maturitatis gradu. Deinde molis versatilibus, & trusalitibus contunduntur, prælo committuntur, tum in cupas deferuntur, ubi vini in modum fervent. Quod si Mala sint asperioris saporis, solidæ carnis, & pauci succi, modicum aquæ vel in cupas vel in prælum aspergitur, ut facilius comminuantur, & Pomaceum non pinguescat. Qui primus succus exprimitur, Pomis vi præli non conculcatis, sed mola tantum crassiuscule contusis, cæteris omnibus dulcior meliorque existit, & seorsim in doliis potest recondi. Poma vero in tinis residua post sufficientem fermentationem, & ebullitionem prælo committuntur, ut denuo conculcatus succus eliciatur, qui vinosior dici potest, & priori potentior seu acutior. Hic doliis inclusus de novo fervescit, fermentatione purgatur, ac tandem in vasis rite occlusis, partibus heterogeneis secretis clarus evadit. Secundarium Pomaceum fit, cum magma Pomacei conteritur secundo, & comminuitur, tum multa aqua affunditur, maceratur ac tandem fervescit. Hoc longe debilius famulitio debetur.

Est alter Pomacei parandi modus, sed hoc priore longe inferior: cum scilicet ipsa Poma contusa, & contrita in dolium injiciuntur, quod aqua postmodum repletur, maceratur, fermentatur, despumatur, donec aqua Pomorum virtute sit imbuta, & succo vinoso saporata: hinc usui asservatur.

Variæ autem sunt Pomacei differentiæ, a colore, sapore, & parandi modo petitæ. Aliud enim coloris est rubelli, ut quod fit ex Pomis foris intusve rubescentibus: aliud flavescit, & est coloris Citrii, unde Citrum, & corrupte Cidrum nominari nonnulli contendunt. Licet alii hoc nomen derivent a Sicera, antiquissima voce, quæ licet Hebræa, tamen latinum sonat, & omnem significabat potionem quæ extra vinum inebriare potest. Aliud ut aqua limpida clarescit.

Paratur delicatissimum Pomaceum ex Pomis dulcibus, & fragantibus, quod gustu dulce acutum deprehenditur. Mediocriter calefacit, satis nutrit, & omnibus stomachum frigidum habentibus utile. Dum recens est, flatus generat.

Ex acidiusculis Pomis quod concinnatur, acidiusculum quidem est, sed æstate magis clarescit, minus calefacit, sitim extinguit, sed frigidius, & crudius existit, difficilius digeritur, atque modicum nutrit. Acidum autem Pomaceum, sive hoc habeat a Pomis acidis, sive acorem tempore contraxerit, facile permeat, jecori, & stomacho æstuantibus apprime utile est, bilem obtundit, vomitus, & fluxus biliosos sistit.

Quod

Quod ſi dulcibus acida Poma miſceantur, citius aceſcit, ſed non omnino illaudandum.

Ex Pomis ſylveſtribus quod fit, diutius ſervatur, ſed non æque jucundum: aſperum eſt & ſanitati minus proficuum; nonniſi poſt longum tempus aſſumendum.

Recens paratum, nondum defœcatum inſalubre eſt, obſtructiones facit, cephalæas parit, ſtomachum lædit, at vero ex Pomis ſuo tempore collectis, bene maturis, nec diutius aſſervatis paratum, ſi bene defœcatum fuerit, & media ætate bibatur, omnium ſaluberrimum. Tunc quippe vini vires prope æmulatur, humectat & nutrit, caput non ferit, viſcera non calefacit, a morbo ſe recolligentibus, phthiſicis & præſertim melancholicis apprime utile cenſetur. Vetus quod exiſtit non ita laudandum.

Malus agreſtis, *Pomnier ſauvage*. Minus fere procera eſt quam ſativa, tortuoſior, ramoſior, ſtrigoſior, materie, ut putatur, duriore firmioreque. Multiplex ramorum & ſurculorum incondita diviſura agreſtem & incultum habitum facile oſtentat. Folia quam ſativæ magna ex parte minora, conſtrictiora. Flores ſativis ſimiles, ſed fere minores, egregie odorati, interdum ſubrubelli. In fructu differentia præcipua; qui parvus & raro Juglandem æquans, magnitudine fere Meſpili, ſed figura rotundior, longiuſculo, ac tenui pendet pediculo, cortice ſeu cute viridi, tandem & flaveſcente, quorumdam etiam pulchre rubente. Sed nec ſubſtantiæ mollitie, nec ſaporis convenientia unquam ad ſativa accedunt, ac ne quidem ad infimæ notæ acidiſſima vel auſtera. Tanta pollent adſtringendi facultate, tantaque acerbitate, ut eſui plane inepta, nec unquam coctura aut alio modo fiant apta. Malorum agreſtium non minus quam hortenſium & cultorum plures habentur ſpecies, quorum enumeratio inutilis foret. In ſylvis & ſepibus frequenter occurrunt.

Fructus vehementer auſterus eſt, acidus & adſtringens; nec minus ſuccus e contuſis & prælo expreſſus, cujus uſus eſt apud quoſdam, & agreſta a nonnullis dicitur. Piſces in eo coctos firmiores fieri & ſapidiores aſſerunt.

Succus ille cum flore Cereviſiæ mixtus & impoſitus utilis dicitur adverſus ignem ſacrum, ſcabiem, inflammationes quaſdam, potenter enim repercutit. Oculis inſtillatus eorum inflammationes ſedat. J. Rajus illum ad ſcrophulas commendat.

℞. *Inquit*, ſucci Pomorum ſylveſtrium q. ſ. eoque calefacto diligenter detergantur ulcera ſtrumoſa. Deinde lana nigra oleo e pedibus bovinis prius humectata tepide imponatur; quæ per aliquod tempus continuata ſtrumas ſanant.

## MALUS GRANATA sive PUNICA.

GRanatæ seu Punicæ Mali genera duo in officinis distinguuntur, Punica sativa & sylvestris. Hæc *Balaustium* a nonnullis dicitur; illa vero in plures adhuc species dividitur ratione magnitudinis fructuum, saporis aut coloris, ut mox dicemus.

Observandum est Mali Punicæ flores & fructus diversa nomina sortitos fuisse apud veteres. Flores sativæ Punicæ Κύτινοι dicuntur Dioscoridi *L.* 1. *cap.* 152. & Galeno 6. *simplic.* At Galeno 6. *secundum loca*, cytinus fructus rudimentum est, quod deciduo flore primum apparet & formatur: & Plinio *L.* 23. *cap.* 6. „ Primus hujus Pomi partus florere incipientis cytinus, vocatur græcis: & in hoc ipso cytino flosculi sunt, antequam scilicet malum ipsum prodeat, erumpentes, quæ Balaustia vocari diximus." Hæc Plinius. Verum Βαλαύστιον sylvestris Punicæ flos est Dioscoridi *L.* 1. *c.* 154. Officinæ Plinium sequuntur, & Punicæ tam sativæ quam sylvestris flores citra distinctionem Balaustia vocant, quibus cytinorum appellatio de sativis ignota est. Cytinus Theophrasto calyx est floris, quo flos continetur: adeo ut cytini significatio apud græcos ambigua sit.

Mali Punici putamen, quod tanquam corium sit, Pomorum cute durius, nucis involucro tenerius, malicorium vocant, nonnulli psidium, quod græcis Σίδιον Dioscoride monente, nunc τὸ τῆς ῥοιᾶς λέμμα ἀπὸ τοῦ λέπειν, id est decorticare dicitur. Plinius loco citato, sic loquitur: „ Vulgus ex Punicis acerbis coria perficere novit, ob id Malicorium appellant Medici. Cicus vel cicum Varroni membrana est tenuis, acinos in malo Punico discriminans.

Granata sive Punica Malus sativa, *Off.* Punica quæ Malum Granatum fert, *Cæsalpin.* 141. *I. R. H.* 636. Malus Punica sativa, *C. B. P.* 438. Malus Punica, *J. B.* 1. 76. *Raii Hist.* 1462. Malus Granata sive Punica, *Tabern. Icon.* 1033. vulgo, *Grenadier Domestique* & fructus Granatum sive Punicum Malum, *Grenade*.

Humilis arbor vel potius frutex est, quamvis interdum culta, stolonibus abscissis in justam etiam arborem excrescat, ramis tenuibus angulosis brachiatam, quos armant spinæ rigidæ aliquot, oblongæ, subrectæ, cortex obducit rubescens. In his folia incondita, Myrti vulgaris vel Oleæ æmula, non ita acuta, nitide virentia, pediculis annexa rubentibus, rubrisque intercursantibus venulis prædita, adversa parte nervosa, odore gravi, præsertim si manibus contractata natibus admoveantur, canum halitum feliumque urinæ graveolentiam aliquo modo referentia. Ex ramorum lateribus flores emicant rosacei, pentapetali, punicei, quorum medium occupant complura stamina cum suis apicibus, quorum cytinus seu calyx, Puniceo etiam colore ful-

fulget, uncia longior, coriaceus, campaniformis, in quinque lacinias mucronatas divisus, quæ postea Pomi succedentis umbilicum coronant. Calyx abit deinde in fructum fere globosum, hinc inde nonnihil compressum, variæ magnitudinis, maximis Malis fere æqualis. Cortex mediocriter crassus veluti coriaceus, duriusculus tamen & fragilis, ante maturitatem viridis, ac lævis, post puniceus & rugosus, qui tandem etiam ad spadiceum accedit, intus luteus, gustu adstringens, numerosis acinis plenus, in varia loculamenta dispositis, in aliis colore intense rubro, in aliis amethystino, succo vinoso abundanti refertis, dulci alias, alias acido, interdum medio, favorum modo dispositis, carnosis membranaceisque dissepimentis ceu parietibus integerrimis circumseptis, amaris, modo candidis, modo purpurascentibus, cum placenta in medio sita. Singuli acini semen seu granum condunt unicum, oblongum, gigartorum vitis simile, constans ligneo cortice & nucleo amaro, non tamen sine adstrictione. Reperitur singulare quoddam hujus Mali genus quod nullum in acinis semen continet, verum hoc accidentarium est & ex lusu quodam naturæ. In Gallia Narbonensi, Gallo provincia, Italia & Hispania sponte nascitur. In frigidioribus Galliæ provinciis in hortis colitur, & hyeme curiose contegitur aut in cellis reponitur: alioquin a frigore læditur. Flores, fructum acini, succus, nuclei, & cortex in usum veniunt.

Mali Punicæ fructus ratione saporis in tres species distinguuntur in officinis, alii saporis sunt acidi & magis usitati, alii sapore dulci, alii vero sapore medio inter acidum & dulcem, seu, ut ajunt, vinoso: ut sapore, ita viribus nonnihil inter se differunt. Succus acidus ex acinis Mali Punici acidis expressus distillatione phlegma primo saporis expers fundit, deinde humorem acidum, parum olei & mediocrem terræ portionem relinquit. Si succus ille expressus & defœcatus in cellis reponatur in vase clauso, salem essentialem præbet copiosum & sapore acidum. Succus vero ex vinosis & dulcibus, minus acidi humoris in distillatione suppeditat, paulo plus olei: minorem quoque salis essentialis quantitatem deponit, si in loco frigido reponatur. Horum tum acidorum, tum dulcium, tum vinosorum succus, si tempore calido sibi ipsi relinquatur, fermentescit, & vinosus fit. Si vero diutius deferatur, in acetum convertitur. Ex hoc succo debite fermentato & vinoso facto spiritus ardens extrahi posset, veluti ex fructibus omnibus fermentatis fieri solet.

Acinorum nuclei seu semina humores distillatione præbuerunt acidos, impense austeros cum alcali urinosi liquoris tantillo, olei non mediocrem portionem: At massa nigra superstes & copiosa per 16. horas calcinata pro majori parte in fumum & flammam abiit & residua portio exigua nigredinem suam nondum deposuerat: paululum salis fixi mere alcali ex ea fuit eductum.

Malicorium vero seu Granatorum cortex eosdem propemodum liquores distillatione fudit: uberiorem adhuc carbonis seu massæ nigræ quantitatem reliquit: & hæc massa per horas triginta calcinata fumos emisit, & residuum colorem fuscum semper retinuit, ex quo salis fixi mere alcali

quantitas haud exigua extracta fuit : & multo major terræ copia quam ex nucleis remansit. Sed hæc terra fusca mihi videtur esse oleosa portio admodum concentrata & valde fixa, ita ut ignis vi resistere valeat : & stypticitas rerum acerbarum & austerarum non tam a terra quadam porosa & adstringente pendere mihi videtur, quam ab acido quodam sale adeo fixo ut difficile admodum ignis vehementia elevari queat. Sal ille acido vitriolico vulgo comparatur, nec immerito; quandoquidem vitriolicus sal acidus omnium fixissimus est, ut quotidie experimur in olei vitrioli distillatione. Nec illa fixitas, ut ita dicam, martis aut veneris terræ adstringenti tribuenda est, cum in tartaro vitriolato, in sale mirabili Glauberi & in alumine sal ille adhuc fixior fit, ubi cum sale alcali fixo, terra absordente salis marini, & terra calcaria conjungitur, a quibus vi ignis separari nequit : insuper acidus sal vitriolicus, si cum oleis consocietur, vel etiam cum spiritu vini, per tempus & diuturniori digestione adeo stricte uniuntur ut in resinosam abeant massam, cujus major pars ignis tortura in terram nigram fixissimam saporis & odoris expertem convertitur. Sapor igitur acerbus & austerus mihi videtur præcipue pendere ab illo hujus acidi cum oleo consortio, sed de his alibi. Nunc ad Mala Punica redeamus.

Punicorum omnium Malorum acini seu grana censentur boni succi; ventriculo convenientia, sed pauci nutrimenti : utiliter usurpantur ubi adstringere, densare, & corroborare opus est. Acida potentius refrigerant, & adstringunt. Acidorum grana succulenta in hæmorrhoidibus nimium fluentibus frequenter masticata velut certum remedium Thomas Bartholinus *in actis Hafniensibus vol.* 1. *obs.* 51. Lentilius *in miscellaneis curiosis Dec.* 2. *ann.* 9. *obs.* 124. & Conrad. Barthold. Behrens *in selectis diæteticis* commendant. Eorum succi, & syrupi ex eo parati usus est ad febricitantium sitim leniendam, ventriculi ardorem æstumque temperandum. In febribus ardentibus, biliosis præsertim conducunt, & ubi humor quispiam acris os ventriculi occupavit : In cardialgia a turgente bilioso humore Jacobus Fabricius, annotante S. Paulli, syrupum granorum granatorum acidorum pro specifico habebat, & adversus vomitum & singultum eo frequenter utebatur. Jamdiu Hippocrates in eodem affectu Punici succum utiliter adhibuerat : „ Mulier, inquit *L.* 2. *Epidemior.* cardialgia torquebatur, nec prius malum est sedatum, quam polenta succo Punici mali asperfa semel die uteretur, reliquis cibis abstinens. " Idem succus ventriculum corroborat & cor mirifice reficit; ab eodem S. Paulli malignorum morborum Alexipharmacon nuncupatur, & in malignis febribus, variolis & morbillis, necnon in dysenteria commendatur. In vitioso gravidarum appetitu seu pica ab Ettmullero laudatur & in hæmorrhagiis quibuscumque a sanguinis æstu oriundis. Pulmonibus vero debilioribus & male affectis aut tussientibus adversatur. Dulcia grana stomacho roborando utiliora dicuntur : at in febribus minus proficua sunt, quod stomacho calorem aliquem inducant, inflationes & effervescentias pariant. Vinosa seu acido-dulcia mediæ sunt naturæ inter dulcia, & aci-

& acida : cardiaca habentur, & cephalica, a nullis in syncope, vertigine commendantur. In julapiis, & apoxematibus succus, & syrupus ad ℥j. aut alteram præscribuntur.

℞. Confection. Alkermes ʒj. succi Granator. defœcati, aquar. Borragin. & Oxytriphyll. ana ℥ij. Syrup. Granator. ℥j. M. F. potio cochleatim sumenda in febribus malignis, & variolis.

Grana seu semina quæ in acinis continentur, variis nominibus in officinis designantur. Appellantur enim Officula, Nuclei, Semina, Vinacea, Gigarta, & Arilli quasi ariduli. Saporem amarum adstringentem referunt: & commendantur in alvi profluviis, & ad ea conducunt, quibus adstrictione opus est. Matthiolus pulverem conficit ex eorumdem officulorum exsiccatorum ℥j. & ʒj. Thuris in tenuissimum pulverem contritorum; cujus ʒj. aut ʒij. mulieribus albis uteri profluviis laborantibus quotidie exhibet.

Malicorium, Psidium vel Sidium; *Off.* seu cortex Mali granati sapore amaricante, austero donatur: valide adstringit, & utilis est vice corticis quercini ad coria præparanda, & vice gallarum ad atramentum cum vitriolo conficiendum, nam solutionem vitrioli viridis nigro colore tingit. Conducit in diarrhæa, dysenteria, & alvi profluviis quibuscumque, in hæmorrhagiis, albo mulierum fluxu, & gonorrhæa, modo tamen caute exhibeatur nec præmature. Partium tonum potenter roborat, unde non raro contrarios effectus obtinuit. Observat enim Thomas Bartholinus mulierem quamdam a mensium suppressione, usu corticum Granatorum liberatam fuisse. Eosdem contrarios, & aperiendi, & adstringendi effectus in martialium medicamentorum usu jam observavimus. Constantinus scribit, malicorium vino decoctum, & potum omnes ventris tineas necare, maxime eas, quas ascaridas vocant. Malicorium pulveratum a ʒß. ad ʒj. pro dosi præscribitur; in decoctis ad ℥ß. adhibetur.

Externe in decoctis, gargarismatis, & clysteribus adstringentibus usurpatur.

Balaustia, *Off.* sunt flores cujuscumque Mali Punicæ cum calycibus indiscriminatim usurpati. Ut plurimum tamen ex Italia, & Gallo-Provincia Balaustiorum nomine mittuntur flores cujusdam Mali Punicæ flore pleno quæ dicitur Punica flore pleno majore, *I. R. H.* 636. Malus Punica flore pleno, *Hort. Reg. Paris.* Balaustia Hispanica, *J. B.* 1. 82. Balaustium, *Tabern. Icon.* 1033. Balaustia flore pleno majore, *C. B. P.* 438. Malus punica sylvestris major, sive Balaustium majus, *Parkinson. J. Raii Histor.* 1463. vulgo in Gallo-provincia *Balaustier*, *&* *Paparoi*. Flores sunt ampli, densissimo petalorum purpurascentium farctu stipati, non cytino oblongo ut in sativa pomifera Punica seu simplici seu multiplici flore, qualis nonnunquam reperitur, sed compresso, & lato suffulti, cui color ex flavo purpurascens, corium durum, lignosum, & in plures quoque lacinias divisum. Adeo multiplici petalo interdum constant, ut Rosæ centifoliæ videantur colore saturato. Hæc Balaustia in Gallo-provinciæ pharmaceuticis officinis, teste Petro Garidel *in Historia plantarum in agro Aquisextiensi* na-

*nascentium*, ut præstantiora cœteris floribus anteponuntur : nec viribus sunt inferiora.

Balaustia adstringunt, paulo minus tamen, quam Malicorium, inspissant, exsiccant. Unde creberrimus est eorum usus in omnis generis fluxibus, v. g. diarrhæa, dysenteria, fluxu uterino tum cruento, tum albo, tum etiam in sanguine vulnerum cohibendo, gingivarum laxitate emendanda, in hernia curanda, &c. Interne pulverata ad ℈j. aut ad ℥ß. in decocto præscribuntur, & in opiatis, decoctis, potionibus, aut injectionibus, & lotionibus adstringentibus usurpantur, necnon in colyriis ad præcavendum, ne oculi a variolis, & morbillis lædantur.

℞. Balaustior. pulverator. ℥ß. Boli Armen. Terr. sigill. Corall. rubr. & Terræ japon. ana ʒij. syr. Cydonior. vel e Rosis siccis q. s. M. F. opiata absorbens, & adstringens in alvi profluviis, præmissis præmittendis. Dosis ʒj. bis terve in die.

℞. Flor. Balaustior. ʒij. Malicor. Sanguin. dracronis, lapid. hæmatitid. pp. & Alum. cryställ. ana ʒj. conserv. Rosar. rubr. veteris ℥ß. syr. de Symph. quantit. suffic. M. F. op. Dosis ʒj. in alvi profluviis, & hæmorrhagiis.

℞. Folior. Plantag. M. j. Balaustior. & Rosar. rubr. ana M. ß. Coq. in aq. ferrarior. ℔ij. ad. ℔j. In colatura dissolve alumin. rup. ʒß. Syrup. Granator. aut Biberis ℥j. F. decoctum adstringens pro gargarismate, vel injectionibus adstringentibus.

℞. Balaustior. M. ß. Malicorii contusi ʒij. Infundantur in aq. Rosar. & Plantag. ana ℥vj. tepide per aliquot horas, deinde leviter ebulliant, & per chartam bibulam transcolentur. In colatura tere Croci Oriental. subtilissime pulver. gr. vj. vel Caphuræ gr. ij. F. collyrium quo identidem oculi a variolis præservandi foveantur.

Balaustia usurpantur in syrupo Myrtino, Pulvere dysenterico, Electuar. Micleta. Troch. de Karabe ung. Styptico. Malicorium in ung. Styptico.

## MALUS PERSICA.

Malorum Persicarum multæ species seu varietates tum a veteribus tum a recentioribus memorantur. Differentiæ autem sumuntur vel a loco natali, vel a figura, vel a consistentia seu soliditate carnis, quo respectu alia duracina dicuntur, alia præmollia, vel a sapore, vel a colore pulpæ, vel a celeritate aut tarditate proveniendi, & maturescendi. Duracinis, auctore Plinio, quem sequuntur multi e recentioribus, caro firmiter adhæret ossi, nec facile avelli, aut separari potest. At vero rem ipsam intuentes, inquit Joann. Bauhinus, contrarium ut plurimum deprehendimus. Enim vero sane hactenus in Gallia, Italia, & Germania observavimus, magna ex parte Persica, quibus pulpa hæret ossibus, cœteris fere esse mol-

molliora, ac interdum penitus mucosa & succulenta; firmiore vero pulpa cui non adhæret: quod & J. Rajus propria experientia confirmat. Commodissima autem divisio Persicorum, auctore J. Rajo, est primo in ea quorum corpus pertinaciter ligno adhæret, & ea in quibus facile, & sponte a ligno abscedit; utrumque autem genus vel magnitudinis, vel coloris, vel figuræ, vel superficiei respectu in plures species subdividi potest, quibus non immorabor. Horum plures species Cl. Tournefortius *in Inst. R. H.* recensuit, quas ibi videre licet. Nunc de Persica Malo vulgari cujus flores in usum medicum veniunt.

Malus Persica vulgaris, Persica molli carne, & vulgaris, viridis, & alba, *C. B. P.* 440. Malus Persica, *J. B.* 1. 157. *Dodon. Pempt.* 796. *J. Raii Hist.* 1515. Arbor est plurimis Galliæ regionibus notissima, & frequentissima, qua scilicet omnia pene vineta consita sunt. In mediocrem proceritatem assurgit, caudice satis crasso, ramis brachiata fragilibus, cortice rubente & subfusco, materie rufa, & circa media fere punicea, satis firma. Folia profert rara, oblonga, acuminata, crenata, amygdalinis, quibus persimilia majora, sapore amaro qualis Persicorum nucleis, ingratiore tamen, & aroma utcumque redolentia. Flores ineunte vere ante folia prodeunt sine pediculis ramorum tuberculis adnati, pulchri, rosacei, e quinque petalis latis dilute rubescentibus; odoris exigui, in orbem positis constantes, quorum medium occupant stamina multa, longiuscula, purpurantia aut alba, cum paris magnitudinis pistillo, quod ex calyce rubente in quinque segmenta acuta diviso, surgit, & deinde abit in fructum fere globosum, altera parte nonnihil depressum, & per longitudinem sulcatum, densa, molli, & albida lanugine in plurimis speciebus obductum, in nonnullis glabrum, ex luteo herbaceum, alias pulchre flavum, alias punicea area decoratum, carne succosa, alba vel pallida, interdum flava, rarius rubente, penitus aut sanguineis guttis cruentata, esculenta, sapore dulci nonnihil vinoso, ossiculo lignoso fœtum, oblongo, ovato, nonnihil compresso, binis valvis nonnumquam per maturitatem dehiscentibus constante, profundis excavato scrobiculis, & sulcis, quibus pulpa passim se insinuat, & in quibusdam speciebus percinaciter adhæret, licet in alis facile separabilis sit. Est autem ossiculo crassities insignis, durities fere invicta, externa facies rugosa, & sulcis profundis nullo ordine canaliculata, interne levis, & polita, in quo nucleus callolus, amygdalini æmulus, oblongus, exacutus, albus, flavescente cuticula vestitus, amaricans, non tamen gustu insuavis. Ex arboris cortice vulnerato, vel sponte disrupto gummi profluit initio liquidum, quod successu temporis siccius ac durius redditur, pellucidum quale ex Amygdalis, Cerasis, & aliis arboribus, quarum fructus lignosum nucleum ferunt, prodire solet. Hæc arbor non multam ætatem acquirit: ut enim cito & prompte adolescit, & ad frugem pervenit, ita non multis annis post senescens tendit ad interitum. In hortis ac vinetis seritur & plantatur. Folia, flores, fructus, nuclei & gummi in usum veniunt.

Analysi chymica, ex foliorum Mali Persicæ recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odore & sapore nucleos Persicos referentis, obscure acidi ℔j. ℥iiij. ʒvj. gran. xviij. humoris limpidi, manifeste, & magis ac magis acidi, subausteri, ac tandem austeri ℔ij. ℥ix. ʒij. gran. liiij. humoris subrufi, leviter empyreumatici, impense acidi, aliquantisper acris, pungentis, subsalsi, & impense austeri ℥j. ʒiiij. gran. liiij. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥ij. ʒij. gran. xxxvj. salis volatilis concreti ʒj. gran. lvj. olei spissi ad instar extracti ℥j. ʒiij. gran. xxiiij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vij. ʒiiij. gran. xxxvj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒj. gran. xxxvj. ex quibus salis fixi mere alcali ʒv. gran. xxx. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒvj. gran. x. in calcinatione ℥x. ʒiij.

Folia Mali Persicæ gustu amara sunt, nonnihil austera, & nucleorum Persicorum odorem referentia dum digitis conteruntur. Salem essentialem obtinere videntur tartareo vitriolicum ammoniacalem cum oleo tum tenuj tum crasso sat copioso conjunctum.

Ex Mali Persicæ florum recentium ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi odore, & sapore amaro nucleos Persicos contusos referentis, & obscure acidi ℔iij. ℥x. ʒiij. gr. xxj. humoris manifeste acidi ℥vj. ʒij. gr. lx. humoris rufi, odore & sapore leviter empyreumatico, manifeste acidi, subsalsi ℥ij. ʒiij. gran. xij. humoris rufescentis, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒj. gran. lxvj. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gran. iij. olei spissi extracti ad instar ℥ij. ʒvij. gran. xiiij. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iiij. ʒvj. gran. j. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. gran. lxix. ex quibus lixivio salis fixi mere alcali ℥iij. gr. ix. extracta sunt. Partium jactura distillatione fuit ℥ij. ʒvj. gran. xxxix. in calcinatione ℥iij. ʒv. gran. iiij.

Flores amarorem quemdam aromaticum non ingratum obtinent. Salem continent essentialem tartareo-ammoniacalem cum multo oleo tum tenuj, acri, parco, tum crasso copioso conjunctum.

Amarities florum, & foliorum a tenuj illa sulphurea portione oriri mihi videtur, quæ cum phlegmate primo elevatur, & odorem saporemque ipsi conciliat. Nec omnino dissimile est ab acri illo sulphure subtili quod in quibusdam purgantibus deprehenditur, ut in Helleboro reperiri diximus; & fortasse a tenuj illo spiritu sulphureo vis purgans præcipue pendet.

Ex Malorum Persicorum carnis succulentæ, remotis ossiculis, & cuticula, ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, odoris, & saporis dulcis, & grati, aliquantisper vinosi, obscure subsalsi ℥xij. ʒv. humoris limpidi, obscure acidi ℔ij. ℥xiij. ʒvj. gran. lx. humoris magis ac magis manifeste acidi, cum quadam austeritate ℥xv. gran. xxxvj. humoris rufescentis, nonnihil empyreumatici, tum subacidi, austeri, tum salsi, & alcali urinosi ℥j. ʒ iij. olei fluidi gran. xxxvj. Massa nigra in retorta superstes pendebat ℥iij. ʒ. iiij. quæ per tredecim horas igne reverberii vehementi

cal-

calcinata nigredinem suam deponere nequivit, sed reliquit cinerum nigrorum ℥j. ʒvj. gr. xxiiij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒij. gr. ij. extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥j. ʒiiij. gran. xij. in calcinatione ℥j. ʒv. gr. xlviij.

Persica Mala sapore donantur dulci, vinoso, grato cum quadam levi austeritate. Salem essentialem obtinent parcum quasi Melleum aut Saccharinum tartareum, & nonnihil vitriolicum cum mediocri olei crassi, & exigua tenujoris, & quasi spirituosi portione conjunctum, multoque phlegmate dilutum.

Vulgaris opinio multis sæculis inveterata est, Mala Persica in Perside, unde primum advenisse ferunt, venenosa fuisse, sed in Ægypto soli benignitate mitigata: quod Junius Columella eleganti carmine expressit

*Stipantur Calathi pomis, quæ barbara Persis*
*Miserat, ut fama est patriis armata venenis;*
*At nunc expositi parvo discrimine leti,*
*Ambrosios præbent succos oblita nocendi.*

Plinius *Lib.* XV. *Cap. xiij.* hanc opinionem refellit his verbis: „ Falsum est Persica venenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum „ causa a Regibus translata in Ægyptum, terra mitigata. Id enim de „ Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est. " Galenus, & Paulus Ægineta Persicorum omne genus damnant, ut pravi succi, & quæ noxam ventriculo inferant: addit Paulus ea lædere nervos proprietate quadam: & eos, qui crebrius iis ad satietatem vescuntur, febre corripi. Suadent itaque ut initio refectuum ante alios cibos sumantur, & ne aqua superbibatur, sed vinum meracum. Hoc præceptum in omnibus quæ sunt pravi succi, & humida simul ac lubrica, ita ut subduci facile queant, plurimi communiter tenendum existimant. Sic enim fiet ut citius egerantur, & aliis cibis viam præbeant, quæ si sumpta fuerint postrema, una secum alia quoque corrumpant. Contra nonnulli suadent, prius cibos boni succi, & qui exsiccent ingerere, ut alimenti benignitate, & siccitate fructus malitia retundatur, & superflua ejus humiditas absumatur. Nec de vino ad Persicorum noxam emendandam magis inter se consentiunt. Alii Persica cuticula lanuginosa spoliata, & in vino per aliquod tempus macerata, ut suave, & salubre edulium commendant hoc versiculo:

*Petre, quid est Pesca? Cum vino nobilis esca.*

quibus altero versiculo contradicunt alii:

*Petre, quid est vinum? Cum Pesca dulce venenum.*

Contendunt enim, succum crudum, & malignum Persicorum a vino per omnes venas, imo & in capillares deduci, ibique obstructiones parere: unde putredo, & febres putridæ atque malignæ. Quod devitare tentant nonnulli vinum, in quo maduerint, rejiciendo, & aliud vinum modice dilutum, & quidem parce, superbibendo; nonnulli vinum prorsus rejiciendo, quo mollis, & facile dissolubilis Persicorum caro indurescit, & in ventriculo difficilius concoquitur, effervescit, & fla-

& flatus producit, aquam limpidam & puram comestis Persicis superbibunt. Sic facilius dissolvuntur in ventriculo & citius permeant ac descendunt, flatus aut ventris inflationes producunt. Sic conveniunt Persica Mala cholericis & calidis naturis, alvi duritie & constipatione laborantibus, mane præsertim jejuno ventriculo sumpta. Si cum aliis cibis comedantur sive ante, sive post pastum, æstuosam ciborum digestionem compescunt, ardorem ventriculi & intestinorum temperant. Non immerito igitur Dioscorides & Plinius affirmant, ea ventriculo utilia esse, alvum bonam præstare, nec alium iis innocentiorem cibum. Reipsa non verisimile est, fructum adeo sapidum & delicatum, qui nostro quidem palato præ omnibus fugacibus arridet, ita ut a natura ipsa nobis ad edendum commendatus videatur, noxium prorsus & insalubrem esse. Oportet tamen ut delectus Malorum habeatur, & ut modus in iis ingerendis servetur. Eligantur odorata, bene colorata, sapido succo prædita, & bene nec nimis matura; non enim aliud Pomum fugacius, & facile corrumpitur. Si eorum immoderatus sit usus, crudos gignunt succos, colicam, diarrhæam & dysenteriam procreant, aut febres putridas accendunt. Phlegmaticis, & quibus stomachus debilis est & frigidus, nocent. Si quæ sit in hisce Malis noxa, igne & saccharo nonnulli emendare contendunt, sicque gratam & salubrem escam parant. Brassavola sub cineribus coctum unum aut alterum Persicum ægrotantibus suis offerebat. Cibum vero delicatissimum & ægris perquam gratum ac utilem Amatus affirmat. J. Bauhinus condiendi modum hunc præscribit: rite lecta manu decorticataque & officulis exemptis optime purgata Persica cum aqua & Saccharo decoquantur ad consistentiam syrupo debitam: qui modus hodie adhuc usitatissimus, vulgo *Peche en compote*. Sic & sanis & ægrotantibus mirifice placent, præsertim siti & linguæ ariditate vexatis, refrigerando corroborant. Hodie mos invaluit hos fructus aqua vitæ aut spiritu vini condire cum tantillo Sacchari, qui quidem exitiosus est. Illorum enim caro laxa & porosa spiritu vini facile imbuitur, unde revera sapidior fit, firmior, ac durior, sed in ventriculo concoctum difficilis admodum. Unde post alios cibos ingesti eorum concoctionem cohibent, ventriculum gravant, æstum in ipso & in intestinis accendunt, succum crassum, viscidum, male concoctum pariunt, qui varias in visceribus obstructiones postea gignit.

Persicorum nuclei seu amygdalæ subamari sunt, diuretici habentur (*a*) & anthelmintici. Pulvis eorum pondere ℥j. in vino albo tenui spatio novem dierum ab Ettmullero commendatur velut remedium longa experientia probatum adversus renum calculum. A Solenandro, *L.* 1. *Consil.* 15. commendantur decem vel duodecim numero assumpti mane jejuno ventriculo præservationis gratia a calculo. Ad eumdem scopum emulsiones parantur ex illis cum aquis diureticis, Saxifragiæ, v. g. Linariæ, Alkekengi, Parietariæ, Ononidis,

(*a*) Ἑλμινθες Vermes.

midis, Herniariæ, &c. Iidem nuclei adversus hepatis & lienis obstructiones conducunt. Præterea vis anodyna ipsis tribuitur: unde in cephalalgiis & agrypniis ad somnum conciliandum & dolorem compescendum a nonnullis præscribuntur eorum emulsiones cum aquis cephalicis aut aliis paratæ. Aquam e nucleis Persicorum n. 50. Cerasorum 100. Florum Sambuci manipulo uno in vini Cretici ℔iij. maceratis in fictili per decem dies in fimo sepulto, distillatam mirum in modum calculos pellere quatuor unciarum pondere jejuno ventriculo quotidie potam scribit Andr. Matthiolus.

Ex hisce nucleis oleum per expressionem elicitur, quod singulare arcanum habetur in aurium affectibus, in primis ad vermes aurium eliciendos, item in surditate, tinnitu & dolore aurium; idque magis si misceatur cum oleo Colocynthidos per decoctionem præparato. Idem oleum etiam temporibus illitum admodum conducit in agrypniis & doloribus capitis. Langius oleum ex nucleis & floribus compositum frequenti in usu habuit ad omnes aurium affectus, surditatem in primis, obstructionem & dolorem aurium: quod sequenti modo paravit. Oleo ex Persicorum nucleis expresso infundatur florum Persicorum recentium q. s. Macerentur in loco calido per aliquod tempus. Postea per linteum colentur: colatura reponatur aliquamdiu, donec fœces secedant. Oleum clarum a fœcibus separatum servetur ad usum.

Lignosa nucleorum officula ad urinas ciendas utilia dicuntur, non secus ac lapilli Dactylorum & Mespilorum. Ex his spiritus acidus & oleum empyreumaticum distillantur igne aperto, quæ spiritui & oleo lignorum similia sunt, & rectificata egregie calculum pellere dicuntur.

Flores ratione salis essentialis & olei tenuis & acris alvum laxant, tenues ac serosos humores educunt; unde inter hydragoga recensentur. Recentes a nonnullis comeduntur mane jejuno ventriculo, aut in acetariis miscentur. Non tamen absque molestia & labore purgant: & si nimia copia ingerantur, vomitiones excitant. Alii eos infundunt in vinum aut serum lactis, & infuso isto pro purgante tempore vernali commode utuntur. Hydropicis conducunt. Lumbricos etiam enecant & potenter expellunt, unde infantibus verminosis exhiberi solent. Succus florum Persicorum expressus & defœcatus ad eadem valet: ab ℥ß. ad ℥ij. propinatur. Eadem etiam præstat conserva ex hisce floribus cum Saccharo parata quæ ad ℥ß. vel ℥j. exhiberi potest; cui si Mercurii dulcis tantillum adjiciatur, egregium habetur pellendis lumbricis remedium. Syrupus ex multiplici florum infusione præparatur in officinis usitatissimus. Alvum blande purgat, vermes enecat, & obstructiones reserat. Serosos humores uberrime evacuat, unde in catarrhis, rheumatismo, apoplexia, paralysi, & morbis cerebri a sero redundante utiliter exhibetur, ab ℥ß. ad ℥ij. tresve in potionibus laxantibus aut apozematibus.

Mali Persicæ folia alvum subducunt, intestinorum lumbricos enecant, & expellunt, in jusculis alterantibus, lacte aut cerevisia ad M. j.

de-

decocta. Quin etiam externe trita cum felle tauri, & umbilico imposita cataplasmatis forma ad vermes intestinorum ejiciendos a nonnullis commendantur.

Gummi ex arbore exsudans humorum acrimoniam demulcet, tussientibus prodest, & commendatur ad alvi fluxum, tumorem faucium, asperitatem arteriæ, sputum sanguinis, & diureticum habetur vel etiam lithontripticum, si quod sit.

## MANDRAGORA.

Mandragoræ duæ traduntur differentiæ: una dicitur mas seu candida; altera vero fœmina seu nigra.

Mandragora mas seu candida, *Off.* Mandragora fructu rotundo, *C. B. P.* 169. *I. R. H.* 76. *J. Raii Hist.* 668. Mandragoras mas *J. B.* 3. 617. Mandragoras, *Dod. Pempt.* 457. Mandragoras mas vulgatior. *Parkins.* Mandragoras albus seu Masculus *Cord. Histor.* Antropomorphos Pithagoræ, *Quorumdam*: Terræ Malum, Terrestris Malus, & Canina Malus, *Nonnullorum*: vulgo, *Mandragore male*.

Radicem profert crassam, longam, interdum simplicem, & indivisam sæpe bifidam, incoxantem hominem, ut sibi persuadet vulgus, referentem, interdum etiam trifidam aut quadrifidam, externe candicantem, aut ex cinereo ferrugineam, interne pallidam. Ex ejus capite absque caule folia exeunt circiter cubitalia, sesquipalmum fere lata, utrinque acuminata, atrovirentia, fœtida. Inter hæc a radice quoque pediculi assurgunt crebri, sesquiunciales aut palmares etiam, florem singuli sustinentes monopetalum, campaniformem, quinquepartitum, modice hirsutum, sordide candicantem ac nonnihil purpurascentem, fœtentem, cum calyce villoso viridi in quinque lacinias diviso; ex quo surgit pistillum quod infimam floris partem perfodit, & abit deinde in fructum parvi pomi effigie, & magnitudine, primum viridem, deinde subluteum, carnosum, mollem, odoris gravis virosi, & in cujus pulpa semina continentur alba, subrotunda, compressa, & quasi reniformia.

Mandragora fœmina seu nigra, *Off.* Mandragora flore subcæruleo purpurascente, *C. B. P.* 169. *Inst. R. H.* 76. Mandragora fœmina *J. B.* 618. *Clus. Histor.* 87. *Gerard.* & *J. Raii Hist.* 669. Mandragoras fœmineus, *Parkins.* vulgo; *Mandragore femelle*.

Ejus folia mari similia sunt sed angustiora, minora, nigrioraque. Flores coloris ex cæruleo purpurascentis; fructus pallidiores, minores, turbinati; Sorbi aut Pyri effigie, sed non minus odorati. Semina minora, & nigriora. Radix quoque prolixa, foris amplius nigricans, interius albida. Utraque in calidioribus regionibus, Italia, Hispania, sponte crescit, in sylvis, & umbrosis, necnon prope ripas fluviorum. Hic nonnisi in hortis sata oritur. Utriusque folia, & radices vel potius radicum cortex usitata sunt.

Analysi chymica, ex Mandragoræ foliorum recentium ℔v. per retortam di-

diſtillatis prodierunt humoris limpidi, odorem & ſaporem ingratum viroſum referentis, primo obſcure ſubſalſi & ſubacidi, deinde acidi, ℔j. ℥xiij. ʒiiij. gran. xxvij. humoris limpidi, manifeſte acidi, deinde rufi, ac tandem fuſci, empyreumatici, auſteri ℔ij. ℥xij. ʒiiij. gran. lx. humoris fuſci, empyreumatici, obſcure acidi, ſubſalſi, obſcure alcali urinoſi ʒij. gran. xviij. humoris fuſci, alcali urinoſi & ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ʒiij. gran. xlviij. ſalis volatilis urinoſi concreti ʒij. gran. x. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥j. ʒij. Maſſa nigra reſidua pendebat ℥ij. ʒvj. gran. lx. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiij. gran. xxxvj. ex quibus lixivio ſunt extractæ ſalis fixi mere alcali ʒiij. gr. viij. Partium jactura in diſtillatione fuit ʒv. gr. lxv. in calcinatione ℥j. ʒiij. gr. xxiiij.

Radicum pedalium & ſeſquipedalium, brachii humani craſſitiem æquantium, & recens effoſſarum ℔v. præbuerunt humoris limpidi, fœtentis, & viroſi, odoris, & ſaporis ad Cicutam accedentis, obſcure ſubſalſi, & obſcure acidi ℔ij. ℥ij. ʒj. gran. xxxvj. humoris limpidi, primo manifeſte acidi, deinde minus acidi, & auſteri ℔j. ℥xiiij. ʒj. gran. l. humoris primo limpidi, ſubſalſi, & ſubacidi, deinde rufi, & fuſci, empyreumatici, tum impenſe acidi, tum acris auſteri, & aliquantiſper ſalſi urinoſi ℥iij. ʒiij. humoris fuſci alcali urinoſi, & ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥ij. ʒij. ſalis volatilis urinoſi concreti gran. x. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥j. ʒiij. gran. iiij. Maſſa nigra reſidua pendebat ℥v. ʒj. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒj. gran. xlij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ʒiij. gran. xxvj. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. gran. xliiij. in calcinatione ℥iij. ʒvij. gran. xxx.

Folia, & radices odorem viroſum, ingratum, & caput ferientem exhalant. Radicis cortices exſiccati ſaporem acrem amaricantem nauſeoſum cum quodam lentore, & in receſſu ſtypticitatem referunt. Salem eſſentialem obtinent ammoniacalem multo oleo viroſo, & narcotico craſſo implicitum.

De Mandragora varia feruntur veterum recentiorumque relationibus nobilitata, nempe humana ſimilitudine egregios effectus producere, felicitatem poſſeſſori, & fœcunditatem ſterilibus fœminis adferre. Exhibet vero ſæpe Mandragoræ radix bifurcato ramo deorſum protenſo rudem hominis formam illiuſque crura duo, ſed ſuperior truncus homini ſimilis non eſt. Mangonio tamen non ſolum Mandragoræ radices, ſed & aliæ plures adornantur humanum corpus, artus, caput, faciemque apprime referentes. In radicibus arundinum, Bryoniæ aut aliarum plantarum adhuc virentibus ſculpunt impoſtores tam virorum quam mulierum formas, infixis Hordei, Avenæ, aut Milii granis, iis in locis, ubi pilos effingere volunt: deinde facta in terra ſcrobe recondunt, tenui ſabulo obruunt, ibique relinquunt quouſque ſemina illa radices emittant. Tunc eruunt eas, & adnatas e granis radices acutiſſimo cultello in tenuiſſima filamenta ſcindunt, aptantque ita ut capillos, barbam, & cœteros corporis pilos referant. Varia inſuper narrant de hujus radicis ortu, effodiendi modo, & periculis.

Ferunt, has præstantissimas radices ex urina suspensi hominis sub patibulo morientis irrigatas tales efformari, & ideo adeo raras esse, easdem non sine vitæ periculo manu effodi, quapropter eas primum circumfodiendas esse, ita ut minimum ex radice terra sit conditum, deinde ab ea religandum canem, a quo postea fugiente radix extrahitur & sequitur, sed non adeo longe, quandoquidem statim atque effossa est, canis moritur: nullum postea accipientibus amplius metum esse, imo summe proficuas esse, maleficia & infortunia quæcumque avertendo, & fælicitates quascumque desiderabiles afferendo. Anilium illarum nugarum auctor fuisse videtur Flavius Joseph, qui *L.* 7. *cap.* 25. *de Bello Judaico*, de quadam radice *Baaras* dicta in valle ejusdem nominis nascente prope Jerosolymam fere similia narrat. Sed de his nugis & fabulis satis.

Mandragora inter narcotica & soporifera medicamenta recenseri solet, quod colligitur ex odore ingrato viroso caput feriente. Quod an de radice verum sit, J. Rajus dubitat. Cortex ille ad nos aliunde, potissimum ex Italia affertur: rari usus est intrinsecus. Schroderus soporiferam virtutem ipsi tribuit, & præterea vim potenter discutiendi & resolvendi externe adhibitæ. Paulus Hermannus *in Cynosura materiæ Medicæ Henningeri*, in radice Mandragoræ duplicem notat virtutem 1. Purgantem tam per superiora quam inferiora, cum violentia & virium etiam prostratione & aliquando convulsionibus subsequentibus, unde per se non datur nisi dosi minima ad ℈ß. aut ℈j. & in infuso ad ʒj. 2. Narcoticam seu soporiferam & stupefacientem Opii virtuti non dissimilem. Inde forsan est, quod in epilepsia & motibus convulsivis quibusdam commendata sit. Circumforanei nonnulli hoc cortice in quartanis & aliis febribus intermittentibus utuntur pro emetico, sed minus tuto. Specificum uterinum ab eodem P. Hermanno dicitur: sed caute adhibendum. Si enim nimia in quantitate exhibeatur, dira inde sequuntur symptomata ut spasmi, &c. Uterum valde movet & abortum causat: quapropter gravidis nunquam exhiberi debet.

A veteribus vinum in quo Mandragoræ radix infusa fuerat, propinabatur ægris quibus membrum aliquod resecandum erat ad narcosim inducendam. Cum vero narcosis hæc admodum periculosa sit, modus hic narcosim inducendi apud nos exploditur: & interne rarissime & fere nunquam hæc radix adhibetur. Externe radicis cortex adhibitus ab Ettmullero laudatur ad tumores duros schirrosos & strumosos emolliendos & resolvendos, & hac virtute Cicutam & Nicotianam superare dicitur. Faber *in Myrothecio Spagyrico lib.* 4. *c.* 1. ex his radicibus oleum Mandragoræ per descensum distillat quod valdopere commendat externe illitum, pro emolliendis duris tumoribus & doloribus leniendis.

Mandragoræ folia potenter discutiunt, attenuant & resolvunt, dolores mitigant & inflammationes sedant. Unde una cum radicibus in lacte cocta utiliter sub cataplasmatis forma erisypelatibus, tumoribus inflammatoriis, duris aut schirrosis admoventur. Cum Hyosciamo, Cicuta, Nicotiana optime consociantur. Ex succo Mandragoræ cum succo

Cicu-

Cicutæ vel Nicotianæ & Gummi ammoniaco coctis in unguenti vel emplastri consistentiam Ettmullerus utile medicamentum conficit ad tumores splenis duros resolvendos. Fernelius *Method. Medend. lib. 5. cap.* 17. ad ardentium febrium æstus compescendos, capitis dolores & deliria sedanda, & ad somnum conciliandum commendat Mandragoræ folia radicesve trita inductaque ex oleo fronti atque temporibus.

Mandragoræ fructui veteres non solum comesto sed etiam naribus tantum admoto soporem inducendi stuporemque virtutem tribuebant. Casp. Hoffmannus *L. de Medicamentis Officinalibus*, an quisquam pomum ipsum Mandragoræ cum vel sine cortice impune possit esitare se valde ignorare scribit. Ætius omnem malitiam ejus videtur rejicere in semen, quasi illo dempto caro sit indemnis, nisi nimis copiose ingeratur. At fructus, certe immerito, suspectus est. Pulpam enim cum semine innoxie esitari posse docuit J. Faber Lynceus Romæ Simplicium Professor. Is, teste Joanne Terrentio *Notis in Hernandez de Plantis Mexicanis*, *lib.* 8. *cap.* 28. coram suis auditoribus magnum Mandragoræ pomum una cum seminibus jejunus absumpsit, sine ullo vel somni vel alterius mali signo minimo, & ut experimentum esset certius, jejunus usque ad prandium, per aliquot nempe horas, permansit, & a vino, ne vis pharmaci debilitaretur, abstinuit. Idem experimentum se quoque persæpe fecisse testatur J. Terrentius.

Mandragoræ folia in unguento populeo usurpantur. Cortex radicum in Requie *Myrepsi*, Aurea Alexandrina *Nicolai Alexandrini*, & Tryphera magna *Ejusdem*.

## MARRUBIUM.

PLures inter plantas quæ Marrubii nomine apud Botanicos insigniuntur, duo potissimum genera hoc nomine in Officinis speciatim designantur, scilicet Marrubium album seu Prassium album, & Marrubium nigrum, seu Prassium nigrum & Ballote.

Marrubium, Prassium, Prasium, Marrubium album, Prassium album, *Officinarum*, Marrubium album vulgare, *C. B. P.* 230. *Inst. R. H.* 192. Marrubium album, *J. B.* 3. 316. *Raii Hist.* 556. Marrubium sive Prassium album *Tabern. Icon.* 539. Prasium, *Anguillar*: vulgo, *Marrube blanc.*

Radice nititur simplici, lignosa, plurimas fibras emittente. Caules inde exsurgunt plures, pedales & altiores, lanuginosi, quadrati, ramosi, foliis vestiti ad singula genicula ex adverso binis, subrotundis, incanis, circum oras crenatis, rugosis, pediculis satis longis suffultis. Flores ad genicula in verticillos densos coacti caules ambiunt, brevibus aut nul-

nullis pediculis, e calycibus naſcentes hirſutis, ſtriatis, quorum ſingulæ ſtiriæ in ſpinulas terminantur; perexigui, albentes, monopetali, labiati, quorum labium ſuperius ſurrectum eſt, & bicorne, inferius vero tripartitum. Ex calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, & quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula quæ calyx floris fuit recondita. Florum verticilli, quamvis caules undique amplecti videantur, egrediuntur tamen e foliorum alis. Odor totius plantæ vehemens & nonnihil gravis. Ad vias publicas, agrorum margines, in locis neglectis & ruderatis ſponte & frequens naſcitur. Tota planta uſitata.

Analyſi chymica, ex foliorum a ſtipitibus mundatorum & ſummitatum floridarum ℔v. per retortam diſtillatis prodierunt humoris limpidi, odorati, aliquantiſper aromatici, ſapore herbaceo amaricante, obſcure acidi ℥ix. ʒiij. gran. xviij. humoris limpidi, odorem eumdem, eumdemque ſaporem referentis, & magis, ac magis acidi, & amari ſubauſteri, ac tandem impenſe auſteri ℔iij. ʒv. gran. lx. humoris obſcure rufeſcentis, leviter empyreumatici, impenſe acidi, ſalſi, & impenſe auſteri ʒiij. gran. xlviij. humoris fuſci alcali urinoſi, & ſale volatili urinoſo copioſo impraegnati ℥ij. ʒiiij. gran. xxxvj. ſalis volatilis urinoſi concreti gran. xx. olei ſpiſſi ad inſtar extracti ℥iij. gran. xij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ix. ʒvij. gran. liiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥iiij. ʒv. gran. xxiiij. ex quibus ſalis fixi mere alcali ℥j. ʒiij. gran. xv. lixivio ſunt extracta. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v. ʒvj. gran. xl. in calcinatione ℥v. ʒij. gran. xxx.

Marrubii albi folia chartæ cœruleæ colorem non mutant; maxime amara ſunt, cum quadam adſtrictione, odore vehementi, ac ſubtili donantur, ad moſchum nonnunquam accedente, teſte Dodonæo qui de Marrubio albo in Flandria naſcente hoc aſſerit. Salem eſſentialem obtinent quem Tournefortius comparat ſali naturali terræ, conſtanti nempe ſale marino, nitro & ſale ammoniaco, mixtum cum multo ſulphure tum tenui, tum craſſo, terra copioſa & phlegmate.

Marrubium album aperit, & viſcidos humores potenter diſſolvit. Primarium eſt remedium in aſthmate humorali, & in morbis chronicis a muco ſpiſſo, viſcido ac tenaci oriundis. Viſcerum obſtructiones a muco inſpiſſato oriundas reſerat. Succus expreſſus cum melle ad ℥ij. treſve, aut ſyrupus de Praſſio compoſitus in officinis aſſervatus ad ℥j. aut alteram aſthmaticis, tuſſientibus & tabidis opitulantur. „ Innumeris comprobavi experimen- „ tis, inquit Borellus *Obſervat. Medic. pag.* 289. Marrubii albi „ ſummitates, vino albo infuſas & triduo epotas mire ad menſtrua „ provocanda, ſtomachum roborandum, cachexiam & fœdos vir- „ ginum colores arcendos valere, & fortius cum Chamædrye & Cen- „ taurio minore mixtas.

Simon Paulli obſervat eas non tantum menſes accelerare, ſed remorantes ſecundinas quoque præcipitare. Ad M. ß. vel M. j. præſcribuntur. Pul-

vis

vis foliorum valere dicitur in partu difficili lochiisque recentis. Insuper interaneorum vermes necat, notante J. Raio. Ad ʒj. aut alteram exhibeatur. Marrubii albi succus, vel infusum ex vino, vel decoctum ex aqua a Foresto, Freitagio, Zacuto Lusitano, & Hartmanno in hepatis obstructionibus vel etiam schirrhosis, in ictero, in hydrope ictерum subsequente commendantur. Joan. Baptista Chomel D. M. P. observat duos ægrotantes a schirro hepatis liberatos fuisse ab infuso foliorum Marrubii alb. M. j. in vini albi ℥viij. quotidie mane per aliquot menses epoto. Conserva florum Marrubii cum melle parata, & per 40. dies exhibita in dosi ℥j. nobilem quemdam schirro hepatis jam diu laborantem integræ sanitati restituit, aliis medicamentis Chalybeatis frustra tentatis, annotante Zacuto *Lib.* 2. *Prax. admir. Observat.* 48. Superbibebat autem singulis matutinis parum aquæ stillatitiæ ejusdem Marrubii cum radice. Mixturam sequentem Joan. Raius commendat velut medicamentum, ad icterum nulli secundum.

℞. Syrup. de Prassio ℥ij. Olei Tartari p. deliq. ℈j. Misce. Sumat æger per intervalla frequentia ad mensuram unius cochlearis.

Stockerus Marrubii folior. virentium decoctum ex vino, vel exsiccatorum infusum in ictero commendat.

℞. Marrubii folior. virentium ℔j. Contunde, & coquantur in vini albi ℔vij. ad ℔v. Colaturæ capiat æger ℥iiij. mane jejunus, & ʒiij. ante cœnam. Sed satius est folia in vino calide macerari tantum, non concoqui. Vinum enim ebullitione diuturniori acidum fit, & ingratum. Macerentur itaque folia in vini ℔v. per 24. horas.

℞. Folior. Marrubii exsiccator & contusor. q. v. Affunde vini albi q. s. ad supereminentiam 4. vel 5. digitor. transversor. Frigide macerentur in vase probe obturato, quotidie agitando, donec extrahatur tinctura. Dosis ℥iiij. bis in die.

Ejusdem decoctum cum Argentina ab Ettmullero, & Freitagio commendatur in ictero flavo ex infarctu ductus cystici. Externe in eodem affectu cataplasma proponit plantis pedum applicandum ex Marrubio, & Argentina simul in vino coctis. In jusculis aperientibus ad menses suppressos promovendos præscribuntur Marrubii albi summitates floridæ ad M. ß. cum Tartaro chalybeato vel floribus sal. ammoniaci martialibus.

℞. Carnis vitulin. ℔ß. Coquatur in aq. comm. ℔iij. ad ℔ij. Tum adde folior. Agrimon. Argent. ana M. j. Centaur. min. Chamædr. Summitatum floridar. Praff. alb. ana pug. ij. Post levem ebullitionem fiat colatura pro duobus jusculis. Unicuique adde Tartar. martial. solubil. ʒß. vel flor. amm. martial. gr. xx. Sumatur mane, & sero in mens. suppressione, ictero, & viscer. obstructionibus.

℞. Syrup. de Prassio ℥j. Tinctur. martis aper. ʒij. Aq. de Artemisia, flor. Aurantior. ana ℥ij. Fiat julap. quotidie mane sumendum in mensium suppressione.

Forestus asserit, nonnullos strumis affectos diuturno usu syrupi de Prassio simplici seu ex succo recenti cum Saccharo parati persanatos fuisse, multis aliis remediis antea frustra tentatis.

Marrubium vesicæ, & renibus nocere scribit Dioscorides: quo frequenti usu exulcerat. Multo minus igitur, inquit C. Hoffmannus, utendum in iis, in quibus jam ulceratæ sunt partes illæ. Syrupus de Prassio *Mesuæ*, annotante eodem, valde calidus est, & qui senibus potius quam juvenibus, frigidis potius quam calidis adhibendus sit.

Marrubii albi folia, summitates floridæ usurpantur in syrupo de Prassio *Mesuæ*, in pilulis de Agarico *Ph. Reg. Charas*, Theriaca *Andromachi*, Hiera Diacolocynthidos, Pulvere Diaprassii *Nicolai Alexandrini*.

Marrubium nigrum, Prassium nigrum & Ballote, *Off.* Ballote, *Matthiol.* 825. *Inst. R. H.* 185. Marrubium nigrum, fœtidum, Ballote Dioscoridis, *C. B. P.* 230. Marrubium nigrum sive Ballote, *J. B.* 3. 318. Marrubium nigrum, *Gerard. Emacul. J. Raii Hist.* 581. Marrubiastrum, *Tabern. Icon.* 540. vulgo, *Marrube noir*.

Caules cubitales, & interdum bicubitales, plures ex eadem radice lignosa, perenni, fibrata exeunt brevi lanugine hirsuti, quadrati, inanes, ramosi, rubentes, foliis vestiti ad singula genicula ex adverso binis, Melissæ aut potius Lamii rubri, rotundioribus, & nigrioribus, hirsutis & ad tactum mollibus, rugosis. Flores verticillatim caulibus adnascuntur, in eodem communi pediculo, e folii sinu egresso plures, monopetali, labiati, quorum labium superius cochlearis instar est excavatum, inferius vero in tres partes divisum, media ampliori, & cordiformi, pallide purpurei, saturatioribus lineis intus striati: calyce striati; oblongi, in quinque acuta segmenta partiti. Ex unoquoque calyce surgit pistillum posticæ floris parti infixum, & quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina parva, oblonga, per maturitatem nigricantia, in capsula tubulata, pentagona, & quinquepartita, quæ floris calyx fuit recondita. Odore fœtido Lamium refert. In ruderatis, & ad sepes nascitur. Herba integra in usum venit.

Analysi chymica, ex summitatum floridarum Marrubii nigri ℔vj. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi aliquantisper rufescentis, plantæ saporem, & odorem referentis ℥x. humoris minus limpidi, eumdem odorem saporemque referentis, acidi magis ac magis ℔j. ℥ix. ʒv. gran. xxxvj. humoris primum limpidi, acidi, austeri, deinde fusci, impense austeri, ac tandem nigricantis, qui per tempus pulvisculum nigrum deposuit, & limpidior factus est ℔j. ℥xiij. ʒvj. gran. xxxvj. humoris turbidi, fusci, nigricantis, salsi, & alcali urinosi, qui pulverem nigrum ad imum dimisit ℥v. recipiens pulvere nigro, & fuliginoso conspersum repertum fuit: salis volatilis urinosi concreti ʒij. olei spissi nigri ℥ij. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥xv. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥vij. ʒvj. ex quibus lixivio salis fixi ℥j. ʒvij. extractæ sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥viij. ʒij. in calcinatione ℥vij. ʒij.

Mar-

Marrubii nigri folia amara sunt, & odorem gravem fœtidum referunt: chartæ cœruleæ tincturam non mutant. Salem essentialem obtinent mixtum, sali qui ex terræ lotionibus extrahitur æmulum, ammoniacalem nempe, tartareum, salsum, & multo oleo crasso fœtido implicitum.

Marrubium nigrum tumores resolvit, dolores sedat, ulcera detergit, & sanat, externe admotum: rarius intus sumitur ob fœtorem, & ingratum saporem. J. Rajus illud velut præstantissimum remedium in hypochondriacis, & hystericis affectionibus commendat. Cl. Tournefortius refert, quosdam ad arthritidem sanandam aut saltem ejus paroxysmos minus frequentes, & mitiores efficiendos hoc uti remedio.

℞. Folior. Marrubii nigri, Marrub. albi, & Beton. ana M. j. Infunde in aq. ferventis ℔vj. Igne remoto macerentur, donec aqua refrigerata sit. Fiat colatura, cujus cyathos tres quatuorve in die sumat æger.

Ferventi cinere flaccescunt ejus folia ut condylomata reprimant. Cum melle trita sordida ulcera purgant. Eorum decoctum ad omnes malas scabies, serpigines, porrigines ac papulas sanandas plurimum valet. Quapropter a Trago ad manantia capitis ulcera pueris familiaria commendatur. Tabernæmontanus asserit, ejus folia sub cinere cocta, & cum melle contusa hæmorrhoidas sanare.

## MARUM.

MAri nomen duobus plantarum generibus tribuitur, quorum unum Marum verum seu Cortusi dicitur, alterum Marum Mastich.

Marum verum, Marum Cortusi, *Off.* Chamædrys maritima, incana, frutescens, foliis lanceolatis, *Inst.* R. *H.* 205. Marum Cortusi, *J. B.* 3. 242. *J. Raii Hist.* 527. Tragoriganum latifolium, *C. B. P.* Tragoriganum latifolium sive Marum Cortusi Matthiolo, *Parkins*: Tragoriganum Lobelii, *Gerard.*

Planta est pedalis magnitudinis, radice fibrosa, quæ differt a Chamædryos speciebus, stipitibus frutescentibus incanis, tomentosis, foliis hastæ ferro similibus, quatuor lineas longis, duas latis, dilute virentibus subtus incanis, sapore acri, & amaro, odore vehementi, & aromatico grato, qui subito cerebrum petit, & sternutationes movet. Flores qui ad Chamædryos flores plane accedunt, in foliorum alis nascuntur monopetali, purpurei, labiati, quorum stamina labii superioris locum occupant: labium vero inferius in quinque partes divisum est, media ampliori cochlearis instar excavata. Ex calyce autem Chamædryos quoque pari, villoso, incano surgit pistillum posticæ floris parti infixum, & quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina subrotunda, Chamædryos similia, in capsula quæ calyx floris fuit recondita. Frequens est in Stæcadum (*Teres*) una quæ vocatur

Pomponia, Gallis *Portecroz*. Hic in hortis colitur. Folia & summitates floridæ in usum veniunt.

Analysi chymica, ex foliorum, & summitatum floridarum Mari ℔ij. & ℥iij. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, sub finem aliquantisper rufescentis, odore, & sapore aromatico pergrato, primum obscure acidi, deinde manifeste magis ac magis, atque magis ac magis austeri ℔j. ℥viij. ʒj. gran. xxxvj. humoris empyreumatici, rufescentis, sapore aliquantisper acri pungente, impense acidi, impense austeri, & salsi ʒvj. gran. xxxvj. humoris rufi, tum acidi tum alcali urinosi, & sale volatili urinoso prægnati ℥j. ʒj. olei tum tenuis essentialis, tum crassi, spissi ad instar extracti ℥j. ʒiiij. Massa nigra residua pendebat ℥iiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum albicantium ℥j. ʒj. gr. xij. ex quibus salis fixi mere alcali ʒiij. gran. xxiiij. lixivio extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit ℥iij. ʒiij. in calcinatione ℥ij. ʒvj. gran. lx.

Mari veri folia chartam cæruleam rubram efficiunt. Inter digitos contrita odorem spirant aromaticum, penetrantem, subtilem, pungentem, qui sternutationes movet; saporem referunt acrem aromaticum amarum. Exsiccata, & cum multa aqua distillata, ut cœteræ plantæ aromaticæ, multum olei essentialis subtilis, & penetrantissimi fundunt. Salem essentialem tartareum obtinent: sed insuper abundant sale tum acido, tenui, volatili, copioso, tum alcali urinoso mediocri, cum multo oleo essentiali, acri, aromatico conjuncto. Unde compositum exsurgit haud dissimile mixturæ ex spiritu acido dulcificato & spiritu volatili urinoso aromatico conflatæ. Mari odor felibus gratissimus est: & eos undequaque allicit ad hortos ubi colitur, eos veluti insanos, & venereo œstro furentes reddit; ita ut plantam mordicent, supra eam se volutent, copiosa saliva eam proluant, & nonnumquam suo spermate polluant. Inde fit ut in hortis difficillime asservari possit, nisi intra cancellos ex ferro textili confecto includatur.

Rarus est Mari usus in officinis. Attamen inter plantas aromaticas non infimum locum occupat: Raymundus Mindererus *in suo Aloedario Marocastino*, & Georgius Vvolffgangus Vvedelius peculiaribus dissertationibus hanc plantam nobilitarunt, & magnopere commendarunt. Virtutem incidendi, attenuandi, aperiendi, digerendi illi tribuit Vvedelius, lentorem ac torporem pituitæ corrigendi, bilis inertiam emendandi, sanguinis & spirituum motum augendi, speciatim affectibus frigidis, & humidis medendi. Ab eodem habetur velut insigne diureticum, potens diaphoreticum, & carminativum, summum antiscorbuticum in scorbuto frigido, valens emmenagogum, præstantissimum cephalicum, pectorale, & antiasthmaticum, cardiacum, stomachicum, hepaticum, & spleniticum, uterinum, antispasmodicum, aphrodisiacum, anthelminticum, uno verbo polychrestum; verum latius fortasse quam par est, celeberrimus ille Medicus Mari odore allectus ejus facultates extendit: & virtutes omnes quæ in singulis plantis aromaticis deprehenduntur, illi nimis facile applicat. Expe-

Ctan-

standum est donec ejus vires usu diuturniori comprobatæ sint. Ettmullerus Marum cephalalgiæ, & nervinis affectibus conducere scribit, & illud in apoplexia, & catharris velut medicamentum egregium commendat. Folia pulverata ad ʒß. præscribuntur, nec immerito Majoranæ anteponuntur.

Externe idem pulvis habetur pro errhino insigni, sive solus, sive cum Tabaco consociatus. Cerebrum expurgare, & roborare dicitur, & amissum odoratum restituere. Joannes Quincy Medicus Londinensis *in sua Pharmacopœa Officinali, & extemporanea seu completo Anglico dispensatorio* parat ex foliis Mari sal volatile oleosum aromaticum gratissimum, & cephalicum præstantissimum.

Mari salia usurpantur in Trochiscis *Hedichroi* quæ Theriacæ compositione subeunt, & in pilulis Marocostinis *Mindereri*.

Oleum essentiale ex foliis Mari extrahitur odore pergratum, quod cephalicum dicitur, uterinum, & antiparalyticum, & a Batavis maxime expetitum.

Marum Mastich, *Off.* Thymbra Hispanica, Majoranæ folio, *Inst. R. H.* 197. Sampsuchus sive Marum Mastichen redolens, *C. B. P.* 224. Clinopodium quibusdam, Mastichina Gallorum, *J. B. 3. Part.* 2. 243. Marum vulgare, Clinopodium, *Dodon. Pempt.* 271. Marum Gerard. *J. Raii Hist.* 520. Marum vulgare, *Parkins.* Marum Mastich, Gallorum, & Anglorum, *Advers. Lobel.* vulgo, *Marum Mastich.*

Frutex est pusillus, lignosus, multis ramis tenuibus brachiatus, radicibus tenuibus, lignosis, foliis Serpilli, sed incanis, odoratis, Mastichen quodammodo referentibus, & sapore acri præditis. In extremis surculis capitula lanuginosa, & paulo etiam inferius ambientes similes verticillos obtinet, e quibus perpusilli flores albidi, & Thymo similes, monopetali, labiati, labio superiore surrecto, & bifido, inferiore tripartito. Odor totius plantæ gratus, sed paulo vehementior. In Hispania, & aliis calidis regionibus sponte crescit. Hic in hortis colitur.

Eædem vires ipsi, quæ Maro Cortusi, tribuuntur: sed rarioris est usus. Deodatus, notante J. Rajo post Dolæum, in desperato mensium fluxu ultimum, & præsentissimum remedium ducit pulverem corticis Mari ad ʒj. cum vino austero, singulis matutinis horis propinatum.

## M A T R I C A R I A.

Matricaria, & Parthenium, *Offic.* Matricaria vulgaris seu sativa, *C. B. P.* 133. *Inst. R. H.* 493. Matricaria vulgo minus Parthenium, *J. B.* 3. 129. Matricaria, Gerardi, *J. Raii Hist.* 357. Artemisia tenuifolia, *Tabern. Icon.* 8. Matricaria vulgaris, *Parkins.* Amaracus, *Galeno*, & *Æginetæ*: Crispula, *Quorumdam*: Matricaria Parthenii prima species, *Brunsfels*: vulgo, *Matricaire* ou *Espargoutte*.

E radice alba, plurimis fibris emissis terram apprehendente, caules exsurgunt plures, sesquicubitales, rigidi, striati, glabri, satis crassi,

me-

medulla fungosa referti, foliis crebris, dilute virentibus, graveolentibus, amaris, nullo ordine positis vestiti; folia velut alata ex duabus tribusve pinnularum mediæ costæ adnexarum conjugationibus componuntur: pinnulæ hæ latæ sunt, & in alias minores circa margines dentatas subdividuntur. Caulium summitates versus, ex alis foliorum exeunt ramuli, in quibus ut & in summis caulibus nascuntur flores pediculis oblongis, plures velut in umbella, radiati, non admodum ampli; quorum discus ex plurimis flosculis luteis, corona vero ex semiflosculis brevibus candidi componuntur, seminum embryonibus insidentibus, & calyce semisphærico & squamoso comprehensis. Semiflosculis coronæ marcescentibus discus medius extumescit, & embryones abeunt in semina oblonga, exigua, striata, thalamo affixa in calycis fundo, pappo carentia. Tota planta odorem gravem ac vehementem spirat. In hortis colitur. Folia sæpius comæ floridæ in usum veniunt.

Analysi chymica, ex foliorum & summitatum viridium & recentium Matricariæ ℔v. per retortam distillatis prodierunt humoris limpidi, plantæ odorem & saporem referentis, obscure subsalsi, & obscure subacidi, ℔j. ℥vij. ℥iij. gr. xxiiij. humoris manifeste acidi magis ac magis, deinde austeri magis ac magis impense, ℔ij. ℥xiij. ʒiiij. gr. xxiiij. humoris rufi, empyreumatici, & alcali urinosi ℥j. gr. lx. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒj. salis volatilis urinosi concreti ʒj. gr. xlij. olei adiposi ℥j. ʒvj. gr. lx. Massa nigra residua pendebat ℥iiij. ʒvj. gr. xxiiij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒiij. ex quibus salis fixi mere alcali ℥j. ʒj. gr. xlv. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥ij. gr. xij. in calcinatione ℥ij. ʒiij. gr. xxiiij.

Ex florum capitulis quorum semina jam ad maturitatem pervenerant distillatis, eadem principia extracta sunt cum olei essentialis quantitate non mediocri.

Succus foliorum Matricariæ colorem subrubrum chartæ cæruleæ affert. Salem essentialem obtinet hæc planta ammoniacalem cum multo oleo tum tenui essentiali, tum crasso fœtente consociatum.

Inter plantas hystericas insignem locum occupat Matricaria. Ad uterinos affectus plurimum conducit, vel pulverata a ℈ß. ad ℈ij. vel ejus succus expressus & defœcatus ad ℥j. vel alteram, sicut infusum aut decoctum ad ℥vj. Menses, lochia & secundinas remorantes pellit, uterinam suffocationem compescit, dolores post partum sedat. Simon Paulli eam plurimum commendat. „ Mihi, inquit, frequenti in „ usu est, si lochia post partum negotium facessant mulierculis. Pa- „ rare enim ex ea & floribus Chamomillæ, cum tantillo Artemisiæ „ decoctum consuevi, a cujus usu hysterica symptomata illico cessare, „ & lochia abunde fluere, sæpe comperi. Quod medicamentum licet „ non jucundum aliis, hystericis tamen correptis passionibus, veluti „ Sesamo ac Papavere sparsum apparet; quæ ab illius usu ex lethargo „ excitatæ, in vitam, Deo benedicente, veluti redire conspici so- „ lent. “ Hæc S. Paulli. Quæcumque amara possunt, & carminan-

minantia, Matricaria utiliter præstat, flatus dissipat, stomachum roborat & ciborum concoctionem juvat. Ventris tineas expellit vel herba ipsa, vel succus ejus expressus, non secus ac Centaurium & Absinthium. Eam febrifugam prædicat C. Hoffmannus *de Med. officinal.* præcipue in malis uteri. Idem auctor pituitam & atram bilem purgandi vim ipsius succo tribuit post Brassavolam, si convenienti dosi exhibeatur, quam ad ℥iiij. statuit. In clysteribus ejus decoctum utiliter usurpatur, potissimum in morbis uteri, & cum cœteris plantis carminantibus sæpe consociatur, in colicis affectionibus ab muco viscido tenaci, acri oriundis. Externe præscribitur in fomentis cum Chamomilla vulgari vel Romana in aqua vel vino decocta in uteri inflatione & doloribus post partum, lochiorum remora, mensiumque fluxu doloroso quarumdam mulierum. S. Paulli refert Matricariam contusam impositam capitis vertici sæpe ejus dolores mitigare. Ad hemicraniam Chesneau eamdem contusam & in sartagine calefactam capiti admovet.

℞. Comarum Matricar. exsiccatar. & pulveratar. ℈j. Nitri defœcati gr. x. Syrup. de Artemisia q. s. F. bolus in mensium & lochiorum remora.

℞. Comar. Matricar. & Chamomillæ Roman. ana M. j. summitatum Arthemisiæ p. j. Bulliant leviter in aq. comm. ℔ij. Colatura dilue syrup. de 5. rad. aper. ℥j. Nitri ℈j. Propinetur per cyathos quarta quaque hora.

℞. Folior. & summitat. Matricar. & Tanaceti ana ℈j. Infunde per noctem in vini albi ℥vj. Colatura propinetur mane in mensium remora, lochiorum suppressione, aut ad vermes intestinornm necandos.

℞. Folior. Malvæ, folior. & flor. Matricariæ Artemisiæ & Tanaceti ana M. j. F. decoctum cum s. q. aq. comm. pro enemate, in cujus ℔j. dissolve cryståll. mineral. ʒj. mellis cucumer. asinini seu elaterii ℥j. In hysterica passione, lochior. suppress.

℞. Radic. Bryon. alb. ℥iiij. Aristoloch. rotund. ℥ij. Zedoar. Baccar. Laur. ana ℥j. Folior. & comar. Matricar. Artemisiæ, Chamæmel. Tanaceti, summitat. Sabin. ana M. ij. Coq. in aq. ℔viij. ad ℔vj. adde aq. vitæ ℔j. pro fotu calidissimo abdominis & pubis regioni adhibendo, ad lochia suppressa promovenda.

Cavendum tamen, monente Junckero post celebres Medicos, ne in mensium suppressione aut lochiorum remora hæc emmenagoga medicamenta stimulantia & pellentia incaute adhibeantur, ex. grat. in habitu insigniter plethorico, quando primæ viæ non satis expurgatæ sunt, nec sanguis debite dilutus & attenuatus, aut partes æstuantes & ad phlogosim tendentes: tunc enim hæc medicamenta non solum non prosunt sed ut plurimum graviter nocent, & inducere solent majores obstructiones, summas angustias præcordiorum, non raro insolitas per aliena loca sanguinis eruptiones, febres lentas, hecticas, phthisicas, cephalalgiam, difficilem respirationem, spa-

stícas

fticas & convulfivas affectiones, in corporibus laxioribus & fpongiofis cachexiam & ædemata. In lochiorum fuppreffione plenaria fi præfertim jam ab aliquot diebus conftet, minime expedit, monente eodem, hunc fluxum directe & per hæc ftimulantia uterina ut aloetica, myrrhata, &c. intus fumpta revocare. Tunc fatius eft ad caufas hujus fuppreffionis refpicere, partium tenfionem, phlogofim minuere & extinguere, orgafmum fanguinis compefcere, exæftuationes febriles fedare. Quæ felicius abfolvuntur remediis diluentibus, temperantibus, emollientibus, necnon etiam abforbentibus, tum interne, tum externe adhibitis, non neglecto Nitri ufu his in ægritudinibus præftantiffimo. At in lochiorum fola imminutione aut remora nondum pertinaci, hæc uterina leniter ftimulantia moderatiffimis dofibus adhiberi poffunt, præmiffis aut intermixtis laxantibus, emollientibus, temperantibus & diluentibus & potiffimum nitrofis. Nunc ad Matricariam redeamus.

Palam eft apes, inquit S. Paulli, ferre non poffe odorem Matricariæ: quare plethorici, quas præ aliis pungunt apes ac culices, in hortis ambulaturi, optime fibi confulent, fi ferta ex Matricaria parent, ac fecum circumferant; fic enim apes graveolentia horum offenfæ, quafi manu abactæ, illis non nocent. Eumdem effectum expectare a Cotula fœtida poffumus.

Ex Matricaria aqua diftillata, extractum & oleum effentiale in officinis præparantur & fervantur ad eadem, quibus Matricaria utilia.

Matricariæ folia ufurpantur in fyrupo de Arthemifia & in fyrupo aperiente Cachectico Ph. Reg. *Charas* & in emplaftro de Ranis *Joann. de Vigo*.

## MAYS.

MAys, Mayz, Maizium, Frumentum Turcicum, Triticum Indicum; *Off.* Mays, *Inft. R. H.* 531. Frumentum Indicum, Mays dictum, *C. B. P.* 25. Triticum Indicum, *J. B.* 2. 453. *J. Raii Hift.* 1249. Frumentum Turcicum, *Dod. Pempt.* 509. Frumentum Turcicum & Indicum, *Gerardi*: Milium Indicum maximum Mays dictum, feu frumentum Indicum, *Parkinf.* Mays *Acoftæ*: Maifum, *Monardi*: vulgo, *Blè de Turquie*..

Radicibus nititur numerofis, duris, fibrofis, albis, fed minime craffis: culmo affurgit arundinaceo, rigido, folido; fungofa, candida & faporis, dum viridis eft & fucculentus, dulcis, Saccharini, medulla farcto, ac multis articulis geniculato, quinum fenumve pedum proceritate, pollicari craffitudine, inferiore parte craffo, ac fubinde purpureo, fuperiore paulatim extenuato. Folia profert arundinacea, cubito plerumque longiora, tres aut quatuor uncias lata, venofa, marginibus aliquantum afpera. Panicula in fummo caule gerit dodrantales, graciles, raras, jubæ modo multiplices, aliquando in 15. 20. vel etiam 30. fpicas procumbentes divifas, floriferas, infœcundas, a femine feu fructu remotas. Flores his in paniculis nafcuntur,

tur, Secalis floribus similes, apetali, nonnullis staminibus cum apicibus annexis nutantibus, & calyce constantes, nunc candidi, nunc lutei; nunc purpurei coloris, prout videlicet fructus, seu frugiferæ spicæ coloratæ erunt: at nullum semen exarescentes post se reliquunt. Fructus a floribus sejuncti, veluti spicæ ex culmi geniculis exeunt, atque ab uno culmo tres quatuorve, alterno ordine, longæ, crassæ, rotundæ, cylindraceæ, multis foliaceis, ac membranosis tunicis, veluti vagina quadam arcte obvolutæ, e quarum summo arcte convoluto longi tenuesque capilli prominent, singulis seminum embryonibus adhærentes, eodem cum granis colore. Semina magna sunt, pisi magnitudine, nuda, nullo folliculo inclusa, lævia, superficie subrotunda, angulata ea parte, quæ palæ axis adhæret, numerosa, quæ sæpe apud Indos in una spica 700. coacervata reperiuntur, ac arctissime juncta, & in ordines ac versus octo, aut decem nonnumquam duodecim in longitudinem rectis fere lineis digesta, quæ ratione coloris variant, modo candida, interdum lutea, modo purpurea, nonnumquam fusca aut rubra, medulla tamen farinacea, candida, & sapore cœteris frumentaceis dulciori ac suaviori. Frumentum hoc Americæ indigena in omnibus fere ejus regionibus reperitur, & inde in Africam, Asiam, & Europam delatum fuit. Seminum seu granorum Mays farina quæ a furfuribus probe repurgata candoris est eximii, edulis est, nec solum apud Americanos, sed apud nos in panificia subinde cogitur.

Analysi chymica, Grana Mays præter phlegma tum acidum, austerum copiosum, tum salsum, & urinosum, plurimum olei spissi crassi mediocrem terræ, & salis alcali fixi salsi portionem præbuerunt.

Ex hisce granis contusis, & aqua maceratis vinosus liquor paratur veluti ex Hordeo cerevisia, inebrians & ex quo spiritus ardens extrahitur. Multum salis essentialis Tartarei obtinent cum sulphure crasso copioso, aliqua salis ammoniacalis portione & terra pauca conjuncti. Principiis & viribus cum Hordeo convenire videntur.

Franciscus Hernandez frumentum hoc valde celebrat. Temperatum est, inquit, aut ad caliditatem humiditatemque paulisper declive, substantia mediocri, concoctu facili, præcipue his, qui eo victu uti consuevere, non crassa, aut, veluti quidam opinatur, obstruenti, & viscosa, quod vel Indis ipsis, qui ex eo pane in placentulas formato vivunt nec tamen obstructi, aut decolores conspiciuntur, periclitari licet; iisdem affirmantibus nullam in ventriculo gravitatem sentire post epulas, imo post paucas horas rursus, ac si nihil ingessissent esurire, & magna aviditate, si adsit copia, repetere nutrimentum, nec vel de nomine solo ad adventum usque Hispanorum lithiasim novisse: quin quod nullus est apud Mexicanos celebrior ægridinum acutarum & commodior victus, qui etiam ptisanæ præfertur, quod mille experimentis comprobatum, confirmatumque est: celeriter utique ajunt coctum descendere, corpora quantum sat est nutrire, nullum inferre gravitatis sensum, mollire ventrem, & pectus, calorem febrilem demulcere, (præsertim si pulvis ejus ex

aqua

aqua permittatur brumali tempore gelare ,) urinam evocare , viasque omnes extergere . Quin imo Mexicani Medici , posthabita hordeacea ptisana , ægrotantibus pultes & placentulas ex Mayzio offerunt , huic genti consuetas & gratas, & quæ citra ullam noxam , suavem saluberrimamque alimoniam præbeant.

C. Bauhinus *in Teatro Botanico* , nescio a quo edoctus, scribit , Indos, si nimium utantur hoc frumento in cibis , tumidos , & scabiosos reddi . Imo inquit , pueri Guineensium , qui hoc frumento sæpe panis loco utuntur , videlicet granis e spicis excussis , iisque nonnihil tostis , & præustis, si paulo frequentius utuntur a scabie sese vindicare non possunt, cum sanguinem nimis calidum & quasi adustum gignat.

Frumentum illud cum Hordeo plurimum convenire mihi videtur . Panes , qui ex eo conficiuntur , sicci sunt , duri , concoctu difficiles , flatulenti , alvum cohibent: accommodati tantum illis , qui vitam agunt laboriosam . Farina etiam cum lacte , & carnium jusculis in pulmenta formatur , quæ panibus magis nutriunt . Non sunt res stomachi delicatuli , sed fercula rusticorum , nautarum , bajulorum . Frumentum istud pecori majori minorique est gratissimum : ejusque usu mire gliscit sagina . Columbis edulium præbet jucundum valde. Bruyerinus asserit Bellojocenses Lugdunensibus vicinos illud serere feliciter , eoque panificia sua augere . Idem factitatum apud alios populos premente aliarum frugum caritate summa.

Ex hisce granis varii apud Americanos liquores fermentati spirituosi & inebriantes conficiuntur, quorum præparationes apud C. Bauhinum *in suo Theatro Botanico* videre licet.

Nullius aut rarissimi est usus in Medicina . Ejus farina in Hordei farinæ locum substitui potest . Ad cataplasmata emollientia , & suppurantia a nonnullis adhibetur : nam suo lentore cutis poros obstruens , apostematibus suppurandis peridonea est . Foliorum recentium succus , narrante *J.* Rajo, refrigerandi facultatem obtinet, & erysipelatibus , si panni intincti applicentur, conducit.

## MELILOTUS.

Melilotus vulgaris, *Off.* Melilotus officinar. Germaniæ , *C. B. P.* 331. *Inst. R. H.* 407. Trifolium odoratum seu Melilotus vulgaris , flore luteo *J. B.* 2. 370. Melilotus Germanica , *Lobel. Icon.* 43. Melilotus vulgaris Parkinsoni , *J. Raii Hist.* 951. Melilotus Germanica *Gerard. Emaculat. Descript.* Lotus urbana , *Matthioli* : Trifolium caballinum , *Camerarii* . & *Italor.* Loti sive Trifolii species *Cordi* : vulgo , *Melilot* ou *Mirlirot*.

Radice alba, tenui , lenta , fibrillis brevibus capillata , alte in terram descendente firmatur : caules emittit plures , interdum unicum, cubitales, sesquicubitales , & altiores , glabros , teretes , striatos tamen , infirmos , inanes parva intus cavitate , ramosos foliis ad intervalla alternatim nascentibus

tibus vestitos, ternis in eodem pediculo tenuj, sesquiunciali, oblongis, denticulatis, & plerumque circumrosis, glabris, obscure virentibus. Flores in spicis longis ex alis foliorum exeuntibus, rarius siti, papilionacei, tetrapetali exigui, flavi, pediculis brevibus tenujbus penduli: quibus succedunt capsulæ siliquosæ, brevissimæ, simplices, pendulæ, rugosæ, nudæ, hoc est in calyce non reconditæ, ut in Trifolio, per maturitatem nigræ, semina singula aut bina subrotunda, flavicantia, continentes, sapore leguminoso. Herba virens nullum fere odorem habet, sed cum aruerit, fragrantissimum spirat. Ad sepes, in vepretis, & inter segetes copiose nascitur. Herba florida in usum venit.

Analysi chymica, ex Meliloti floridi, demptis radicibus, per retortam distillatis ℔v. prodierunt humoris limpidi, odorati, sapore amaro, acri, occulte acidi, subsalsi ℥xiv. humoris limpidi, amari, acrioris, manifeste acidi, magis ac magis austeri ℔iij. ℥iiij. ʒvij. humoris rufi, sale volatili urinoso copioso impraegnati ℥j. ʒvj. salis volatilis urinosi concreti gran. xxxvj. olei ℥j. ʒvij. gr. liiii. Massa nigra residua pendebat ℥v. ʒij. quæ rite calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒvj. gr. lx. ex quibus salis fixi mere alcali ʒij. gr. xlv. lixivio sunt extracta. Partium jactura in distillatione fuit ℥iiij. gr. xviij. in calcinatione ℥iij. ʒiij. gr. xij.

Meliloti folia chartam cæruleam rubro colore vix tingunt. Odora sunt, acria, amara, nonnihil styptica, & si diu masticentur, nauseosa. Salem essentialem obtinent tartareo-vitriolicum ammoniacalem cum multo oleum tum tenuj, tum crasso conjunctum, & terræ portione non mediocri.

Leniter resolvit, digerit, emollit, dolores sedat. Rarius ad usum internum adhibetur. A nonnullis tamen ejus summitatum floridarum ad M. j. decoctum ex aq. comm. ℔ij. cum florum Chamæmeli pari quantitate præscribitur in abdominis inflammationibus, doloribus nephriticis, & rheumaticis. Johannes Michaelis *in notis in Schroderum* decoctum florum Meliloti epotum singulariter commendat in albo mulierum fluore.

Externe creberrimi est usus propter vim emollientem, anodynam & resolventem, in qua cum Malva & Althæa convenit: cum sit partium tenujorum & magis volatilium, magis etiam resolvit. In clysteribus emollientibus, carminantibus & demulcentibus, in cataplasmatibus, fomentis, balneis, emplastris emollientibus digerentibus, resolventibus, necnon concoquentibus utiliter admiscentur folia & flores; sæpe etiam cum Chamæmeli floribus consociantur.

♃. Florum Meliloti & Chamæmel. fol. Malv. ana M. ij. Coq. in decocti omasi q. s. pro enemate emollientem, anodyno, & terminativo.

In inflammatione uteri, scroti, ani, & viscerum, fotus ex decocto Meliloti ab Ettmullero commendatur, in primis si ipsi Agrimonia & Chamæmelum addantur, quæ in vino vel aqua decocta inflammationem sistunt. S. Paulli in *Quadr. Botanico* ad uteri dolores post partum & inflammationes fotum commendat ex summitatibus Meliloti floridis, & semine Fœnu Græci paratum ut summe proficuum. Idem ad pleuritidem mitigandam alium fotum proponit sic præparatum.

℔. Her-

℞. Herbæ Meliloti floridæ, Parietariæ ana M. ij. Betonicæ M. j. Bismalvæ Mjß. Flor. Chamæmeli Mß. Mixta & decocta in aqua sæpe pectori superponantur.

℞. Pulpæ ex Lilior. & Althææ radicibus, foliis Cicutæ & Hyoscyami paratæ, & per setaceum trajectæ ℔ß. Flor. Melilot. Camomillæ, & Absinthii Pontic. exsiccator. & pulverator. ana ℥iij. Olei rosati q. s. M. F. cataplasma ad testium tumores resolvendos.

Succus flor. Meliloti aut eorum infusum oculorum dolores sedant: si præsertim aliquantulum spiritus vini camphorati instilletur.

Aqua florum Meliloti odorata servatur in officinis, sed rarioris est usus. Ad odoramenta sæpius usurpatur: cœterorum odoramentorum fragrantiam tenujtate sua evehit & expandit. Paratur in officinis emplastrum de Meliloto *Mesuæ*, quod quidem pituitam viscidam egregie discutit, resolvit, & dolores apprime sedat. Tumores emollit, & nonnumquam maturat.

FINIS.

*SUPPLEMENTUM*

# TRACTATUS

*DE*

# MATERIA MEDICA

*SIVE*

# DE MEDICAMENTORUM

*SIMPLICIUM*


Historia, virtute, delectu, & usu;

STEPHANI-FRANCISCI GEOFFROY

&c. &c. &c.

*TOMI SECUNDI PARS ALTERA.*

DE VEGETABILIBUS INDIGENIS.



VENETIIS,

Apud NICOLAUM PEZZANA.

---

M DCC LVI.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

*Qui experti sunt remediorum utilitatem, denegant autem usum, valde culpandi sunt, utpotequi crimine invidentiæ flagrant, quod malum cum omnibus animantibus invisum esse debet, tum præcipue Medicis, in quibus nisi plenus humanitatis, & misericordiæ animus est secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus diis, & hominibus invisi esse debent.*

Scribonius Largus *in Præfatione ad C. Julium Callistum.*

*Medicus* Notitia Plantæ *destitutus, de viribus ejusdem, nunquam juste judicavit.*

Linn. *De Mater. Med. Lib. I. Canon.* 13.

# LECTORIBUS
# F F.



Ungar jam interpretis munere, ne quis me putet hæc fingere, *ait Cicero*, Tusc. Quæst. *l.* 3. *Nos pariter ad egregium de* Materie Medica Stephani Francisci Geoffroy Tractatum *quoquo modo perficiendum, ejusdem* Partis Secundæ Sectionis Secundæ *Supplementum *Gallica lingua conscriptum, non inutile, quinimmo pernecessarium, judicavimus, Latina veste indutum Doctorum oculis subijcere. Quanta, patrio idiomate, diligentia, ac quam varia eruditione Illustrissimus Professor Anonymus Gallus, non sine adjumento* Clarissimi Viri Bernardi de Jeussieu, *id muneris præstiterit, ex hac qualicumque interpretatione, facili negotio percipietur, ut vere, nihil habeamus, quod de immaturo* Celeberrimi Authoris *doleamus interitu, multiloque ejus Operi suppleatur optime magno Studentium emolumento. Quapropter æquum*



* Suite de la Matière Mèdicale de M. Geoffroy, Par M. * * *, Docteur en Mèdecine. A Paris 1750. Tom.3. en 12.

*erat Italiæ quoque nostræ consulendo, Gallicæ linguæ imperitis commune hoc beneficium reddere, ac Italicas Bibliothecas* Supplemento *ditare, in quo claro, accuratissimoque ordine, de* Plantis Indigenis, *sermo instituitur, de inquilinis scilicet Simplicibus, in hac regione potissimum fere ubique luxuriantibus, atque de olitoriis, tam esculentis, quam officinalibus Plantis cognoscendis: quin etiam selectæ de Agricultura præceptiones, Olerumque omnium sationis tempora, aliaque innumera varios ad usus apprime utilia, cum Medicis, tum quibuscumque pergrata liberaliter traduntur.*

*Ad hanc Venetam Editionem locupletandam, & ad immortale* optime meriti Geoffroy *nomen magis illustrandum, operæ pretium duximus, ejusdem* Elogium *adjungere, ex* Actis Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis *Latino Orbi donatum, ac ad majorem insuper utilitatem, ornatumque,* Plantarum Indigenarum Indicem Latino-Gallo-Italicum *Nonnullis fortasse non injucundum apposuimus. Vos ergo* Benevoli Lectores *mendis, plus justo forte, illapsis, & elocutioni, pro rei dignitate, minus, quam par est disertæ, atque expolitæ, æquo animo veniam largiamini, nostrisque laboribus favete.*

# ELOGIUM
## STEPHANI-FRANCISCI GEOFFROY
### *Excerptum ex * Actis Regiæ Scientiarum Academiæ anni* 1731.



TEPHANUS-FRANCISCUS GEOFFROY natus est Lutetiæ Parisiorum die 13. Februarii anno 1672. ex Matthæo Francisco Geoffroy Pharmacopola, primo Scabino, & Antiano Consule, ac ex Aloysia de Uaux Chirurghi suo ævo celeberrimi filia. Ejus quoque paternus proavus primus Parisiensis Scabinus fuit, quo munere tunc temporis ex vetustioribus, honestioribusque familiis Cives fungebantur.

Ejus ab ineunte usque adolescenti ætate institutio ea fuit, quæ Principem decuisset, quamvis a Patre rei Pharmaceuticæ tantum destinaretur: quum enim Physicæ operam primum navaret, paterna in domo, statis temporibus, litterarii congressus habebantur, in quibus & Planispheria a Cassino, & Machinæ a P. Sebastiano, & Magnetici Lapides a Joblot, aut a du Verneyo Anatomicæ dissectiones, & ab Hombergio operationes Chemicæ ostendebantur, & alii quamplurimi sapientissimi, ac celeberrimi Viri una cum studiosis Adolescentibus, tanto cum profectu, ac utilitate convenerant, ut hinc typus, epocha, ac fundamenta Societatum Physicæ experimentali addictarum jure, ac merito repeti posse videantur. Tanta igitur cura, & diligentia educabatur, ac si de alicujus Regni Ministri filii ad majores dignitates provehendi cultura, ac ornatu ageretur: hæc omnia tamen pro GEOFFROEYO curabantur adhuc adolescenti, paternæ Officinæ tantum dessignato: quum enim jam Parenti innotuisset, quot, ac quantis, in omnibus sui partibus indigeat cognitionibus Pharmacia, magna delectatione ob felicem successum ab eo exculta, nil mirum, si proprio filio sterneretur diligentius idemmet curriculum, in quo ipse jam consenuerat.

Post Physicam generalem GEOFFROEYUS noster rei Chymicæ, ac Botanicæ peculiariter, & Anatomicæ etiam operam dedit. Domestico quoque secessu ad animum recreandum, rejectis puerilibus voluptatibus, ineptiisque, torno, conspicillis, telescopiis, microscopiisque fabrefaciendis, parvis machinis exequendis, Italo Idiomate ab Abbate Roselli, de Romanico Opere, cui titulus, *L'infortunè Napoliten*, optime merito, addiscendo plurimum delectabatur.

Anno 1692 Monspelium a Parente ad Pharmaciam ab expertissimo



* *Histoire de l'Academie Royale des Sciences annè MDCCXXXI. A Paris 1733.*

Pharmacopola percipiendam miſſus fuit, mutua commutatione ſane optima, nam Monſpeſſulanus quoque Profeſſor Pariſios filium ſuum apud GEOFFROEYUM Patrem miſit, ambo enim adoleſcentes in externa domo Artem ſingulariter edocti, novo quotidie doctrinæ apparatu, domeſtico, addito, magis magiſque emicuerunt.

GEOFFROEYUS itaque clariores celebris Monſpeſſulanæ Scholæ Profeſſores ſequtus, hac in Urbe magnam ſapientiæ famam adeptus eſt, quæ de die in diem major poſtea effecta ad ſummum profecta eſt ſuapte natura, nulloque extrinſeco adjumento.

Meridionales Regni Provincias, ante ſuum ad Patriam redditum, Oceanique portus emenſus, quidquid viſu dignum cenſeretur, ab eo attente ſcrutabatur, ac non ſpernendæ curioſitatis pœnas fortaſſe luiſſet Maclovii, qua in Urbe ægrotavit anno 1693. quum ab Anglis tormentis bellicis ejus muri quaterentur, niſi terribilis Infernalis Machinæ jactus fortuito, ac feliciter evaſiſſet. Anno 1698. ineunte, Comes de Tallard, poſtea Dux, Patricius, & Mareſcallus Franciæ, Legationi extraordinariæ in Angliam deſſignatus, GEOFFROEYUM nondum in Medicorum numerum cooptatum ſelegit ad propriam valetudinem præſervandam, nec dubitavit, quin commendaretur ab omnibus delectus, etſi titulis deſtitutus. GEOFFROEYUS autem, cui utiliter iter faciendi ratio probe innotuerat, in Londinenſi ſtatione profecit plurimum, fere omnium Illuſtriorum, feraciſſimæ magnorum Virorum Regionis, ac præcipue Equitis Sloane familiaritatem adeptus eſt, ac Regiæ Londinenſi Societati aſcitus fuit, ſex menſium curſu nondum exacto.

Hinc in Bataviam profectus, ibique alios ſapientes Viros inviſus, novas obſervationes, cognitioneſque utiliter congeſſit: Et alium quoque in Italiam anno 1700. inſtituit ſibi gratiſſimum iter cum Abbate de Louvois, tamquam ejus Medicus, juxta GEOFFROEYANAM, tamquam Amicus juxta Abbatis ejuſdem ſententiam, uterque enim ſumma laude diverſimode loquebatur.

In delitiis præ cæteris GEOFFROEYO ſemper erant Hiſtoria Naturalis, ac Materies Medica, eoque facilius in ejuſcemodi ſtudia alliciebatur, utpote a Patre ad proprium munus obeundum jam deſſignatus. Anno 1693. Pharmaceutico ſubacto examine, exhibitoque Artis ſpecimine, magno impetu ad Medicam Artem exercendam alliciebatur, idque patefacere nequaquam audebat. Equivocis, ut ita dicam, ſtudiis operam navabat, iis ſcilicet, quæ & Parenti, & inſito a Natura deſiderio æqua lance ſatisfacerent, Materiæ ſcilicet Medicæ, nunquam digne ſatis ab experto quovis Pharmacopola, ne dicam Medico, apte dignoſcendæ.

Opportuno igitur tempore, omni abjecta ſimulatione, ſuaque enunciata voluntate, Patris facilem aſſenſum expertus eſt, alterque filius, nunc Regiæ Scientiarum Academiæ Chymicus, Medicæ Provinciæ a Parente deſtinatus, Pharmaceuticis inſtructus fuit doctrinis, qua ſane immutatione, Patrem mirabiliter edocuit non ſatis explorata ſuorum Jurium diligens cuſtos Natura.

An-

Anno 1702. Medicinæ Boccalaureo GEOFFROEYO nunciato, ejus prima Thesis admodum retardata fuit: Fagonius enim primus Medicus, cui præsidendi jus erat, quum id muneris aliis demandare consuevisset, ipse met GEOFFROEYANÆ Thesi præesse voluit, quod honoris non vulgaris genus, nisi protrahendo, haberi non potest. Thesis prædicta, etsi juxta consuetudinem Præsidis opus sit, tamen a GEOFFROEYO ipso exarata fuit, qui Quæstionem hanc selegit, *utrum Medicus, & simul Mechanicus-Chymicus esse debeat?* Facile conjici potest id affirmative ab eo definitum fuisse, etsi definitio Medicos omnes, summo Medicæ Artis dedecore, non amplectetur. Binas alias quoque; tamquam Baccalaureus, Theses composuit, nec non & alteram, cujus anno 1704. Præses fuit post recepta Doctoratus insignia. Nova ac utilia argumenta semper ab eo in medium adducebantur, ac præ aliis eo, quo quærebatur, *utrum Hominis origo a Vermibus derivari possit*, adeo Matronarum primi ordinis curiositas allecta fuit, ut ad eas ad Naturæ mysteria, ignotasque Theorias initiandas, Gallica traductione, opus fuerit. Theses ab ipso in Parisiensi Gymnasio prolatæ non solum, tamquam in subjecta materia Tractatus fere integri uno omnium ore censebantur, verum etiam exterarum Nationum gustui magis præ aliis accomodatæ, in quibus, præter styli, Latinæque linguæ elegantiam, cætera desiderantur.

Practicæ Medicinæ, ut sibi jus erat, statim operam dare haudquaquam sollicitus fuit, multum namque eruditionis, & scientiæ cumulavit, decem annorum spatio, proprio in Musæo conclusus, hinc ea omnia quæ Medicos inter optima principia merito vocantur, summo in gradu in eo locata fuisse, omnium sui temporis Medicorum unanimi consensu compertum est. Suapte dulci, circumspectionis, moderationisque plena, ac fortasse timidiuscula indole, ad Naturam prosequendam potius, quam auxilii specie, remediorum copia turbandam, & juxta exigentiam atque apte juvandam, assidue ferebatur, ac initio præsertim adeo Ægrotantium malis torquebatur, ut eorumdem caussa, tristis, afflictus, pavidusque esset, hujusque rei caussa tandem perspecta, ejus fama adumbrationis loco, majorem recepit incrementum, hac satis rara, ægrisque gratissima amoris specie summo honore habita.

Quum ipse autem probe calleret; Medicum, cujuscumque generis ægrotantibus pertinere, nihil discriminis bonas inter, malasque, illustres, ac plebejas curas ab eo interponebatur, nihil ipse quæritabat, nullum abijciebat, hinc obscuriorum, ac morosiorum major curarum numerus, quæ difficulter admodum ab eo relinquebantur, data etiam quacumque percelebri occasione. Ab omni enim fastu singulariter alienus, proprii nominis adjuvandi, evulgandique vias omnes vafre perquirentes irridebat; veritate nihilominus tandem elucescente, GEOFFOEYANA virtus late patuit. In præcipuis autem, magnisque Medicæ Artis negotiis omnes primi ordinis Medici GEOFFOEYANUM placitum, consiliumque semper explorabant, peculiaribusque ejusdem notitiis utebantur.

tur. Romanos, inter omnes Nationes, fortiores fuisse a Cicerone ex eo concluditur, quod ab earum unaquaque, fortitudinis prima laus, Romanis posthabitis, usurparetur.

Anno 1709. in Regio Franciæ Collegio, Medicinæ Professor, in Tournefortii, post ejusdem obitum, locum, a Rege declaratus, universam Materiæ Medicæ Historiam Auditoribus suis explicare cœpit, qua de re per longum tempus magna congesserat. Minerali Regno, Fossilibus videlicet omnibus in usum Medicum venientibus jam absolutis, de quibus nihil uspiam, exquisitius, complanatius, certiusque usque adhuc apparuit, ac Vegetabili Regno incoacto, alphabetico ordine, etsi ingens Simplicium numerus descriptus ab eo fuerit, *Melissa* tamen, cæteræque post ipsam satis numerosæ Indigenæ Plantæ, magno studentium mœrore, ac incommodo desiderantur, nihilque de Animali Regno prolatum fuit; quidquid autem ipse dictavit mirabili ordine digestum, in publicam lucem ejus familiæ cura edendum prodiet.

A Fagonio, qui Professoris Chymici titulum in Horto Regio semper detinuerat ad id muneris alii seligebantur, quum vero consuetæ exercitationes a D. de S. Yon jam dessignato, ob adversam valetudinem, anno 1707. haberi non potuissent, Geoffroeyus loco ejusdem suffectus, numeris omnibus, demandata sibi provincia functus adeo fuit, ut titulo postea a Fagonio absolute dimisso, Geoffroeyus ipse ab eo ascitus fuerit anno 1712. quin etiam ut magis, magisque Geoffroeyana virtus elucesceret, Fagonius ipsi commisit, ut in ordinariis Chemiæ lectionibus aliquid etiam de Materie Medica diceret, una eademque sessione, binis, ac quandoque tribus additis horis: summo studentium amore, ac quodam gloriæ sensu, qui, in quocumque a vanitate etiam alieno animo, agit, ac agere debet, Geoffroeyus elatus consensit, ac ex ingenti labore, voluptate quadam veluti perfundebatur, eo, quod in tam longis sessionibus, quin Auditores repellerentur, frequentius, attentiusque aderant: ipse vero minus, quam par erat, hisce de causis, propriæ, suapte natura satis debili valetudini male consulens sibi non leve attulit detrimentum.

Medicorum Universitas singulo biennio proprium seligit Decanum, annoque 1726. quum Viro potissimum indigeret, qui etsi dignitatem mereretur, nullatenus tamen ad eam habendam, electionis læderet libertatem, ac magis Societatem, quam honoris fastigium diligeret, Geoffroeyus designatus fuit: quum autem singula Reipublicæ membra non semper æqua ratione Reipublicæ studiosa sint, nonnulli fictis irregularitatibus ejusmodi electionem irretierunt, ac Geoffroeyus ipse libenti animo horum sententiam sequtus fuisset, nisi electio eadem solemni Curiæ juditio confirmata fuisset.

Iisdem quibus antea respuebatur suffragiis, Decanatus biennio exacto, eadem dignitate insignitus iterum fuit, propter summam ejus expertæ dexteritatis necessitatem: tunc enim temporis molesta satis Medicos inter, ac Chirurgos lis oborta erat: tunc etiam singularis Geoffroeyo nostro honor concessus fuit, namque cum Decano Censor

sub-

ſubſtituatur, qui ejus vices gerit, iſque ſemper eſſe debeat Decanus ille, qui proxime functus fuit munere; biennio novi Geoffroeyani Decanatus, ſuppreſſus fuit Decani titulus, ejuſque arbitrio relicta inter Socios auxilium petendi poteſtas. Hæc veræ exiſtimationis, & gratitudinis teſtimonia ab Univerſitate ſibi exhibita, nec ambitioſe exquiſita, alte in ejus animo repoſita permanſerunt, alteroque Decanatus curſu, non ſine extraordinariis exantlatis fatigationibus jam abſoluto, innumeriſque aliis a Medico exercitio additis, ejus valetudo omnino peſſum ivit, ac anno 1730. laboribus preſſus ægrotavit; Opus tamen a prædeceſſoribus Decanis neceſſe habitum, nec ab iis completum forti animo ad finem redegit, Præparatorum ſcilicet Seriem Medicamentorum, quorum frequens eſt uſus, quæque ſemper apud Pharmacopolas in promptu eſſe debent.

Tamquam Academicus a nobis nondum enunciatus fuit, Hiſtoriæ enim noſtræ publici juris factæ ſatis oſtendunt omnium maxime hoc etiam munere præſtitiſſe, poſtremis quatuor demptis annis, in quibus legitime a Decanatu impediebatur. Anno 1718. Syſtema, ac Singularis Affinitatum, aut Relationum diverſarum ſubſtantiarum Tabula in Chemia, ab eo prolata fuit. Affinitates porro prædictæ Nonnullis, eaſdem ſimulatas Attractiones eſſe ſuſpicantibus, neutiquam arriſerunt a doctioribus enim fictæ formæ iiſdem dari ſolebant; tandem Geoffroeyana Tabula admiſſa fuit, atque ſatis perſpecta, omnibuſque perneceſſariis præciſionibus interpretata, tamquam Operationum Chemicarum præcipua Lex recipi poteſt, non ſine magno in Chemia laborantium emolumento.

Regiæ autem Pariſienſi Academiæ aſcitus fuit anno 1699. annoque 1731. die 6. Januarii occubuit.



MONI-

# MONITUM.



*Ure, ac merito excellentiam* Tractatus de Materia Medica *D. STEPHANI-FRANCISCI GEOFFROY extollit universa Litteraria Respublica, quæ non modo virum propera morte fuisse correptum, sed & ipsum Opus imperfectum reliquisse queritur. Quod erat supplendum, diu, multumque ab omnibus expetitum fuit, sed unicuique audax, periculosum, ac difficillimum videbatur GEOFFROEYUM imitari. Et nos quidem id ipsum immorantes diutissime detinuit; Verum quoties tenuitatem nostram consideravimus, toties Tractatus conficiendi nobilitatem sumus admirati: quare inter & tanti operis pondus, & publicæ utilitatis augmentum hæsitavimus jamdudum: nec ad optatum terminum res cessisset feliciter, nisi celeberrimi Medici* D. Bernardi de Jussieu, *quem honoris, & elogii causa nominamus auxilium interfuisset, aut quoquo modo defuisset. Ipse enim eximiis cognitionibus, notitiisque nos & adjuvit, & ipsum Supplementum exactissime castigavit. Viro igitur laudatissimo, ac Naturalis Historiæ peritissimo debemus plurimum, eique sponte gloriam omnem libenter cedimus, dummodo bono publico consulamus.*

*Operis OEconomia, quoad per nos licuit, GEOFFROEYANAM methodum accurate sequitur, ea excepta mutilatione, quam necessariam credidimus: Analysis nempe Chymicæ Plantarum, quæ ab Authore unicuique articulo inserta fuit. Experientia enim edocti fuimus, nihil penitus in illa Chymica disquisitione publicæ inesse utilitatis. Demptis enim quibusdam Chemiæ Professoribus quis est qui scire cupiat, utrum una, vel altera Planta plus olei, aut phlegmatis, salis, aut terræ in se contineat? Sufficiat generatim Analyseos productionem neutiquam ignorare, quamvis Processus Chymici modum, & ordinem nesciamus: Sufficiat Plantarum vires probe cognoscere, nihil enim commodius reperiri posse, compertum est. Præterea certo scimus, GEOFFROEYUM ipsum postremis vitæ temporibus, tanti tam difficilis, ac diuturni laboris inutilitatem deprehendisse, inque suo* Tractatu de Materie Medica *libenter partem hanc fuisse relicturum. Insuper hisce diebus unanimi omnium consensu receptum est, perobscure admodum Analysi prædicta, clarius autem simplici infusione, aut pulvere in substantia propinato, Plantarum facultates explorari posse: Nec ignoratur, duas Plantas, qualitate, etsi oppositas, eadem ipsa*

*prin-*

*principia Analyseos ope largiri ; earumque virtutes non ab hisce principiis solitarie sumptis, sed ab ipsarum indole, & proprietatibus a Natura impertitis esse desumendas, quas quidem proprietates ignis actio utplurimum destruit . Qua de causa post longum tempus actum est de hac Methodo, non solum, ut inutili in semetipsa, verum etiam in arte Medica . Ceterum uniuscujusque Plantæ articulo , ejusdem Analyseos inseruimus productionem excerptam ex Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ, & ex Operibus Chymicorum , qui peculiariter Spartam hanc emensi sunt : quapropter hæc satis, superque productio sufficit, ut ea cognoscantur principia, ex quibus Planta scatet . In reliquo Opere universo nec unquam* Prototypum *nostrum reliquimus, &, ut aliquid* experientiæ *adderetur,* delectui, & usui Plantarum, *quas descripsimus, meliores Fontes delibavimus . Hæc omnia considerantes, speramus, fore ut Respublica litteraria labori nostro æqui, bonique faciat, quod nos ad majorem hujusce Tractatus perfectionem; ad edendam nempe* Animalium Historiam, *quæ desideratur adhuc, tandem alacriter incitabit.*



# NOI RIFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitor General del Sant' Uffizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Tractatus de Materia Medica, sive de Medicamentorum Simplicium Historia &c. Authore Stephano-Francisco Geoffroy*, con aggiunta *MS. del Supplimento allo stesso Autore tradotto dal Franzese in Latino*, non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a Niccolò Pezzana, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 5. Settembre 1754.

{ *Z. Alvise Mocenigo 2.° Rif.*
{
{ *Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 59. al Num. 434.

*Giacomo Zuccato Segr.*

Adi 11. Settembre 1754.

Registrato in Libro del Magistrato Eccellentiss. de' Signori Esecutori contro la Bestemmia.

*Gio: Battista Battisti Segr.*

# INDEX
## LATINO-GALLO-ITALICUS
### *PLANTARUM INDIGENARUM.*
# MATERIÆ MEDICÆ
### *Partis Secundæ Sectio Secunda,*
### Juxta Editionem Venetam anni 1742.

A

B



C



Col-

Ma-

Oryza

Tama-


T



V



X



# SUPPLEMENTUM TRACTATUS *DE* MATERIE MEDICA DOM. GEOFFROY.

## *PARS SECUNDA.* DE VEGETABILIBUS INDIGENIS.

## *SECTIO SECUNDA.* DE PLANTIS INDIGENIS *Quæ in Usum Medicum veniunt.*

### MELISSA.

MELISSÆ plures extant ſpecies, ſed binis tantummodo Ars Medica utitur, Hortenſi nempe, ac Sylveſtri.

Meliſſa, ſive Meliſophyllon verum, Citrago, vel Citronella; *Offic.* Meliſſa hortenſis, C. B. P. 229. Meliſſa vulgaris odore Citri, J. B 3. 232. Meliſſa, *Dod.* 91. Meliſſa vulgaris, *Park. Raii Hiſt.* 570. Meliſophyllum vulgare, *Lugd.* 957. Meliſſophyllum vulgare, vel adulterinum, *Fuchs.* Meliſſa noſtras, *Cavver. hort.* Meliſſa domeſtica, *Trag.* Mellitis, *Plin.* Meliphyllon, Mellifolium, Citraria vel Cedronella, Apiaſtrum, herba pigmentaria, *Quorumd.* vulgo *Meliſſe des jardins*, *Poncirade*, *Piment des ruches, ou des Mouches a Miel.*

Radix rotunda, longa, lignoſa, fibroſa, atque alte repoſita emittit caules quadratos, pene læves, ramoſos, duros rigidos, fragiles, quandoque ad

majorem cubiti altitudinem, foliis oblongis, atro-viridibus, Calaminthæ; aut Menthæ hortensis ferme æmulis, lucidis, hirsutis, marginibus serratis, odore Citri gratissimo, gustu aliquantulum acri. Ex foliorum alis exeunt flores verticillati, in annulos circum caules neutiquam terminatos dispositi, labiati, parvi, albi, & dilute-rubri, tubuloque efformantur, vertice binis labiis distincto, calyceque villoso, striato, bifidoque sustinentur, abeuntque in quatuor conjuncta semina semirotunda, aut oblonga, prædicto calyce conclusa. In hortis seritur planta hæc, aliquando etiam ruri in sepibus sponte crescit, atque in agro Parisiensi, Junio, Julio, & Augusto flores propellit. Hyeme vero in solo exsiccatur, radice tamen incolumi, magnum in re Medica usum habet: animadvertendum vero est pro Officinarum usu Vere, antequam florescat, esse colligendam, a cimice namque fætido odore post florum eruptionem coinquinatur. Plurimum vero olei exaltati, salisque essentialis in ea continetur.

Melissa cordialis, & cephalica est, stomachum roborat, mensesque promovet, in Apoplexia, Epilepsia, & stupore, nec non in melancholicis, malignis, ac pestilentialibus morbis felici quidem cum successu adhibetur. Prostant in Officinis Oleum distillatum Plantæ siccæ a gut. iij. ad gut. vj. Extractum decoctionis ejusdem a ʒ ß. ad ʒ j. & Conserva ipsius florum ab ℥ ß. ad ℥ j. præscribendam. Virtutum hujusce Plantæ cognitio Avicennæ, reliquisque Arabibus debetur, Medici enim Græci, & Galenus, vix quidpiam de ea dixerunt. Si Paracelso, & Alchymistis fides præstanda est, ejus Quintessentia valet ad sanguinis crasim restaurandam, & ad juvenescendum, ipsi experimenta proferunt, promissis haudquaquam respondentia; hinc nobis ad minus miraculosa, sed magis certa est transeundum. Simon Pauli testatur, suis temporibus, nihil fuisse Septentrionalibus feminis familiariis, Infusione foliorum Melissæ ad menstrua profluvia excitanda, quæ etiam quandoque apparebant, Melissæ foliis calceamentis tantum immissis, addlt deinde, Virginem Ictericam, & melancholicam sequenti remedio repetito sanatam fuisse.

℞. Conservæ Melissæ ℥ j. Conservæ Borraghinis, & Buglossi ana ℥ ß. Confectionis Alkermes ʒ j. M. cum s. q. Syrupi de quinque radicibus aper. ʒ jß. mane ac sero propinata.

Exhibetur foliorum infusio ad modum Theæ pug. j. quum sicca, & Man. ß. quum recentia sunt ex aquæ ℥ viij. aut ex iis Man. j. in jusculo vitulino sine sale leviter decoquitur pro remedio adversus vapores satis optimo. Usitatissima est ejus Aqua distillata tam simplex, quam composita: Aqua Melissæ simplex elicitur s. q. ejusdem foliorum, quibus tusis, ac in cucurbita stamno obducta repositis, parum aquæ simplicis additur. Distillatio postea aut B. M. aut B. A. usque ad mediæ partis consumptionem instituitur; sic Aqua Melissæ habetur, quæ aliarum more ab ℥ jv. ad ℥ viij. in potionibus cordialibus, & hystericis exhibetur. Contra vero Aqua Melissæ composita, seu magistralis spirituosior est ob Aromata in ejus confectione usurpata, & ob Sp. Vini, in quo Melissa infunditur. Sequenti autem ratione optime parari potest.

℞. Fol. recentium Melissæ ℥. jv. Corticum exteriorum Citri recent. ℥ ij. Nucis Moschatæ, & Coriandror. ana ℥ j. Caryophyll. Cinnamomi, & Radicis Angelicæ Boem. ana ℥ ß. Contunde quidquid est contundendum, per triduum omnia macerentur in Sp. Vini rectificatissimi ℔ ij., & Aquæ

Melis-

Melissæ simplicis ℔ j. distillentur postea B. M. usque ad siccitatem. Aqua hæc plurimum valet contra Apoplexiam, Letargum, Epilepsiam, Vapores, Colicos dolores, Mensium & Urinarum suppressionem; exhibetur cochl. j. cumulato, aut solitarie, aut aquæ cyatho infusa, juxta morborum impetum, & differentiam; iisdem, Epithemate cordis regioni applicito, facultatibus potitur. Præterea ejusdem semine paratur Emulsio in malignis febribus aptissima.

Gaspar Hoffmannus *in Tractatu de Medicamentis Officinalibus* jure, meritoque præcipit, folia Melissæ Vere, priusquam planta efflorescat, esse colligenda, diversa enim tempestate, cimicis odore scatent, ac si forte Autumno colligantur, minus salis volatilis oleosi suppeditant, aut saltem sal hocce rapidius aliis principiis ejus cardiacam virtutem imminuentibus implicatur.

Teneris ejusdem propaginibus tusis, ovis, saccharoque mixtis, placentæ quædam conficiuntur, feminis, quibus Lochia non satis commode fluunt, exhibendæ, eorumque decoctio cum nitro mixta adversum indigestionem, aut suffocationem ex nimio fungorum esu feliciter propinatur.

Forestus Melissam commendat in cordis palpitatione, & syncope; Rondeletius in Paralysi, Vertigine, & Epilepsia; Riverius autem in Mania.

℞. Fol. Melissæ Man. j. minutim incide, ac infunde in Sp. Vini ℥ jv. Adde Margaritar. pp. ʒ ß. Cochlearia bina adversus Maniam tribus de die vicibus præscribentur.

℞. Aquar. Melissæ simp. & Menthæ simp. ana ℥ ij. Aquæ Flor. Malorum Aurantiorum, & Cinnamomi hordeati ana ʒ ij. Confectionum Hyacinthinæ & Alckermes ana ʒ j. Syrupi Caryophylli hort. ℥ ß. M. pro potione, Cochleari j. in deliquio, sincope, aliisque morbis, in quibus roborandum est, ministranda.

Usurpatur Melissa in Syrupo Artemisiæ *Rhasis*, in pulveribus Electuarii lætificantis *ejusdem*, in Catholico simplici, in aquis denique Vulnerarie, Sine pari, Generali, & Lactis Alexiteria &c.

Melissa sylvestris, sive Melissophyllum, *Offic.* Melissa, *Trag. Fuchs. Ger. Lobel.* Melissophyllon, *Park.* Lamium montanum Melissæ folio, C. B. P. 231. Melissa adulterina, *quorundam*, amplis foliis. & floribus non grati odoris, J. B. 3. 233. Melissa humilis latifolia maximo flore purpurescente. J. R. H. 193. Herba sacra, *quorumdam*, *Lugd.* 1336. Lamium Pannomicum primum albo flore, *Clus. hist.* 37. Herba sana, *Agripp.* Lamium, *Plin.* vulgo *Melisse sauvage*, *Melisse de montagne ou des bois*, *Melisse quante ou qui sent la punaise*.

Radicem habet fibrosam, nonnihil acrem, & amaram, caules pedis longitudinem vix superantes, quadratos, villosos, geniculatos, medulla refertos. Folia Galeopsis communis foliis similia sunt, oblonga, rugosa, rigida, parvisque pilis Melissam hortensem æmulantibus donata, atro-viridia, & lucescentia, sapore acri. Flores tres, vel quatuor secus folia ex unoquoque nodo emergunt, calycibus oblongis, molliusculis, vilosis, præsertim antica in facie expolitis, longis, inodoris, Lamii floribus similibus, ac majoribus, quandoque albo-purpureis, aut dilute admodum purpurescentibus, quorum labium inferius magis elongatur. Semen grandiusculum est, inæquale, subnigrum. Species hæc nec malleum, nec citrinum quidpiam redolet, sed contra fætet. Majo, Junioque in sylvis prope maximas arbores alibique florescit. In Agris Parisiensi, Versaliensi, & Montmorancino vulgatissima

 occur-

occurrit. Non modo caulibus humilioribus, minusque ramosis, foliis magis hirsutis, ac longioribus, floribus majoribus, odoreque ingrato, differt a præcedenti, verum etiam juxta Lemeryum radicibus Aristolochiæ tenui adeo æqualibus, ut plures Pharmacopolæ, hasce pro illis quandoque suppeditent.

Planta hæc vulneraria est, nobisque optimum contra urinæ suppressionem remedium ministrat, quod debemus illustri D. Tournefortio, ac ab ipso proponitur, *in Historia Plantarum Agri Parisiensis*, sequenti descriptione.

Hujusce plantæ ℔ ij. reponendæ sunt in Alembico cum Herniariæ æ. q., insperso sale, additoque parum aquæ, omnia digestioni triduo commissa, postea distillentur B. M. ac novis herbis contusis, & prædicta ratione digestis superaffundatur aqua distillata tribus repetitis vicibus, postremo autem loco elicita aqua servetur in vase vitreo optime clauso: ex ea autem ℥ jv. cum Vini albi æ. q. quarta quaque hora præscribentur, eodemque tempore inungendus est infimus venter, perinæum, & renalis regio, sequenti oleo, quod paratum Man. j. Millepedum, Cantharidibus X. & Sem. Ammeos ℈ j. in olivarum Oleo, aut per triduum Soli exponendo, aut leviter ebullituro, infusis. Clysteres pariter ex Malvæ, Melissæ nostræ, & Herniariæ decoctione sunt injiciendi. Garidelius *in Historia Plantarum Agri Aquisextiensis* laudatum remedium magnis encomiis extollit, ejusque mirabiles effectus expertum fuisse asserit.

Interim adnotandum est remedium hocce neutiquam esse profuturum, si urinæ suppressionem, inflammatio, aut febris comitetur, quo in casu profecto noxium erit, diureticis enim calidis adstipulandum est, a quibus sabulosarum, glareosarumque particularum majori quantitate renes infarciuntur, & obstructio, ac inflammatio, nisi liberior via aperiatur, adaugentur.

## M E L O.

MELORUM diversa sunt genera in hortis a nostratibus sata. Hic loci de Melone vulgari solummodo verba faciemus.

Melo vulgaris, C. B. P. 310. Melones, J. B. 2. 242. Melo sive Melopepo vulgo, Cucumis Galeni, *Dod. 663.* Melo, *Brunfels. Trag.* Melopepo, *Gesn.* Pepo, *Matth. Fuchs. Ger. Park. Raii Hist.* vulgo *Melon commun.*

Melo sic appellatur a μῆλον, malum, ob similitudinem, super terram repit planta hæc caulibus longis, sarmentosis, scabris, foliisque Cucumis minoribus, rotundioribus, minusque angulosis. Ex foliorum alis nascuntur cute flores, Cucumis floribus persimiles, floribusque Lycopersici majores, numerosi, quorum alii steriles, alii fertiles sunt. Iisdem fructus succedunt, villos tamen, quum majorem ventrem acquirunt, amittentes, figura quandoque aliquatenus elongata, aut contracta, quandoque majori aut minori præditi, striati, quodammodo sufflati, atque acu picti, cortice tecti Cucumis duriore, admodum crasso, viridi, ac cinereo. Pulpa per maturitatem vel lutescens, vel rufescens est, humida, glutinosa, mucilaginosa, ac si forte fructus nimium maturescat, omnino fluens, sapore dulci, adinstar sacchari, Moschi fragrantiam quandoque redolenti. Interior substantia in plures dirimitur cellulas, seminibus refertas numerosis, prope ovalibus, planis, mediocribus, albis, cortice Pergamenam chartam duritie æmulante tectis, nucis pineæ nucleis quoquomodo similibus, amygdalam veluti condentibus

dul-

dulcem oleoſam, ſapidam. Cellulæ autem ſemina occludentes, ac Melonis centrum occupantes, medulla liquida, rubra, ſaporeque grato conflantur.

Ob fructus excellentiam nullibi ignotam in hortorum pulvinis ſeritur Planta hæc, quum autem plurimum a frigore lædatur, neceſſe eſt ut ejus pulvini ab aeris, ventorumque injuriis probe defenſi ſint: hinc facile evincitur cur calidarum regionum melones multo meliores ſint, quam frigidarum.

Melones plurimum phlegmatis, olei, ſaliſque eſſentialis, & volatilis continent: eorum pulpo humectans eſt, ardorem ſanguinis compeſcit, corque recreat, uno verbo, gratum, & facilis digeſtionis alimentum præbere ſolet, ſi moderate ingurgitetur, ſin minus non levia ſanitati detrimenta afferre poteſt, flatus enim, pertinaceſque colicas, quandoque progignit, quas etiam dyſenteria, fluxuſque ventris curatu ſatis difficiles ſubſequuntur. Obſervatur enim febres quartanas, ab ejus abuſu originem ducere. Ceterum ſenes pituitoſi, & melancholici ab ea ſe ſe abſtineant, niſi forte pipere, ac ſale, facilioris concoctionis, benigniorîſque notæ reddatur; nonnulli etiam, addito ſaccharo, liberalius poſtea vino indulgent.

Inter quatuor ſemina frigida majora Melonis ſemen recenſetur, ac in emulſionibus, omnibuſque refrigerantibus potionibus uſurpatur, uti in juſculo pulli mulſo, in febribus ardentibus, viſcerum inflammatione, urinæ ſuppreſſione, omnibuſque aliis morbis utiliſſimo, in quibus violenta ſanguinis, & humorum fermentatio eſt coercenda. Conficitur autem juſculum prædictum, pullum recipiendo amputatis extremitatibus exenteratum: poſtea adimpletur ℥j. quatuor Sem. frigid. maj., quandoque vero hordei mundati, aut oryzæ coch lear, & amygdalæ dulces xij. adduntur, quum ſcilicet hunce magis humectantem, ãc nutrientem cupimus. Ebulliat in aquę ℔viij. ad tertię partis conſumptionem, levi expreſſione coletur, ac ex eo quinque vel ſex cyathi tepidi una cum communibus juſculis de die ęgris exhiberi poſſunt.

Quum vero emulſiones pręſcribuntur, Quatuor Seminum frigid. maj. doſis ut plurimum deffinitur ℥j. in Aquę ℔ij. adduntur Amygdalę dulces excorticatę N. xij. hiſque in mortario marmoreo tuſis, paulatim ℔ij. aquę Hordei, aut Oryzę juxta exigentiam affunduntur, expreſſione liquor traijcitur, ac pro unaquaque Emulſionis libra, additur ℥j. Syrupi Violarum, Nymphęę, Althęę, aut Diacodii juxta differentes indicationis leniendi ſcilicet, aut refrigerandi, aut temperandi, aut ſomnum conciliandi.

℞. Quatuor Sem. frigid. maj. ℥ß. Amygd. dulces excor. N. viij. Tunde in mortario marmoreo, paulatim affundendo aquę hordei ℥viij. Colaturę adde Syrupi Diacodii ℥ß. pro una Emulſionis doſi hora ſomni ſumenda in doloribus, agitationibus, ac vigiliis. Ad gratiam addi poteſt ℥j. Aquę Flor. Malor. Aurantiorum.

℞. Quatuor Sem. frigid. maj. ʒj. Amygdalas dulces excor. N. jv. Tere addendo paulatim ℥vj. decoctionis, pug. j. tam Veronicę maris, quam Hederę terreſtris. Colatura edulcoretur ʒij. vel iij. Syrupi Violar. pro doſi in Eththiſi hora ſomni exhibenda.

## MELONGENA.

Ex pluribus Melongenæ ſpeciebus uſitatiorem deſcribemus.

MELONGENA, MELANZAN, mala inſana, *Offic.* Solanum pomife-

rum fructu oblongo, C. B. P. 167. Melongena veteribus, J. B. 3. 618. Mala insana, *Dod.* 458. *Ger. Lonic.* Mala insana Syriaca, *Park.* Melongena fructu oblongo violaceo, J. R. H. 151. Melanzana fructu pallido, *Hort. Eyst.* Solanum hortense & Pyea insana, *Cæsalp.* Melongena, *Matth. Cord. Hist. Adv. Lob.* vulgo *Melongène*, *Merangene*, *Mayenne*, *Hubergine*.

Radix fibrosa, ac parum profunda caulem tantum emittit, plerumque simplicem, pedem circiter longum, digitum crassum, cylindraceum, sub-rubrum, quadam abstractu facili lanugine obtectum, ramosum, cujus numerosi, ac inordinati ramuli foliorum alas sustentant. Manum superantia, ac latissima folia sunt, foliis Quercus satis similia, sinuosa, non crenata, viridia, in superficie, minuto, ac ad instar farinę albo pulvere, aut lanugine feta, palmaribus, crassissimisque petiolis juncta, eminentiis adinstar caulis rubris, ac quandoque spinosis prędita. Flores aut solitarii, aut bini, aut tres eodem in caule, eodemque ramo contra folia enascuntur, ęmulanturque exiguas rosas quinis cuspidibus donatas; stelliformes sunt, ampli, sinuosi, albidi, aut purpurei, calycibus suffulti parvis sub-rubris spinis, armatis, & in quinque acuminata segmenta divisis. Hisce fructus succedunt Ovi, aut Cucumis magnitudine, cylindracei, solidi tactu lęves, purpurei, aut viridescentes, succulenta, atque alba pulpa pleni, semina claudentes plurima albescentia, plana, reniformia, Piperis Indici semenibus proxima. In hortis tum ad delitiam, quam ad utilitatem colitur; fructus cocti, aut crudi, uti Cucumis in regionibus calidis, ac pręsertim in meridionalibus Gallię provinciis ingurgitantur. Multum olei, ac phlegmatis, parum vero salis habet planta hęc.

Rajus cum Marcg grave contra Johannem de Laet sustinet, Melongenam nostratem, unam eamdemque esse cum Lusitanorum *Belingela*, Incolarum Angolę *Tongu*, & Incolarum Congi *Macumba*; addit pręterea, fructus, Mandragorę fructibus, figura accedere, ac a nonnullis Neotericis suspicari, plantam hanc esse Mandragoram marem Theophrasti, fructusque prędictos lethales, ac ideo *Mala insana* vocatos, poma scilicet male sana, aut fatua, etsi nullum excitent furorem, & Itali, ac Hispani iis familiarissime in acetariis ac condimentis utantur. Juxta Marcg grave citreum sapiunt gustum.

Raro hocce planta, ac in aliquo tantum Cataplasmate onodyno, ac resolvente, & adversum hęmorrhoides, Cancros, adustiones, ac inflamationes ars Medica utitur, interior tamen ejus usus neutiquam est perniciosus, incolę enim Antillarum, ejus fructum decoctum, excorticatum, quadrifariam incisum, ac oleo & pipere conditum edunt, alibi etiam aceto infusum, uti Cucumeres nostrates acetariis sociatur. Belonus refert, eo Ægyptios aut in cinere cocto, aut elixato quotidie in mensis uti, tamen quum Auctores omnes conveniant, alimentum esse non modo insipidum, ac frigidum, verum etiam adinstar Fungorum noxium, flatus, indigestiones, febresque procreans, ut hoc rarissime in usum revocetur, propriæ salutis sollicitos admonemus.

℞. Succi Melongenæ, Solani, & Geranii Robertiani ana ℥ ij. Plumbi usti ℥ j. Unguenti Populei ℥ ij. Convenienti spatio temporis macerata diligenter admisceantur in mortario plumbeo, cum ejusdem materiæ pistillo.

Adversum Cancros, Ulcera carcinomatosa, & Hæmorrhoides plurimum valet.

℞. Suc-

R. Succi Melongenæ, Solami, & Olei Liliorum ana ℥ iij. Agitentur in mortario plumbeo, cum simili pistillo, instituanturque iteratis vicibus iniectiones in uteri Carcinomate.

## MENIANTHES.

PLurima Trifoliorum genera in Officinis noscuntur. Hoc autem præ omnibus distinguitur, genusque peculiare constituit,

Trifolium paluſtre, Trifolium fibrinum, sive Castoris, *Offic.* Trifolium paluſtre, C. B. P. 327. I. B. 2. 389. *Dod.* 580. Menianthes paluſtre latifolium, & tryphillum, I. R. H. 117. Trifolium majus, *Tabern. icon.* 520. Trifolium aquaticum sive paludosum, *Offic. Park. Ger.* Trifolium fibrinum Tabernæ-Montani & Germanorum, *Raii Hist.* 1099. Menianthes paluſtre Theophrasti, *Lugd. Hist.* Limonium pratense, *Trag.* 705. isopyrum, *Gesn.* Menianthes foliis ternatis. *Linn. Flor. Luppon.* 50. Trifolium Anti-Arthriticum, vulgo *Menienthe*, *Treffle de marais*, *Treffle d'eau*, *Treffle de Castor.*

Radix est geniculata, longa, alba, lineis, fibrisque per intervalla emissis donata. Folia tria caudæ longę, ac latæ implantantur satis magna, foliisque Fabæ pene similia, expolita, tactuque lævia, quæ inter, caulis elevatur pedem cum dimidio altus, compactus, viridisque, fasciculum florum circumferens, qui albo-purpureum colorem habent, antequàm vero aperiantur externe rubescunt, & aperti in quinque mucronata segmenta dividuntur, facieque interna donantur filamentis delicatulis, albis, & lanuginosis stipata, calycibusque sustinentur cyathum referentibus, ac serratis; ab eorum unoquoque, quina exeunt stamina alba, quorum extremitates luteæ sunt, pistillo in centro locato, viridiori, depressiorique, abeunt deinde in fructus rotundos, ac oblongos, semina occludentes ovalia. Helianthemi seminibus æqualia, amara, & atro-lutea.

Sponte crescit in paludibus, aliisque humidis locis, in solo sterili; extra aquas diutius servari non potest, Majo, Junioque floret, ac frequentissime in agro Parisiensi occurrit; diversis in regionibus diversam quoque magnitudinem habet, ac folia quandoque rotunda, quandoque mucronata.

Planta eadem Analysi Chymicæ commissa, præter acidos liquores, Sal volatile concretum, magnamque terræ, atque olei portionem largitur, continet autem Salem ammoniacalis naturæ sulphure, ac terrestribus particulis permixtum: hinc apta nata censetur contra scorbutum, arthritidem, cachexiam, & hydropem. In arthritidis paroxismo hauriendus est quarta quoque hora cyathus decoctionis ejusdem, a qua efficaciter sublevari ægri se sentient, ejusdem tetrimento super affectam partem simul apposito; semen adhibetur adversum tusses inveteratas, & Asthma humidum; humoresque viscidos pulmonis bronchia infarcientes potenter discutit, atque incidit. Planta hæc, uti ceteræ, quæ sale Alkali volatili abundant, re quidem vera saporem habet minus jucundum, non adeo tamen ingratum, uti Cochlearia, tam magnis laudibus in Scorbuto prædicata, cui tamen a S. Pauli eodem in morbo, hydrope & arthritide Trifolium paluſtre usque adhuc recensitum anteponitur, cujus etiam succus lactis sero commixtus felici exitu communiter propinatur. Sal quoque & extractum educitur ab hac planta, eaque syrupus conficitur, quæ omnia iisdem pollent facultatibus, ac facili negotio sine ægrotantium molestia præscribi possunt. Praxis Germanica eadem frequentis-

ſime utitur, ibique adeo in pretio habetur, ut Germani Medici in omnibus fere deſperatis morbis, tamquam ſingularem quamdam Panaceam hanc ipſam adhibeant. Hoc elicitur *ex Ephemeridibus Germanicis Decuria ſecunda anno II.* in quibus ejuſdemmet plantæ proprietates in longum deſcribuntur.

℞. Rad. Trifolij paluſtr. lotar & raſar. ℥j. Ebulliant leniter in aqua ℔ iij. ad ℔. ij. Adde Fol. ejuſdem, & Naſturtij aquat. ana Man. j. poſt leviuſculam ebullitionem liquor per linteolum coletur. Decoctionis hujuſce tepidæ quarta quoque hora cyathus exhibeatur in Scorbuto, Arthritide, & Hydrope.

℞. Seri lactis depurati ℔ j. Adde cochlearia jv. cumulata Succi Trifolij paluſtris pro binis doſibus, una, mane, altera, ſero in Arthritide, & Scorbuto propinandis.

## M E N T H A.

INſignis eſt numerus plantarum, quæ ſub Menthæ nomine in Officinis uſu veniunt. *D. Geoffroy* jam alio in loco de Pulegio-Thymo verba fecit. Sex aliæ differentes ſpecies, excepta Mentha Græca, quæ ad hocce genus neutiquam ſpectat, nobis adhuc reſtant deſcribendæ; I. videlicet Mentha hortenſis vulgatiſſima; II. Mentha criſpa verticillata; III. Mentha anguſtifolia ſpicata; IV. Mentha aquatica rotundifolia; V. Mentha Sylveſtris, ſive Menthaſtrum; VI. demum Pulegium vulgare.

MENTHA cardiaca, ſive vulgatiſſima, Mentha hortenſis rubra, ſyſimbrium hortenſe vel Balſamita, *Offic.* Mentha hortenſis verticillata Ocymi odore, C. B. P. 227. Mentha verticillata minor acuta non criſpa, odore Ocymi, I. B. 3. 226. Mentha quarta. *Dod.* 95. Mentha fuſca five vulgaris, *Park.* Mentha cardiaca, *Cam. r. Hort. Ger. Raii Hiſt.* 530. Mentha vulgaris ſerpens rotundifolia, *Schvvenckf.* Calamyntha Ocymoides, *Tabern. icon*, vulgo *Menthe commune, ou le Baume des jardin, l'Herte du Coeur.*

Huic radix eſt ſerpens, fibriſque ſtipata, quæ in longum, latumque extenduntur, cauleſque pullulat quadratos, nonnihil hirſutos, rigidos, rufeſcentes, ad pedis cum dimidio altitudinem ſeſe elevantes. Folia rotunda ſunt, bina invicem oppoſita, odore penetranti prædita, primo intuitu Ocymi medii foliis ſatis proxima; in caulis vertice tamen ſita, foliis Pulegii-Thymi longiora, accuminatiora, ac viridi ſaturatiore feta, magis productis, acutioribuſque denticulis inciſa, ac Menthæ Græcæ foliis potius accedentia apparent. Ex foliorum aliis enaſcuntur exiguorum analui. Florum, qui labiti purpurei, ſpicam efformantes, in bina brevia labia ita dirimuntur, ut quinquifidum calamum mentiantur, quatuor minuta ſeminia ſubſequuntur; piſtillumque longius, colorque pallidior eſt, quam in Pulegio-Thymo.

Juxta Joannem Bauhinum, gratiſſimo, mitique Ocymi odore, & Meliſſę ſapore, ſpecies hæc ab aliis Menthæ ſpeciebus facile diſcriminatur. Ejus de facto odor quidpiam Balſamici, & Citrini revera continet. In hortis colitur, in quibus adinſtar aliarum Menthæ ſpecierum facillime creſcit, ac Julio, & Auguſto floreſcit. Quandoque etiam ruri in ſepibus ſponte luxuriat, illucque una cum hortorum ſordibus allata multiplicatur. Ob ejus balſamicam facultatem, quemadmodum & Mentha Græca *Balſamita* quoque appellatur. Iiſdem cum Mentha criſpa viribus pollet, menſes immodicos præcipue ſtagnat, & ad-

& adverſus fluores albos ſpecifice commendatur. Oleum, in quo folia, ac flores infuſi fuerint, uſitatiſſimum eſt in omni vulnerum, ac contuſionum ſpecie, ſplenio eodem imbuto, ac appoſito.

In Menthis omnibus ſal volatile aromatico-oleoſum invenitur, ac fere ædem ſunt dotes. Generaliter aptæ natæ ſunt ad reſtituendum ventriculi tonum, ciborum cococtionem juvandam, vomitum ſiſtendum, ructuſque acidos corrigendos; uſurpantur etiam ad menſes, & urinas ciendas, flatus diſcutiendos, doloreſque colicos leniendos; utiles ſunt in viſcerum obſtructionibus, ac a nonnullis hepaticæ reputantur. Hæ vero ſunt generales earumdem proprietates. Præ omnibus autem excellunt Mentha hortenſis, de qua uſque adhuc verba fecimus, ac modo deſcribenda.

Mentha criſpa, *Offic.* Menta criſpa verticillata, C. B. P. 227. Mentha criſpa verticillata folio rotundiore, I. B. 3. 215. Mentha prima, *Dod.* 95. Mentha altera, *Camer. Epiſt.* 478. Mentha cruciata, *Lob. Icon.* 507. Mentha criſpa, *Park. Raii Hiſt.* 531. Mentha ſativa rubra, *Ger.* vulgo *La Menthe friſoè ou crèpue, le Baume friſè.*

Radice donatur repenti, ac ſerpenti, ut ceteræ Menthæ ſpecies. Caules quoque quadrati ſunt, ac plerumque cubitos tres & ultra alti, rigidi, erecti, ſolum verſus purpurei, villoſi, ac in aliis foliorum concavi, quæ per intervalla progignuntur, ſuntque atro-viridia, rotunda, rugoſa, criſpa, ac veluti pice quadam illita, ambitu denticulato, ac villoſa. Ex foliorum alis flores apparent verticillati, analiſque conflati, Pulegij vulgaris floribus æquales, colore cæruleo-dilutiore.

In hortis colitur, ac in iis plurimum multiplicatur, nobiſque optima remedia ſuppeditat ſtomachica, & cephalica, felici cum ſucceſſu adhibetur ad vomitum cohibendum, propinatis extracti hujuſce Plantæ gr. xij. aut xv. & Confectionis Hyacinthinæ æ. q. infantibus menſium quindecim aut viginti, quibus a ſtomachi acrimoniis vomitus excitatur; ad ſcrupulum uſque pro adultis doſis augetur. Sal volatile-oleoſum Menthæ lactiginoſas congeſtiones facile fundit, notumque eſt ab hac coagulatum lac reſolvi, præſertim in puerperis, Cataplaſmatis forma mammis applicata. Cataplaſma vero Menthę & Rutæ æ. q. & Sem. Carvi ℈j. in aceto ebullitis paratum, ceteris eſt præferendum. Aqua diſtillata, & Syrupus eaſdem, ac extractum virtutes habet. Diſtillatione etiam, aut infuſione oleum elicitur pro ſtomachi regione, in vomitu, ac hujuſce viſceris imbecillitate, illinienda. E teneris autem ejuſdem ſummitatibus Conſerva paratur. Dioſcorides, & Galenus cum veteribus aliis plurimis Mentham æſtrum venereum excitare teſtantur; e contra Hippocrates, & Plinius ab aliis pluribus ſecuti aſſerunt; ab hiſce ſedari, & generationem impediri. S. Pauli horumce ſententias conciliat, traditque, Mentham recentem ad Venerem utique concitare, fęcunditati vero officere; ſiccam vero utrumque impedire, impotentiam videlicet ad coitum, & ſterilitatem progignere. Propria pariter edoctus experientia teſtatur laudatus vir, Mentham externe appoſitam, Hæmorrhagiam ſiſtere, vidit enim ſanguinem extemplo cohibitum poſt phlebotomiam inſtitutam ex pede in aqua immerſo, in qua Mentha infuſa fuerat, quod a Rajo ſolum refertur *Mentæ Danicæ criſpæ, aut Specioſæ Germanicæ*, Park, non vero ceteris ſpeciebus, dummodo hic effectus a Mentha revera producta fuerit, quod adhuc indeciſum reliquit. Mentham adſtringentem eſſe, fluoreſque albos, & immoderatum menſium

ſium profluvium ſiſtere credit Etmullerus una cum aliis pluribus celeberrimis Practicis.

Mentha Romana, Mentha anguſtifolia, ſive acuta, *Offic.* Mentha anguſtifolia ſpicata, C.B.P. 227. Mentha ſpicata folio longiore, acuto, glabro, nigrori; I. B. 3. 220. Mentha Romana, *Ger. Raii Hiſt.* 532. Mentha Romana anguſtifolia, ſive Cardiaca, *Parck.* Mentha ſativa, vel hortenſis quarta, *Dod.* Mentha Romana, Officinarum, ſive præſtantior anguſtifolia, *Lob. icon.* 507. Mentha acuta, *Tabern.* Mentha hortenſis oblongo folio, *Cæſalp.* Mentha odorata anguſtifolia, *Camer.* Mentha hortenſis prima, *Geſn.* Mentha Seracenica, *Quorumd.* vulgo *la Menthe à èpi, & a feville ètroite, la Menthe de noſtre Dame.*

Radix eſt longa, fibroſa, repenti, quæ huc, illuc ſerpendo mirabiliter fęcundatur. Trium cubitorum altitudinem habent caules rufeſcentes, quadrati, & ramoſi ita, ut ramuli inferiores, & folia, reſpectu ſuperiorum adeo locata ſint, ut crucem efforment, hance vero foliorum poſituram communem habet cum aliis verticillatis plantis, quamvis non ita manifeſto in pleriſque appareat. Folia oblonga ſunt, anguſta, acuminata, atro-viridia, quaſi villoſa, ac ambitu denticulato. Exigui flores in caulium, ramorumque apice ſpicam efformant longiuſculam, tubuloque conſtant vertice in duo labia diviſo, albidi ſunt, parviſque rubris punctis conſperſi, calycibuſque cornua referentibus, circumque denticulatis ſuſtinentur. Hiſce quatuor ſemina minuta, oblonga in florum calyce clauſa præſto ſunt.

In hortis colitur, grate, penetranterque redolet, ſaporis eſt acris, & Aromatici, & Æſtate floreſcit. Iiſdem, cum aliis, proprietatibus gaudet. Utiliter adhibetur pro fomentis, balneis, ſemicupiis, quum potiſſimum calefaciendi, corroborandi, & diaphoreſim promovendi neceſſitas urgeat. Succus ejus cum aceto epotus ſanguinem, vomitum bilioſum, & ſingultum ſiſtit, vermeſque enecat. Folia cum Lacte mixta in cauſa ſunt, ne lac in ſtomacho coaguletur. Totius plantæ odor cerebrum, memoriamque firmat, cor recreat, hæmorrhoideſque claudit.

Mentha aquatica, Siſymbrium, ſive Balſamum paluſtre, *Offic.* Mentha rotundifolia paluſtris, ſeu aquatica major, C. B. P. 227. Mentha aquatica ſive Siſymbrium, I. B. 3. 223. *Ger. Emac.* Siſymbrium, *Dod.* 97. Calamintha aquatica, *Tab. icon.* 353. Mentha aquatica rubra, *Park.* Siſymbrium ſylveſtre, *Geſn. hort.* Siſymbrium agreſte aquaticum. *Adv. Lob.* 218. Mentha floribus capitatis, foliis ovatis ſerratis petiolatis, *Linn. Hort. Cliff.* 306. vulgo *la Menthe aquatique.*

Repens eſt ejus radix multis fibris veſtita, Caules emittit minutos, quadratos, villoſos, intus cavos, fungoſa medulla repletos, folia ſtatis ſpatiis excreſcentia, Menthæ criſpæ foliis ſimilia, ambitu pariter denticulato, quamvis non criſpato, brevibus ſuffulta petiolis, ac acuto Pulegii odore donata, colore atro ad rubrum accedente, ac quandoque ſatis viridi. Flores ſuperiorem caulis partem occupant, & in craſſis, ac rotundis capitibus colliguntur, dilute-purpurei ſunt, quadrifariam ſciſſi, quatuor ſalientibus ſtaminibus præditi, apicibus atro-rubris. Semina vero minuta ſunt, ac nigricantia.

Humidis regionibus delectatur planta hæc, rivulorum, nempe oris, pratis, paludoſiſque locis, vulgatiſſima eſt in agro Pariſienſi, flores autem Julio emittit, ac vere denuo pullulat.

Ejus folia acria ſunt, amara ac aromatica; inter ſtomachicas, & diureti-

cas

cas recensetur, ac percommode Theæ more usarpari solet : Calidis quoque adscribitur, odoreque acutissimo donatur. Ejusdem succus in Vino epotus urinas, glareasque pellit, ac vomitum singultumque sistit: stomachi tormina, flatusque dissipat. Folia etiam fronti applicantur adversus capitis dolorem, & Apis, ac Vespæ morsum. Camerarius ejusdem aquam distillatam contra suffocationem, spirandi difficultatem, & pulmonum infarctus extollit.

Mentha alba seu Menthastrum, *Offic.* Mentha vulgaris rotundiore folio, C. B. P. 227. Menthastrum folio rugoso rotundiore spontaneum, flore spicato, odore gravi, I. B. 3. 219. Menthastrum, *Ger. Raii Hist.* 532. Mentha Caballina folio rotundiore seu Menthastrum, *Trag. Cord. Tabern.* Menthastrum foliis orbiculatis, *Gesn.* Mentha agrestis, sive equina, *Quorumd.* vulgo *la Menthe Sauvage.*

Radice donatur fibrosa, serpenti, vivaci, quadratos, & villosos ad cubiti altitudinem caules propellit, folia rotunda, rugosa, lanugine alba obtecta, flores Menthæ hortensi similes, albo-rubros nempe, dentatis calycibus elatos, spicamque efformantes. Hisce vero semen minutnm, ac nigrum succedit.

Gustum habet adstringentem, acrem, & amarum, odoremque fundit summe acutum, & Aromaticum, Mentha hortensi minus gratum, abunde in agro Parisiensi prope fluvios, rivulos, locaque humida occurrit, uti postrema, Julio autem florescit.

Vermes enecandi vim habet, ac ceterarum more in Asthmate, mensium suppressione, & auditus vitiis utilis experitur, atque balneis uterinis, ac nervinis admiscetur. Nonnulli in Ischiade, tritam, Cataplasmatis forma, super affectam partem apponunt, eaque vesicas sese disrumpendo dolorem mitigantes excitari testantur. Tournefortius vero in *Historia Plantarum agri Parisiensis* refert, ptisanam hac Menthæ specie confectam optimam esse adversus vapores,

Puleium, Pulegium Regale vel Regium, *Offic.* Pulegium latifolium, C. B. P. 222. Pulegium, I. B. 3. 256. *Dod.* 282. Pulegium vulgare, *Park.* Pulegium vulgatum, *Anguill.* Pulegium regium, *Ger. adv. Lob.* Pulegium femina. *Fuchs.* Pulejus, *Ciceroni, & Columellæ.* Pulleum, *Martiali*, vulgo *Puilot Royal.*

Huic radix est fibrosa, ac serpens, quæ plurimos emittit caules fere pedales, quadratos, hirsutos, alios erectos, alios vero curvos, ac super terram late extensos, cui numerosis fibrillis e suis nodis exeuntibus, quasi totidem radicibus denuo adnectuntur. Folia tactu lævia, & nigricantia, odore grato, & penetranti, sapore adurenti ad Origanum accedunt, ex eorum vero alis ramusculi, sive alia tenuissima exeunt folia. Flores verticillati sunt, sive anulis circum caules dispositi, pene cærulei, aut purpurei, quandoque dilute-rubri, raro albi; anuli vero depressi sunt, longam fere spicam efformantes, flores labiati, ac bifariam divisi, horum vero locum exigua occupant semina.

Inculta loca amat planta hæc, in quibus Hyeme præsertim aquæ stagnant, abunde ubique occurrit prope paludes, ac lacus], & in sepibus humidis secus majores vias, Julio, ac Augusto flores emittit, quum autem efflorescendo magis aromatica sit, tunc potissimum est colligenda.

Pulegium odorem habet penetrantissimum saporem acrem, & amarissimum, papyrum cæruleum magno rubore imbuit, ex quo conjectari possumus sal volatile Aromatico-Oleosum, acido saturatum, in eo contineri, dum e

contra

contra in ſale volatili-oleoſo artificiali, acidum hocce ſale tartareo irretitur. Planta igitur hæc inter aperientes, hyſtericas, morbiſque ventriculi, & pectoris dicatas recenſeri debet, præſertim ſi adſit indicatio, glutinoſas particulas, pulmonares veſiculas & bronchia infarcientes diſcutiendi. Quotidie etiam in tuſſi pertinaci, & antiquis rheumaticis affectionibus optimo quidem eventu uſurpari ſolet. Rajus poſt Boylæum affirmat, Pulegii ſucco infantum tuſſim convulſivam mirabiliter ſedari. Cheſneau cyathum decoctionis hujuſce plantæ cum pauco ſaccharo contra raucedinem, ſero hora ſomni, propinandum præſcribebat. Expectorationi præterea favet, & aſthmaticos potenter ſolatur ad modum Theæ, pug. j. ſi ſicca, man ß. ſi recens ſit in aquæ ℥ viij. infuſa: neceſſarium autem, ac perutile eſt hic adnotare, odoriferas, & aromaticas plantas, efficaciores eſſe ſiccas, quam recentes, quum enim magna phlematis portio jam evaporata ſit, volatilia principia, atque olea ætherea plantæ tunc facilius, utiliuſque ſecerni poſſunt.

Tragus Vinum album extollit una cum Pulegio ebullitum, adverſum albos fluores, & chloroſim. Externe quoque ejus decoctio apponitur, ad arthritidis dolores diſſipandos, dentes emundandos, cutiſque pruriginem leniendam. Montanus Pulegii pulverem una cum melle, & aqua in oculorum morbis exhibebat. Palmerius denique Medicus Anglus teſtatus eſt Dom. Rajo plantam hance recentem, in ſacculo, lectuloque immiſſam, Pulices depellere, dummodo ſtatim ac exſiccatur, ſtatim quoque renovetur. Hoc autem veriſimile videtur ob latinæ denominationis etymologiam, qua, hac facultate, a veteribus inſignita, ſicque nuncupata fuit, quod ſcilicet ejus flos recens, & uſtum odore ſuo inſectum prædictum enecare ſoleat.

Mentha in ſyrupis, Meliſſæ ſylveſtris, & antiſcorbutico *Charos*, in pulveribus, *Diagal nga*, *&* *Xilo-Alos* ejuſdem Authoris ingreditur.

℞. Salis Abſinth. ℈ j. Syrup. Limon. ℥ j. Aquæ Menthæ criſpæ ℥ ij. M. pro Potione bis, terve de die in vomitu repetendo.

℞. Succi tepidi Pulegii ℥ iij. Sacchari cand. ʒ iij. M. Cochleare unum in violenta, ac convulſiva infantum tuſſi exhiberi poteſt.

℞. Fol. Pulegii Man. ß. Coque in aquæ q. ſ. Eliciantur vero decoctionis ℥ vj. vel viij. Colaturæ adde Sacchar. Cand. parum. Exhibeatur ſero hora ſomni, repetaturque congruo temporis ſpatio, in raucedine, ac inveteratis rheumaticis affectionibus.

*Epithema adverſum vomitum.*

℞. Cruſtam panis aſſam, ſucco Menthæ ſaturatam, pulvereque Maſtiches conſperſam. Epithema hocce, tertia quoque hora innovandum, calidum regioni ſtomachi applicetur.

*Pulvis adverſum albos Fluores.*

℞. Fol. Menthæ, Mumiæ, Coralli rubri pp. Karabis, & ſem. Agni Caſti ana ʒ j. M. F. p. Doſis ʒ j. mane propinanda jejuno ventriculo, ſuper bibendo cyathum unum vel duo infuſionis Urticæ albæ.

MER-

## MERCURIALIS.

Mercurialis plures species in Officinis noscuntur, nos vero hic loci duas tantum vulgatiores, ac usitatiores, marem scilicet ac feminam describemus.

Phyllum, Mercurialis mas, *Offic.* Mercurialis testiculata, sive mas, *Dioscoridis & Plinii*, C. B. P. 121. Mercurialis mas, I. B. 2. 977. *Dod.* 658. Mercurialis mas, *Anguill. Matth. Fuchs. Ger. Park.* Mercurialis fructum ferens, *Cæsalp.* Phyllon Arrhenogonon, *Theophrasti*, *Cord.* *Linozostis* Parthenium, Hermupoa, sive Mercurii Herba. *Plin.* vulgo *Mercuriale male Foirole*, *Vignoble ou Vignette.*

Radice donatur tenera, fibrosa, annua, quæ caules propellit fere pedis altitudinem æquantes, angulosos, geniculatos, læves, ac ramosos. Folia Parietariam fere æmulantur, oblonga sunt, æqualia, atro-viridia, lucescentia, aliquantulum lata, acuminata, ambitu denticulato, sapore nitroso, calido nonnihil, ac nauseabundo. Ex foliorum alis breves, & minuti exeunt pedunculi, qui exiguos ad modum testium sacculos ferunt, sive fructus binis constantes capsulis semi-planis, rudibus, ac villosis, parvum, ovale, aut rotundum semen continentibus.

Planta hæc frequens in viis omnibus occurrit, in cęmeteriis, hortis olitoriis, vinetis, aliisque locis umbrosis, & humidis, ac inter quinque celebres emollientes enumeratur.

In tradenda Mercurialis descriptione vulgarem sententiam Authores amplectentes, Mercurialem sterilem, feminam; fertilem vero, marem vocitarunt: quum e contra rationi, rerumque naturalium analogiæ magis consentaneum esset, denominationem sterilis mari, fertilis vero feminæ tribuere; in quocumque enim genere femina fructifera est.

Mercurialis femina, *Offic.* Mercurialis spicata, sive femina, *Dioscoridis, & Plinii*, C. B. P. 121. Mercurialis femina, I. B. 2. 977. *Dod.* 658. *Anguill. Matth.* Mercurialis vulgaris, & prima, *Trag.* Mercurialis florens, *Cæsalp.* Phyllon Thelyogonon, *Theophrasti*, *Cord.* vulgo *Mercuriale femelle, ou à èpi.*

Mercuriali Mari caulibus, foliis, & radicibus omnino similis est; sed contra præcedentis morem incassum flores emittit, qui pluribus staminibus scatent, tripetalo, vel quoadripetalo calyce sustinentur, ac in spicam abeunt, nullo aut fructu aut semine subsequente.

Per ætatem florescens ubique luxuriare solet. Ambæ vero uno eodemque tempore virescunt, ac Hyeme communiter pereunt.

Binæ hactenus descriptæ species promiscuum in re Medica usum, salitæ vero herbæ saporem habent. Sal nitrosum Mercurialem continere nonnulli credunt, Tournefortius autem verosimilius pronunciat, salem ejusdem, naturæ esse Ammoniacalis maxima sulphuris, ac terræ portione irretitum: inter aperientes, laxantes, ac quinque emollientes recensetur. Frigida itaque, in qua 24. horarum spatio Mercurialis infusa fuerit valet adversum Hydropem, Cakexiam, Vapores, & Chlorosim. A pluribus cum Quercetano in uteri obstructionibus eadem summopere commendatur, ejusdemque decoctio semicupii forma, prædicto in morbo usurpatur, curando, ut succi ejusdem depurati ℥ iij. ac Tincturæ Martis ʒ ij. simul quotidie propinentur. Mel ejus

succo

ſucco paratur, & clyſteribus contra ſupra recenſitum morbum ℥ ii. ſociatur. Nobis etiam ſimplicem, ac compoſitum ſyrupum ſuppeditat; ſimplex ℥ ij. vel ℥ iij. ad alvum leniendam, urinas, menſeſque ciendos præſcribitur; compoſitus vero, qui etiam Calabrenſis, & Vitæ longæ nuncupatur, ſic conficitur.

℞. Succi Mercurialis ℔ viij. Succi Borraginis & Bugloſſi ana ℔ ij. fiat colatura per linteolum forti expreſſione; coque deinde per horæ quadrantem, aſſidue ſpumam abiiciendo; fiat iterum colatura per manicham Hyppocratis, ac M. cum æ. q. Mellis albi: decocti, & diligenter deſpumati.

Præſto ſit ſequens infuſum antea paratum ſequenti ratione, nempe radicum Gladioli vulgaris ℥ vj. & rad. Gentianæ taleolatim inciſar. ℥ iv. in Vini albi optimi ℔ iij. Super cinerarium calidum per biduum infuſis, deinde linteolo abſque expreſſione colatis, infuſum ſucco herbarum prædicto, ac Melli miſceatur.

Omnia ſimul in ſartagine ebulliant, ſpumam diligenter abiiciendo, uſquedum ſyrupi admodum inſpiſſati ℔ viij. remaneant.

Syrupus hic ſingulari in pretio habetur adverſum ſtomachi hebetudinem, nec non adverſum omnes pulmonum morbos, hemicraniam, & vertiginem: alvum præterea ſubducit, ab iſchiade, ac rheumatico affectu præſervat, inflationeſque hydropem minitantes diſſipat; temperamentis tamen aduſtis, melancholicis, atque bilioſis neutiquam prodeſſe Garidelius expertus eſt.

Bina ex eo cochlearia cumulata tribus ante paſtum horis aſſumuntur, eoque per dies xv. etiam, juxta morbi exigentiam, uti poſſumus, nonnunquam vero ſingulis viii. aut x. diebus ſubſiſtere convenit, ut poſtea ſi opus ſit repetatur.

Verrucas hujuſce Plantæ ſucco illitas feliciter exſiccari Rajus teſtatur. Quod autem veteres de Mercurialis *maris* virtute ad maſculos, & *feminæ* ad puellas generandas memoriæ prodiderunt, nobis inter fabulas, ut abſolute falſum, reponendum videtur. Ab antiquis in pultibus Mercurialis uſurpabatur, noſtra tamen ætate, hoc alimenti genus a culinis omnino proſcribitur.

*Lenitivo*, & *Catholico*, aliiſque Compoſitis admiſcetur. Nonnulli hujuſce plantæ pug. j. in juſculo vitulino decoquunt, ac jejuno ſtomacho ad alvum laxandam epotant, aut folia cum panaria pulte pro infantibus ad eumdem ſcopum obtinendum, nec non ad eorumdem colicas affectiones avertendas decoquere pariter ſolent.

℞. Fol. Mercurialis & Malvæ ana Man. j. Ebulliant in aquæ ℔ ij. ad medias. Colaturæ adde Mellis Mercurialis ℥ j. aut ℥ ij. pro Enemate in alvi conſtipatione, Cakexia, ventriſque inflationibus.

## MESPILUS.

SUb generico Meſpili nomine nonnullæ veniunt arbuſculæ; nobis vero tres tantum in Officinis uſitatiores notæ ſunt, Meſpilus nempe vulgaris, Spinus albus, & Pyrachanta.

Mespilus vulgaris, *Offic.* Meſpilus Germanica folio Laurino non ſerrato, ſive Meſpilus ſylveſtris, C. B. P. 453. Meſpilus vulgaris, I. B. 1. 69. Meſpilus, *Dod.* 801. Meſpilus vulgaris, ſive minor, *Park.* Meſpilus foliis integris, *Raii Hiſt.* 1460. Epimelis, *Theophr.* & *Dioſcor.* vulgo *Neſflier*, *Meſplier*, ou *Neſplier*.

Arbu-

Arbuſcula eſt, ſeu Arbor mediocris magnitudinis, trunco plerumque retorto, ramis duris, ſolidis, fractuque difficilibus. Folia magna ſunt, & Lauri vulgaris, aut Ceraſi foliis pene ſimilia, foliiſque Mali longiora, & anguſtiora, inferne lanuginoſa, atque alba ſuperne vero viridiora, tenuiorique lanugine obtecta, marginibus modo denticulatis modo non. Flores ſejuncti enaſcuntur magni, pluribus petalis obtuſis, roſaceiſque conſtantes, albi, aut dilute-rubri, in centro diviſi, florum Mali Cydoniæ æmuli, calyce multifido ſuffulti, ac tandem in fructum abeuntes, exiliorem Malum, aut Pyrum ſylveſtrem magnitudine æquantem, ſemirotundum, rubrum, aut per maturitatem rufeſcentem, hirſutum, carnoſum, acerbiſſimum, antequam matureſcat, terminatum ſpecie quadam coronæ a calycis apicibus efformatæ, quæ veluti umbilicum latum, & cavum ambit. Fructus hic Meſpillum nuncupatur: tunicam habet teneram, ſubſtantiam vero duram, albam, auſteram, quæ tamen matureſcendo emollitur, ſaporemque dulcem, vinoſum, adeoque gratum acquirit, ut ad ſecundás menſás exornandas inſervire commodiſſime poſſit, Quatuor, aut quinque oſſicula petroſa, dura, oblonga, gibba, ſuperficie inæquali prędita, ac ſub-rubra occludit, in quibus ſingulis oblongum ſemen occurrit.

Meſpilum ubique in hortis & Pomariis colitur; in Gallia autem ſponte creſcit in ſepibus, ac nemoribus in agro pręſertim Pariſienſi, & Montmoranciano. Niſi inſeratur, ut plurimum, ſpinis obducitur, exiguoſque fructus tantum ſuppeditat; culturę vero ope grandiores, exquiſitioreſque apparent. Optime inſeritur Pyro ſylveſtri, & Oxyacantho. Aprili, & Majo floret, fructus Septembri exeunte, aut ſerius perficitur, raro in arbore maturitate donatur; Autumno colligitur, quando nempe perfectam acquiſierit magnitudinem, tunc autem paleis circumfuſas probe emollitur, eſuque aptiſſimus efficitur.

Meſpilum plurimum phlegmatis, olei, ſaliſque acidi, terreſtris continet, hinc vim habet adſtringentem, ad Diarrhęas, Dyſenteriaſque ſiſtendas accomodatam. Saccharo, aut Melle conditur, vel ſuper paleas ad matureſcendum relinquitur, nocet enim ſtomacho, niſi probe emollitum fuerit. Meſpili ramuſculi tuſi, & aqua decocti ptiſanam largiuntur, quę ſupradictis in morbis feliciter uſurpatur. Scorderus hujuſce ſemina diuretica, & adverſum calculos aptiſſima eſſe putat, *hinc* eorumdem ʒj. infundi per noctem in Vini albi ℥viij. & mane jejuno ventriculo repetitis vicibus propinari poteſt. Meſpilorum nondum maturorum decoctio, aut ejuſdem arboris folia optimum Gargariſma ſuppeditant adverſus Anginam, & gingivarum, ac dentium fluxiones. Cataplaſma quoque conficitur Meſpilis ſiccis, Nuce Moſchata, Caryophyllis, & Corallis parumper pulveratis, ſucco Roſarum permixtis, ac in vomitu regioni ſtomachi applicitis. Foreſtus fide dignus profecto Medicus teſtatur, Diarręas inveteratas, ac remediis fere omnibus reſiſtentes Meſpilorum uſu ſanatas quandoque vidiſſe.

Uſurpatur Meſpilum in Syrupo Myrti compoſito *Meſuæi*, & ejus folia in Unguento Comitiſſę a *Varignana* propoſito.

Oxyacantha, ſpina acuta vel alba, ſive ſpinus albus, *Offic.* Meſpilns Apii folio ſylveſtris ſpinoſa, ſive Oxyacantha, C. B. P. 454. Oxyacantha vulgaris ſive ſpinus albus, I. B. 1. 49. Oxyacanthus, ſive ſpina acuta, *Dod.* 751. Oxyacanthus, *Ger. Raii Hiſt.* 1458. Oxyacantha vera veterum, *Schvvenckf*. Spinę

Appen-

Appendix vulgaris, *Park*. Crategęus foliis obtusis bis trifidis *Linn. Hort. Cliff.* 188. vulgo *Epine blanche*, *Aubèpin*, *Aubèpine*, *Noble Epine*.

Radicem habet longam & alte in terram descendentem, truncum mediocriter crassum, sed firmiter solo adhærentem, ramosum, duris, acutis, lignoque durioribus spinis obsitum, sub-rubro, aut atro-cinereo, juxta variam ætatem cortice obtectum. Rami firmissimi, & flexibiles ita sunt, ut sub cultoris scure quamlibet figuram repræsentare possint. Folia Apii palustris foliorum figuram, saporemque viscidum habent. Flores vero fragrantissimi, pedunculis fere pollicem cum dimidio longis, atque albis, acervatim adnascuntur, quinque petali sunt, rosacei, ac staminibus sub-rubris, ut in Pyro donati. Fructus boccis Myrti grandiores, rotundi, per maturitatem rubri, ad instar umbellæ pendentes, nigrumque umbilicum gestantes, molli glutinosa, ac sub-dulci scatent pulpa, & unum, aut bina dura, & alba ossicula occludunt, si unam tantum, rotundum est, si autem bina, interna ex parte, parvam, & curvam ostendunt cavitatem, qua simul junguntur; figura variant, communior vero orbicularis esse solet: haud raro tria in uno, eodemque fructu conspiciuntur.

Ubique Arbuscula hæc tam in calidis, quam in frigidis regionibus, præsertim in sepibus juxta vias occurrere solet, quocumque solo, aut climate delectatur: Majo floret, aeremque grato florum odore læte perfundit; fructus Septembri maturescunt, atque decisis foliis Hyeme exeunte pertinaciter ramis adhærent, & avibus, ac præcipue merulis, & turdis nutrimentum suppeditant.

Spinus albus ob ramorum densitatem, & spinarum acutiem, ac rigiditatem pro sepium vivarum usu aptissimus est, neque enim frigore læditur, neque radicibus largius, quam par est, dilatatis solum occupat, neque diuturnum agricolis laborem, ut Prunus sylvestris afferre solet. Arbuscula hęc quoque apta præ ceteris est ad sepes conficiendos, quę ope cultri variis ad ornatum figuris donantur. Lignum duritie, & æqualitate excellit, Buxo immediate succedit, & magni habetur in operibus torno elaboratis.

Plures Spini albi species reperiuntur fructibus grandioribus, sub-acidis, que *Azerole* nuncupantur, Mespilus enim Aronia a nostro Spino albo, nisi baccarum magnitudine, atque sapore distat. Ad delitiam in hortis colitur, uti & Spinus albus duplici flore.

Arbuscula hęc Analysi Chymica plurimum liquoris acidi, parum spiritus urinosi, nihil salis volatilis concreti, multum vero terrę atque olei largitur. Hinc vero simillimum est, Spinum album sale, corallino sali proximo, pauco sale Ammoniaco permixto scatere, a quo adstringendi, & diarrhęas, fluxusque sanguineos sistendi in eo facultas emanat. Florum Spini albi aquam stillatitiam, aut spiritum, floribus iisdem una cum Vino maceratis, ac distillatis, elicitum, Pleuriticis, & Colica affectione laborantibus plurimum solatii afferre posse Tragus asserit. Idem Tragus, Matthiolus, & alii fructum inter adstringentes ad quoscumque fluxus sistendos dicatum enunciant, quod etiam innuere videtur Lobellius, dum ait, hujusce saporem nonnihil asperi, & adstringentis pręseferre, quod ad fructum nondum probe maturum refertur, quum e contra fructus maturi tali, ac tanta dulcedine, ac viscositate polleant, ut Anguillara deceptus sit, asserendo, eos esse laxantes. Rajus vero cum Botanicis omnibus testatur, horumce fructuum aquam distillatam, aut

aut exſiccatorum pulverem, aut infuſionem ex Vino, ſabulum, & calculos, e renibus, & veſica depellere.

Pyracantha, *Offic.* Oxyacantha Dioſcoridis, ſive Spina acuta Pyri folio, C. B. P. 454. Pyracantha quibuſdam, J. B. 1. 51. Meſpilus aculeata Amygdali folio, J. R. 5. 652. Oxyacantha Theophraſti. *Ger.* Rhammus tertius Dioſcoridis, *Lob. icon.* 182. Pyracantha, *Park. Raii Hiſt.* 1459. Pyracantha pyraſtri folio, *Adv. Pen. & Lob.* vulgo *Buiſſon ardent*, *arbre de Moyſe*.

Species eſt Spini albi, ſive arbuſcula ſpinoſa, cortice ad nigrum accedente, ramis, acutis ſpinis, armatis, ex quibus aliæ pollicem æquant, aliæ vero breviores ſunt ſurſum plerumque deſinentes. Folia quoquomodo Pyraſtri, aut Amygdali, aut etiam Arbuti folia ſimilantur, ex quibus alia oblonga ſunt, ac nonnihil acuta, alia ferme rotunda, ambitu venuſte ſatis denticulato, lævia in ramis inferioribus præſertim ſita; in ſuperioribus autem quandoque lanuginoſa, ac penitus colore illo viridi luceſcente deſtituta, e ſuperna facie in aliis apparente. Flores e luteo ſub-rubri pluribus roſaceis petalis donantur. Fructus Spini albi fructibus ſimiles rotundi ſunt, aurei ad rubrum accedentes, racematim collecti, corona quadam ornati, ſub-acidi, ac quatuor aut quina luteo-alba, triangularia, & parumper luceſcentia ſemina occludentes.

Arbuſcula hæc ſponte creſcit in ſepibus Provinciæ & Italiæ. Alibi etiam in hortis ad ornatum colitur, tam in plano, quam ſerie, atque ordine muris applicata, ſemper enim vireſcit, nec fructus Hyeme dimittit: Majo autem flores ſuppeditat, ejuſque baccæ Autumno matureſcunt, quas pueri in delitiis habent, præſertim probe maturæ; eodem ſapore, iiſdemque, ac Spini albi baccæ proprietatibus donantur, ab agricolis vero *Senelles*, aut *Sinelles*, & in Occitania *Pommettes de Paradis* nuncupantur. Creditum fuit, Arbuſculam hanc, fuiſſe Dumum, ex quo Deus Moyſi apparuit, eique præcepit, ut calceamenta deponeret, eo quod ad terram ſanctam perveniſſet, atque hac potiſſimum ratione fructum perpetuo in arbore permanere; idem quoque a nonnullis ad Spinum album refertur.

Fructus Pyracanthæ adſtringens eſt, & ad fluxus ventris ſiſtendos dicatus, hinc facile Spini albi fructibus ſubſtitui poteſt.

## M I L I U M.

DUæ Milii ſpecies in Officinis pro uſu Medico diſtinguuntur, Minus nempe, & Majus Sorghum vocatum.

MILIUM vulgare, *Offic.* Milium ſemine luteo, vel albo, C.B.P. 26. J.B. 2. 446. *Dod.* 506. Milium aureum, & album, *Caner.* Milium vulgare album, *Park.* Milium, *Ger. Raii Hiſt.* 1251. vulgo *Petit Millet ou Mil commun*, *jaune ou blanc*.

Radices numeroſæ, fibroſæ, fortes, albicantes plures emittunt caules, aut culmos mediocris craſſitiei, nodoſos, duos aut tres pedes altos, folia vero ampla, & pollice latiora, Arundinis foliis ſimilia, craſſa lanugine obtecta, præſertim qua culmum tegunt, tandem, dum ſenſim expanduntur, tactu lævia, & expolita. In ramulorum ſummitatibus faſciculatim flores enaſcuntur plerumque lutei, quandoque ſub-atri, tribus ſtaminibus conflati, quæ, e centro calycis ut plurimum bipetali, exeunt. Deciduis floribus ſuccedunt ſe-

mina rotunda aut ovalia, lutea aut alba, dura; lucentia, in quibusdam exilibus & teneris veluti baccis a florum calycibus efformatis clausa.

In agris seritur Planta hæc, crescitque in solo sabuloso, umbroso & humido, terramque exposcit mobilem, atque levem, satis vero pinguem, atque humectatam. Milium enim a terra sicca, & cretacea omnino abhorret. Aptior ad hoc serendum, tanquam temperatior, tempestas Verna esse solet: communiter vero exeunte Martio terræ committitur. Hoc commodi agricolis præstat; quod scilicet ex eo quatuor, aut quinque sextaria, ad integrum jujerum seminandum sufficiant, neque enim probe excresceret, si spissius sereretur. Trium mensium intervallo perfecte maturescit, magnumque in segetum penuria subsidium affert, adversum enim quamcumque aeris intemperiem resistit, messisque constanter in promptu esse solet, quum sterilitate, aut aliarum frugum egestate cruciamur.

Etsi Botanici omnes Milium album cum luteo confundant, ac nisi varietate differre asserant, tamen quamdam esse distinctam speciem a Rajo existimatur; non enim colore tantum discrepare ait, verum etiam magnitudine, florum eruptionis tempore, ac spica; Luteo namque elatius est, ad altitudinem duorum vel trium cubitorum excrescit, præterquamquod culmos habet crassiores, majorique nodorum numero intersitos, spicam magis curvam, magisque albicantem, quæ serius expanditur, Julio scilicet ad exitum properante.

Milium plurimum olei, parumque salis volatilis essentialis continet. Semen vero alimentum quibusdam regionibus utilissimum suppeditat; excorticatur, lacteque decoquitur, uti Oryza, cum qua communes habet facultates. Milium temperans est, refrigerans, & anodynum, morbis pectoris, tussique convenit antiquæ, & sanguinis nimium motum compescit; alvum vero quandoque nimium adstrictam reddit, flactus concitat, nec adeo facile concoctioni favet, hinc ex eo panis numquam, nisi anno sterilitatis conficitur. Ex eodem in Italia una cum lacte placentæ conficiuntur, quæ optimæ quidem sunt, si adhuc calidæ, & recentes comedantur, glutinosæ vero, & ingratæ, si forte veterascant. Ad extranea corpora negligenter deglutita, v. g. acus, vitrique fragmenta e corpore eliminanda, optima est Milij farina pultis forma.

Quoad Milij Medicum usum, Auctores omnes conveniunt, ejus decoctionem, diureticam, & diaphoreticam esse. Decoctio hæc eadem cum Vino mixta celebrem *Divi Ambrosii decoctionem* constituit, Vini albi ℥ ij. cum prædictæ ℥ iij. permixtis. Ad sudorem in tertianis aliisque intermittentibus febribus conciliandum, & ad Variolarum, & Morbillorum eruptione adjuvandam in usum revocatur: Nonnulli addunt Scabiosæ, & Fæniculi radices cum Passulis. Milij farina Cataplasmate anodyno, & resolvente usurpari potest. Milium fractum, torrefactum, sale decrepitato mixtum, & sacculo conclusum, aptissimum est ad dolores, humore viscido in partibus stagnante, progenitos, tam in capite, quam infimo in ventre, aliisque partibus sedandos, dummodo sacculus probe calidus applicetur. Notum denique est, Milium, ad parvas aves, pullos præcipue, & columbos vescendos, usitatissimum esse.

℞. Milij, Passularum, & Ficuum pinguium ana ℥ ß. Coque in aquæ ℔ iij. ad ℔ ij. Fiat colatura absque expressione; cyathus calidus exhibeatur;

ac

ac per intervalla repetatur, ut sudor, & urinæ blandé cieantur.

Milium Indicum, Melica sive Sorghum, *Offic.* Milium arundinaceum subrotundo semine, Sorgo nominatum, C. B. P. 26. Sorghi, J. B. 2. 447. Melica sive Sorgum, *Dod.* 508. *Park.* Sorgum, *Ger.* Panicum indicum, *Gesn. Hort.* Sorgum seu Milium indicum, *Raii Hist.* 1252. Sagina vel Panicum Loculare, *Quorumd.* vulgo *Grand Millet noir, Blè barbu, ou Sorgo.*

Radix e crassis, robustisque constat fibris, quæ huc illuc in solo profunde immerguntur, ut culmi ab ipsis suffulti facilius ventorum impetui resistere possint, plures autem culmos emittit arundinaceis similes, ad octo, decem, & quandoque tredecim pedum altitudinem, digitum crassos, subnigros, firmos, nodis distinctos, medulla alba, & subdulci, adinstar Sambuci repletos, rubro colore, maturescente semine, infectos. E singulis nodis folia exeunt cubitalia, tres vel quatuor digitos lata, arundinaceis æmula, extremo acutis denticulis armato, qui si contraria vice tangantur, digitos lædunt. Summis culmis flores erectis fasciculis, pedem circiter longis, quatuor aut quinque pollices latis apparent; exigui autem sunt, flavi, oblongi, pendentes, pluribusque staminibus e bipetalo calyce exeuntibus conflati. Hisce succedunt numerosa semina Milio, aut seminibus Cannabis vulgaris duplo crassiora, fere rotunda, aut ovalia, ut plurimum subrubra, aut atrorubra, raro albida, aut flava, duplici capsula obvoluta, quum vero succutiuntur, pedunculos, crassaque filamenta relinquunt, quibus scopulæ conficiuntur.

Universa Planta vere Arundini, non minus figura, quam magnitudine similatur, ita, ut ager, in quo ad justam altitudinem excreverit, Arundinibus satum e longe appareat. Sorgum præ omnibus Panici, & Milij speciebus excellit, & solum pingue, & humidum amat, hinc in solo hisce præsertim qualitatibus prædito quandoque seritur, ut videlicet nimiæ fertilitatis excessus corrigatur. Ab Indiis in Hispaniam, Italiam, aliasque calidas regiones, in quibus præcipue colitur, primum allatum fuit; inter Æstatis grana enumeratur, Autumno maturescit, & Panico sapore, ac proprietatibus satis simile deprehenditur. Eo volatilia, & animalia vescuntur, nec non panis conficitur friabilis rudis, ac nullius fere nutrimenti. Generaliter, in regionibus calidis ad pullos, & columbos magis, quam ad alendos homines usurpatur. Cæsalpinus rem refert prorsus miram, quod scilicet, si forte Boves plantam hanc adhuc viridem comedant, inflentur, ac emoriantur, si vero siccam, iisdem proficere.

Milium Indicum alterum quoque invenitur, quod a præcedenti, nisi planiore, albissimo, ac adinstar Orobi crasso grano differre solet: utrumque eosdem in usus revocatur. Verum quamvis Sorghum ad volatilia, & animalia saginanda solummodo inserviat, nihilominus ab agricolis Italis ob ejus facilem vegetationem, ad diuturnum in tritici culturam laborem vitandum, seritur, panisque niger difficilis concoctionis, adstringens, ac ferme nullum nutrimentum suppeditans eo conficitur. Medulla ex ejus culmis elicita adversus strumas remedium paratur magnopere a Matthiolo commendatum, cujus descriptio observari potest in *Generali Plantarum Historia* Joannis Bauhini *Tom.* 2. *pag.* 448. Idem Auctor felici quidem cum successu proponit florum hujusce Plantæ p. ℥j. in cyatho Vini rubri infusa, ac mane jejuno stomacho pluries repetenda in nimio mensium profluvio; eadem

quoque dosi capsulas granum obvolventes pulveratas, ac vitello ovi infusas adversus Diarrhæas, Dysenteriasque præscribit.

## MILLEFOLIUM.

UNa solummodo Millefolij species in Officinis plerumque cognoscitur, vulgatior videlicet, ac flore albo, eamque tantum describendam assumimus.

Stratiotes, sive Militaris herba, Achillea, *Offic.* Millefolium vulgare album, C. B. P. 140. Millefolium Stratiotes pennatum terrestre, J. B. 3. 136. Millefolium, seu Achillea, *Dod.* 100. Militaris, sive Millefolium flore albo, *Adv. Lob.* 333. Stratiotes millefolia major, *Lugd. Hist.* 769. Millefolium vulgare, *Trag. Park.* Millefolium terrestre vulgare, *Ger.* Achillea sideritis, *Dioscor.* Achillea foliis pinnato-pinnatis, *Linn. Flor. Lappon.* 243. Myriophyllon, sive Chiliophyllon, Græcorum, Panaces heracleon, Lumbus sive supercilium Veneris, Carpentaria, *Quorumd.* vulgo *Millefeville*, *herbe au Charpentier ou herbe a la Coupure*.

Huic radix est lignosa, fibrosa, subrubra, ac serpens, quæ caules propellit numerosos, ad pedis, aut pedis cum dimidio altitudinem, etsi minutos, satis tamen rigidos, cylindraceos, striatos, hirsutos, subrubros, medulla instructos, summitatibus ramosis. Folia in costa locata, minutim incisa, Chamomillæ folia quodammodo æmulantur, ac rigidiora sunt, avium plumas referentia, odore gratissimo, sapore acriusculo. Summis ramis flores progignuntur umbellis, aut fasciculis admodum constrictis, atque rotundis, quorum unusquisque exilis est, radiatus, albus, aut dilute-purpurescens, odorus, & calyce fulcitur cylindraceo, oblongo, ac squammoso: Hisce parva semina succedunt.

In omnibus fere locis, utpote vulgatissima luxuriat Planta hæc secus vias, in locis incultis & siccis, cæmeteriis, & pratis: Majo, Junio, totaque Æstate florescit. Nonnulli Millefolium flore purpureo peculiarem speciem existimant; etsi minus vulgaris sit, præter florum colorem a præcedenti vix differt, nihil aliud ergo esse potest, nisi varietas Millefolij vulgaris flore albo.

Millefolium acriusculum est, amarum, aromaticum, chartamque cæruleam rubro colore inficit. Salis naturalis terrestris acida pars ab aliis principiis per hujusce Plantæ texturam sejuncta, cum aliis terrestribus particulis, sal aluminosum, pauco oleo essentiali sociatum constituere videtur. Analysis vero Chymicæ ope plures acidi liquores, magna terræ portio, nihil vero salis volatilis concreti, ac spiritus urinosi parum e Millefolio eliciuntur: hinc planta eadem inter vulnerarias, resolventes, adstringentesque recensetur. Interior, ac exterior hujusce usus valet ad omnes hæmorrhagiæ species sedandas, aut ejus infusione, aut decoctione; aut contusa, vulneribus, & incisionibus apposita, unde ejus *Charpentariæ*, denominatio emanat, ea scilicet Cisarii, aliique familiariter utuntur, quam quidem denominationem communem habet cum aliis plantis, sanguinem sistendi vi præditis, Brunella nempe, Consolida majori, Anacampseros &c. Millefolium utilissimum est adversum hæmorrhoides, fluoresque albos excedentes. Ejus succus mirabiliter ulcera interna detergit, ac præ aliis pulmonum Vomicam. In hæmorrhagiis, ventris fluxibus, ac urinæ incontinentiis hujusce Plantæ Man.

parvus jusculo infunditur, aut in aqua ferventi ad modum Theæ; ejusdem miros effectus in omnibus prædictis casibus experientia testatur. Advertant porro Mulieres, & Virgines hæmorrhoidali fluxui deditæ, ne hoc ipso remedio longius, quam par est, abutantur, quandoque enim mensium suppressionem hæmorrhoidibus laboriosiorem progignit. D. Chomelius *in Tractatu de Plantis usitatioribus* asserit, pluries cum successu succum Millefolij exhibuisse cum succi Urticę æ.q. pro binis dosibus, horę intervallo ad hęmorrhagiam, ab aliqua vasis sanguinei sese in intestinis exonerantis ruptura obortam, sistendam: potioni vero huic forti ejusdem plantę decoctione parato Enemate occurrebat. Eodem in morbo propinari potest Millefolij pulvis ℈ ij. bucellatis adstringentibus admiscenda. Tabernę-Montanus asserit, aquam distillatam Millefolij adversum Epilepsiam, & Vinum, aut Hydromel hac Planta paratum adversum omnes irregularium fluxum species valere. S. Pauli testatur, mulieres gravidas a se ipso cognitas abortum pręcavisse ejusdem decoctionis usu. Millefolij ruditer contusa folia, atque in aurium ostio immissa sępe sępius dentium dolorem sedant. Aquę Vulnerarię, Balsamo polycresto *Bauderoni*, Mundificativo de Apio dicto, Martiato, nec non alicui alio Emplastro adstringenti Millefolium sociatur.

℞. Millefolij P. ʒ ij. Succi Plantaginis ℥ vj. M. pro potione, quę tepida propinetur, quęque iterum de die repeti potest adversum sputum aut vomitum cruentum.

℞. Succi Millefolij ℥ jv. Sacchari ℥ j. M. pro potione, quę tepida manę jejuno stomacho propinetur contra immodicum mensium fluxum pluries repetenda.

## MOMORDICA.

INter plantas Balsaminę nomen pręseferentes, MOMORDICA *Balsamina mas* in Officinis vocata, toto cœlo discrepans a Balsamina vulgari genus constituit.

Balsaminas mas, Pomum mirabile seu Momordica, *Offic.* Balsamina rotundifolia repens sive mas, C B. P. *306.* Balsamina cucumeraria, J. B. 2. 251. Momordica vulgaris, J. R. 5. 103. Charantia, *Dod. 670.* Balsamina sive Pomum mirabile vel Hirosolymitanum, *Trag. 898.* Momordica, *Castor. Dur. 61.* Balsamina mas, *Ger. Park. Camer. Raii Hist. 647.* Cucumis puniceus, *Cod. Hist.* Balsamina mas fructu puniceo, & Momordica fructu luteo rubescente, *Hort. Eyst.* Garantia sive Charantia, Mamortica, viticella, Balsamina cucumerina, seu Pomifera, Herba Lassulata, *Quorumd.* vulgo *Pomme de Merveille*, *Balsamine male ou rampante*.

Radicem habet parvam, fibrosam, sex mensium spatio in solo perdurantem, caules vero sarmentosos, ad duorum, vel trium pedum altitudinem sese elevantes, satis exiles, angulosos, striatos, qui capreolis ab unoquoque folio emissis, veluti totidem manibus, propius implantatis perticis adhærent, ac sustinentur. Folia Brioniæ, aut potius Vitis foliis similia sunt, exiliora tamen, elegantius incisa, læte viridia, expolita, caudisque fere pollicem, aut pollicem cum dimidio longis adhærentia, sapore amariusculo & acri. Ex foliorum alis flores enascuntur pelviformes, ad centrum usque quinquifidi, alii ab aliis quandoque sejuncti, luteo-albescentes, flavis stami-

ſtaminibus donati, quibus fructus ſuccedunt oblongi, rotundi, adinſtar Cucumis, plus, minuſve parte media turgeſcentes: fructus vero hi neutiquam pulpoſi, vi quadam elaſtica, ſponte aperiuntur, atque cavitas inde conſpicitur pluribus ſeminibus referta, Cucurbitæ ſeminum magnitudine, magis longis, quam latis, atro-rubris, leviter crenatis, ac membranula obvolutis.

Planta hæc in hortis colitur, faciliuſque creſcit in Italia, regionibuſque calidis, quam in Germania, atque Anglia, in quibus plerumque Auguſto ſolummodo floribus decoratur, ac fructus raro admodum, ac ægre matureſcunt.

Momordica, tanquam vulneraria, & anodyna potiſſimum uſurpatur, vulneraria autem adeo, adeoque balſamica exiſtimatur, ut per excellentiam Balſamina nuncupetur. Fructus maturus, demptis ſeminibus in Oleo aut Amygdalarum dulcium, aut Olivarum per quam optimo infunditur, vas per menſium ſpatium Soli exponitur, aut B. M. imittitur, ſicque excellens remedium conficitur adverſus tendinum puncturas, nec non ad vulnerum inflamationes, hæmorrhoides, mammarum ſciſſuras, perniones, aduſtionem, anique procidentiam avertendam aptiſſimum. Mulieres quoque ulceribus in Utero, aut Vagina laborantes linimenti, aut injectionis forma Balſamum hoc mirabiliter ſolatur. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria prima anno 6. & 7. pag. 99.* extat obſervatio celebris Georgii Valkameri, qui aſſerit, in partu difficili Balſaminæ Oleum prædicta ratione paratum ſæpe ſępius ſecundo quidem cum ſucceſſu ℥. j. cum anodynis ſociatum, Enematis forma pręſcripſiſſe, partibus generationi dicatis, unguento, ejuſdem fructus pulpa, butyro permixta, confecto, ſimul illinitis, ſicque ſedato dolore, relaxatiſque partibus fœtui feliciter exitum procuraſſe. Hoc idem Linimentum poſt balneorum uſum pluries repetitum, optimum eſſe remedium contra ſterilitatem alii teſtantur.

℞. Fol. Malvę aut Althęę Man. j. In Lacte ebulliat, aut in aqua communi, reducaturque ad ℔ j. Colaturę adde Vitella Ovorum N. ij. atque Olei Balſaminę ℥ j. pro Clyſtere adverſus tormina violenta partum difficilem antecedentia.

## M O R U S.

DUę tantum MORI ſpecies in Officinis notę ſunt, Nigra, atque Alba. Morus nigra, Mora Celſi, Mora Celſa ſive excelſa, *Offic.* Morus fructu nigro, C. B. P. 459. Morus nigra, J. B. 5. 118. *Cord.* Morus, *Dod.* 810. *Brunſ. Trag. Matth. Ger.* Morus nigra vulgaris, *Park. Raii Hiſt.* 1429. Morus rubra, *Anguill.* vulgo *Meurier noir*.

Radicibus donatur numeroſis, magnis, robuſtis, parum profundis, late ſeſe expandentibus: Caudes craſſiſſimus eſt, tortuoſus, nodoſus, cortice craſſo, rudi, & admodum flexibili tectus: lignum durum, firmum, luteumque centrum verſus: folia adinſtar manus lata, fere rotunda, nonnihil acuta, aliquando Vitis folia ſimilantia, ſinuoſa, denticulato ambitu, aliquantiſper dura, tactuque rudia, hirſuta, guſtu ſubdulci, ac viſcoſo, defectu Mori albę ad Bombyces veſcendos uſurpata: florum receptacula nullo fructu ſubſequuta, margin viridеſcentia, lanuginoſa, plurimos efferentia quadripetalos flores, nonnullis ſtaminibus e centro ſeſe elevantibus. Fructus

Morum

Morum nuncupatur, ſejunctis in locis ex eadem arbore progignitur; primum viride, auſterumque eſt, poſtea rubicundum, acidum, ac adſtringens, brevi adnexum pedunculo, fructu Rubi majus, magiſque oblongum, rotundiorique ſemine præditum, demum matureſcendo nigrum, ac ſucco viſcoſo, & dulci turgidum, veluti ſanguine manus, ac labra inficiens. Aſſerit Matthiolus, fructum prædictum ad maturitatem perductum, mediocrem nihilominus auſteritatem detinere: occludit autem ſemina fere rotunda.

In hortis arbor creſcit, ac Johanne Bauhino obſervante, Sol vim ſuorum radiorum in hanc potentiſſime exerit, & revera ſtatim, ac folia pullulare incipiunt adeo vehementer propelluntur, ut opus omne, quodam etiam cum ſtrepitu, ut adnotavit Plinius poſt Theophraſtum, in ſola nocte exequatur. Antiqui Morum ſapientiorem, prudentioremque præ aliis arborum ſpeciebus appellabant, frigore enim præterlabente omnium noviſſima gemmas edit, dum e contra Amygdalus inter domeſticas arbores ſtultior nuncupatur, eo quod ſcilicet ad flores eliciendos nimium ſollicita ſit. Morus præterea omnium prima folia dimittit.

Morum nigrum ad alimentarium uſum, atque medicamentarium uſurpatum plurimum olei, phlegmatis, ſaliſque eſſentialis continet: ante maturitatem deterſivum, adſtringens, ac ulceribus, aliiſque faucium morbis dicatum cenſetur; maturum vero humectans, refrigerans, ventrem laxans, pectus demulcens, ac expectorationem promovens. Rob, & Syrupus ſimplex; Rob, & Syrupus compoſitus eodem conficiuntur. Rob ſimplex *Diamorum* dicitur, ſuccoque Mori, ac Melle paratur; ejus vero cochlear cumulatum in aquæ cyatho infuſum ad faucium, & thoracis acredines emolliendas, nec non ad calorem in ardentibus febribus compeſcendum propinatur. Rob compoſito adduntur Omphacium, Myrrha, & Crocus. Syrupus eademmet ratione conficitur, Melli tantum Saccharum ſubſtituendo; a Cordo vero Mororum, fructuum Rubi, & Idæi Rubi, Fragorum ſucco, & Melle conficiebatur. Prædictus fructus probe maturus menſis apponitur, refrigerandi vim habet, nullum fere nutrimentum ſuppeditat, ſtatimque in ventriculo corrumpitur, hinc hujuſce viſceris debilitate, atque relaxatione laborantibus omnino interdicendus: neceſſe eſt etiam curare, ut ante Solis ortum colligatur, araneis enim aliiſque inſectis diurnis horis ſupervenientibus, ac ex ſeſe eo nutrientibus, ova deponunt, unde veneficorum morborum cohors emanare ſolet, præterquamquod obſervatur, regiones hac fructuum ſpecie feraciores malignis, ac peſtilentialibus morbis præ aliis eſſe conflictatas. Foliorum, & corticis Mori decoctionem dentium dolorem ſedare Gargariſmatis forma a Schordero aſſeritur, a nonnullis vero excellens topicum adverſum aduſtiones, iiſdem foliis cum aceto tuſis, proponitur. Hujuſce denique arboris cortex, & radix, tanquam vermifuga in pulveribus, aliiſque contra vermes compoſitis uſurpantur.

℞. Aquę fontis, aut Seri Lactis ℔ j. Criſtalli mineralis ʒ j. Syrupi Diamoron ℥ j. M. pro Gargariſmate refrigerante.

℞. Corticis Mori, Radicum Filicis feminę, ſummitatum Tanaceti, & Corallinę ana ʒ ß. Æthiopis mineralis ʒ ij: M. f. p. ac Syrupo Abſinthii conſocietur, ut Opiata vermifuga conficiatur a ℈ j. ad ℈ ij. mane jejuno ventriculo repetitis vicibus uſurpanda.

Morus alba, *Offic.* Morus fructu albo, C.B.P. 459. Morus alba, I.B. 1. 119.

Morus candida, *Dod.* 810. Morus fructu albo minori, ex albo purpurascente, I. R. H. Morus alba, *Ger. Park. Raii Hist.* 1429. vulgo *Meurier blanc.*

Radices habet Moro nigra majores, magisque expansas, arborque altius excrescit; folia oblonga sunt, angustiora, teneriora, denticulata, adinstar foliorum Vitis quandoque incisa, eleganter adeo juxta Joannem Bauhinum, ut floribus Liliorum Coronę Galliarum, quamtumvis excellenti Pictore delineatis, anteferenda videantur. Quamplurima apparent florum receptacula pedunculis adnexa longiusculis in pręcedenti descriptis similibus. Fructus albi, aut purpurascentes sunt, dum maturescunt, exiles, sapore dulci, ferme melleo juxta Matthiolum, sed revera ingrato, & insipido,

Generaliter Morus locis calidis, sabulosis, maritimis, regionibusque planis delectatur. Plinius observat, Moros in montibus nunquam fuisse conspectas: in regionibus tamen frigidis excoli haud incommode potest, crescit enim facillime in Anglia. Sero flores emittit, at fructus prompte maturescit, citius autem, tardiusque juxta variam loci temperiem. Diutissime vivit arbor hæc, ejusque lignum compactum, ac solidum in aqua, non secus ac Quercus obdurescit.

Morus alba, nigra omnino tenerior, delicatiorque est, fructu excepto insipidiore, & ad nauseam excitandam, quam ad nutriendum, ob ingratum saporem magis apto: falso creditum fuit, ortum duxisse, eo quod Mori nigræ rami Populo albæ inserti fuerint. Mori albæ folia incisa sunt, usquedum arbor adolescit, ac pusilla est, quum vero ad perfectum incrementum pervenerit, integra plane sunt: utpote teneriora, ac delicatiora pro Bombycum alimento sollicite exquiruntur. Cęsalpinus, arborem hanc fuisse aliquando exoticam in Italia, uti & Bombyces, existimat. Hisce diebus famigeratissima ubique est, in Hispania præcipue, Gallia, & Italia colitur, solerter vero in agris Occitaniæ, Provinciæ, Delphinatus, Augustæ Taurinorum, & alibi, ad supradicta animalcula vescenda, quæ magnum proventum afferre solent, ac Mori albæ folia, præ aliis, amant; quum autem ab humiditate plurimum læduntur, non modo antiqua recenter collectis anteponenda sunt, verum etiam curatur, ut mane decerpantur, quum scilicet ros a radiis Solaribus consumptus penitus fuerit, aut si forte humida sint, antequam Bombycibus exhibeantur, ab iis humiditas omnis diligentissime arcenda est.

Fructus Mori albæ nullum in Arte Medicá aut pro alimento usum habent, eorum sapor, uti jam observavimus, fatuus, ac insulsus est, & ad stomachum turbandum magis, quam grate afficiendum idoneus. Cortex, & radix ejusdem, ut de Mori nigræ cortice, & radice innuimus, vermes enecandi vim habent.

## M O S C A T E L L I N A.

HUjusce generis, a D. Tournefortio post Joannem Bauhinum, instituti una tantummodo Planta in Officinis cognoscitur.

MOSCHATELLA, *Offic.* Ranunculus nemorosus Moschatellina dictus, C. B. P. 178. Moschatellina foliis Fumariæ bulbosæ, I. B. 3. 206. Ranunculus minimus Septentrionalium herbido muscoso flore, *Lob. icon.* 674. Ranunculus nemorosus Moschatella dictus, *Park. Raii Hist.* 684. Moschatella, *Cord. Thal. Camer.* Radix cava minima viridi flore, *Ger.* Fumaria bulbosa minima, *Tabern.*

*bern. icon.* Adoxa, *Linn. Hort. Cliff.* 153. Muſcatella, Moſcatellina, Alabaſtrites, Denticulata, Tuberoſa minima, *Quorumd.* vulgo *Moſcatelline, Herbe du Muſe ou herbe muſquèe.*

Radice donatur pollicem circiter longa, admodum craſſa, quibuſdam parvis obtecta ſquammis, dentis canini figuram habentibus, intus cavis, ſucco refertis, abſque ullo manifeſto ſapore, aut guſtu ſub dulci, ſuperne autem quamplurimas fibras, plus, minuſve minutas, albas, ac longas propellit, a quibus, ſub ſolo late ſerpendo, enutritur. Ab ea binæ aut tres elevantur caudæ, longitudine manum æquantes, minutæ, molles, delicatæ, dilute virides, foliaque ſuſtinent, adinſtar foliorum Fumariæ bulboſæ inciſa, & glauca, ea inter pedunculus exit foliis neutiquam elatior, ac in ejus vertice quinque locantur parvi flores, herbidi, ac monopetali, pluribus exiguis, luteiſque ſtaminibus centrum occupantibus: omnes hi flores ſimul juncti cubum repręſentant; in parte vero floris inferna bina oppoſita foliola, duobus brevibus adnexa pedunculis conſpiciuntur; folia autem, floreſque pręaicti humida tempeſtate Moſchi odore fragrant. Deciduo flore, vietus, ac ſucculentus fructus ſuccedit, ſemina quatuor lini ſeminibus ęqualia plerumque coercet; odorem quoque, ſaporemque Fragorum per maturitatem habere dicitur, antequam vero matureſcat, acidulus, poſtea fere acer apparet.

In ſepibus umbroſis creſcit planta hęc, inter dumeta, & ſub arboribus in ſolo levi, ac fabuloſo; agri Pariſienſis incola exeunte Martio, aut Aprili ineunte floreſcit; ſtatim ac flos evanuit, folia diu neutiquam in terrę ſuperficie perdurant, cito enim planta hæc ad interitum properat. Quum autem fructus pulpa molli, ac ſucculenta componatur, inter Bacciferas proprie dictas recenſeri poteſt: Plurimum olei, & phlegmatis, parumque ſalis eſſentialis continet. Radicis vis detergens, vulneraria, ac reſolvens tribuitur: raro tamen in uſum Medicum venit, ac ſemper externe.

## M U S C U S.

QUamvis Muſcorum genus late præ ceteris patęat, tres ſolummodo hic loci deſcribentur; I. Muſcus terreſtris vulgatiſſimus; II. Muſcus terreſtris repens, Pes Lupinus appellatus, III. Muſcus membranaceus vel Noſtoch.

Muscus terreſtris vulgatior, Muſcus querno viliſſimo vilior, *Offic.* Muſcus vulgatiſſimus, C. B. P. 360. Muſcus terreſtris & hortenſis, I. B. 3. 764. Muſcus terreſtris vulgaris, *Dod. Lob. icon.* Muſcus ſquamoſus major, ſeu vulgaris, *Raii Hiſt.* 122. Moſcus hortenſis, *Trag.* vulgo *Mouſſe terreſtre.*

Muſcus hic omnium vulgatiſſimus, cuique notus, planta eſt repens, humidam, ac ſterilem terram operiens, in nemoribus, ſylvis, deſertis locis, ac ſuper petras luxurians. Longa ſunt ejus folia, adinſtar exiliſſimorum capillorum minuta, mollia, viridia, & quandoque ſublutea, coſtæ plumarum more appenſa. Plurimum olei, ac phlegmatis ac parum ſalis eſſentialis largitur, adſtringens eſt, ac extrinſecus ad hæmorrhagias ſiſtendas applicatur.

Aſſerit Joannes Bauhinus, Empiricos ab Urſis edoctos, qui vulnerati, ſanguinis profluvium ſiſtunt, ſeſe in hoc Muſci genere circumvolvendo, ad ſanguinem cohibendum hunc ipſum uſurpare. Navium etiam conditores Muſco utuntur, ad earum juncturas ſtipandas. Addit laudatus Auctor plantam hanc

virida-

viridaria inficientem, aliarumque virentium plantarum incremento obsistentem destrui facile posse, dummodo lixivii cinere Martio inspergatur.

Lycopodium, Plicaria, cingularia, *Offic.* Muscus terrestris repens, sive clavatus, C. B. P. 360. Muscus terrestris repens, a Trago pictus, I. B. 3. 766. Muscus squamosus vulgaris repens clavatus, I. R. H. 553. Muscus clavatus sive Lycopodium, *Ger. Park. Raii Hst.* 120. Lycopodium, *Tabern. icon.* 814. Lycopodium caule repente, foliis patulis, pedunculis, spica gemina terminatis, *Linn. Flor. Lappon.* 326. Pes Luppinus; vel Leoninus, vel Ursinus, *Quorumd.* vulgo *Mousse rempante à massue*, *Mousse des bois appellèe pied ou patte de Loup.*

Muscus hic super terram in longum, latumque repens, fibris longis, lignosis, & aliquantisper crassis, e diversis ramusculis, dextra, lævaque exeuntibus, radices mutuatur; plura de facto emittit cingula, seu ramos foliis ornatos exilibus, acutis, compressis, constanter viridibus, foliis Camphoratæ fere similibus, latioribus tamen, & in planta adhuc tenera numerosioribus. E cingulis hisce spicæ exeunt digitum longæ, simplices & quandoque duplices, minutæ, foliis penitus orbatæ, squammosæ; in unaquaque vero squammæ ala abditur capsula, quæ maturescendo pulverem fundit, colore ac subtilitate florem sulphuris fere æmulantem; pulvis hic ad flammam concipiendam adeo dispositus est, ut ab omnibus veluti *Sulphur vegetabile* reputetur, eique denominatio hæc revera competit. Planta hæc sabulosis in sylvis, desertis, asperisque locis, inter scopulos, & lapides obvia prædictas capsulas Julio, Augusto, & Septembri propellit, e quibus laudatus luteus pulvis colligitur, ac si forte in candellæ flammam iniiciatur, utpote inflammabilis, & fulminandi facultate, adinstar Pyrii pulveris donatus protinus accenditur. In quibusdam occurrit agri Parisiensis nemoribus, in quibus repit; ad usum vero Medicum revocatur.

Plurimum salis essentialis, olei, parumque Phlegmatis continet; apta est juxta Tragum ad calculos in renibus attenuandos, & urinam ciendam. Quamobrem ejusdem decoctio ex Vino cyatho j. mane jejuno stomacho usurpatur, pluriesque repetitur.

Hæc eadem decoctio, aut Planta simpliciter tusa, & super affectam partem applicata in Arthritide calida, dolorem, ac inflammationem sedat: pulverata vero ℨj. in optimo Vino rubro Diarrhæas, ac Dysenterias sistit, ac gargarismate gingivas, dentesque roborat. Exiles Clavæ e planta collectæ, congregatæ, & exsiccatæ pulverem dimittunt inflammabilem, ac admodum ferme tormentarii pulveris detonantem.

In Moscovia, & Persia ad fatuos ignes artificiose conficiendos usurpari solet pulvis hic; optimus quoque adversus Epilepsiam, ac flatulentas infantum colicas reputatur a gr. xij. ad gr. xx. una cum lactis, jusculi, aut panariæ pultis cochleare. *In Ephemeridibus Germanicis* refert VVedelius, hujusce Plantæ pulvere ad ℈ j. usque præscripto Epilepsiam Iscuria complicatam sanasse.

Poloni communiter utuntur in morbo endemio Plica vocato, hinc *Plicariæ* nomen emanat: quum vero ejusmodi morbo Galli non conflictentur, ejusdem proprietatum in eo sanando narrationem relinquimus tamquam inutilem; si quis vero plura scire cupiat, *Rajanam Plantarum Historiam* consulat, in qua hac in re fuse disseritur. Extat quoque in *Ephemeridibus Germanicis Centuria* x. *Observ.* xxxiv. D. Helvvic observatio, qui Lycopodii pulvere ad infantum excoriationes, aut immunditie, aut sanguinis acrimonia obortas, & ad

& ad ulcera antiqua ceteris omnibus remediis obſiſtentia exſiccanda, pluries cum ſucceſſu uſurpaſſe aſſerit.

℞. Aquæ Ceraſor. nigror. & Flor. Thiliæ ana ℥ jß. Pulveris Lycopodii gr. xviij. & Pulveris de Gutteta gr. xij. M. pro potione cumulatis chocleaعribus, quaque hora in Epilepſia, ac Infantum Convulſionibus exhibenda.

℞. Plantæ integræ Lycopodii Man. j. coque in lactis ℔ ij. ad medias. Ex hac decoctione calida, linteola madida repetitis vicibus in Arthritide calida ſuper affectam partem deinde applicentur.

Noſtoch, *Offic.* Muſcus fugax membranaceus pinguis, *Bot. Monſp.* 139. Noſtoch Ciniflonum, *Hiſt. Par.* 463. Tremella plicata undulata, *Linn. Flor. Svec.* 369. Uſnea plantarum, Cęlifolium, flos Cęli, flos Terræ, ſpuma aeris, ſalvia ſyderum, ſputum Lunæ, Paracelſyſtarum, vulgo *Mouſſe membraneuſe*, *Noſtoch des Allemands*.

Lichen, vel Muſci membranacei, parumper unctuoſi, dilute-viridis ſpecies quædam ſapore inſipido, ſecus vias ac in pratis, Equinoctiis tantum Verno, & Autumnali creſcit, atque admodum dilatatur. Immediate poſt plurias, inquit D. Magnolius, ſuper erbaceos arvorum præcipue ad Solis ortum vergentium margines naſcitur planta hæc; citiſſime vero exſiccatur; hinc ratio facile in promptu eſt, cur fugax fuerit nuncupata. Membranacea eſt, adinſtar laminæ, natantis glaciei craſſa, fere ſemper contorta, dulute-viridis, ſeſe autem expandendo, Muſcum Lactucæ, foliis nonnihil æmulatur, ac facillime ſcinditur. Chymici, aut potius Alchymiſtæ mira ſane de ea proferunt, eam cęleſtibus exornant nomenclaturis, eamque, tamquam vegetantis Naturæ principium, ac radicem deprædicant.

Ubique fere in agro Pariſienſi reperitur, ac diſtillationis ope, pręter plures acidos liquores, magnam olei, ſaliſque volatilis concreti portionem largitur. Chymicis autem ejuſdem Plantę cognitionem debemus, eam vero ingenti adeo ſabularum numero obſcurarunt, ut pro ejus Medico uſu nihil ulterius innotuiſſet, niſi recentiores, melioris profecto notę Auctores, clarius de ipſa verba feciſſent. A Paracelſo voce Germanica, quę ceteris adhuc pręſtat *Noſtoch* appellata fuit. Ab aliis vero, ſpecioſiſſimis invectis, profuſiſque nominibus diverſimode vocata fuit. Maxima eorum pars cum Paracelſo credit, hanc eſſe excrementum e ſtellis ſuper terram demiſſum; alii e contra, vaporem e centro terræ exalantem, ac in ejus ſuperficie, aeris frigiditate condenſatum: mera quidem figmenta! Error autem facile diſſipabitur, de ea vero, a doctis Botanicis, rationabilioribuſque Chymicis, inſtituto examine: a D. Magnolio celebri Botanices Profeſſore Monſpeſſulano primum inter Plantarum claſſes recepta fuit, idemque a D. Tournefortio factum fuit. A D. Geoffroeyo demum juniore in *Actis Regiæ Scientiarum Academiæ anno* 1708. hujuſce Plantæ vegetatio, principia ex ea elicita, ejuſque uſus uſque adhuc ſatis anguſtis limitibus circumſcriptus nobis evidentiſſime demonſtrata fuerunt. De facto principia activa e Noſtoch emanantia, liquorem ex eo diſtillatum, ad quædam mixta diſſolvenda efficaciſſimum, neutiquam vero ad omnes morbos ſanandos, ut plures Chymici autumant, aptum efficiunt. D. Geoffroy poſt Hælveticum quemdam Medicum memoriæ prodidit, Noſtoch Solis tantum calore diſtillatum, ac interne exhibitum, dolores compeſcere, ac ulcera contumaciora ſanare: ejus pulvis a gr. ij. ad gr. iij. eumdem effectum progignit. Excellens quoque aſſeritur Planta hęc adverſus cancros,

cros, & fistulas, si linteolum, vel pannus ejus succo saturatus iis applicetur. Quoad ejus externum usum ab agricolis Germanis usurpatur ad capillorum faciliorem incrementum procurandum.

℞. Succi Nostoch, & Solani ana ℥ vj. Immergatur linteolum vel panni frustulum, apponaturque repetitis de die vicibus, super partes fistula aut cancro affectas, exhibendo simul mane, ac vesperi Pulveris Nostoch gr. ij. in Conserva Rosarum q. s.

## M Y A G R U M.

Myagri species plures in Officinis notæ sunt, nihilominus de sequenti solummodo verba faciemus, utpote vulgatissima, ac a D. Tournefortio inter *Alysson* species recensita.

Myagrum, Camelina, Sesamum, *Tragi, & Offic.* Myagrum sativum, C. B. P. 109. Myagrum dictum Camelina, I. B. 2. 892. Camelina sive Myagrion, *Dod.* 532. Alysson segetum foliis auriculatis acutis, *Ger. Raii Hist.* 820. Myagrum sylvestre, seu Pseudo-Myagrum, *Park.* Myagrum siliculis obverse-ovatis pedunculatis, *Linn. Hort. Cliff.* 328. Myagrum Turcicum, Pseudo-Linum, *Quorumd.* vulgo *Cameline, Sesame d'Allemagne, ou batard.*

Huic radix est fibrosa, paulisper lignosa, caulem emittens cubitalis longitudinis, & ultra, e quo diversi exeunt ramusculi cylindracei, erecti, nonnihil villosi, medulla fungosa repleti. Prædictus caulis una cum ramis, alternis ornatur foliis longiusculis, acutis, mollibus, nec asperis, ut in Rubia (cui tamen Myagrum Dioscorides comparavit) dilute-viridibus, margine leviter denticulato, latissima basi caulem ita amplectentibus, ut binæ costæ pennulas duas, veluti duas appendices, aut auriculas repræsentent; saporem vero habent leguminosum. Summis ramis parvi, cruciformes ac lutescentes flores e longiusculis caudis propendent, quibus fructus aut siliculæ succedunt, Pyri penne inversi forma, oblongæ, tegumentis, ac intermedio conflatæ sepimento, cui plurima adnectuntur semina longiuscula, triangularia, Nasturtii seminibus exiliora, seminum Fœnu-Græci fere colorem, ac seminum Nasturtii saporem æmulantia, parumper ore detenta mucilaginem quamdam reddentia.

Annua est Planta hæc; frequentissime in agris, in quibus Linum satum fuerit, ac etiam alibi, haud raro in agro Parisiensi inter Secale, Hordeum, & Avenam occurrit.

Agricolæ nostrates, inquit Ruelius, Camelinam probe norunt, ac postquam ejus granum concuterint, ac vel ventilabro, vel cribro mundatum congregaverint, ex eo torcularis ope oleum exprimunt, quo pauperes non in lampadibus solum, verum etiam ad fricturas, aliaque condimenta utuntur.

A nonnullis pro exiguarum avium caveis conclusarum nutrimento diligenter colligitur, ardenter enim aviculæ hoc appetunt. Tragus asserit, ob magnam dulcedinem, hoc ipsum a Græcis cum pane misceri. Ejus Oleum emollit, laxat, ac mediocriter calefit; interne exhibetur, quum potissimum alvus adstricta dolet. Granum Cataplasmatis forma applicatur, non secus, ac Fœnu-Græci, & Lini semen. Planta quoque in Vino ebullita, optima est adversus oculorum inflammationes, ac dolores, quos efficaciter sedat. Joannes

nes Bauhinus quoque asserit, ex Myagro Oleum expressione elici posse, ad emolliendas obliniendasque cutis asperitates aptum. Eodem met Oleo, oris ulcera mundificari a Plinio testatur.

## MYRRHIS.

Botanici non unicam Myrrhis speciem agnoscunt, nos tamen unam solummodo, vulgatiorem videlicet, ac Medicis usitatiorem describemus.

Cerefolium Hispanicum, sive Myrrhis, *Offic.* Myrrhis major, vel Cicutaria odorata, C. B. P. 160. Myrrhis magno semine, longo, sulcato, I. B. 3. 77. Myrrhis, *Dod.* 701. *Cast. Lugd.* Cerefolium Hispanicum, *Tabern. icon.* 93. Apium Anisatum, *Lob.* Cerefolium magnum, sive Myrrhis major vulgaris, sive Cerefolium majus, *Park. Raii Hist.* 431. Myrrhis sativa, *Camer.* Cicutaria tertia, *Cæsa'p.* Chærephyllon maximum, Cicutaria tenuifolia, Myrrhis Italica, *Quorumd* vulgo *Cerfeuil musquè, ou Anisè, Persil d'Asne de Lobel.*

Radicem habet longam, crassam, albam, mollem, veluti fungosam, sapore dulci, grato, aromatico, acriusculo, seminis ejusdem, aut Anisi æmulo; caules vero ramosos, villosos, fistulosos, late sese expandentes, ad quatuor, vel quinque pedum altitudinem; folia magna, ampla, alata, incisa, foliis Cicutę similia, albida tamen, & frequentibus maculis albis conspersa, tactu mollia, nonnihil villosa, Cerefolii vulgaris odorem, coloremque, & Anisi saporem referentia, pedunculis intus cavis appensa. Flores umbellati in caulium, ramorumque summitatibus, quinque inæqualibus foliis, liliaceis, albis, vixque odoris componuntur, quibus bina, simul juncta, magna, oblonga, rostro avium similia, dorso striato, subnigra, saporeque Anisi dulci, ac grato semina subsequuntur. In pratis, ac in hortis præcipue crescit; folia autem, æque ac Cerefolium vulgare comeduntur. Majo floret, Junio, & Julio semen maturum edit. Radix reviviscit, ac vere singulis annis denuo germinare solet.

Planta universa plurimum olei paulisper exaltati, & Salis essentialis habet. Cerefolii hortensis tam ad medicamentarium, quam ad culinarium usum proprietates omnes non habet modo, verum etiam peculiares in ea reperiuntur, quas modo exponemus.

Myrrhis jure, meritoque tamquam bechica incidens existimatur, ejus vero folia in umbra exsiccata, eorumque fumus, ut Nicotianæ fumus exhauritus, Asthmate affectos mirabiliter solatur: ad eumdem præterea morbum debellandum Hydromel conficitur, radice in aqua, ac melle decocta, ac ex eo copiosa expectoratio procuratur. Ejusdem extractum in Infantum Epilepsia cum successu propinatur. Vinum, in quo radix infusa fuerit interne usurpatum, excellens præservativum Pestis tempore a Rajo asseritur, nec non symptomatibus Araneæ morsum quandoque subsequentibus præsto esse. S. Pauli autem radicis decoctionem ex aqua paratam usurpabat in omnibus fere morbis, in quibus malignitatis suspicio aderat. Hæc eadem decoctio Emmenagoga est, ac contra Icterum a mensium suppressione oriundum convenit.

℞. Rad. Myrrhis taleolatim incisar. ℥ j. Coque in aquæ ℔ iij. ad ℔ ii. Adde versus finem Mellis albi ℥ j. Ebulliat aliquantisper, donec despumetur una aut altera vice, vase abducta colatura tepida exhibeatur in Asthmate humido.

MYR-

## MYRTUS.

INter Myrti differentes ſpecies, nos tres ſolum frequentius in Officinis occurrentes hic deſcribemus, Myrtum nempe minorem vulgarem, Myrtum majorem latifoliam, & Gale, ſive Chamæleaganum.

MYRTUS minor, *Offic.* Myrtus minor vulgaris, C. B. P. 469. *Lob. icon.* 127. Myrtus Tarentina, I. B. 1. 512. *Cluſ. Hiſt.* 67. Myrtus minor, *Park. Raii Hiſt.* 1503. *Dod. Adv. Pen. & Lob.* vulgo *Myrte, ou Meurte commun, petit Myrte de Provence.*

Radix dura, lignoſa, ac vix profunda ramulos propellit numeroſos, flexibiles, quamplurimis ornatos foliis, Buxo ſimilibus, exilioribus, acuminatioribus, tactu lævibus, læte-viridibus, lucidis, expolitis, atque odoriferis. Hæc inter flores apparent quinis conſtantes petalis roſaceis, albis, odoris, multifido calyce ſuffultis; interior eorum pars a numeroſis, gratique odoris ſtaminibus occupatur. Marceſcente flore calyx in baccam ovalem, aut oblongam immutatur, ſpecie quadam corollæ ornatam a calycis diviſionibus efformatæ, Bacca hæc viridis ſtatim apparet; nigricans vero dum matureſcit, atque interne in tres dirimitur cellulas, albis, duris, creſcentem Lunam, aut potius exiguum renem æmulantibus ſeminibus refertas. Planta univerſa adſtringenti guſtu prædicta inter hortenſes colitur in calidis præcipue regionibus, ac in Meridionalibus, in quibus odoratior eſt, præ aliis Galliæ temperatis Provinciis.

Hæc Myrti ſpecies omnium eſt vulgatiſſima in hortis regionum Septentrionalium, facile enim taleis multiplicatur, facileque reſiſtit, dummodo Hyemis tempore loco clauſo ſervetur, glacie namque perit, ac prædicto adminiculo deſtituta diutius perdurare in frigidis regionibus neutiquam poteſt, dum e contra in calidis, Italia ſcilicet, Hiſpania, & Provincia abſque ulla cultura abunde ac ſponte apparet. Ob frondes perpetuo virentes, gratumque odorem jure, ac merito exiſtimatur, atque expetitur. Flexibilis adeo, ac cultori ſuo obtemperans eſſe ſolet, ut quamlibet figuram repræſentare commode poſſit. Quum autem magno frigore lædatur, idem quoque de excedenti calore dici debet. Flores juxta diverſa climata, in quibus creſcit, citius aut ſerius, plerumque vero Junio, & Julio emittit; in Anglia admodum raro fructum ad maturitatem perducit. Myrtus aſſiduam amat cæſuram ſicque ad majorem altitudinem perducitur; aliter in denſam, ac confuſam ſylvulam degenerat.

Variis tam funeſtis, quam lætis de cauſis Myrtus antiquitus uſurpabatur, & præcipue pro coronis. Omnes ejuſdem Medicæ facultates, a vi exſiccante, ac reſolvente, & odoris ſuavitate dependent. Folia, ac flores qualitate donantur adſtringenti, ac ad cutim detergendam, atque expoliendam, ad conſolidandas carnes, fibraſque roborandas adhiberi ſolent. Diſtillatur aqua, *Eau d' Ange*, nuncupata, aqua ſcilicet Angelica, qua, ob odoris fragrantiam admodum exquiſita, Matronæ utuntur. Baccæ Myrti, vocantur Myrtilli; nobis vero uſitatiores ſunt e regionibus calidis allatæ, e plurimis Myrti ſpeciebus collectæ, Soliſque calore exſiccatæ, a quo corrugantur, atque deformantur: Seligendæ ſunt recentiores, grandiores, ſicciores, nigræ, ſaporeque adſtringenti; plurimum olei, ſaliſque eſſentialis continent, detergentes, adſtringentes, roboranteſque ſunt, ac in

quam-

quamplurimis externorum remediorum formalis, ac interne usurpantur: Olim, inquit Plinius, Myrti Baccæ, ante Piperis inventionem, ejusdem locum occupabant, præstansque condimentum (quod suis etiam temporibus *Myrtatum* nuncupabatur) ab iis nomen mutuavit. Exquisitiores tinctus easdem excepisse certum est. Belonus refert, Illyricos, coria foliis Myrti perficere, non secus, ac Macedonienses Sumach, Ægyptii Acaciæ siliquis, Asiæ Minoris incolæ glandium Quercus calycibus, Galli intermedio ejusdem arboris cortice, Phrygii Pinus sylvestris cortice. Idem Auctor observavit, in Myrto granum coccineum, Kermes grano similem progigni, in quo vivum, exiguumque Insectum occluditur.

Myrti minoris proprietates pro usu Medico eædem fere sunt, ac Myrti majoris.

Myrtus, seu Myrtus major, *Offic.* Myrtus communis Italica, C. B. P. 468. Myrtus vulgaris nigra, & alba satira, & sylvestris, J. B. 1. 520. Myrtus Bœtica sylvestris, *Ger.* Myrtus latifolia vulgaris, *Park. Raii Hist.* 1502. vulgo *Grande Myrte a large feville.*

Species hæc quandoque ad arboris altitudinem excrescit, ramos habet flexiles, corticem rubrum, folia paulisper longa, perpetuo viridia, foliis Mali Punicæ similia, diversis in truncis modo nigricantia, modo albidiuscula. Flores quinque petalis constant rosaceis, albis, odoris, ut in reliquis speciebus, quibus baccæ oblongæ succedunt, quæ ad Oleas sylvestres quodammodo referri possunt; ceterum grandiores sunt in truncis culturæ subjectis, quam in sylvestribus, in quibus albus, nigerque color simul apparet.

Myrtus major in Ætruria, atque in agris Romano, atque Neapolitano abundat, ac in Provincia inter sepes conspicitur. Anguillara opinatur, Myrtum albam neutiquam speciem esse a Nigra distinctam, ac sola coloris varietate discrepantem: utraque vero vulgatissima est in Italia. Belonus juxta Mare Alexandrinum iter faciendo observavit Myrtos nigras demissas exilesque admodum, utpote assidue a ventis marinis agitatas. Myrti maritimis locis magnopere delectantur; & hæc potissima ratio fuit, cur Veneri, juxta Poetarum figmenta, e mari progenitæ, dicatæ fuerint.

Myrtum flore duplici adeo a curiosis expetitum, nihil aliud esse, nisi hujusce varietatem Rajus existimat. Nulla fortasse planta invenitur, quæ majorem florum numerum efferat, quique per tam longum tempus perdurent, quandoque scilicet trium mensium spatio, & adversus pruinam persistunt. Fere nusquam floribus destituta invenitur, primi enim novissimis subsequuntur. Raro abit in semina, uti in fere omnibus plantis flore duplici donatis usuvenit.

Universa Myrti Planta maximam olei aromatici, pluribus terrestribus particulis commixti portionem continet, unde adstringentem habet facultatem, & ad quoscumque fluxus sistendos dicatur. Non foliis solummodo, verum etiam tam interne, quam externe baccis utimur. Syrupus simplex cum ejusdem fructuum succo paratus præcipue usurpatur ab ℥ ß. ad ℥ j. in julapiis, & potionibus adstringentibus, & refrigerantibus, adversus ventris fluxus, & ad hæmorrhagias, fluoresque albos sistendos. Baccarum Extractum a Pharmacopolis Myrtillorum nomine cognitum ʒ ij. iisdem in morbis exhibetur, nec non ad stomachum roborandum. Decoctio, aut Aqua distillata foliorum Myrti detergens est, adstringens, partes omnes, ac gingivas præsertim

cor-

corroborans, ac pro Gargarismate in omnibus faucium morbis apta. Eadem decoctione fomenta utilissima parantur in nervorum contusionibus, ac luxationibus. Vinum cum Myrti baccis ebullitum adversum ructus acidos, singultum uvulæ prolapsum, ani, uterique procidentiam in pretio habetur. Oleum etiam Baccarum infusione in oleo paratur, quod *Oleum Myrtyllorum* appellatur, ab eo diversum simplici foliorum infusione confectum, *Oleum Myrti* nuncupatur. Utraque externe usurpantur, ac primum ad membra præsertim roboranda, ac pro linimento etiam regioni stomachi in vomitu, ventrisque fluxu applicatur, uno verbo tonum, vimque partium elasticam restituit, ac roborat.

Baccæ Myrti Syrupo Myrti composito *Mesuæi* denominationem dederunt, & in confectione Syrupi roborantis *Charas*, atque in Unguento styptico Fernelii ingrediuntur; Syrupus vero simplex in pillulis adstringentibus *Pharm. Paris*.

℞. Sem. Cydonior. excort. ℥ j. Conservæ Rosar. rubrar. ℥ ß. Flor. Mali Punicæ ʒ j. & Syrupi Myrti q. s. ad Electuarium conficiendum ʒ j. de die repetendo in Diarrhæis, aut Vomitibus a ventriculi debilitate oriundis.

℞. Baccar. Myrti, Cortic. Malor. Punicor. Gallar. Cypri, & Aluminis ana ℥ j. Contunde & infusa in Vini rubri optimi aut Aquæ Fabor. ferrarior. ℔ ij. supercinerarium calidum per noctem relinque. Coque deinde ad quartæ partis consumptionem. Exprimatur liquor, & ad usum servetur. In ani, atque uteri prolapsu, & vaginæ relaxatione adhibitus utilis admodum experitur, relaxatas partes mane ac sero repetitis vicibus madefaciendo.

Gale, sive Chamæleagnus, *Offic.* Rhus myrtifolia Belgica, C. B. P. 414. Gale frutex odoratus, septentrionalium, J. B. 1. 225. Elæagnus, *Cord.* Chameleagnus, *Dod.* 768. Myrtus Brabantica, *Ger.* Rhus sylvestris, sive Myrtus Brabantica vel Anglica, *Park. Raii. Hist.* 1707. Rhus sylvestris altera, *Lugd. Hist.* Rhus herba, *Plinii Clus. Hist.*, Thee Europeum, aut nostras, *Sim. Pauli.* Gale florifera & fructifera, *Vaill. Bot. Par.* 77. Myrica foliis lanceolatis fructu sicco, *Linn. Flor. Lappon.* 297. Pseudo-Myrsine, sive Pseudo Myrtus, *Quorumd.* vulgo, *Piment Royal*.

Gale planta est lignosa, & sarmentosa, aut exigua Arbuscula, radicibus duris, ac flexibilibus, quæ ad cubiti altitudinem, & ultra elevatur, exilemque Salicem apte æmulatur; caules habet minutos, binos, aut tres quandoque, raro admodum quatuor pedes altos, ramosos, subrubrum ac expolitum corticem gestantes, foliis ornatos alternis, Vitis Idææ, aut potius Myrti foliis perquamsimilibus, longioribus, minus acuminatis, lævibus, atque expolitis, aliquando albidiusculis, in aliquibus tantum individuis ruditer denticulatis, odore aromatico & balsamico. Flores suis quinque receptaculis in ramorum summitatibus, ut in Betula continentur, breviores tamen sunt, racemisque squammosis dispositi, rufescentes, perlucidi. Trunci vero hisce pseudo-floribus prædicti fructus neutiquam ministrant; suppeditantur vero ab aliis individuis, racemis constantes, quamplurimis referti minutis, pinguibusque seminibus, odoris penetrantis, parvis squammis in eorum superficie quaquaversum locatis. Planta tota odorosa est.

Chamæleagnus inculta, Ericæisque plena, aquatica, & paludosa diligit loca; Majo, & Junio florescit, ac Julio, & Augusto semen ad maturitatem per-

perducitur. In agro Parisiensi occurrit, & præcipue in pratis humidis *S. Leger*, aut Versalia exacta; quondam notissima erat; ejus enim rami plaustribus Lutetiam sæpius afferebantur, a mulieribus in armariis inter lintea ac suppellectiles reponendi; verum hisce diebus quibusdam exceptis suffimentis fere nusquam usurpatur. Concives suos per Æstatem, ramis, ac foliis ejusdem ob fragrantissimi odoris halitum domuum cubilia exornasse, atque in arca inter vestes, non solum ad eas grato odore perfundendas, verum etiam ad tineas profligendas, reposuisse, Rajus testatur. Nonnulli flores prædictos in Cerevisia, Lupuli loco, decoquere solent; ab his autem inebrians Cerevisiæ facultas adaugetur, ac ad caput tentandum efficacior redditur. Serpentes nusquam in sylvis repere, in quibus Chamelæagnus excrescit, neque ad eas accedere audent, inquit S. Pauli. Hisce diebus foliis arboris Theæ nobis e China allatis, ac probe notis, aqua aut ebullitis, aut infusis, parumper sacchari addito, potio paratur haud ingrata, & sana, similem quoque foliis Gale confici posse fertur. S. Pauli vero testatur, Chamelæagni folia esse genuina Theæ folia adeo in pretio habita, ac e tam longinquis regionibus allata: verum juxta Rajanam sententiam stulte admodum decipitur, Theæ enim arbor, a Gale ita differt, ut China ab Europa distat. D. Linnæus cum aliis quamplurimis in eadem est sententia.

Magna hujusce Plantæ amaritudo, resolventem, dissecantem, & roborantem eam efficit: haud frequentem tamen usum habet, ac contra vermes solummodo, quos, aut ob maximam amaritudinem ipsi adversam, aut mucilaginosos humores, in quibus ova stabulantur, resolvendo, enecare solet. Hac de causa interne, ac externe usurpatur, aut pulveribus, aut Opiatæ vermifugæ permixta, aut Cataplasmate eumdem in scopum ex ea applicato. S. Pauli asserit, Unguentum pulvere Gale cum butyro, Majo confectum adversus scabiem contumaciorem in Norvegia excellere. Folia in umbra exsiccata in Theiformi infusione adhiberi possunt. Potio hæc ad stomachum roborandum, ac præcipue a viscidis humoribus, ac pituita nimia copia excedente, exonerandum aptissima recensetur.

℞. Summit. Gale, Tanaceti, Corallinæ, & Æthiopis mineralis ana ℥j. M. cum Syrupo Absinthii, ut Opiata vermifuga conficiatur a ℈j. ad ℈ij. mane, jejuno stomacho, Bolo nebula obvoluto convenienti temporis spatio repetito, sumenda.

*Cataplasma contra Vermes.*

℞. Fol. Absinthii Man. j. Summitat. Gale ℥ ß. & Bulb. Allij N. ij. Ebulliant in lacte ad Cataplasmatis consistentiam, regioni umbilicali calide applicetur splenio quadrifariam complicato, fasciisque alligato.

## N A P E L L U S.

NAPELLUS verus, *Offic.* Aconitum cæruleum, seu Napellus 1. C. B. P. 183. *Inst.* R. H. 425. Aconitum magnum purpureo flore, vulgo Napellus, J. B. 655. *Raii Hist.* 702. Napellus, *Dod. Pempt.* 44. Napellus verus cœruleus, *Ger.* Napellus verus flore cœruleo, *Park.* Napellus vulgaris, *Lob. icon.* 679. Aconitum cœruleum, seu Napellus cum cæsiis muscis, *Thal.* Aconiti altera species cœruleo flore, *Gesn. Hort.* Aconitum foliorum laciniis linearibus superne latioribus linea exaratis, *Linn. Hort. Cliff.* 214. Cucullus Monachi, vul-

paria, Luparia, nigra seu Lupi radix herbariorum, vulgo *Napel*, *Aconit ou Tue-loupbleu*, *Coqueluchon*, *Capuchon ou Capuce de Moine*, *Madriettes*.

Radicem habet crassitiei parvi Napi, externe nigram, interne albidiusculam, alios parvos Napos lateraliter quandoque emittentem, quæ plures caules, ad trium pedum, & ultra, altitudinem propellit rotundos, plerumque expolitos, medulla repletos, rigidos, fractu difficiles, a basi ad verticem usque foliis ornatos amplis, subrotundis, alternatim, aut potius inordinate dispositis, longis, tubularibus caudis appensis, atro-viridibus, lævibus, nervosis, in plures angustas, aliisque omnibus Aconiti speciebus acuminatiores partes profunde divisis, subdivisisque. E caulium summitatibus plures exeunt flores, veluti spicei, pedunculo pollicem longo suffulti, quinis inæqualibus constantes petalis, quorum supremum ad modum galeæ, aut cuculli Monachi cavum, duos veluti recurvos baculos abdit, folia vero bina lateralia latiora auriculas, & bina inferiora humanam faciem repræsentant, colore cæruleo radiato, pilis interna in parte locatis; tandem in fructus pluribus thecis, aut vaginis membranaceis ad capitis modum dispositis abeunt communiter tres, vel quatuor, & ultra, oblongos, læves, ac plurima minuta semina, per maturitatem nigra, angulosa, & rugosa occludentes.

Planta hæc in Alpibus, in *Nigra* Sylva, in Silesia, & alibi montanis in locis sponte enascitur, ac in hortis colitur. Flores Majo & Junio, ac quandoque serius in frigidis regionibus, semen autem Augusto largitur. Si Joanni Bauhino fides præstanda est, prudentissimum erit, ejusmodi mortale venenum e nostris hortis exulare, quum præcipue in tam magno, & abundanti gratorum, salutarium, utiliorumque florum numero, habeamus facile, unde feralis Napelli defectus compensetur. Ejusdem radix vivacissima est adeo, ut in hortis, & viridariis traducta, quamvis despecta, atque neglecta, pullulet, & diutissime conservetur.

Botanici omnes, qui de Aconito verba fecerunt, consentiunt, inter venena, quæ e Vegetabilium familia desumuntur, Napellum periculosiorem semper fuisse existimatum: singulæ itaque ejusdem partes perniciosæ sunt, inter eas vero radix eminet, quam aliquo tantum spatio temporis manibus contrectatam, mortem inferre a nonnullis asseritur. Quamobrem summe caustica, & corrosiva censeri debet, brevi enim inflationes, inflammationes, convulsiones, gangrænam, & mortem interne exhibita progignere potest. Matthiolus historiam narrat nocentis rei capitis, cui radicem hanc edendam propinarunt, ut Antidotum aliquod adversum hocce venenum propositum experiretur: infelix hic Piperis gustum paulo fortiorem in ea statim invenit, binis exactis horis, vertigine, ac tam validis cerebri commotionibus correptus fuit, ut caput aqua ferventi plenum gestare sibi videretur; postea generali totius corporis inflatione superveniente, facie livida, ejus oculi, horribili modo, extra orbitam exire videbantur, demum mortales convulsiones vitæ, speique nocentis finem dederunt. Antuerpiæ etiam, inquit Diodonæus, experimento evidenti, atque fatali, cujus adhuc viget recordatio, Napelli pernicies cognita fuit: a nonnullis enim incautis ejusdem radices in acetario fuerunt immixtæ, omnesque, qui ex eo comederunt, crudelioribus symptomatibus correpti vitam cum morte statim commutarunt. Tournefortius quoque asserit eadem in urbe, Gallos Napelli radices in acetario pariter sumpsisse, omnesque, binis elapsis diebus, fato functos, duo-

duobus naviculariis exceptis, qui eas vomitu ejecerunt. *In Cicutæ aquaticæ Historia* Wefperus narrat, Lupum fecuiffe Napello venenatum, atque inteftinum duodenum inflammatum, fphaceloque correptum inveniffe; deinde addit peftis tempore, nonnullos ad Vefcitaroii modum hac planta tufa ufos fuiffe, hinc una cum fupra recenfitis, ejus cauftica, & corrofiva qualitas evidenter demonftratur. Dubitandum ergo merito erit, utrum in Napello ulla Medica virtus inveniatur; tamen quum quotidie videamus, eamdemmet plantam juxta ejus diverfas præparationes bonos ac pravos effectus producere, uti in Aro accidit, cujus radix recens corrofiva eft, & ficca inter præftantiora ftomachica recenfetur, quumque remedium quadam dofi exhibitum, periculofum fit venenum, idemque minori dofi admirabiles effectus progignat, uti de Opio, & Cantharridibus fuccedit; neutiquam inde ftatuendum eft, plantam pravis præditam proprietatibus, optimas fimul etiam habere non poffe, quod de facto in Napello contingere autumant qui nonnullas habere Medicas haudignobiles facultates dicunt. Avicenna afferit, radicem Napelli exficcatam, ac melle fociatam, infigne remedium effe, Linimenti forma adverfum impetiginem. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria prima anno 2. Obfervatione* 41. narratur, Doctorem Bernardum de Berniz, hominem agnoviffe, qui radicem Napelli ℥j. in tertianis, quartanifque febribus, & quidem cum fucceffu præfcribebat, eamdemque plantam ex uno in altero transfufam locum, E. G. ex Alpibus in hortum, veneficam amittere proprietatem, in Septentrionalibus regionibus nequaquam inter venena recenferi, ut in Italia, regionibufque calidis, ac demum diverfa præparatione, mutari facile poffe. Alii etiam in eadem funt fententia, & præ aliis Joannes Faber, qui afferit Cicutam & Napellum Meridiem verfus, & in Pyrenfis veneficas plantas omnem malignitatem deponere, fi in Septentrionalibus plagis, locifque humidis transferantur. Ego tamen, inquit Rajus, nollem Napelli in hortis culti facultates in memet ipfo experiri, fruftulum enim a me manfum exiguo ftupore linguam affecit; ftupor hic tamen ftatim non percipitur. Joannes Boeclerus qui *Materiæ Medicæ* D. Hermani finem impofuit in eadem eft cum Rajo fententia Gefnerus afferit, vidiffe Pharmacopolas in Sabaudia radicem Napelli Hellebro nigro fubftituentes, & Sylvius, in Gallia a nonnullis idem perpetrari queritur. Error autem ortum duxit ob nigrum radicis Napelli colorem, ejufque violentiffimam vim catharticam ad Hellebori apud ipfos non extantis fimilitudinem; Gefnerus addit, a Napelli feminibus manfis vehementem expuitionem excitari; expertumque fuiffe ejufdem radicem adurenti Pyrethri, & Staphifagriæ fapore palatum afficere, tufam vero ingratum, ac naufeabundum odorem emittere, melque ex hac planta, non fecus, ac e floribus Nerion elicitum, veneficum effe, tamen pluries ejus flores guftaviffe, qui dulces femper fibi vifi funt, quinetiam eos fæpius vidiffe ab Apibus, & Vefpis delibatos, quæ nihilominus plantæ contactum diligenter vitabant. Joannes Bauhinus afferit a Matrona accepiffe, plures pullos quondam Napello faturatos, fuiffe emortuos, exceptis iis quibus propinatum fuit Allium aceto fociatum. Saxonia refert, Germanum Medicum extitiffe, qui omnes pefte affectos fanabat, Veficatorio, radice Napelli, parato, a quo omne peftis venenum attrahebatur. Melchior Fricius Ulmenfis Medicus in Tractatu, cui titulus *Paradoxa de Venenis*, Napellum in cutaneis quibufdam morbis, ac intermittentibus febribus extollit.

Ceterum quum post Theophrastum ad hance usque diem, Aconitum cæruleum, tanquam in omnibus suis partibus periculosum, fuerit reputatum, quumque e contra plantæ extent facultatibus præditæ nequaquam incertis adversum præcipue omnes morbos, in quibus Napellus usurpari posset, hinc a prudentioribus Medicis omnino proscribetur, donec aliquo fortuito eventu, ejusdem Medicæ proprietates, ulterius potiorique ratione extricentur, ablegatis infidis semperque damnandis in hominibus experimentis.

Quæcumque animalia a Napello enecantur, secus ejus causa facile in phthisim incidunt. Priscis temporibus succi hujusce plantæ veneno tela inficiebantur, quo, animalium carne teneriori, delicatiorique effecta, curabatur, ut vulneris circumferentia late excideretur. Leones quoque, Tigres, Leopardi, Pantheræ, Lupi, Lynces, & Ursi, Napello gratiori pabulo permixto, destruebantur.

Quoad remedia venenum hocce adversantia, ab Emethico prompte exhibito inchoatur, abundanti lactis, atque butyri una ebulliti potione subsequente, Theriacæ, Orvietani, aut Mithridati bolo curationi finis imponitur, quibus addi possunt sales volatiles Viperæ, Cornu Cervi, Salis Ammoniaci, non solum ad stomachum a veneni efficacia, ac vomitu debilitatum, roborandum, verum etiam ad noxias particulas in sanguinis massam deductas transpirationis ope eliminandas.

*Linimentum contra Impetiginem.*

℞. Rad. Napelli exsicc. & p. q. l. M. cum s. q. Mellis, ut Linimentum conficiatur. Scabiosæ partes, forti decoctione radicis Malvæ, & Altheæ in Ægroti urina parata, antea mundatæ eo confricentur, quod usque ad sanationem repetatur, advertendo, ut ægri pluries interim purgentur.

## N A P U S.

IN re Botanica, ac in Officinis NAPUS in duas dividitur species, videlicet in sativam, & sylvestrem.

Navus vulgaris, *Offic.* Napus sativa radice alba, C. B. P. 95. Napus, J. B. 2. 842. *Raii*, *hist.* 801. *Dod. Pempt.* 674. *Inst.* R. H. 229. Rapum sativum alterum, & Napus veterum, *Trag.* 730. Bunias, sive Napus, *Adv. Lob. icon.* 200. Bunias, *Ger.* Napus hortensis, Napus domestica, Herbariorum, vulgo, *Navet domestique*.

Radice donatur oblonga, rotunda, in parte superiori crassa, minus tamen Rapa, carnosa, & tuberosa, versus inferiorem partem exiliori, alba aut lutea, aliquando æstus nigricanti, intus alba, sapore dulci, atque acri, grato, & Raphano suaviore, ac dulciore. Caulem propellit cubitalem, & ultra, ramusculis distinctum; folia oblonga, profunde incisa, scabra, viridia, pedunculis destituta, aut membranaceis pedunculis appensa; inferiora vero sinuosa, & acuminata, caulem amplectentia, ac juxta Lobellium, Rapæ foliis minus rudia; florem tetra-petalum, cruciformem, ac flavum, adinstar florum Brassicæ, in siliquam abeuntem pollicem circiter longam, rotundam, in duas cellulas divisam seminibus plenas admodum crassis, semirotundis, rufescentibus, sub-purpureis, sapore acri, pungenti, & amaricante. Ejus vero acrimonia, quamvis Sinapi accedat, minor tamen deprehenditur.

In

In hortis, & arvis feritur, coliturque. Napi radices calidiores funt radicibus Rapæ: ceterum iifdem fere facultatibus pollent, parique ratione culinario ufui accomodantur. Napus ope feminis multiplicatur, folumque leve, ac fabulofum amat, quandoque etiam in folo forti, dummodo probe colatur, optime excrefcit. Plures ejus funt fpecies, aliæ fcilicet craffæ; aliæ exiles: exiliores optimæ, delicatiores, magifque palato gratæ reputantur. Parifiis Napi plurimum exiftimantur, ac præcipue e *Vaugiard*, ac *Freneufe* prope Pifciacum allatæ, quamplurimæ etiam reperiuntur omnino infipidæ, hac de caufa pro nihilo reputatæ. Galenus nullum intercedere facit difcrimen, inter Napum, & Rapam.

Napus maximam phlegmatis, olei, & falis effentialis portionem continet: radix ac femen a Medicis adhibentur. Radicis autem culinarius ufus vulgatiffimus eft, ideoque filentio prætereundus. Hic folummodo animadvertemus, Napum flatulentam effe, ac difficilis digeftionis, utpote vifcido, craffoque fucco faturatam, hinc debilibus, flatibufque obnoxiis ftomachis inhibenda. Quoad Medicos attinet ejufdem decoctionem ufurpant in jufculis pectoralibus Tuffi inveteratæ, Afthmati, ac Phthifi præfertim convenientibus; blande enim pulmones abfque ulla irritatione detergendo expectorationi favet. Paratur etiam fequenti ratione Syrupus pectoralis, maxima iifdem in morbi efficacia donatus. Recipitur ergo quantumlibet Napi deterfæ, ac taleolatim incifæ, vas cretaceum adimpletur, pafta obducitur, poft panis cocturam clibano committitur, xij. aut xv. horarum fpatio; jus deinde e vafis fundo fegregatur, ac pro ejus ℥ jv. Sacchari cand. p. ℥ j. admifcetur; cochleare j. cumulatum aut folitarie fumitur, aut una cum cyatho ptifanæ, aut aquæ fimplicis, nonnullis de die vicibus repeti poteft; Syrupus hic præ aliis antiquis in rheumaticis affectionibus convenit.

Extrinfecus etiam radix eadem rafa Cataplafmatis forma ufurpatur ad digerendum, refolvendum, dolorefque mitigandos.

Napi femen, tanquam incidens, aperiens, urinas fciens, adverfus Icterum aptum perfpiratione pravos humores educit. Hinc cum fucceffu in malignis, ac exantematicis febribus in ufum revocatur, dummodo febris mediocris fit, & humor ad cutim effufus non fatis abunde pro ægri utilitate fegregetur.

℞. Sem. Napi tuf. ʒ ij. Infundantur per noctem fuper cinerarium calidum in cyatho vini albi. Exprimatur pro dofi, mane per dies ix. jejuno ftomacho in Ictero, ac Renum, Hepatifque anfartubus propinandas.

℞. Capas albas nu. vj. Mediam capitis vitullini partem, Napos excorticatos, & in taleolas incifas nu. xij. & Sacchar. cand. ℥ j. Coque in aquæ ℔ vj. ad tertias. Fiat deinde colatura abfque expreffione, & in quatuor dofes dividatur per biduum mane jejuno ftomacho, atque hora fomni fumendas. Repetatur vero juxta exigentiam in pectoris doloribus oppreffione, tuffique pertinaci comitatis.

Bunium, feu Bunios, *Offic*. Napus fylveftris, C. B. P 95. I. B. 2. 843. *Raii Hift.* 802. *Inft.* R. H. 229. Buinas fylveftris, Napus flore luteo, *Lob. icon.* 200. Buinas, five Napus fylveftris noftras, *Park.* Buinas fylveftris, *Lobelii*, *Ger.* Napus fylveftris, *Dod.* Napi alterum genus fylveftre, *Fuchs*. Rapum longum minus, *Tabern. icon.* 406. Braffica radice caulefcente fufiformi, *Linn. Hort. Cliff.* 339. Navetta, *Ruell.* Navetta vulgaris, Rapum fylveftre, *Quorumd.* vulgo, *Navet fauvage*.

Secunda hæc Napi ſpecies radice ſolummodo differt a præcedenti. Exilior enim eſt, vixque pollicem excedit, rotunda, acris, ac quidpiam ſylveſtris ſapit, Flos, vero luteus aliquando etiam albus eſt, ſiliquæ, & ſemina, Napi ſativæ ſiliquis, ac ſeminibus fere ſimilia ſunt folia magis quam in altera ſpecie inciſa apparent, neque cauli, ullo pariter pedunculo, appenſa ſunt. Napus ſylveſtris folio magis Braſſicæ, quam Rapæ, ſimilatur, & folia inferiora, quæ e radice exeunt, ſaltem ſuperne rudia nonnihil ſunt. Inter ſegetes ſponte creſcit, in ageribus, & marginibus foſſarum. Aprili, ac Majo floret, & quamplurima emittit ſemina. Semen hocce in Theriaca ſub nomine *Seminis Buniados* uſurpatur.

Eadem principia Chymica ex ea eliiciuntur, ac ex Napo ſativa. Semen eaſdem quoque poſſidet facultates; tamen præcedenti præfertur; huic enim alexiteria qualitas tribuitur, qua potiſſimum in Theriacæ Andromaci conpoſitione admiſcetur. Nullibi ignoratur pamplurimas ſpecies parvarum avium nempe Spinum, ſive Ligurinum, Carduelem, Oegitum, Frigillam, alioſque ſimiles, hoc ſemine enutriri. DD. Raius, Garidelius, & alii quamplurimi tradunt, hoc ſemen eſſe *Naavette*, *ou Navuce*, vocatum, ex quo oleum expreſſione elicitur ad lucernas aptum, & a pileorum opificibus ſuis in operibus uſurpatum; verum D. Lemeryus in ſuo *Dictionario Aromatum ſimplicium* obſervat, ſemen *Nvvette* appellatum, non ſemper eſſe Napi ſemen, ut quamplurimi exiſtimarunt, atque ſæpe ſæpius ſemen eſſe ſpeciei cujuſdam Braſſicæ, quæ in Belgio *Colſa* nuncupatur, quæque hance ob cauſam in Normandia, Brigenſi ſaltu, Belgio, & Hollandia colitur; quamvis etiam, & altera Napi ſpecies ſeratur, ad Oleum eliciendum. Hoc Oleum reſolvens, & temperans eſt externe; raro tamen interne a Medicis uſurpatur.

℞. Sem. Napi ſylveſ. ℥j. Leviter in mortario marmoreo tuſis paulatim, ſuper effunde aquam Scorzoneræ, aut Cardui Benedicti. Coletur poſtea per linteolum pro emulſione ad morbillorum, & valriolarum eruptionem adjuvandam, atque adverſus febres malignas.

## NARCISSO-LEUCOJUM.

Leucojum bulboſum, viola alba *Offic.* NARCISSO-LEUCOJUM vulgare, *Inſt. R. H.* 387. *Raii Hiſt.* 1144. Leucojum bulboſum vulgare, C. B. P. 55. Leucojum bulboſum Hexaphyllon, cum unico flore rarius bino, I. B. 2. 590. Leucojum bulboſum, Hexaphyllon, *Dod. Pempt.* 230. Leucojum bulboſum, ſerotinum, *Ger.* Leucojum bulboſum, præcox, majus, *Park.* Leuconarciſſolirion pratenſe vernum. *Adv. Lob.* Viola alba bulboſa, *Fuchſij*, *Ludg. Hiſt.* Viola alba, *Theophr.* Februarii flos, Herbariorum, vulgo *Perce-Neige*, *Baguenaudes d' Hiver.*

Ejus radix bulboſa, plurimis tunicis albis, excepta parte externa, quæ fuſca eſt, conflatur, inferne vero albicantibus fibris donatur, ſaporemque habet admodum viſcoſum, abſque ulla fere acrimonia. Tria, quatuor, aut quinque emittit folia latiſſima, ſaturate viridia, expolita, lucentia, & porro ſimilia, quæ inter caulis dimidium pedis altus elevatur, anguloſus, ſtriatus, cavus, una cum foliis ad medietatem uſque vagina quadam alba; indutus comuniter unum tantum habet florem aliquando duos, raro tres. Flos hic frequentius ſenis foliis donatur quandoque ſeptem, & octo, quod a ſoli ferti-

fertilitate dependet; ea autem pendentis campanulæ more diſpoſita, ſunt alba, fere acuminata, macula virideſcenti extus ſignata, ac nonnihil intus reflexa, odorem neutiquam ingratum, fundunt juxta Fuchſium Violæ martiæ, & juxta Cluſium Oxyacanthæ proximum.

Deciduo flore calyx in membranaceum commutatur fructum, tribus angulis diſtinctum, pyriformem, interne tribus præditum concamerationibus plenis ſeminibus fere rotundis, duris, albo-luteis.

Narciſſo-Leucojum vulgare ſponte in pratis humidis quibuſdam montibus, nemoribus umbroſis, ſepibuſque creſcet; Februario floret, atque Majo evaneſcit, radix tamen in terra ſubſiſtit, adinſtar Narciſſi. Suis bulbis multiplicatur; frequentiſſime etiam in hortis ob florem præproperum coli ſolet.

Plurimum olei, & phlegmatis, parumque ſalis continet. Excepta radice, nullus eſt apud Medicos ejuſdem uſus; Emeticum mitiſſimum miniſtrat, quod fortuito detectum fuit, ut in fere omnibus naturæ inventis ſuccedit. *In Emphemeridibus Germanicis anni* 1727. *pag.* 286. Michael Valentinus obſervationem memoriæ prodidit, qua narrat ab Agricola in Urbe bulbis Violæ albæ, adinſtar parvarum Ceparum, venditis, omnes, qui ex iis comederunt, vomitu correptos fuiſſe nullo tamen moleſto ſymptomate ſubſecuto, ita ut in caſibus, in quibus evacuatio hæc convenit, commodiſſime iis uti poſſimus: hi itaque plebeculæ, rurique degentibus, utpote vulgatiſſimi, apprime utiles eſſe poſſunt. Si Paulo Hermanno fides præſtanda eſt, radix hæc præterea emolliens, digeſtiva, ac reſolvens eſt: in Vino, aut Cereviſia ebullita optima eſt adverſus Febres, non ſecus ac flores adverſus Cataractam, ſi eorum aqua diſtilletur; quin etiam aqua hæc eadem ſtillatitia valet contra maculas illas lenticulas appellatas. Schvvenckfeldt addit, flores hujuſce plantæ in Vino decoctos, contra lumborum dolores adhiberi poſſe.

## N A S T U R T I U M.

NASTURTII nomine quatuor, aut quinque plantæ, etſi diverſi generis, hic loci a nobis in medium adducentur, Naſturtium hortenſe, videlicet Naſturtium verrucarium, Naſturtium aquaticum, & Cardamum, ſive Naſturtium Indicum.

Cardamum, ſive Naſturtium hortenſe, *Offic.* Naſturtium hortenſe, vulgatum, C. B. P. 103. *Inſt.* R. H. 213. Naſturtium vulgare, I. B. 2. 912. Naſturtium hortenſe, *Dod. Pempt.* 712. *Ger. Park. Raii Hſt.* 825. *Trag. Fuchſ. Lugd. Hiſt.* Naſturtium noſtras, *Camer. Hort.* Cardamon, Naſturtium hortenſe. *Lob.* Creſſio vulgaris, Herbariorum, vulgo, *le Creſſon Alenois, ou cultivè, le Naſitor.*

Radix ſimplex eſt, lignoſa, alba, capillitio ſtipata, neque adeo mordax, uti folia. Unum, aut plures ad altitudinem pedis, aut pedis cum dimidio emittit caules rotundos, leves, ſolidos, ramoſos, ſpecie quadam pulveris ſub-cæruli, facillime decidentis obtectos. Folia oblonga ſunt, profunde inciſa, guſtu acri, haud quaquam ingrato. Exigui flores ſummis caulibus ramiſque quadripetali, ac cruciformes apparent albo-purpureſcentes, brevibuſque pedunculis ſuſtinentur, abeuntque in parvos fructus ſemirotundos, planos, binis cellulis diviſos duobus inſtructis ſeminibus ſemirotundis rufeſcentibus, ac mordicanti ſapore præditis.

Pro acetariis planta hæc in hortis colitur, atque Hyeme ſemper viridis

 conſer-

conservatur. Vere autem seritur, tunc autem tenerior esse solet. Nasturtium hortense Æstate florescit, præsertim Majo, & Junio.

Authores duas Cardami species, aut potius varietates distinguunt, unam nempe foliis latioribus, alteram vero foliis magis incisis, & crispatis, ceterum caulibus, floribus, & seminibus omnino similes sunt.

Nasturtium hortense, mediocrem phlegmatis, atque olei, ac magnam salis essentialis partem continet, hinc incidendi, detergendi, aperiendi, & antiscorbutica facultas huic conciliatur. Folia, & semen crassos, lentosque humores attenuant, & incidunt, atque salis volatilis-acris ope, obstructiones lienis, atque uteri tolluntur, & bronchia, ac vesiculæ pulmonares a viscidis humoribus liberantur. Aqua distillata Nasturtii in Officinis habetur ab ℥ j. ad ℥ vj. præscribenda; paratur autem ℔ ij. aquæ communis pro unaquaque libra herbarum minutatim incisarum, omnia ad medias distillando B. M. aut B. A. Emulsione semine ejusdem paratæ, sudorificæ sunt, vique pollent variolas expellendi. In Phænigmis, & Masticatoriis idem semen quoque adhibetur. Simon Pauli; post Ambrosium Paræum refert, nihil uspiam præstantius reperiisse adversus scabiem, porriginemque Infantum, præter unguentum paratum, foliis, ac semine Nasturtii, cum adipe suilla recenti frictis Linimenti forma convenienti spatio usurpatur salusque est in promptu, generalibus remediis unctionem antecedentibus. Forestus semen, hoc tamquam maximum remedium contra soporosos affectus commendat. Nemini ignotus est ejusdem plantæ usus in acetariis: præter gratiam, vimque appetitum conciliandi, stomachum roborat, atque alias herbarum species cum ea permixtas concoctu faciliores reddit.

Semina in Electuariis *de Miclèta*, & *Nicolai Alexandrini*, in Trochiscis de Capparis *Messuæi*, in Emplastro *Diabotano*; Folia denique in aqua Anti-Scorbutica *PharmacopϾ*, *Parisiensis* usurpantur.

*Opiata adversus Apoplexiam, Paralysim, atque alios Nervorum affectus.*

℞. Sem. Sinap. ℥ ij. Nasturt. hort. & Erucæ ana ʒ ij. Fol. Origani, & Menthæ exsiccatorum ana ʒ vj. f. p. & M. cum s. q. syrupi Pæoniæ simplicis, ut opiata conficiatur, ʒ j. mane jejuno stomacho, ac vesperi repetenda.

*Linimentum adversus Scabiem, Porriginemque.*

℞. Folior. Nasturtii hort. Man. ij. & Sem. ejusdem ℥ ij. Contundantur omnia, & frigantur cum q. s. pinguedinis suillæ, forti expressione coletur, ac servetur Linimentum pro morbis supradictis, curando, ut æger, identidem purgetur.

Nasturtium verrucarium, *Offic.* Ambrosia Campestris repens, C. B. P. 138. Coronopus Ruelli, sive Nasturtium verrucosum, I. B. 2. 919. Cornu Cervi alterum repens, *Dod. Pempt.* 110. Nasturtium sylvestre capsulis cristatis, *Inst. R. H.* 214. Coronopus Ruelli, *Ger. Raii Hist.* 843. Coronopus recta, vel repens Ruelli, *Park.* Pes milvinus, *Columellæ*; Coronopus arvensis, Pseudo-Coronopus, Pseudo-Ambrosia, Nasturtium porcinum, *Nonnull.* vulgo, *Cresson sauvage*.

Radice donatur oblonga, atque admodum crassa, quæ caules in terram

stratos,

ſtratos, & fere nuſquam ſeſe elevantes, palmares, ramoſos, & rigidiuſculos propellit. Folia ut in Naſturtio hort. inciſa ſunt, eique odore, ac ſapore propius accedunt. Flores parvi, albi, quadripetali in crucis modum diſponuntur. Fructus quaſi totidem verrucæ, piſiformes, Carduum ſtellatum æmulantur, ac ſemina continent minuta, rotunda, nigra, racemi nucleo fere ſimilia, figura guſtuque ſeminum Naſturtii hort. In agro Pariſienſi juxta vias, locoſque humidos repit, Junio floret, atque per totam Æſtatem vireſcit; præcedenti facultatibus ſimilatur, mitius tamen eſt, minuſque calidum. Crudum comeditur, vocaturque *Ruel* in acetariis, quandoque etiam aceto decoquitur, aut ſale conditum, uti portulaca conſervatur. Manuum porri hujuſce foliis confricantur; in remedio contra calculos *Dominæ Stephens* uſurpatur.

Naſturtium aquaticum, *Offic.* Naſturtium aquaticum, ſupinum, C. B. P. 104. Siſymbrium Cardamine, ſive Naſturtium aquaticum, I. B. 2. 884. Siſymbrium aquaticum *Matth.* 487. I. R. H. 226. Sion Cratevæ Erucæ-folium, *Lob. icon.* 209. Siſymbrium Cardamine dictum, *Galen.* Naſturtium aquaticum vulgare, *Park. Raii Hiſt.* 816. Naſturtium aquaticum, ſive Cratevæ ſium; *Ger.* ſium & Laver, *Dod.* Creſſo, Laver odoratum, *Euric. Cord.* Siſymbrium in rivulis natum, ſimile Naſturtio, *Plin.* Creſſio, ſeu Creſcio aquaticus, Herbariorum. Naſturtiaria, *Quorumd.* vulgo, *Creſſon de fontaine, ou des ruiſſeaux.*

Radicem habet albam, filamentis præditam, ab unaquaque ejus junctura plures fibræ capillares exeunt in aqua ſeſe immergentes. Caules pedem circiter longos emittit curvos, admodum craſſos, cavos, ſtriatos, læves, ſemper virentes, atro-virides, ſucculentos, odoros, guſtu aliquantiſper mordaci, & grato. Flores in caulium, ramorumque apicibus enaſcuntur, parvi, albi, quinque cruciformibus foliis conflati, plura ſtaminia, a picibus luteis geſtantes. Hiſce ſuccedunt ſiliquæ, pedunculis dimidium pollicis, & ultra longis a caule ſatis recedentibus, nonnihil curvæ, craſſiuſculæ, in duas cellulas ſeminibus plenas ſemi-rotundis, minutis, rufeſcentibus, guſtu mordaci diſpertitæ. Naſturtium aquaticum nuncupatur, quia in rivulis, fontaniſque aquis linpuidioribus excreſcit; Julio, & Auguſto flores propellit, quod autem ſemper vireſcat frequenter in acetariis uſurpatur, præſertim hyeme, variumque eſt juxta loca magis, minuſque humida. Initio folia fere rotunda conſpiciuntur, in progreſſu vero inciſa ſunt, ut in Eruca. Nihil uſpiam vulgatius reperitur, hac Naſturtii ſpecie, quæ iiſdem fere potitur facultatibus, ac Naſturtium noſtras hortenſe. Quod autem *Cailli* Rothomagi nuncupatur, atque in ejuſdem ſuburbiis colitur, ceteris merito præfertur, minutiſſimum enim eſt, teneriori, guſtuque exquiſitiori donatur.

Analyſi, de hac planta a ſociis Regiæ Scientiarum, Accademiæ inſtituta, acris deprehenditur, neque ab ea papyrum ceruleum rubro colore inficitur: ejus ſal relatum fuit ad *Oxyſal Diaphoreticum Angeli Salæ*, quod nihil aliud eſt, quam ſal Alkali, acido ſaturatum, præterea nonnihil ſalis Ammoniaci, aut ſulphuris, & maxima terræ pars in ea fuit inventa. Planta hæc inter melioris notæ Anti-ſcorbuticas hujuſce regioni eſt enumeranda. Man. j. ebulliat in juſculo omni pinguedine deſtituto, aut in juſculo Cancrorum fluv. aptumque eſt ad ſanguinem depurandum, & in morbis cutaneis a lymphæ acrimonia, & ſpiſſitudine obortis convenit, ac hydropicos, ſcorbuticos, & hypochondriacos mirum in modum ſolatur. Animadvertendum tamen eſt juſculum hocce in vaſe diligenter obturato, & B. M. eſſe conficiendum, hu-

juſce

jusce enim Nasturtii, & omnium plantarum acrium Anti-scorbuticarum virtus in sale volatili, quod facile ignis calore dissipatur, adeo consistit, ut loco optimi remedii, nihil aliud, quam plantæ languidæ expressum nullius efficaciæ magna relinquatur.

In Officinis Aquam distillatam, & Syrupum plantæ hujusce prostant; iisdem morbis accomodata remedia. Aqua distillata paratur, recipiendo Nasturtii aquat. quantumlibet minutim triti; addendo pro unaquaque plantæ libra, duas aquæ communis libras, & omnia ad medias distillando. Dosis ab ℥ iiij. ad ℥ viij. in julapiis, potionibusque Anti-scorbuticis.

Syrupus conficitur recipiendo libras duas succi Nasturtii aquat. ebullitione depurati, & libras duas Sacchari albi, ad Syrupi consistentiam, decocti, dosis ab ℥ ß. ad ℥ j. in potionibus supradictis.

Hujusce plantæ succus, extractum, Spiritusque urinosus easdem quoque possident facultates. Asseritur, hujusce plantæ succum vini habere arescendi, extirpandique Polypos narium, dummodo frequenter abluantur. Spiritus urinosus conficitur, tusa recenti planta, & fermentationi per octo dierum spatium commissa, omnia deinde B. M. distillando. Dosis cochlearis j. aut ij. in libra j. seri lactis, felici quidem successu in affectionibus scorbuticis. Extractum ʒ ij. exhibetur, neque adeo efficax est, ut ceteræ præparationes. Usurpatur etiam optimo eventu Nasturtium aquat. leviter in lacte ebullitum adversus Thoracis morbos.

A Practicis magni nominis idem quoque in Renum, ac Vesicæ anfarctibus, & ad menstrua profluvia revocanda commendatur. Ettmulerus testatur, plantam hance, & præcipue ejus semen, aptissimum esse ad sanguinis coagulum in contusionibus, tam externis, quam internis resolvendum. Demum S. Paulli post Ambrosium Paræum, ut specificum in capitis Infantum scabie Nasturtii aquat. folia, cum adipe suilla recenti fricta proponit.

Nasturtii folia in decoctione Anti-scorbutica, aqua generali Anti-scorbutica, & syrupo Anti-scorbutico *Pharmacopææ Parisiensis usurpantur;* ejus aqua distillata in compositione aquæ pro gingivis *ejusdem Pharmacopææ* admiscetur.

*Apozema Anti-scorbuticum.*

℞. Rad. Raphani rusticani rasarum, & taleolis incisarum ℥ j. & Pyrethri contus. ʒ j. Ebul. in ℔ iij. aquæ fontis ad medias.

℞. Postea Fol. Nasturt. aquat. & Beccabungæ ana Man. j. simul trita in mortario marmoreo; in prædicta decoctione mox ab igne retrahenda iniiciantur, vas probe occludendo, usquedum pene frigescat. Levi expressione coletur, addaturque colaturæ syrupi Nasturt. aquat. ℥ j. Dosis trium, vel quatuor Cyathorum tantisper calefactorum pro singulis diebus.

*Jusculum Anti-scorbuticum.*

℞. Pullum carnosum, aut cor vitullinum taleolatim incisum, & probe mundatum. Coque in ℔ iv. aquæ ad medias Vase ab igne retracto, adde folior. Nasturtii aquat. Man. ij., Beccabungæ, & Cochleariæ ana Man. j. Corticum Mal. Aurant. exsiccat., & salis Absinth. ana ʒ. j. Frigescat vase clauso, coletur levi expressione, & in quatuor doses dividatur; bi-

nis

nis diebus tepidæ uſurpentur, una mane jejuno ventriculo, altera veſperi.

*Opiata Anti-ſcorbutica.*

℞. Fol. Naſturt. aquat. Man. ij. Cochlear., & Beccabungæ ana Man. j. Terantur probe in mortario marmoreo, & adde ſem. Naſturt. & Sinap. p. ana ℥ ij. Doſis ab ℈ ß. ad ʒ vj. boliſnebula obvolutis.

*Vinum Anti-ſcorbuticum.*

℞. Rad. Raphani ruſtic. ℔ j., & Bard. ℥ vj. Folior. Naſturt. aquat., Cochleariæ, Beccabungæ, & Fumar. ana Man. ij. Lata, ac macerata ter, & in cucurbita ærea, ſtamno obducta infunde. Adde optimi Vini Burgundici, aut hujus defectu, optimi Vini rubri ℔ xxx., & ſem. Sinap. contuſ. ℥ iiij Infuſa omnia relinquantur in B. M. mitiſſimo, curando, ut cucurbita lino, & duplici pergamena madida obturetur. Ab igne reducantur, & frigeſcant obturato, poſtea colentur abſque expreſſione, & adde ſalis Ammoniaci ʒ x. Fuſo ſale liquor ſervetur in ℔ ij. lagenis probe obturatis in cella vinaria pro uſu. Vinum trium menſium ſpatio ſaltem perdurat. Purgandus eſt æger, communi ſolvente priuſquam ad uſum Vini hucuſque deſcripti deveniat; exhibeantur poſtea mane ſequenti ℥ vj. repetanturque ſero poſt cęnam. Perſeverandum eſt menſis ſpatio, curando, ut alvus lubrica cathartico octava quaque die repetito ſervetur, quo a Vino æger deſiſtet.

*Aqua Limacum Anti-Scorbutica.*

℞. Limacum expurgat., & cum cochleis tritor. ℔ iij. Cortic. Mal. Aurant. recent. ℥ iij. Folior. Naſturt. aquat., Beccabungæ, & Trifolii paluſtris ana Man. iij., Seri lactis depur. ℔ vj. Diſtillentur omnia, & productum ſervetur in lagenis probe obturatis loco frigidiuſculo. Doſis ℥ x. mane, ac veſperi repetenda.

*Gargariſma Anti-ſcorbuticum.*

℞. Folior. Rubi, & Agrimoniæ ana Man. j. coque in ℔ ij. aquæ fontis, ad media Statim, ac vas ab igne reducendum eſt, adde folior. Naſtur. aquat. & Cochlear. ana Man. j. Traiiciatur liquor expreſſione, & iterum adde ℥ j. Mellis roſati pro Gargariſmate ſæpius de die repetendo.

*Unguentum adverſus capitis Infantum Scabiem.*

℞. Naſturt. aquat., & adipis ſuillæ recent. ana ℔ j. Succi Naſturt. expreſ. ℥ vj. Macerentur omnia per triduum, & coquantur ad humidi conſumptionem: coletur liquor forti expreſſione, & Unguentum ſervetur ad uſum.

*Animadverſio.*

In promptu erit Naſturt. aquat. recenter collectum in ſuo vigore; teretur probe in mortario, & pinguedini miſcebitur in vaſe terreo plumbo illinito;

vas

vas clausum, digestioni per triduum relinquetur. Postea ℥ vj. succi alterius Nasturtii aquat. probe tusi eliicientur; succusque in vase iniicietur, ut mixtura leniter ebulliat ad omnis aquæ humiditatis consumptionem, frequenter eam spatula lignea agitando: coletur postea forti expressione, ac servetur Unguentum ad usum.

Cardamum, seu Nasturtium Indicum, *Offic.* Nasturtium Indicum majus, C. B. P. 306. Nasturtium Indicum folio peltato scandens, I. B. 2. 920. Cardamindum ampliori folio, & majori flore, *Inst.* R. H. 430. Viola Indica, scandens, Nasturtii sapore, maxima, odorata, *Hort. Lugd. Bat.* Nasturtium Indicum, *Park. Ger. Raii Hist.* 487. Nasturtium peregrinum, quod Peruvianum, *Lugd. Hist.* Flos sanguineus, *Monard.* Acriviola, Nasturtium Hispanicum, Nasturtium peregrinum, Flos cruentus, *Nonnull.* vulgo, *La grande Capucine.*

Ejus radix parva est, fibrosa, alba, repens; Caules admodum exiles emittit, qui adrepunt, ac arboribus, plantisque propioribus circumvolvuntur. Folia alterna sunt, rotunda, parvum veluti scutum referentia, communius latiora, quam longa, aliquando angulosa, ut folia Hederæ, superne dilute-viridia, & expolita, inferne vero pallidiora, & parumper villosa, nonnullis nervosis insignita prominentiis, quæ a cauda, in centro fere folii constituta, ut in Umbilico Veneris, discedunt, & quosdam veluti radios in margine desinentes efformant; caudæ non secus ac caules, retortæ palmum, aut palmum cum dimidio æquant. Ex eodem nodo, e quo foliorum pedunculi, alii etiam pedunculi exeunt, flores sustinentes, quinque petalis conflatos rotundis læte flavis, ac fere puniceis, odoris fragrantis, primo angustioribus, & barbatis, e calycis cavitate exeuntibus, qui luteo-viridescens est monophyllus divisusque inquinas oblongas portiunculas posteriori sui parte rostro terminatas cavo, cuculum referente, ex quo nomen planta mutuatur, pollicem fere longo, luteo, lineisque purpureis virgato. Stamina nonnulla rufescentia apicibus ejusdem coloris in centro floris enascuntur, ac pistillum circundant, cujus basis, in fructum immutatur tribus capsulis donatum, inquam unaquaque semen unum, subrotundum, mediocris crassitiei, cortice viridi, ac rugoso tectum invenitur.

Cardamum, seu Nasturtium Indicum minus, *Offic.* Nasturtium Indicum minus, C. B. P. 306. Cardamindum minus, & vulgare, *Inst.* R. H. 430. Nasturtium Indicum, *Dod. Pempt.* 397. Flos sanguineus verus, *Quorumd.*, vulgo, *la petite Capucine.*

Præcedenti similatur, præter quam quod in omnibus suis partibus exilis est, flosque luteo-aureus, aut sulphureus plus, minusve dilutus, foliis in basi macula insignitis rubicunda, rutila, rhomboidali, lineis sanguineis, visuque jucundis, distincta. Aliquando duplex est, quæ varietas a Curiosis magnopere exquisitur: hoc enim commodi præstat, quod facile taleis non vero semine, uti ceteræ species multiplicetur.

Cardamum nihil habet cum Nasturtio vulgari commune, præter odorem, gustum, & proprietates. In hortis præcipue colitur ob utilitatem. Ex regno Peruviano primum alatum fuit, non ad Europam tantum, verum etiam ad alias Indiarum regiones Occidentalium; tota fere Æstate florescit, Autumno exeunte quoque perdurat, usquedum primum adventante frigore, aut gelu huic admodum adversus, pereat: in regionibus vero calidis virescit, floresque suppeditat anno integro. Jucundissimis seriebus disponitur, & or-

& ordinate in hortis perticis applicatur, facile crescit in exigua etiam terræ portione; semina diu non subsistunt, sponteque decidunt, statim, ac matura sunt.

Duæ Cardami species, de quibus usque adhuc verba fecimus easdem habent facultates fere similes Nasturtio hortensi, & magnam olei, ac salis essentialis partem continent. Folia, & flores, & quidem cum successu, Scorbuticis exhiberi possunt: tamen familiarius alimentis quam remediis admisceretur; aceto condiuntur florum folliculi antequam expandantur, ut Cappari, & in acetariis, condimentisque pro delicatioribus mensis usurpantur. Advertendum est in vase, in quo condiuntur tres, aut quatuor siliquas maturas Piperis Indici occludendas esse; sin minus admodum crassi vermes in aceto progeniti reperiantur Cardanum insumentes, ope vero fructus supradicti nusquam apparent, & condimentum optimum diutissime servatur. Flores Cardami acetariis, Lactuca, aliisque Leguminibus instructis, miscentur; eo quod gustui, visuique gratissimi sint, ac stomachis frigidis, debilibus, & flatulentis maximam opem ferunt. S. Pauli narrat, vinum quemdam fide dignum novissime ex America prodeuntem, secreto, adversus antiquam Scabiem atque ulcera recentia, dono sibi dedisse, Oleum simplex, infusione florum Cardami confectum, quod paratur quantumlibet Olei olivarum optimi, in vase usque ad medietatem contento, & postea supradictis floribus repleto. Vas hoc probe occlusum Soli exponitur, usquedum omnia consistentiam pultis acquisiverint pro Linimento.

## N E P E T A.

MEntha Cataria, sive NEPETA, *Offic.* Mentha Cataria vulgaris, & major, C. B. P. 228. Mentha Cattania, J. B. 3. 225. *Raii Hist.* 548. Cataria major vulgaris, *Inst.* R H. 202. Cataria herba, *Dod. Pempt.* 99. Calamynthæ 1. genus, *Fuchs.* Nepeta vulgaris, *Trag.* Nepeta Germanica, *Camer.* Mentha felina, *Tab. Ger. Eyst.* Herba Gattaria, *Matth.* Cataria herba, vulgo Calamintha tertia, *Diosc. Cæs.* Calamintha montana, *Lon.* Herba felis, *Lugd. Hist.* Nepta floribus interrupte spicatis pedunculatis, *Linn. Hort. Cliff.* 310. Herba Cati, Calamintha felina, seu Cataria, Balsamita montana, seu major, *Quorumd.* vulgo, *Herbe au Chat*.

Radicem lignosam multifariam divisam, caulemque habet tres pedes & ultra altum, quadratum, hirsutum, ramosum, inferna sui parte solum versus rufescentem, reliqua albescentem, ramulosque effundentem binos, invicem semper oppositos. Folia Urticæ majoris, aut Melissæ foliis similia sunt, ambitu denticulato, mucroscata, lanuginosa, albescentia, caudis longis appensa, Menthæ acutæ odore, adurenti, & acri sapore donata. Summis caulibus, ramisque flores apparent plerumque depressi, labiati, purpurei, aut albescentes, spiceique, quorum quisque tubulo efformatur superne duobus labiis distincto, ac corniformi calyce sustinetur, succedentibus seminibus quatuor ovalibus, Planta hæc in hortis, secus vias in marginibus fossarum, aggeribus, locisque humidis crescit; ea Feles magnopere delectantur, in ea circumvolvuntur, eamque avidissime comedunt. Agri Parisiensis incola Junio, Julioque florescit.

Herba Cataria aromatica est, acris, amara, nec chartam cæruleam rubro colo-

colore imbuit, unde evincitur, sal volatile aromatico-oleosum in ea contineri, in quo, non secus ac in sale volatili-oleoso artificiali, urinosæ prævalent partes. Aperiens est, satisque apta ad menses provocandos, vaporesque dissipandos. Ad modum Theæ usurpatur, aut Vino infunditur. Præscribitur etiam, uti ceteræ Anti-hystericæ plantæ in pediluviis adversus eosdemmet morbos. Tabernæ Montanus asserit, Vino decoctam, icterum, tussimque violentam sanare. Si manus tantum in ejus decoctione foveantur, scabiem profligari, Caspar Hoffmannus memoriæ prodidit. Mirum est, feles adeo hanc ipsam conquirere, a quibus millies super ipsam sese circumvolventibus amplectitur, ac deosculatur. Observatur autem ea magis, magisque eosdem delectari, si e ruri in hortis transferatur; tunc enim culturæ ope tenerior evadit, ejusque odor mitior, gratiorque est. Qua de causa, nisi spinis operiatur, neutiquam in hortis servari potest, eam enim ambiendo, feles ita quassant, exterminantque, ut impossibile sit, hanc iterum revirescere. Ob eamdem, ut ajunt, sympathiam *Herba Cataria* nuncupatur.

Folia Nepetæ in Aquis Generali, & Hysterica, ac in Trochiscis Hystericis *Pharmacopææ Parisiensis* usurpantur. Planta vero omnis in Syrupo Artemisiæ, & ejus summitates in pulvere *de Chalybe* supradictæ *Pharmacopææ*.

## N E R I O N.

NERIUM, Rhododendrum, seu Rhodo daphne, *Offic.*, Nerion floribus rubescentibus, C. B. P. 464. *Inst.* R. H. 605. Nerion, sive Rhododendron flore rubro, J. B. 2. 141. Nerium, sive Oleander, *Ger. Raii Hist.* 1767. Oleander, sive Laurus Rosea, *Lob. icon.* 364., Oleander, sive Laurus Rosea, *Park.* Rhododophne, *Gesn. Hort. Cæs.* Nerion flore rubro, *Eyst.* Rhododendron, *Dod. Bellon.* Neris, *Nicand.* Rosa Laurea, *Apul.* Arbor Rosea, Oleandrum Rosago, *Nonnull.* vulgo, *Laurier-Rose*.

Ejus radix longa est, lignosa expolita, gustu salso; caules plurimos, crassiores, firmos, erectos, dilute virides, ad luteum colorem accedentes, succoque plenos emittit. Folia oblonga sunt, acuta, Amygdali foliis majora, & latiora crassa, dura, rigida, terna ut plurimum simul disposita, aliquando bina eodem in ramo invicem opposita, atro-viridia parte superna, non secus ac Lauri folia, inferna autem ob maculas huc illuc dispersas, albescentia exsucca. Flores pulcherrimi sunt, magni, odori, læte rubri, ad modum fere Rosæ incarnatæ, quorum quisque cylindraceus est, vertice adinstar patinæ expanso, quinquepartito, uti in Pervinca, apicibus quinis albis, ac villosis, quibus siliquæ fere cylindraceæ, digitum longæ, superne reflexæ, quamplurima cristata semina occludentes succedunt. Nerion flore albo nihil aliud est, quam huc usque descriptæ varietas.

Arbusculam hanc, inquit Dioscorides, facilius radices agere maritimis in locis, ac secus fluvios, quod Botanicorum magni nominis, Anguillaræ scilicet, Camerarii, Matthioli, & Dalemchampii auctoritate comprobatur. Quandoque in arborem excrescit; folio autem quotidie viridi Lauro, flore vero Rosæ similatur, hinc etiam nomen mutuatur. Diligenter in hortis ad ornatum colitur, magnum florum numerum suppeditat, facileque excrescit, dummodo ab excedenti gelu defendatur. Dioscorides, & Plinius asserunt folia & flores Nerion, mulos, asinos, canes, verveces, aliosque fere omnes

qua-

quadrupedes veneno afficere; ea vero adversum Serpentum morsum in Vino epota, & Rutæ præsertim consociata hominibus prodesse; animalia demum debilia, cervos nempe, ac minutum pecus enecari potu aquæ solummodo, in qua folia Nerion infusa fuerint: Galenus tamen, cui libentius fidem hic loci præstamus, affirmat, Nerion interne sumptum homini, cetérisque animalibus perniciosum esse.

Arbuscula hæc magnam olei, salisque portionem habet, atque inter venena est reponenda, interne enim usurpata horrendos angores excitat, ventrem inflat, universalis viscerum omnium inflammatione, & radicali totius naturalis caloris extinctione subsequente. Remedia contraria censentur Oleum Olivarum, aut Amygdalarum dulcium, Butyrum recens cum lacte ebullitum; Fiacum, & radicis Althææ, aliarumque rerum mucilaginosarum, & pinguium decoctio, quæ ad temperandam, ac irretiendam hujusce corrosovi veneni acrimoniam valere possunt. Juxta Galenum Nerion folia trita, & externe applicita digerendi, resolvendique vim habent, nec non animalium venenatorum morsui adversantur. Hæc eadem folia in pulvere sternutatorio *PharmacopϾ Parisiensis* usurpantur.

## N I C O T I A N A.

QUamvis NICOTIANA origine sua ex America allata sit, & ideo nobis exotica; tamen hic loci inter Plantas indigenas reponendam esse censuimus, ope enim culturæ ita evulgata fuit, ut inter nostrates in tota Europa adoptetur. Quod etiam asserere possumus de Melongena, Momordica, Myrto, & Nerio, aliisque similibus plantis, in nostris hortis familiaribus. Tres Nicotianæ species in Officinis distinguuntur, nempe Major, Media, & Minor.

Nicotiana major, *Offic.* Nicotiana major, latifolia, C. B. P. 169. *Inst.* R. H. 117. Nicotiana major, sive Tabacum majus, J. B. 3. 629. Hyoscyamus Peruvianus *Dod. Pempt.* 452. Sana sancta Indorum. *Lob.* 584. Tabacum latifolium, *Cam. Eyst.* Tabaco latifolium, *Park*, *Raii Hist.* 713. Perebecente Oviedo, *Lugd. Hist.* 1901. Picielt Mexicanorum, *Hern.* 312. Buglossum Antarticum, aliis Tabacum, *Monard.* Petum Thereti latifolium, *Clus.* Tornabona, quæ a Tornabonio missa, *Cæs.* Herba Sanctæ Crucis femina, *Cast.* Herba Reginæ, Herba Legati, Herba Prioris, Herba Sancta sive Sacra, Herba Divina, Herba Medicæa, Herba Panacea, Vulneraria Indica, Eleemosinaria, *Quorumd.* vulgo, *Nicotiane, ou l'Herbe a la Reine a large feville.*

Ejus radix alba est, fibrosa, gustu admodum acri, caulemque promit quinque, vel sex pedes altum, pollicem latiorem, & rotundiorem, villosum, & medulla alba repletum. Folia ampla sunt majora foliis Emulæ Campanæ, & Lapathi aquatici, caudis destituta, alterna, latis appendicibus appensa, villosa, parumper acuta, nervosa, dilute-viridia & ad luteum accedentia tactu, glutinosa, gustu acri, calefaciente, & urente, facile tamen evanescente, quæque mansa, aut contusa inficiunt colore luteo; dividitur caulis apex in plures ramusculos, sive surculos, qui flores campaniformes, aut poculum referentes sustinent quinquefidos, ut & calyx inversos, vel ut plurimum ambitu depresso, coloris purpurei, apicibusque staminum minuto pulvere cinereo conspersis: hi postea in fructum abeunt membranosum, oblon-

longum, in duas cellulas divisum, intermedio sepimento, fere infinito seminum numero plenas, quæ quidem minutissima sunt respectu magnitudinis plantæ, coloremque habent rufescentem. Universa planta odore scatet acuto, scicuti & sequens modo describenda; Æstiva est apud nos, nihilominus aliquando Hyeme temperata nostris in hortis perdurat; atque ut ceteræ Nicotianæ species Junio, & Augusto florescit, annualisque est plerumque: dura e contra in Bresyliensi provincia, in qua solum optimum est, aerque quotidie temperatus semper floribus decoratur, & ad decem, & duodecim usque annos perdurat; semen sex annorum spatio in sua fœcunditate potest conservari, folia vero in suo vigore per quinquennium.

Nicotiana major, seu Tabacum augustifolium, *Offic.* Nicotiana major, augustifolia, C. B. P. 170. *Inst.* R. H. 117. Nicotiana, sive Tabacum folio augustiore, J. B. *3. 630.* Hyoscyami Peruviani altera, *icon. Dod. Pempt.* 452. Tabacum, sive Herba sancta major, *Lob. icon.* 584. Herba Sanctæ Crucis mas, *Cast.* Petum augustifolium, *Clus. Exot.* 310. Tabaco augustifolium, *Park. Raii Hist.* 714. Sana Sancta Indorum, *Ger.* Tabacum augustifolium, *Cam. Hort.* Tubac, Tubacka, Tabaca, Poetum, Petunum, alterum paulo minore folio, *Nonnull.* vulgo, *Le Tabac de Virginie*, *le Petun des Amazones*, la Nicotiane *a feville ertroit.*

Secunda hæc Nicotianæ species a præcedenti differt foliis angustioribus, acutioribus appensis cauli caudis longissimis: ceterum inter se similantur.

Nicotiana femina, *Offic.* Nicotiana minor, C. B. P. 170. *Inst.* R. H. 117. Priapeja, quibusdam Nicotiana minor, J. B. *3. 630. Raii Hist.* 715. Hyoscyamus luteus, *Dod. Gesn. Hort. Cam. Ger. Angull.* Hyoscyamus Peruvianus, *Taber.* Tabacco Anglicum, *Park.* Petum quartum. *Clus. ad Monard.* Tornabonæ congener, *Cæsalp.* Priapæa, Peti tertium genus, Petum minus folio rotundiore, *Nonnull.* vulgo, *le faux Tabac*, *le Tabac du Mesique*, *la Nicotiane a feville tonde*.

Radice est modo simplici, & auricularis digiti crassitie, modo in plures fibras divisa teneras, albas, in latum sese expandentes, parumque profundas; caulem vero tollit aliquando bipetalem, rotundum, villosum, solidum, digitum aliquando crassum in pingui solo, ramosum, tactuque viscosum, folia efferentem spatiis distincta, alternatim locata, rotunda, in apice obtusa, pinguia, atro-viridia, corrugata, brevibus caudis appensa. In caulium, & ramulorum summitate numerosi flores locantur, brevibus elati pedunculis, quinquifidi, labiis inversis, quinis staminibus, apicibus cinereis, ut & Pistillum; minutiora vero sunt speciebus præcedentibus, ac luteo-viridescentia, florum unusquisque calyce villoso, viscoso & quinquifido sustinetur. Hisce præsto sunt capsulæ rotundæ, umbilici forma, quæ maturæ bifariam dividuntur innumerabilibus minutis atro-luteis, & mordacibus seminibus refertæ. Planta hæc ex America primum nobis allata fuit; annua est, & facillime ope seminis reviviscit: dummodo una tantum vice in horto immissa fuerit, abunde singulis annis reproducitur, & Majo denuo apparet. Clusius asserit, hanc Nicotianæ speciem fere in omnibus morbis convenire, in quibus Petum verum usurpatur, debiliori efficacia potiri; & de facto minus acutum præ aliis odorem habet. In Hispania, & Portugallia, Nicotiana semper viridis uti Citreum servatur; in regionibus vero frigidis primo gelo perit, ac Hyeme difficillime vase, aut capsula conservari potest.

test. In America ad magnam altitudinem excrescit, & præsertim Nicotiana mas, ejusque odor penetrantissimus esse solet.

Ex Insulis nobis advecta, in Europa etiam diligenter exculta fuit; duarum specierum primarum folia indiscriminatim usurpantur, pro Tabaco, ut ajunt, funiformi, & in pulvere conficiendo, cujus usus adeo est evulgatus; Augusto, & Septembri folia colliguntur, e planta præsertim, e qua summitates antea demptæ fuerint, ut floris eruptio impediretur. Tabaci funiformis, & pulverati præparationem multifariam, ad voluptatem, usumque accomodatam, hic loci neutiquam explicabimus, adnotantes solummodo hujusce excessum, non minus perniciosum, quam moderatum usum utilem esse posse; rationem deinde trademus, quomodo ad usus Medicos reduci possit.

Diversæ profecto denominationes huic plantæ tributæ fuerunt. In Indiis Occidentalibus origine sua primum exculta, semper Petun nuncupata fuit, & præsertim in provinciis Bresyliensi, & Florida, quod nomen nostris quoque diebus in utroque servat Hemisphærio. Hispani, qui primum in insula Tabaco Regni Jucatan, aut Novæ Hispaniæ Provincia in mari Mexicano sita plantam hanc agnoverunt, ab inventionis loco Tabacum appellarunt, quæ nomenclatura ceteris omnibus prævaluit. Joannes Nicot Consiliarius Francisci Secundi, & apud Sebastianum Portugalliæ Regem anno 1560. Legatus, ope Domestici Regis, vel ut alii referunt, ope Mercatoris Belgæ, qui primum e Florida plantam hanc asportaverat, eamdem Magno Priori Ulissiponam adventanti dono dedit, & postea in Galliam redux Reginæ Catharinæ de Medicis Regis Matri; ab hisce tribus magni quidem nominis personis plurimum fuit reputata, experimentisque eorum jussu de ea peractis, appellata fuit *Nicotiana*, *Herba Magni Prioris*, vel *Herba Reginæ*. Cardinalis Sanctæ Crucis ad Regem Portugalliæ Pontificis Maximi Nuncius, & Nicolaus Tornabonus ejusdem ad Galliarum Regem Legatus, qui primum eam anno 1585. in Italiam introduxerunt, in causa fuerunt, cur *Herba Sanctæ Crucis*, & *Tornabona* vocitetur. Nonnulli *Blugossam*, aut *Panaceam Antarcticam* vocant, alii *Herbam Sanctam* aut *Sacram*, verosimiliter propter ejus prodigiosas facultates. Botanici nonnulli ob hujusce narcoticam virtutem cum Jusquiamo communem, veluti ejusdem species ab ipsis Nicotiana fuit constituta, vocaruntque *Jusquiamum Peruvianum*: quum vero a supradicto non solum exteriori aspectu, sed etiam partibus sui præcipuis distet, flore nempe, capsulis, & semine, quamvis easdem cum eo habeat proprietates, tamen genus proprium, ac peculiare constituit. Ceterum *Thevetius* gloriam, Tabacum in Galliis propagandi, cum *Nicot* disputavit, certumque est, *Franciscum Drack* insignem navium Præfectum Anglum Virginiæ Conquisitorem, patriam Regionem hac planta ditasse. Joannes Liebaultius in Opere *Domus Rustica* nuncupato, tradidit, Tabacum originarium in Europa fuisse, & ante Americæ inventionem nonnullas ejus plantas in sylva Arduena repertas fuisse: verum Magnenus Americæ hoc restituit, & ad Liebaultii objectiones solvendas, audet asserere, semen ab Indiis in Europam a ventis delabi potuisse.

Prædictæ tres Nicotianæ species in usum veniunt; communiter vero, tam interne, quam externe Nicotiana major mas usurpatur: hujusce tamen defectu substitui potest Nicotiana major fœmina externis præcipue in morbis, etsi vi minori donetur. Ejusdem plantæ dotes tam magno pretio ac nu-

mero habentur, ut Panacea, aut Herba omnes morbos profligans vocitetur. Nihil uſpiam Natura produxit, cujus uſus univerſaliter adeo, atque celeriter diffuſus ſit; haud longo enim exacto temporis ſpatio tam furioſa habitudo ita prorepſit, ut nullus perſonarum extet ordo, qui hac planta quondam exiguæ Americanæ Inſulæ ſimplici, ac ſylveſtri productione non utatur. Poſteaquam vero in Europam invecta fuit, toto Orbi ejus excellentia, ac celebritas innotuit; ejus folia aut eraſa, aut pulverata pro naribus, & ſuffumigii, aut maſticatorii more pro faucibus uſurpantur. Inſigniora loca, in quibus occurrit, ſunt Verina, Breſylium, Borneum, Virginia, Mexicum, Italia, Hiſpania, Gallia, Ollandia, Anglia; Nicotiana enim omnibus in locis facile creſcit, magni tamen ubique venditur, quamvis nullum fere per ſe pretium mereatur. In quocumque penitus Galliæ loco hiſce diebus plantam hanc excolere, vetitum eſt. Ceterum fere pro foliorum collectione tantummodo culturæ committitur, ſulumque pingue, & humidum, Meridiem verſus ſitum, optime excultum, & maxima probe conſumpti fimi copia ſtercoratum expoſtulat. Quo magis clima Septemtrionem verſus locatum eſt, major etiam exquiritur cura, ut ab aeris injuriis planta defendatur, utque E. g. prope elatum parietem ſeratur, quo a ventis Septemtrionalibus, & a frigore infeſto ejus hoſte tutetur. Hic loci aptior ad eam tempeſtas eſſe ſolet, Aprili ineunte. Indi, & Hiſpani Autumno, Auguſto aut citius, hance cenſerunt. Suos Antagoniſtas, ſuoſque pariter Panegyriſtas Tabacum habuit; quamplurimæ ab utriſque adverſantes ſententiæ prolatæ fuerunt, ex una enim parte tanquam optimum, ex altera vero tanquam pernicioſſimum evulgabatur. Amurat IV. Turcarum Imperator; Magnus Dux Moſcoviæ; & Rex Perſarum ſub vitæ, aut amputationis naſi pœna ſubditis ſuis Tabaci uſum prohibuerunt. Jacobus Stuardus Angliæ Rex Tractatum *de pernicioſo Tabaci uſu* conſcripſit, idemque argumentum Simon Paulli Regis Danorum primus Medicus pertractavit. Urbani VIII. extat *Bulla*, in qua Tabaco in Eccleſia utentes excommunicantur. Acurata, & curioſa deſcriptio originis, & præparationis Tabaci, protulit Pater Labat Jacobita in ſuo *Americæ Itinere*, *ac ultimo Capite Tomi Quarti* fuſe diſſerendo, ait, plantam hanc diſſidia, acerrimumque bellum inter Sapientes excitaſſe, quumque anno 1699. D. Fagonius primus Regis Medicus Theſi Medicæ Tabaci uſum propugnanti præeſſe nequiviſſet, alterum ſibi Medicum ſubſtituiſſe, cujus naſus neutiquam cum lingua conſenſit; adnotatum enim fuit, toto perdurante actionis ſpatio Tabacum manibus contrectaſſe, neque momento temporis ab eo ſumendo ceſſaviſſe. Nonnulli exiſtimarunt, Tabacum Europæum minus nocere, & Americano non modo eſſe præferendum, quod hoc poſtremum minus temperamento noſtro conformatur, verum etiam, quia jam veteraſcit, quando nobis affertur. Hoc certo aſſerere poſſumus, omnes Tabaci ſpecies nihil aliud eſſe, niſi plantas abortas, ſi Americano æquiparentur, quod ſemper fortius eſt. Celebriores Auctores, qui de Tabaco ſcriptitarunt, ſunt *Magnenus*, *Thorius*, *Everart*, *Cohauſen*, *Flakenburg*, *Dorſtenius*, *Scbriverius*, *Marrandon*, *Albinus*, *Barnſtein*, *Lauremberg*, *Victor Pallu*, *de Prade*, *Carolus Etienne*, & *Joannes Liebaultius*, *Simon Paulli*, & *Jacobus I. Rex Angliæ*.

Tres Nicotianæ ſpecies uſque adhuc a nobis deſcriptæ eoſdem fere uſus medicos habent; analyſi vero Chymica, ſpiritum, maximam olei partem, ſalque acerrimum volatile-fixum largiuntur. Quæcumque vomitum, & cathar-

tharsim violenter movet, & interne convenit in Apoplexia, Lethargo, quamplurimisque aliis morbis: Opus tamen est dextera, ac prudenti manu ad hoc remedium probe aptandum; exhorrescendum enim potius est propter ejus acres, & causticas qualitates, sique juvare quandoque, maxima etiam mala inferre potest. Narratur *in Ephemeridibus Germanicis Decuria 2. anno 8. Observ. 206.* a quodam Tabaci frustulum malitiose in vase, in quo pruna coquebantur injectum fuisse, omnesque iis saturati, anxietatibus, deliquiis, & vomitibus enormibus correpti jamjam animam expirare videbantur. Borrellus refert *Centuria 4. Observ. 31.* quemdam adolescentem Tabaci fumum exhalare inexperte tentantem ac ejcere nescientem, adeo a deglutito fumo male affectum fuisse, ut in diutissimum Icterum delapsus sit, a quo nisi Conservæ Florum Genistræ, & Calthæ usu liberatus fuit.

Diversis hujusce Plantæ præparationibus prudenter utendum est, quæ convenienter aptatæ mirabiles effectus progignere possunt. Zacutus Lusitanus ita sentit de Epilepsia, vidi ego (inquit ille) plurimos Infantes, ac etiam Adultos, in quibus fere infinitum remediorum numerum in hoc morbo expertus fueram, & præcipue Cauteria diutissime adaperta, omnia incassum; dum interea ægris occumbendi in maxima paroxismorum violentia periculum imminebat, quum mihi in mentem venit, foliorum Nicotianæ Syrupum præscribere, e quo, cochleariis aliquot de die, tribus post postum horis, quadraginta dierum spatio, propinatis, eoque exacto tempore, Syrupi tribus unciis fere consumptis, morbus omnis, absque ullo recidivæ metu radicitus fuit debellatus. Curavi etiam, ut syrupi usum purgationes aliquot præcederent. Riverius hoc idem testatur in sua *Praxi*, indicando, *Syrupum Nicotianæ* Quercetani adversus Epilepsiam. Nicotianæ usus contra Epilepsiam comprobatur etiam Observatione *Ephemeridum Germanicarum Decuria 2. ann. 3.* in qua D. Ludovicus Hannemanus refert, Epilepticæ mulieri Clysterem decoctionis foliorum Nicotianæ præscripsisse, qui efficaciter adeo chatarsim tam superne, quam inferne excitavit, ut postea nullum hujuscemodi insultum amplius perpessa sit: tamen hæc, Tabacum in clysteribus usurpandi methodus periculo neutiquam vacat, & D. Chomelius celebris Medicus Parisiensis in suo *Tractatu de Plantis usitatioribus*, observat, effectus funestos, non secus ac purgantes acriores, progignere, ægrosque vidisse prædicto enemate usos in letarghi sopore, sensus de facto, cognitionemque recepisse, statim vero in Convulsiones, vomitibus, sudoribus frigidis, pulsu debili, & intermittenti, aliisque feralibus symptomatibus, comitatas, incidisse, quamvis sese remedio hocce statim exoneraverint: ac nisi Aqua tepida, Lacte, atque Oleo Amygdalarum dulcium superne, & inferne propinato iis auxilium protinus alatum fuisset, procul dubio periisent. Necesse ergo est remedium hocce temperamentis siccis, biliosis, & facile irritationem suscipientibus, inhibere; phlegmaticis vero, relaxatisque, non solum innoxium, verum etiam efficaciosissimum reputamus. Qua de re conveniet, quum præsertim spiritus sunt excitandi, & oscilationes solidorum augendæ, in affectionibus scilicet omnibus soporosis, a seri magna copia, aut lymphatici humoris spissitudine obortis.

Ut ad *Nicotianæ syrupum* Quercetani reddeamus, hic quoque in Asthmate pertinacique tussi plurimum valet, expectoratio facilis, & abbundans absque, vomitu ab eo promovetur; ars omnis in hoc potissimum consistere debet,

ut Nicotiana, facultate emetica destituatur, digestione ejus foliorum succi; in hydromelle, & oxymelle, trium dierum spatio, diligenter peracta Auctor hic duas syrupi Nicotianæ species nobis reliquit; simplicem, cujus dosis a medio chocleari, usque ad unum pluries repetenda, & Compositum, ab ℥ j. ad ℥ ij. huic postremo plantæ pectorales-bechicæ consociantur, scilicet Capillares, Tussilago, & similes; Senna etiam, & Agaricum in eo usurpantur. Melchior Fricht Medicus Germanus in *Tractatu de usu Medico Venenorum*, testatur haud unquam præstantius remedium adinvenisse adversus Vomicam Pulmonum, & Empyema, Tabaci decoctione cum saccharo mixta, & pluries ex ea miros effectus conspexisse, quod etiam a Practicis magni nominis confirmatur.

In usu Tabaci pulverati per naves assumpti nequaquam immorabimur; nemini enim latet, sternutationem, & abbundantem serosorum humorum evacuationem, præsertim in assuetis, excitare. Masticatur etiam Tabacum in funem aptatum fumusque elicitur ex ejusdem exsiccatis, ac taleolatim incisis foliis, quæ sale acri, & pungente in ipsis contento, e palati fauciumque glandulis insignem exprimunt salivæ quantitatem, lymphaque superflua, quę periculosos morbos posset inducere, cerebrum exonerant.

Ergo Tabacum naribus propinatum, masticatum, aut fumo exhalatum, utilissimum erit, ad vitandas Apoplexiam, Paralysim, Catarrhos, Fluxiones, Emicraniam, & Rheumaticos affectus. Verum advertendum est, ut eo moderate utamur, sin minus procul dubio funestissimum erit.

Olaus Borrichius in Epistola ad Bartholinum, narrat de quodam, qui sibi cerebrum omnino exsiccaverat, repetito Tabaci abusu, ac post ejus obitum, nihil aliud in ipsius capite inventum fuisse, præter exiguum, quampluribus membranis compositum grumum. S. Paulli pariter confirmat, omnes, qui in Tabaci usu excedunt, odoratus sensum amittere, eosque, qui fumo exhalant, cerebrum lædere, carnesque nigro colore inficere, quamvis de hoc postremo fides sit penes Auctorem. Idem addit, Tabacum a nonnullis pseudomercatoribus in latrinis reponi, ut sale volatili excrementorum saturatum, acrius, fętidius, fortiusque evadat. Alia etiam exempla quamplurima in medium afferre possemus, sed duo tantum seligemus, D. Joseph Lanzoni *ex Ephemeridibus Germanicis anni* 1730. *pag.* 179. Narrat igitur militem agnovisse, qui talem consuetudinem, Tabaci pulverem recipiendi, contraxerat, ut quotidie ℥ iij. ab eo insummerentur; miles hic annorum 32. vertiginosis affectionibus-corripi cępit violenta, ac mortali Apoplexia statim subsecutis. Aliud ab eo prolatum exemplar de quodam, extat, cui Tabaci Hispanici immoderatus usus, sensorium visus ademit, Paralysi superveniente. Demum longius, quam par est immoraremur, si omnes ferales effectus abusu Tabaci oborti enumerarentur: memoriam debilitat, irritatione in nervis excitata tremores producit, blandam, mitemque lymphum ad partes enutriendas dicatam insummit, hinc emaciatio, & consumptio originem trahunt in adustis, & biliosis præsertim, quibus hac de causa omnino esset interdicendum.

Quoad externum hujusce plantæ usum folia recentia diversas a siccis facultates habent; sunt enim vulnerario-detersiva ulceribus, vulneribusque antiquis applicita; ab iis mundantur, & ad cicatricem feliciter disponuntur. Usurpantur vero trita, aut in Vino macerata, vel infusa, vel in Oleo ebullita. Oleum quoque distillatione e planta elicitum, optimum est adversus Impetiginem. ʒ j. adipis ℥ ij. pro linimento permixtum. Nonnulli foliorum

exsic-

exficcatorum decoctionem ufurpant, aut Unguentum eorum pulvere butyro commixto confectum, adverfus eumdem morbum, & ad Infantum vermes enecandos: verum præparationes hæ ultimo loco memoratæ, primis, minus tutæ funt, plurefque poft illitionem, convulfionibus, enormibufque vomitibus correpti aut perierunt, aut in extremum vitæ difcrimen fuerunt adducti. Apta in hifce cafibus remedia funt cordialia, & citrea potio. Joannes Bauhinus afferit, Nicotianam contrariam effe pulicibus, quos enecat; quod facile in Canibus poteft experiri; ftatim enim ac ejus foliis, aut eorum fucco confricantur animalcula, veluti ftupore correpta eos relinquunt, ac in terram concidunt. In Italia ejus femen ufurpatur ad Priapifmum temperandum, & fortaffe hac de caufa poftremæ hujufce fpeciei *Priapææ* nomen tributum fuit. Nonnulli autumant, Nicotianam frigidam effe ob ejus Narcoticam facultatem: verum ejus refinofus odor, neutiquam ingratus, & maxima ejus acrimonia fauces adurens, perque vomitionem violenter, non minus quam ipfe Elleborus purgans, ut plurimorum Practicorum experientia conftat, aperte demonftrant, hanc natura fua calidam effe, eoque magis, ( inquit Joannes Terrentius ) quod Narcotica omnia ufque adhuc cognita, calida funt. Willifius Tabaci ufum in caftris pro militiis commendat, quod victus ægeftati iis in locis frequentiffimæ fupplere, militefque laboribus, periculifque minus fenfibiles reddere poteft, præterquam quod optimum eft remedium ad omnes morbos, tam internos, quam externos in iis paræcavendos, & profligandos.

Ufurpantur Folia Nicotianæ in Aqua *d'Arquebufade* five vulneraria, in Balfamo tranquillo, in Unguento Nicotianæ *Joubert*. In Mundificativo de Apio dicto, Unguento fplenetico *Bauderoni*. Succus vero ejufdem in Emplaftro *Oppodeltoch*.

*Ptifana Anti-Afthmatica.*

℞. Fol. Nicotianæ exfic. ℥ ij. Ebulliant in aquæ ℔ vj. ad confumptionem tertiæ partis. Adde verfus finem Fol. Malvæ, Brancæ Urfinæ, & Violarum ana Man. j. Colaturæ iterum adde Sacchar. albi ℥ iij. Dofis, trium cyathorum tepidorum, mane bini jejuno ftomacho, duarum horarum intervallo, alter vero vefperi.

Decoctio hæc in vomica Pulmonum, Empyemate, & Afthmate humido excellit.

*Enema Anti-Narcoticum, five adverfus Soporofas affectiones.*

℞. Folior. Mercurial. Malvæ, & Parietariæ ana Man. j. Fol. Sennæ, & Pulpæ Colocynth. ana ʒ ij. Fol. Nicotianæ ʒ ß. Coque in f. q. aquæ fontis, & colaturæ ℔ j. adde Vini Emetici turbidi, & Mellis Mercurialis ana ℥ iij. pro Clyftere.

℞. Rad. Ireos Florent. ʒ iij. Fol. Exficc. Betonicæ, Majoranæ, & Lilior. Conval. ana ʒ j. Nicotianæ ʒ ij. M. F. P. pro Sternutatorio.

℞. Succi Nicotian. ℥ iij. Ceræ luteæ ℥ iij. Refinæ Pini ℥ j. ß. Therebintinæ ℥ j. Olei Olivar. q. f. ut Ceratum conficiatur, cui adde Mercurii præcipit. albi ʒ ij.

Ceratum hoc in ulceribus vetuſtis, malignis, & calloſis uſurpatur, quæ abſtergit, & ad cicatricem perducit.

## NIGELLA.

DUæ tantum Nigellæ ſpecies in Medicum uſum veniunt, nempe Nigella arvenſis, & hortenſis.

Melanthion ſylveſtre, ſeu Nigella ſylveſtris, *Offic.* Nigella arvenſis, cornuta, C. B. P. 145. *Inſt.* R. H. 258. *Raii Hiſt.* 1070. Melanthium ſylveſtre, ſive arvenſe, I. B. 3. 209. Melanthium ſylveſtre, *Dod. Pempt.* 303. Nigella arvenſis, *Park.* Nigella ſylveſtris, *Trag. Gith.*, Melaſpermum, ſive Melanthium agreſte, Melanthion ſpurium, Nigella agreſtis, Cuminum nigrum, Cuminum ſylveſtre alterum, *Quorumd.* vulgo, *Nielle des champs, la Barbue, ou Poivrette commune.*

Ejus radix fibroſa eſt, parva, & albeſcens; caulem vero quandoque ſimplicem, quandoque ramoſum, exilem, ſtriatum, vix pedem æquantem propellit. Folia Anetho, aut potius Nigellæ hortenſi ſimilia ſunt, tenuiora, tamen majoribus diſtincta ſpatiis, in exilia filamenta conciſa, & alterna. Flores ſtellati, quinque petali, cerulei, magni quidem, & grati, foliis minutis, ut in Nigella hortenſi, eos ſuſtinentibus, deſtituti, quorum centrum corolla multipartita occupatur. Hiſce ſuccedunt membranacei fructus, quinque corniculis pariter membranaceis terminati, fere ut in Aquileja, per longum in quoſdam cellulas diviſi, quamplurima ſemina continentes nigra, & parumper odora. Ubique fere inter ſegetes, & præcipue poſt meſſis tempus invenitur; æſtate exeunte floret; eamdem, ut Nigella ſativa, efficaciam in omnibus morbis, in quibus hæc convenit, præſeferre creditur. Hinc ejuſdem loco ſubſtituitur.

Melanthion ſativum, ſeu Nigella Romana, *Offic.* Nigella flore minore, ſimplici, candido, C. B. P. 145. *Inſt.* R. H. 258. *Raii Hſt.* 1071. Melanthium calyce, & flore minore, ſemine nigro & luteo I. B. 3. 208. Melanthium, *Dod. Pempt.* 303. *Ger.* Nigella Romana, ſive ſativa, *Park.* Melanthium ſativum, *Tab. Trag. Matth. Lac.* Nigella vulgaris ſemine nigro & ſubflavo, *Geſn. Hort.* Melanthium, ſive Nigella Romana, odora, *Lob. icon.* 740. Saluſandria, *Dioſcorid.* Melanthium hortenſe. Nigella domeſtica, Nigella alba ſimplex, ſive Citrina, Cuminum nigrum Germanicum, *Nonnull.* vulgo *la Nielle domeſtique, ou le faux Cumin.*

Radix minuta, & fibroſa, ut in præcedenti, caules ad pedis altitudinem promit graciles, ſtriatos, & numeroſos; Folia vero mediocriter lata, viridia, minutim inciſa. Flores in ramulorum apicibus locantur magni, inter ſe diviſi, quinquepetali, roſacei, albeſcentes, pluribus ſtaminibus oblongorum corpuſculorum corona cinctis, in centro locatis. Hiſce ſuccedunt membranoſi fructus, craſſiuſculi, in plurima cornua deſinentes, & in varias diviſi cellulas, quæ ſemina anguloſa, nigra, & lutea, aromatici odoris, guſtuſque penetrantis continent. In hortis facile colitur, floreſcit autem Julio, Auguſto, & Septembri. Semen in uſum Medicum venit; & Italiacum præ ceteris in pretio habetur, dummodo ſeligatur recens, enutritum, optimo colore nigro, vel luteo. Tertia Nigellæ ſpecies colitur præcedenti exilior, & floribus ad cæruleum accedentibus, fortique odore ſeminis facile Cuminum æmulante

lante distincta, nuncupaturque *Nigella Cretica*, iisdemque proprietatibus potitur, Junioque flores ministrat.

Semen Nigellæ, quod ex omnibus plantæ partibus fere solum usurpatur, sal volatile, magnamque olei aromatici portionem, abbundanti phlegmate mixtam continet; quod phlegma in recenti etiam semine noxium admodum est; qua dere Hoffmannus post Tragum admonet, semen hocce probe esse exsiccandum; abluendum igitur prius est, leniterque torrefaciendum, ut prædicta humiditas adeo perniciosa evaporetur. Ejus infusio aperiens est, mensesque ciet; inter incidentia quoque enumeratur, & Bronchiorum Pulmonarium viscositates attenuat, expectorationemque juvat, ʒj. cum Melle mixta stomacho jejuno mane propinanda. Cum successu etiam usurpatur in Colica flatulenta, Ptisana, summitatibus Chamomillæ, Meliloti, & seminibus Nigellæ, confecta, quum autem semen hoc sale volatili-oleoso abbundet, horum principiorum ope viscidas materias, quæ in narium sinubus accumulantur, attenuat, perfecteque rheumaticos cerebri affectus, catarrhosque discutit. Qua de causa infundatur per horas aliquot Folior. Majoranæ pug. j. in Vini albi cyatho, in quo ʒj. Sem. Nigillæ iniecta fuerit; fiat colatura, liquorque per nares attrahatur, ore prius aqua repleto, absque enim hac præcautione, liquor idem per nares attractus in os, faucesque delaberetur: Oleum essentiale ex hoc ipso semine elicitum, eosdem progignit effectus, infernas narium partes eo confricando. Quamvis autem ut plurimum solum Nigellæ Semen usurpetur, tamen, radicem mansam Hæmorrhagias, & præsertim narium sistere, si trita in iis immitatur, Scorderus asserit.

Semen hoc in Artemisiæ syrupo, in electuario Baccarum Lauri *Rhasis* in Trochiscis Capparorum *Messuæi*, & in Oleo Scorpionum *Matthioli* usurpatur.

℞. Sem. Nigellæ torref., Nicotianæ, ac Styracis calamit. ana. ℈j. Ambræ gris. gr. ij. M. noduloque claudantur in rheumaticis Cerebri affectibus, catarrhisque naso quandoque applicando.

*Opiata Anti-Asthmatica.*

℞. Sem. Nigel. dilut. exsic. & contus. ʒij. Flor Sulphur. ʒß., Benzoini pul., & Spermat. Ceti ana. ʒj. M. cum Melle Narbonensi, & Opiata conficiatur, ʒj. ß. nebula obvolvenda ac mane jejuno stomacho propinanda, superbibendo poculum infusionis Florum Tussilaginis.

## NIGELLASTRUM.

Pseudo-Melanthion, seu NIGELLASTRUM, *Offic.* Lychnis segetum major C. B. P. 204. *Inst.* R. H. 335. *Raii Hist.* 998. Pseudo-Melantium, I. B. 3. 341. Nigellastrum, *Dod. Pempt.* 173. Lychnis, sive Lychnoides segetum, & Nigellastrum, *Park.*. Lychnis arvensis, *Tab.* Lychnis segetum, *Schvvenckf.* Githago, *Trag.* Melanthium ex tritico, sive triticeum, *Hippocr.* Anthemon foliosum, *Gesn. Hort.* Agrostemma, *Linn. Hort. Cliff.* 175. Lolium, Nigella arvensis falso, *Quorumd.* vulgo, *Nielle des bleds, ou batarde*, *Alesne.*

E radice parva, simplici, & alba, caulem propellit bicubitalem, oblongum, villosum, geniculatum, cavum in quosdam ramulos divisum. Folia juxta caulem invicem opposita, sunt angusta, longa, marginibus æqualibus, lata

basi, caulem amplectentia, & sensim mucrone acuto desinentia, villosa, longisque pilis albescentibus induta. Flores in caulium, ramulorumque apice, quinque bifidis foliis, plerumque purpureis, aliquando albis, aut luteo-pallidis, centrum versus lineis colaratioribus, striatis exiguis nigricantibus punctis conspersis, e calyce prodeunt oblongo, striato, villoso, quinquifido, floreque elatiore. In horum locum postea conspiciuntur, capsulæ seminales oblongæ, fere glandiformes, sese per maturitatem in partes quinas aperientes ac plurima semina occludentes crassa, angulosa, striata, rudia, per maturitatem, nigra, ut in Nigella vulgari, sapore amaro, ac inodora. In arvis enascitur, & ubique segetes inter luxuriat; viget, ac florescit Majo, Junio, & Julio. Rajus observat, hujusce semen Microscopio subactum haud inconcinne hericium intra sese convolutum repræsentare. Planta hæc annua est, ut Nigella vulgaris.

Parum Medicina utitur Nigellastro, quamvis a gravibus Auctoribus magnis encomiis extollatur; verum quum remedia quamplurima, experientia comprobata, ad easdem indicationes adimplendas, præsto sint, hinc ejusdem proprietates minus innotescunt; eas tamen evulgare oportet, eo quod ceteræ plantæ non ita facile, quando opus sit inveniantur, contra vero, quum hæc vulgatissima sit, iis commode substitui potest: Fuchsius ejusdem foliorum decoctionem pro Lotione in Scabie, Impetigine, aliisque cutaneis morbis a Lymphæ vitio oriundis commendat; eique virtutem detergentem, & consolidantem largitur, usurpatque in ulcerum, & fistularum curatione, & ad hæmorrhagias sistendas. S. Paulli postremum hocce attributum confirmat; narratque a Sennerto in hisce casibus commendatam excepisse, & cum successu in Epidemicis Hæmorrhagiis, suis temporibus, Daniam divexantibus, usum, mirificis curationibus ea peractis, veluti Magum fuisse reputatum. Utendi ratio: recentis hujusce radicis frustulum lingua detinetur.

## NOLI ME TANGERE.

NOLI ME TANGERE; Impatiens herba, sive Noli me tangere, *Offic.* Balsamina lutea, sive Noli me tangere, C. B. P. 306. *Inst.* R. H. 419. Noli me tangere, I. B. 2. 908. Impatiens *Dod. Pempt.* 659. Persicaria siliquosa, *Ger. Raii Hist.* 1328. Mercurialis sylvestris, Noli me tangere dicta, sive Persicaria siliquosa, *Park.* Chrisæa, Persicaria siliquata, Balsamina altera, *Lugd. Hist.* OEschynomene, *Plin.* Impatiens pedunculis solitariis multifloris, *Linn. Hort. Cliff.* 428. Balsamina sylvestris, Mercurialis sylvestris altera, *Nonnull.* vulgo *Balsamine jaune, herbe impatiente, ou Merveille à fleur jaune.*

E radice vix quidem solum attingente, & fibrosa Caulis exsurgit ad altitudinem pedis cum dimidio, tenerus, dilute-viridis, inferna sui parte ad purpureum accedens, levis, lucidus, cavus, ramosus, per intervalla geniculatus, tuberositatibus, nodos arthriticorum æmulantibus, succoque insipido plenis donatus. Folia alternatim disposita sunt, Mercuriali similia, aliquanto tamen grandiora, & latiora, marginibus denticulis longis, acutis, bases latiores crescendo acquirentibus, prædita, læte-viridia, succoque plena. Ex alis foliorum longa exeunt peduncula, minuta, solum versus inclinata, in tres, aut quatuor ramusculos divisa, ex quibus parvi flores exeunt quatuor con-

flati

flati petalis inæqualibus, aliis Balſaminæ ſpeciebus ſimiles biniſque viridibus foliolis a tergo innixi, lutei, ſpeciemque referentes exilis monſtri marini cauda delicatula, brevi, curva, acuta, corniformi magnam ingluviem aperientis, punctis ſaturate rubris diſtincti, ac in media ſui parte pluribus albeſcentibus ſtaminibus ſuffulti.

Floribus ſuccedunt fructus longiuſculi, minuti, nodoſi, dilute-virideſcentes, lineis viridibus conſperſi, ſolum verſus pendentes, qui matureſcendo, ventis agitati, aut minimo contactu aperiuntur, vique ſua elaſtica diſſilentes, ac ſeſe retrovolventes quoſdam veluti vermiculos ſeminum oblongorum, coloris cinericei, ſub-nigri, aut ſubrubri ejaculant. Senſus hic, aut vis elaſtica in cauſa eſt, cur imperiti expaveſcant, curque *Noli me tangere* nuncupari mereatur. Planta annua eſt inque ſylvis lociſque humidis; ac umbroſis creſcit; in agro Pariſienſi occurrit, Junioque floret.

In ea plurimum phlegmatis, olei, & ſalis eſſentialis continetur. A nonnullis, & præ aliis a Dodonæo maligna qualitas huic tributa fuit, & inter venena reponitur; nihilo minus experientia conſtat, eam non pravos effectus, ſed e contra optimos progignere. Aperiens, diuretica, lithonthriptica eſt ejus decoctio, aut aqua diſtillata. Geſnerus hiſce dotibus præditam, plurimis comprobat experimentis, teſtatur tamen largius aquam hanc ingurgitatam, Diabetem progignere. Jure igitur, meritoque inter efficaciora diuretica recenſetur. Ab aliis quoque cathartica, ac emetica facultas huic conceſſa fuit: quamplurimis vero in regionibus hoſce effectus progignere neutiquam ſolet, quod a clymatum varietate, veroſimilius provenit, a qua dotes plantarum diverſimode afficiuntur; Quoad externum uſum, vulneraria, detergens, ac reſolvens eſt; trita etiam inveteratis ulceribus applicatur, eaque detergit, & ad cicatricem deducit. Schvvenckfeldt refert, experimento edoctus agricolarum, plantam hanc Agrimonia commixtam luxata membra roborare.

## N U M M U L A R I A.

NUMMULARIA, Centimorbia, *Offic.* Nummularia major lutea, C. B. P. 309. Nummularia, ſive Centimorbia, J. B. 3. 370. Nummularia, *Dod. Pempt.* 600. *Ger. Raii Hiſt.* 1099. Nummularia vulgaris, *Park.* Centimorbia, *Geſn.* Lyſimachia humifuſa, folio rotundiore, flore luteo, *Inſt.* R. H. 141. Hirundinaria minor, *Tab. icon.* 874. Nummularia ſupina, ſive Nummularia, *Officinarum*, *Rupp. Flor. Jen.* 14. Lyſimachia foliis ſubrotundis floribus ſolitariis caule repente, *Linn. Hort. Cliff.* 52. Nummularia Centummorbia, Hirundinaria, vel potius Hirudinaria, *Nonnull.* vulgo, *Nummulaire ou herbe aux ecus*, *Monnoyer*.

E radice ſerpenti, minuta, fibroſa, plures exeunt caules longi, graciles, anguloſi, ramoſi, in ſolo repentes, ſerpenteſque, folia invicem oppoſita circumferentes, digitum lata, rotunda, & aliquantulum criſpa, luteo-viridia, ſapore adſtringenti admodum, ac exſiccanti abſque ulla irritatione. Ex foliorum alis exeunt flores magni, lutei, roſacei, monopetali, acuti, brevibus adnexi pedunculis; in quibuſdam vero ramulis terna folia, totidemque flores in ſingulo nodo conſpiciuntur. Horumce locum ſubeunt parvi, ſphæricique fructus, ſemina minutiſſima, oculorum aciem effugientia continentes.

tes. Propter ſphæricam foliorum figuram *Nummularia*, ob inſignes vero proprietates *Centimorbia* nuncupatur. Ruri creſcit in locis humidis, ſecus foſſas viaſque, prope aquæ rivulos, aut fontes. Ubique vulgatiſſima eſt, exeunte Majo floreſcit ad totam fere Æſtatem. Obſervatur autem, magis, minuſve eam excreſcere juxta ſolum, in quo enaſcitur, atque in hortis inventam, arvenſi grandiorem eſſe. A Fuchſio *Herba agnos enecans* vocatur, eo quod ab agricolis agnorum, ac ovium ex ea ſtaturatarum pulmones exulcerari, abſque ulla ratione fortaſſe creditur.

Nummulariæ folia acriuſcula, & ſtyptica ſunt, papyrumque cæruleum rubro colore inficiunt. Acidum in hac planta dominatur, & una cum terra, ſal aluminoſum, parva olei quantitate involutum, in ea conſtituit, a quo adſtringens, vulneraria ad quoſcumque ſanguinis fluxus, fluoreſque albos ſiſtendos, nec non ad vulnera, & ulcera externa conſolidanda aptiſſima efficitur. Camerarius aſserit, optimam eſse in lacte ebullitam adverſus Scorbutum. Tragus in pulmonum ulcere decoctionem vino, ac melle confectam commendat; in Dyſenteria vero, Fluoribuſque albis decoctio in vino, aut lacte parari poteſt. Fuchſius herbam cataplaſmatis forma applicatam pro ulceribus exſiccandis proponit.

Si Matthiolo, Schordero, Ettmullero, & Rajo fides præſtanda eſt, Infantum hernias ſanat pulveris forma interne exhibita, necnon externe quoque applicata. Doſis ℈j. in cochleari lactis, aut juſculi una tantum vice ſtatis diebus.

Ejus ſuccus in Emplaſtro *Oppodeltoch* uſurpatur.

*Decoctio adverſus Dyſenteriam.*

℞. Nummular. Man. j. Ebul. in ℔ij. lactis ad medias. Collaturæ adde Syrup. Conſolid. majoris ℥j.ß. pro tribus doſibus trium horarum intervallo exhibendis.

## NYMPHOEA.

NYMPHOEA planta aquatica eſt, cujus duæ ſunt ſpecies in Officinis cognitæ; Prima flore albo, Secundæ luteo flore præferenda.

Nenuphar album, Nymphœa alba, *Offic.* Nymphœa alba major, C. B. P. 193. *Inſt.* R. H. 260. Nymphœa alba, J. B. 3. 770. *Dod. Pempt.* 585. *Ger. Raii Hiſt.* 1320. Nymphœa major alba, *Lugd. Hiſt. Eyſt.* Nymphœa flore albo, *Clus.* Nymphœa candida, *Trag. Fuchs. Turn. Cæſ.* Nymphœa calyce tetraphyllo, corolla multiplici, *Linn. Flor. Lappon.* 176. Nenuphar album, *Brunſ.* Herculania mater, *Apul* Heracleon, Heraclea, Papaver aquaticum, Rhapalon, clavus, ſeu digitus veneris, clava, ſive radix Herculis, alga paluſtris, *Quorumd.* vulgo, *Nenuphar Blanc*, *Lis d'etang*, *Volet*, *Plateau a fleur blanche*.

Radice eſt longa, brachii, & aliquando humani cruris craſſitie, cortice nodis interſito, extus ſub-atra, intus alba, carnoſa, fungoſa, magna ſucci viſcidi copia repleta, in aquæ profundo limo plurimis fibris adnexa, vivaci. Emittit folia magna, lata, ſemirotunda, cordis, aut ferri equini more emarginata, denſa, carnoſa, coriacea, in aquæ ſuperficie natantia, venoſa, dorſo dilute-viridi, inferne vero atro-viridia, duobus parvis obtuſis auri-

auriculis in unaquaque locatis, gustu herbaceo, & insipido: folia hæc autem longis caudis infantis digitum crassis, cylindraceis, sub-rubris, teneris, succolentis, & fungosis sustinentur. Flores habet magnos, crassos, latosque, quum præcipue expanduntur, plurimis bracteis rosaceis constantes, satis pulcros, adinstar Liliorum albos, fere inodoros, e calyce prodeuntes, plerumque quinquepetalo albescenti, quorum quisque pedunculo foliorum caudæ simili sustinetur, habetque folia ambitum versus externe albo-viridescentia, non secus ac *Ornithogalum*, mediaque eorum pars numerosis occupatur staminibus. Fructus succedit rotundus, capiti Papaveris similis, per longum in plures cellulas divisus, seminibus oblongis, sub-nigris, lucentibus, Milio crassioribus, plenas. Planta hæc a Medicis usitatissima neutiquam in hortis colitur; sponte crescit in paludibus, in aquis corruptis, rivulisque lente excurrentibus, aut stagnantibus, lacubus, ac fluviis, in quibus visum jucundissime delectat; Majo, & Junio floret, & quandoque Autumno. In Officinis ejus radix, folia, flores, & semina usurpantur. Rajus asserit, Nenuphar Bresyliense flore albo a Marg grave descriptum, & ab incolis *Agnape* vocatum, speciem a nostro distinctam efformare, sibi non videri, neque Theophrasto, & Plinio fidem præstandam esse, qui mirabilem referunt sympatiam *Loti* Ægyptii cum Solis cursu, videlicet, plantam hanc, eo Occidente florem suum occludere, ac sese in aquam abscondere, eo autem Oriente ex aqua exire, seque totam reserare; tamen Prosper Alpinus, & Joannes Bahuinus hac in re idipsum constanter confirmant, adduntque idem in nostro Nenuphar albo observasse.

Nenuphar luteum, Nymphœa lutea, *Offic.* Nymphœa lutea major, C. B. P. 193. *Inst.* R. H. 261. *Park. Lugd. Hist. Clus.* Nymphœa lutea, J. B. 3. 771. *Dod. Pempt.* 585. *Ger. Raii Hist.* 1319. Nymphœa citrina, *Cord. Hist.* Nymphœa flore ex toto luteo, *Cæs.* Nymphœa calyce magno pentaphyllo, *Linn. Flor. Lappon.* 176. Nenuphar luteum, *Brunf.* vulgo, *Plateau a fleur janue.*

Species hæc differt a præcedenti foliis minus rotundis, & longioribus, flore luteo, fructu conico, Nenuphar albo majora semina recipiente, demum radice extus viridi. Nymphœa lutea iisdem in locis occurrit, eademque floret tempestate, qua alba; inque regionibus, in quibus Nenuphar album haud raro invenitur, ut in Anglia, agroque Parisiensi; Nenuphar luteum præcedenti substituitur. Rajus observat, ejusdem florem spiritus vini odore scatere. Quod vero spectat ad Etymologiam *Nenuphar* vox est Arabica, nomenque Nymphœæ huic tributum, quasi *Nympha* indigitaretur, quum planta hæc potissimum enascatur, feraturque in aquis, in quibus Nymphas, & Najades habitasse, Poetæ finxerunt.

Radix est parumper viscosa, & amara, chartamque cæruleam erubescentem admodum reddit. Analyseos Chymicæ ope, plurimum acidi, olei, & parum salis volatilis concreti largitur: hinc nil mirum, plantam hance adeo temperantis esse naturæ. Communiter ejus radix usurpatur in Ptsanis refrigerantibus, quæ conveniunt urinæ ardoribus, renum, aliararumque viscerum inflammationi, febribus ardentibus, insomniis violentis, demum morbis omnibus, in quibus fervidus sanguinis, spirituumque motus est compescendus; prostant in Officinis ejus florum aquam distillatam, ex quibus etiam syrupus, & conserva oleumque infusione, & coctione conficiuntur. Aqua distillata plerumque basis est in syrupis, potionibusque refrigerantibus, in quibus

bus ab ℥ iij. ad ℥ vj. uſque præſcribitur. Syrupus floribus paratus quidpiam habet narcotici, inque opiatis remediis uſurpatur ab ℥ ß. ad ℥ j. Conſerva apta eſt ad pulveres in bolis, & opiatis, anodynis, & narcoticis ſubigendos. Demum Oleum floribus paratum eaſdem habet paregoricas, ac ſedantes proprietates: in febribus delirio conjunctis uſurpatur, tempora eo confricando, ex quo magnum ægri ſolatium percipiunt. Mel Nymphææ ab ℥ ij. ad ℥ iij. clyſteribus emollientibus, & refrigerantibus ſociatur, conficiturque ex florum ejuſdem calycibus, ac ſtaminibus, quæ ab infuſione pro ſyrupo tanquam ſuperflua ablegantur. Plinio fides non eſt præſtanda, qui aſſeruit, decoctionem ejuſdem radicis duodecim dierum ſpatio uſurpatam, impotentes ad choitum reddere. Diuturna experimenta contrarium demonſtrant. Tragus aſſerit, eamdem decoctionem optimo Vino rubro paratam, ad ſanguinis hæmorrhagias, immodicumque menſium fluxum ſiſtendum, valere, inque deſperatis caſibus profuiſſe; idemque de ſemine confirmat. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria 3. anno 7. & 8. pag. 77. Appendicis* in medium affertur ſanatio plurium ægrotantium tertiana febri laborantium, ſola Nymphææ radicis, juxta ejus longitudinem inciſæ in plantis pedum appoſitione.

In ſyrupo Teſtudinis, & in pulvere *Diamargarito frigido* flores Nenuphar uſurpantur; Syrupus vero in Pilulis Hypnoticis, & aqua diſtillata in Looch communi *Pharmacopææ Pariſienſis*.

Quoad Nenuphar luteum, ſpeciei primæ ſubſtitui commode poſſe jam diximus, iiſdemque facultatibus, quamvis demiſſioribus potiri. Tamen communiter flos Nenuphar albi, radix vero lutei uſurpatur, quæ etiam uſuvenit in Enemate refrigerante, in pulvere Camphorato, & Trochiſcis de Camphora *Pharmacopææ Pariſienſis*.

*Ptiſana refrigerans.*

℞. Avenæ optimæ, electæ, & mundatæ ℥ ij. Radicis Nymphææ recentis raſæ ℥ j. Ebulliant in ℔ iij. aquæ ad tertias. Adde in fine Cryſtall. miner. ʒ j. Servetur colatura pro potu ordinario.

*Ptiſana altera refrigerans, & temperans.*

℞. Rad. Biſmalvæ, & Nymphææ lotar. & roſar. ana. ℥ j. Sem. Lini nodulo incluſ. pug. j. Glycyrrhizæ in fila evulſæ ʒ ij. Immergantur omnia in ℔ iij. aquæ ebullientis, ac poſt duarum horarum infuſionem fiat per linteolum colatura, ſerveturque tepida pro potu in morbis Renum, urinæ ardore, ac retentione.

*Enema emolliens, ac refrigerans.*

℞. Fol. Malvæ, Parietariæ, & Senecii ana Man. ß. Ebulliant in ℔ ij. aquæ ad medias. Colaturæ ad Mellis Nenuphar ℥ ij. ſeu ℥ iij. pro Enemate.

*Julapium refrigerans, ac leviter hypnoticum.*

℞. Aquar. Nenuphar, ac Lactucæ ana ℥ iij. Syrupi Nenuphar ℥ j. M. pro Julapio

lapio bis de die propinando in febribus ardentibus, insomniis, ac agitationibus.

*Emulsio pro potu in Gonorrhœa, & urinæ ardore.*

℞. Quatuor sem. frigid. major. ℥ ß. Sem. Pap. albi ʒ ij. & Amygd. dulc. N. jv. Tere in mortario marmoreo, superinfundendo paulatim ℔ iij. decoctionis Hordei. Edulcoretur inde colatura Syrupi Nymphææ ℥ j. ß. & servetur pro potu.

*Electuarium Castitatis.*

℞. Sem. Urticæ, & Jusquiami ana ʒ j. Camphor. ʒ ij. Glycyrrhizæ ℈ jv. f. p. ac M. diligenter, adde Conser. Flor. Nymph. ℥ iij. & syrup. ejusdem q. s. ut Electuarium conficiatur, ʒ j. ß. bis de die nebula obvolutum propinandum, statim superbibendo cyathum seri lactis, in quo ferrum candens extinctum fuerit, repetaturque usque dum tota Electuarii prædicti massa insumpta fuerit.

## OCIMUM.

Botanici plures Ocimi species distinguunt: in Medicina vero practica, usuque communi, sequentia duo tantum usurpatur, nempe Vulgare, & Minimum.

Ocimum, Ocymum, Ozimum, Basilicon, seu Basilicum vulgare, *Offic.* Ocimum vulgatium, C. B. P. 226. *Inst.* R. H. 204. *Raii Hist.* 541. Ocimum medium vulgatius, & nigrum, J. B. 3. 247. Ocimum vulgare majus, *Park.* Ocimum magnum, *Tab. icon.* 343. Ocimum medium Citratum, *Ger.* Basilicum, sive Ocimum *Brunf.* Ocimum medium vulgatius, *Lob. icon.* 503. Ocimum medium, *Matth. Fuchs. Lugd. Hist.* Basilica major, *Trag.* 31. Ocymum Garyophillatum, Ocymum odoratius, Ocimum medium album & rubrum, Herba Basilica, Herba Regia, *Quorumd.* vulgo, *le Basilic commun aux sauces, ou des Cuisiniers.*

Ei radix est lignosa, nigra, fibrosa, caulemque emittit semipedalem, & ultra, cespolumque. Hic in plures ramulos quadratos, ad purpureum colorem accedentes, villosos, foliisque ornatos Parietariæ similibus, & exilioribus, lævibus, quandoque marginibus incisis, quandoque non, odore forti, aromatico, & suavissimo; sapore non satis grato. Flores verticillati sunt, summisque ramis in longæ spicæ fere expansæ modum dispositi, albo purascentes, odori labiati, tubulo scilicet constantes vertice duobus labiis ita distincto; ut inversi pene videantur, pars enim, quæ labium superiorem efformare deberet, deorsum pendet, labello vero altero tribus lobulis distincto superiora respiciente calycis ambitu quadrifido, ac superne cochlearis in modum cavo. Floribus capsula quædam, semina oblonga, minuta, & sub-nigra occludens succedit.

Ocimum seu Basilicum minimum, *Offic.* Ocimum minimum, C. B. P. 226. J. B. 3. 247. *Inst.* R. H. 204. *Raii Hist.* 541. Ocimum vulgare minus, *Tab. icon.* 344. *Ger.* Ocimum minimum Caryophyllatum, *Lob. icon.* 504. Basilica minor, *Trag.*

*Trag.* Ozimum Leptophyllum, Ocymum parvum crispum, & globosum, Ocimum exiguum, minutum, nanum, pusillum, Ocimum album, & nigrum minimum, *Nonnull.* vulgò, *le Basilic petit, qui se met dans des pots sur le fenetres, & sur les boutiques.*

E radice fibrosa, & minutissima, caulis exsurgit palmaris & ultra, ramulis valde cespotis, ac parumper lignosis onustus, globumque densum efformans: ramuli foliis exornantur Serpyllo, aut Majoranæ similibus, rotundis, sub-viridibus, aut ad purpureum accedentibus, odore acutissimo, & suavissimo, Caryophyllum redolente. Flores parvi sunt anulatim dispositi, aut juxta caules, ramulosque verticillati, eorum vero loco postea capsulæ apparent exiguis seminibus sub-nigris refertæ. Altera hæc species tenerior, delicatiorque Ocimo vulgari deprehenditur, observaturque in regionibus frigidis v. g. in Anglia, non adeo facile ad maturitatem semen perduci. Colitur in hortis, domibusque, quas odore gratissimo, & ad cerebrum confortandum, spiritusque recreandos aptissimo perfundit. Ob hanc potissimum odoris excellentiam *Basilicum* nuncupatur, veluti *planta* aut *herba Realis*, manuum realium contrectatione aut palatu Regis dignissima. Annua est, floresque Julio, Augusto, & Septembri propellit. Omnes Basilici species aromaticæ sunt, aliæ enim odore Anisi, aliæ Balsami, aliæ majori, vel minori scatent suaveolentia. In usu autem Medico juxta Authores præferenda ceteris est, Caryophyllum aromaticum, aut Citrum redolens.

Basilicum plurimum olei exaltati, salisque volatilis abdit. Folia, flores, & semina inter cephalica, Cordialia, & pectoralia numerantur. In hortis, uti diximus, magnus hujusce specierum indiscriminatim a Medicis usurpandarum numerus colitur: consuetudine tamen inveterata, usque adhuc a nobis descriptæ aliis omnibus anteferuntur. In umbra exsiccantur, & pulverantur, miscenturque cum aliis aromaticis herbis eadem ratione paratis. Pulvis hic cephalicus nuncupatur, ob vim cerebrum exonerandi, perque nares magna copia serosos humores educendi, præsertim, si mane jejuno stomacho naribus propinetur. A quibusdam pulvis hic Tabaco præfertur; Tabacum enim inassuetis nimis violentam impressionem excitat, naresque nimium stimulat: Verissimum tamen est Authores existere, Plinium nempe Hollerium, Camerarium & alios, qui Scorpiones progigni ex eo posse suspicantur, quum in vase, in quo Ocimum colitur, Scorpiones quandoque conspexerint; Nonnullorum præterea experientia edocti pulveris hujusce usum omnino reprobant, eo enim utentes, morbis capitis, ac nonnumquam violenta phrenitide correptos periisse, apertisque cadaveribus nidum Scorpionum viventium in eorum capite repertum fuisse asserunt. Hoc itaque concesso, quod profecto repugnat, causam ab hisce Medicis assignatam constanter negamus; ab hodierna enim Physica æquivocæ, & spontaneæ generationes exploduntur. Celebris Wedelius *in Ephemeridibus Germanicis Decuria I. anno III. Observatione* 79. narrat, quamplurima experimenta a se ipso incassum fuisse instituta, ut probaretur, utrum Ocimi pulvis Scorpiones progignat nec ne. Verosimilius ergo erit, Scorpiones grato Ocimi odore allectos, eo specifice delectari, uti feles *Maro*, *& Mentha Cataria*, libentiusque sub vase, in quo seritur, quam sub aliis abdictos permanere, quin huic Plantæ Scorpiones progignendi facultas tribuatur. Quoad vero spectat ad eorum experimentum, in quorum capite Scorpionum nidi apparuerunt, insecta isthæc in Ocimi foliis ova de-

posuis-

posuisse, & ab iis una cum pulvere prædictis foliis confecto ova nonnulla per nares attracta, & in sinubus frontalibus transfusa, blando loci calore, parvis Scorpionibus lethales paroxismos exitantibus, ortum dedisse censendum erit.

Ut vero ad nostræ Plantæ proprietates reddeamus, folia, & flores in infusis usurpantur ad modum Theæ adversus capitis dolores, ejusque fluxiones: necesse autem est ut antea ad umbram exsiccentur; Ocymum enim recens cerebrum turbat, siccumque mitius, suaviusque est.

Expertus, satisque in arte sua peritus Cocus Ocimo, Thymo, Serpyllo, Satureja sativa, aliisque aromaticis herbis indigenis ita utitur, ut edulia harum ope confecta pari ratione palato grata experiantur, ac, si aromata exotica usurparentur.

Folia Basilici vulgaris in Aquis, Generali, Hysterica, Menthæ composita, & in Spiritu carminativo *Sylvii Pharmacopœæ Parisiensis* usurpantur. Semina vero in pulvere *Diarrhodon*, pulvere Lætificante, & Syrupo Artemisiæ ejusdem *Pharmacopœæ*; tota vero herba in Unguento *Martiato*.

℞. Pip. longi, Fol. exsic. Ocimi, & Majoranæ, & Succini ana. ℥ iij. Nucis moschatæ, & Macis ana. ℥ j. F. P. ac inter duo linteola claudatur, ex quibus Galerus capiti aptandus conficietur in catarrhis, efferisque hujusce partis doloribus a causa, ut ajunt, frigida productis.

℞. Fol. exsic. Ocimi, Majoranæ, Roris Marini, Betonicæ & Liliorum convallium ana. p. æ. M. f. p. subtilissimus ad modum Tabaci usurpandus.

## OCULUS BOVIS.

BUPHTALMUM vulgare, *Offic.* Buphtalmum Tanaceti minoris foliis, C. B. P. 154. *Inst.* R. H. 495. Chamœlum, Buphtalmum caule ramoso, foliis pinnati-fidis, laciniis linearibus dentatis serratis, floribus penduncullatis, *Linn. Hort. Cliff.* 414. Chrysanthemum, quorumdam, J. B. 3. 122. Buphtalmum Germanis, *Trag.* 152. Buphtalmum vulgare, Chrysanthemo congener, *Clus. Hist.* 332. Cotula lutea, sive tertia, *Dod.* Aster Atticus, *Cord.* Buphtalmum vulgare, *Ger. Raii Hist.* 341. Buphtalmum Matthioli, sive vulgare millefolii foliis, *Park.* Buphtalmon, Oculus Bovis, *Lob. icon.* 772. Chrysanthemum perenne, brevioribus, & incanis foliis, Tanaceti instar alatis, *Hist. Oxon.* Chamæmelon aureum, *Fuchs.* Cotula non fætida, *Lox.* Boaria, Boanthemum, Oculus Vaccæ, Oculus bubulus, bovinus vel bovillus, Buphthalmum legitimum seu verum, Buphthalmum Germanicum, Camomilla crocea, Cachla, Genitura vel semen Mercurii, Bellis aurea, Herba crispula, solidago Buphtalmica, *Nonull.* vulgo, *OEil de Bœuf*, *fausse Camomillæ jaune*.

Ex radice dura, lignosa, vivaci, exeunt caules ad altitudinem pedis cum dimidio, aut duorum pedum, exiles, lanugine brevi, & sub albida circumfusi, numerosi, prope solum sub-rubri, & ramosi. Folia quæque bina simul juncta, ac incisa ad costam usque, lanuginosa, margine denticulato, Millefolio, aut Tanaceto minori similia, odore Camomillino. Flores in caulium, & ramulorum apicibus radiati, ut in Chamæmelo enascuntur, aliquanto majores, luteique ut in Chrysanthemo vulgari, e calyce sub-albido, & squammoso exeuntes, quibus semina succedunt minuta & angulosa. In arvis crescit, in viarum & fossarum marginibus in Germania, Italia, Provincia, & alibi;

alibi; in areis quoque hortorum colitur, ob magnam florum copiam, eorumque gratum aſpectum, quamvis inodori ſint; Præterquamquod Hyemi reſiſtit, diutiſſimeque perdurat; Æſtate floret, Junio, ſcilicet, & Julio. Flos *Bovis oculum* repræſentat, atque hinc nomenclaturam planta mutuatur; neque cum Bellide majori eſt confundenda frequenter quoque *Oculus Bovis* nuncupata.

Magnam ſuppeditat olei portionem, mediocrem vero ſalis eſſentialis; detergens eſt, vulneraria, emolliens, atque reſolvens. Quamvis hæc haud frequentem, & vulgarem uſum medicum habeat, tamen hic locandam a nobis eſſe rationi conſonum credidimus, præſertim quia in Aqua vulneraria uſurpatur, & Bellide majori defficiente ſubſtituitur. Tragus florum decoctionem in Vino commendat ad vermes ejiciendos, doloreſque colicos demulcendos: additque ea cum ſucceſſu uſum fuiſſe in hepatis morbis, optimumque eſſe aperiens remedium. Juxta Johannem Bauhinum ejus flores Camomillæ odoræ ſemper habent facultatem, uſurparique poſſunt loco ſummitatum Abſinthii. In quibuſdam Germaniæ regionibus a fœminis ruſticis Junio hujuſce flores colliguntur, exſiccantur, proque uſibus ſervantur; iiſque Croci loco cubilia fricantur.

## OE N A N T H E.

ŒNANTHE, ſive Filipendula tenuifolia, *Offic.* OEnanthe apii folio, C. B. P. 162. *Inſt.* R. H. 312. *Raii Hiſt.* 441. OEnanthe, ſive Filipendula Monſpeſſulana folio Apii, J. B. 3. 190. OEnanthe Apii folio major, *Park.* Filipendula tenuifolia, *Tab. icon.* 141. Filipendula anguſtifolia, *Ger.* OEnanthe ſpecies Dalemchampii, Scrophularia *quorumd. Lugd. Hiſt.* 785. OEnanthe, Paſtinacæ ſylveſtris folio, ſemine oblongo; OEnanthe anguſtifolia, ſive Selinophyllos; Filipendula fere Apii hortenſis folio, *Nonnull.* vulgo, *Filipendul aquatique ou Perſil de marais.*

Radices habet glanduloſas, aut refertas napis extus nigris, intus albidis, ſuſpenſis fibris longis, veluti filamentis, in latum magis, ſeſe extendentibus, quam in terram penetrantibus, guſtu dulci, admodum grato, parumper ad Paſtinacam accedente. Hæ radices plures caules plerumque bipedales, ſub-cæruleos, anguloſos, ſtriatos, & ramoſos emittunt. Folia variis obnoxia ſunt mutationibus; primum enim lata ſunt, in terram expanſa, & Petroſelino hortenſi ſimilia, guſtuque accedentia, moderata ſtipticitate excepta, coloremque habent viride-luceſcentem; deinde vero figuram a Peucedano mutuantur. Flores in ramorum apicibus umbellati ſunt, parvi, ſinguli quinque bracteis, adinſtar Lilii conflati, albo-purpureſcentes, quibus ſemina duo ſimul juncta, oblonga, dorſo ſtriato, extremo ſui apice plurimis ſpiculis ſuffulta ſuccedunt. Planta hæc in paludoſis locis creſcit, atque in Curioſorum hortis colitur; Æſtate, Junio, Julio, & Auguſto floret. Juxta Joannem Bauhinum aliquantulum in hortis variat; non adeo tamen mutatur, ut Paſtinacam foliolis ſupra umbellas locatis ad unguem æmuletur, ut a Matthiolo deſcribitur.

Hæc OEnanthe ſpecies plurimum ſalis, atque olei continet. Radix in uſum Medicum venit; & jure, meritoque inter detergentes, aperientes, & diureticas connumeratur; teſtaturque D. Magnolius *in Hiſtoria Plantarum Agri*

*Monspessulani* easdem, ac Filipendula vulgaris, facultates possidere, & commode huic quandoque substitui posse; quod tamen penitus reprobamus. Quum vero Filipendulæ descriptionem in superioribus jam tradita fuit, facile de OEnanthe verba facere supersedissemus, nisi huic nomen commune esset cum alia venefica planta *OEnanthe Cicutæ foliis* nuncupata, ideoque, ne cum hac postrema specie facile confundatur, ejusque proprietates ignorarentur, hanc descriptionem tradere, nostrum esse credidimus.

## O L E A.

OLEA arbor est mediocris magnitudinis, cujus duæ sunt species, quæ accidentalibus inter se distant differentiis, quæque ideo a melioris notæ Botanicis uti varietates reputantur, suntque Olea sativa, & sylvestris. De hac postrema neutiquam hic sermo instituetur, potissimum quia ejus Oleæ nullum usum habent, sed solummodo de Sativa crassiori fructu, deque Altera oblongo minori.

Olea major sive Hispanica, *Offic.* Olivæ maximæ Hispanicæ, C. B. P. 472. Olea Sativa, J. B. 1. 1. *Ger. Park. Raii Hist.* 1541. Olea fructu maximo, *Inst.* R. H. 599. Oliva crassior circa Hispalim nascens, *Clus. Hist.* 25. Olivæ superbæ nucis fere magnitudine, *Cæsalpin.* 73. vulgo, *Olivier a gros fruit.*

Radices habet partim rectas, partim obliquas, in terræ superficie repentes, firmas, solidasque; caudicemque efferunt plus, minusve elevatum, ac nodosum, cortice lævi, & cinereo, ligno æqualiter compacto, solidiore, quandoque tortuoso, sub-luteo, gustu amariusculo. Folia oblonga sunt, & angusta, fere Salicis foliis similia, acuta, densa, carnosa, pinguia, dura, atro-viridia superius, vel juxta alios luteo-viridescentia; inferius vero albidiuscula, pilis destituta, brevibus petiolis affixa, & plerumque bina invicem opposita. Inter earum alas pedunculi exeunt, racemos Sambuci racemis similes florum sub-albidorum circumferentes, qui flores unica tantum bractea in vertice expansa, ac quadripartita, calyce vero inferiori sui parte in tubulum coarctato consistunt; hisce fructus oblongus, aut ovalis, viridis, carnosus, succolentus, variæque crassitiei succedit; in Hispania enim Prunum mediocre æquat, dum e contra in Italia, & Occitania vix glandem communem superat, quique *Oliva* nuncupatur; initio viridis est, post sublutea, demum sub nigra, dum maturescit; in Hispania etiam Olivæ inveniuntur, ut notat Clusius, finem versus albescentes. Saporem habent acerrimum, & amarum, quidpiam austeri, & ingrati referentem, continentque nucleum, oblongum, & pryforme, unum tantum semen, aut amygdalam ejusdem figuræ referantem. In regionibus calidis, provinciisque Meridionalibus arbor hæc colitur in Occitania, Provincia, Italia, & Hispania. Solum siccum, & argillaceum ad Meridionalem, aut Orientalem plagam expositum amat, Junio, & Julio florescit. Olea diutissime perdurat, ejusque lignum pulcherrimum, venulis conspersum gratique odoris, tam recens, quam siccum, flammam concipit, ponderosum est, magnumque affert proventum; fructus autem diu servatur; Oleum etiam ex eo exprimitur usus vulgarissimi præ cæteris in alimentis. Arbor hæc nec exactam nec negligentem curam exposuit; neglecta enim in regionibus Septemtrionalibus vix excresceret, sique illuc in hortis aliquando colatur, necesse est, ut a frigoris inju-

riis probe tutetur nihilominus sero admodum, ac raro florem emittit, & quamvis diligentissime excolatur, florem tantum, exiguumque fructuum numerum progignit. Plures Olivarum species reperiuntur, differuntque figura, colore, magnitudine, succo, soli varietate, aut inventorum nomine, quæ omnia longum esset hic recensere, tamen non adeo magnam inter se distantiam, differentiæ hæ omnes habere solent, uti in Pomis, Pyris, & Prunis observatur. Oleam enim minus natura sua ad variandas productiones inclinare compertum est. Oleæ rami quandoque Concordiæ, Amicitiæ, & Pacis signa fuere, ut hodie Gloria a foliis Lauri indigitatur.

Oleæ plurimum olei, phlegmatis, & salis essentialis largiuntur. Aqua, & sale condiuntur, ut in gratiorem saporem facescant: absque enim hac præparatione amaræ, & asperæ sunt, gustuque ingratissimo præditæ; prædicta tamen ratione conditæ appetitum cient, stomachum roborant, glareasque ejus parietibus infixas discutiunt, expelluntque, hinc etiam quidpiam laxantis præseferunt: nunquam denique nocere possunt, si modus in iis servetur.

Magni est usus Olivarum Oleum expressione elicitum, emolliens est, resolvens, temperans, in Pharmacia non-minus communiter usurpatum, quam in culinis utilissimum, vel ad acetaria condienda, vel ad pisces, & alia quamplurima alimenta coquenda.

Quod, a specie *Picholines* nuncupata, elicitur, in Provincia, & Italia exculta, cæteris est præferendum, uti odore, ac sapore mitissimum. Et ecce qua paretur ratione. Novembri, & Decembri magna probe maturarum Olivarum quantitas colligitur, ut major Olei portio eliciatur, antequam enim maturescant succus nimium glutinosus est: Per aliquod temporis spatium intra domum obteguntur, qua effervescant, nec non humidas, & aqueas partes dimittant: Postea mola colliduntur, & fiscinis e junco, aut palma confectis clausæ, aliæ, aliis superstruuntur in torculari. Oleum primo extractum *Oleum Virgine* nuncupatur. Calida Olivæ abluuntur, ac denuo facillime optimum Oleum exprimitur. Postea Olivæ jam depressæ agitantur; denuoque Calida superaffunditur; fortiusque quam antea calcatur torcular, exitque oleum fæcibus onustum, aliisque minus aptum. Oleum facile ab aqua secernitur, in ea enim supernatat: fundum vero petit quædam olei species, a veteribus *Amurca* nuncupata, peculiaribusque usibus donata.

Oleum Virgine non solum pro alimentis, verum etiam pro re Medica cæteris est præferendum; lancinantes colicos, tenesmi, & dysenteriæ dolores demulcet, aut per os uno, vel duobus cochlearibus cumulatis exhibito, sive cum decoctione emollienti, aut simplici aqua mixto pro clystere ℥ij. vel iij.

Nonnulli jejuno stomacho carnes cum Oleo assas comedunt, ut venter liberior fiat. *In Ephemeridibus Germanicis Decur. II. anno III. pag.* 188. extat Observatio D. Bernardi Valentini, qui asserit, hominem novisse hernia intestinali laborantem, quæ alvum adstrictam per integras hebdomadas ita efficiebat, ut colica, doloribusque lancinantibus aliquando etiam vexaretur, quæ omnia nonnullis Olei Olivarum unciis per aliquot sequentes dies ingurgitatis feliciter evanuerunt.

A quibusdam aliis unum, vel duo cochlearia in aquæ tepidæ cyatho deglutiuntur, ut blande vomitus provocetur. Schorderus asserit, adeo magnam Olei cum Cerevisia mixti copiam vulneratis propinari in Westphalia, ut su-

ut sudor solo Olei ab ægris recepti odore excitetur. Ad vermes enecandos Oleum quoque usurpatur, nec non ad venenorum corrodentium, Arsenici nempe, Auripigmenti, & Mercurii sublimati vilontiam obtundendam: adversus postremum præcipue majori dosi exhibendum est, ut apte sufficiat.

Oleum Omphacinum adeo a Veteribus adversus Hæmorrhagias commendatum, juxta ipsos a viridioribus Olivis eliciebatur, & adhuc Authores extant, qui naturalem esse falso autumant: certissimum enim est, virides Olivas nihilusspiam præter viscosum, glutinosumque succum præbere, nam principia sulphurea nisi in perfecta maturitate secerni possunt. Rationi itaque magis consentaneum erit, statuere, Omphacinum oleum artificiale fuisse, ex infusione Simplicium adstringentium in Olivarum Oleo communi.

Quod vero attinet ad externum Olei usum, inter antiquiores est reponendus; tam ad sanitatem tuendam, quam ad eam recuperandam Veteres utebantur. Athletis, priusquam ad luctam accederent, totum corpus inungebatur, ut musculi flexibiolores, facilioresque ad hoc exercitii genus redderentur; ipsi postea sese in sabulo sicco circumvolvebant, ad Olei calorem (inquit Hippocrates) humiditatemque temperandam, quod una cum sudore in violenta corporis exercitatione mixtum *Strigmenta* efformabat, quæ detergebantur quadam strigilis specie, cujus nobis figuram exhibuit Mercurialis in suo *Tractatu de arte Gymnastica*. Ramenta hæc, sive sordes maximi a Veteribus æstimabantur in pluribus morbis, & a Dioscoride commendantur ad Condylomatha, & Rhagades extirpandas, nec non ad rimulas, fissurasque in mammis, aliisque partibus efformatas claudendas. Plinius asserit, maximum olim fuisse harumce sordium proventum. Qui optimum corporis habitum servare cupiebant, post Calidæ balneum, Oleo totum corpus sibi illiniendum obtrudebant, ut cutis poris obstructis, nimia perspiratio a balnei calore oborta impediretur, utque musculis flexibiloribus reddactis, partium nutritio augeretur.

Nostris hisce diebus hi usus obsoleti omnino sunt, exceptis semicupiis ex Oleo ab aliquibus Medicis usurpatis in Colica Nephritica, ut calculi descensus in vesica procuretur, & in arthritide convulsiva, ut nervorum spasmodicæ contractiones auferuntur. D. Lanzoni testatur in *Ephemeridibus Germanicis* balneo Olei octo dierum spatio repetito, puellam a vermibus sanasse, incassum aliis adhibitis remediis. Notum est, Oleo una cum Vino quassato, Balsamum adversus adustiones optimum confici posse, quod etiam *Balsamum Evangelicum*, aut *Samaritanum* nuncupatur. Olei sedimentum *Amurca* vocatum feliciter usurpatur adversus Rheumatismum, & Ischiadem, additurque Spiritus Vini, ut vi magis penetranti polleat.

Oleæ folia adstringentia sunt; iisque nonnulli pro Gargarismate utuntur in Angina.

De Oleis tam simplicibus quam compositis, in Pharmacopæis descriptis hic sermonem neutiquam instituemus; eorum enim virtutes tum ad Plantas in ipsis infusas, quum ad Oleum speciatim sunt referendæ. Veritati ergo consonum erit, asserere, Olivarum Oleum præcipuam esse, communemque basim in omnibus Balsami, Unguenti, ac Emplastri speciebus.

Oleum vulgare demum usurpatur in Balsamis, Tranquillo, *Leucatelli*, ac Viridi ferculi, in Unguentis, Mundificativo de Apio dicto, *Basilicon*, Matris, Apostolorum, *Martiato*, & aliis; usurpatur præterea in Emplastris *Dia-*

*chylon* ſimplici, Divino, *Diapalma*, de Norimberga, in Tela *a Gaultier*, &c. *Pharmacopææ Pariſienſis*.

Olea minor, *Offic.* Olivæ minores, & Genuenſes, & ex Provincia, C. B. P. 472. Olea fructu oblongo minori, *Inſt.* R. H. 599. Oliva minor, oblonga, *Bot. Monſp. &* H. R. *Monſp.* Olea communis ſive vulgatior, *Nonnull.* vulgo, *les Olives picholines*.

Hæc Oleæ ſpecies vulgatiſſima, & exquiſitior, a præcedenti non differt, niſi fructu exiliori: ut enim jam a nobis indicatum fuit, Oleæ fructus plus, minuſque craſſior eſt juxta ſolum, in quo colitur: in Provincia, ac Occitania, non ſecus ac glans Quercina, in Hiſpania vero Nuce moſchata vulgari craſſior eſt. Superfluum ergo eſſet ulteriorem hic deſcriptionem tradere.

*Les Picholines* ita ab earumdem præparationis inventoris nomine nuncupatæ, Olivæ ſunt pluribus locis inciſæ, in ſarmentoſo primum lixivio maceratæ, ac in garo poſtea immiſſæ; hæ præ cæteris eſu delicatiores ſunt; inciſionibus enim Muria citius penetrante, tota earum ſubſtantia, ea facile perfnndi poteſt.

Diverſa ex hiſce elicita Olea, molioris notæ ſunt, Oleis Olivarum Hiſpanicarum. D. Garidelius ait in Provincia mulierculas ruſticas aquam Olivarum uſurpare ad affectiones Hyſtericas ſedandas; eamque hominibus ſimili morbo ſub morbi Hypocondriaci nomine cognito correptis exhibere; neque pro potu ſolummodo, verum etiam in clyſteribus uti. Doſis pro potu cyathus cumulatus.

℞. Olei Oliv. ℔ j. pro Enemate adverſus alvum ſummopere adſtrictam. Vel.

℞. Fol. Malvæ, Mercurialis, & Parietariæ ana. Man. j. coque in aquæ ℔ ij. ad medias. Colaturæ adde Olei Oliv. ℥ ij. pro Enemate.

*Potio vermifuga oleoſa.*

℞. Aquæ Portulacæ ℥ vj. Confectionis Hyacinthinæ, & *Sem. contra* ana. ʒ ß Syrupi Limon. ℥ ß. Olei virginis ℥ j. M. pro potione.

*Linimentum contra aduſtiones.*

℞. Olei Oliv. opt. ℥ j. Ceræ virg. ʒ ij. coletur cera ſuper cinerarium calidum; Adde deinde Oleum, & ſervetur ad uſum. Illinientur partes affectæ, charta cærulea, poſtea obtegendæ, idque identidem repetetur.

*Unguentum adverſum eaſdem.*

℞. Olei Oliv. opt. ℥ j. ß. Ceræ virg. ℥ j. & Vitella Ovorum ſub cineribus indurata N. ij. Liquetur Cera leni igne, adde deinde Oleum, & Vitella Ovorum, omnia miſcendo, uſque dum Unguenti conſiſtentiam acquiſiverint, quod ad uſum ſervabitur. Super linteolum eo frigido probe expanſo partes aduſtæ obtegantur, binis de die ad ſanationem uſque vicibus.

## OLIVELLA.

OLIVELLA, *Offic.* Chamelæa tricoccos, C. B. P. 462. J. B. 1. 584. *Inst.* R. H. 651. *Raii Hist.* 1710. *Park.* Chamelæa, *Dod. Pempt.* 363. Chamelæa vera; *Camer.* Chamelæa Arabum tricoccos, *Ger.* Mezereon Arabum *Adv. Lob.* vulgo, *Camelèe Garoupe Olivier nain, ou batard.*

Ei radix est dura, & lignosa, caulesque promit minutos, ramosos, ad altitudinem pedis, pedis cum dimidio, vel duorum pedum, & ultra excrescentes in modum Arbusculæ, foliis Oleæ similibus, ornatæ, minus vero acutis, exilioribus, magisque nigricantibus. Flores in foliorum alis parvi, lutei, plerumque monopetali, ac trifidi enascuntur, quorum subeunt locum fructus tribus nucleis paululum carnosis, constantes, principio virides, & maturescendo rubri, tunica obtecti, sapore amaro, & adurenti: nuclei ossei sunt, durissimi, semenque plerumque oblongum occludunt. Fructus collecti, & aliquo temporis spatio servati, nigricantem aquirunt colorem, & Olivarum more, adipe circumfunduntur. In regionibus calidis excrescit Italia, Provincia, & Occitania, in locis desertis, rudibus, & incultis. Juxta Clusium abundat in Hispaniarum regnis Valentiano, & Arragonensi, perque totam Catalauniam; illic tamen demissior albidiorque est, quam in Gallia Narbonensi, in qua robustior, viridiorque apparet. A Curiosis in Belgio, & Germania, ac alibi colitur; difficile tamen per Hyemem in regionibus frigidis conservari potest, nisi loco clauso, aut hypocausto custodiatur. Aprili floret, quandoque Æstate, atque in magno æstu juxta loci diversitatem. Plerumque fructus Augusto maturescit; ramisque appensus remanet, ut Prunus, & Laureola; Planta hæc quoque semper viridescit. Fructus, folia, & cortex gustu acri, & adurenti prædita sunt.

In se habet plurimum salis essentialis, & fixi, atque olei. Nescimus vero utrum Chamelæa a veteribus usitata una, eademque cum nostrate sit reputanda; hoc dubium maxime videtur. Ab ipsis, ut purgans violentissimum habebatur adeo, ut vi caustica, & mordaci, stomachum & intestina posset exulcerare: Hinc satagebant, ut qualitas hæc corrigeretur, vel maceratione in aceto, vel alio acido, aut infusione ex Vino instituta: a nobis tamen in planta adhuc descripta tanta vis neutiquam invenitur. Johannes Bauhinus asserit juxta exemplar celebris Rondeletii, a quo pluries dum viveret Monspelii usurpabatur, hujusce Extractum ad ʒ j. vel ʒ ij. una cum aliis catharticis hydragogis, in omnibus iis casibus exhibuisse, in quibus temperamenta phlegmatica, & pituitosa purganda esse indicabantur, hujusce enim ope lenissime id obtinetur, nec violento Laureolæ impetu, cui hæc comparatur; addit inde eamdem plantam tusam, & Cataplasmatis forma in pubis regione applicatam, tanquam efficacissimum remedium ad urinas Hydropicorum ciendas, expertum fuisse.

*Opiata liquescens Martialis, & aperiens.*

℞. Croci Martis aper. ℥ ß. Gummi Ammoniaci, & Myrrhæ ana. ʒ j. ß. Diagridii, Aquilæ albæ, Extracti Chamelææ, & Millepedum p. ana. ʒ ß. Salis Absinth., & Tamarisci ana. ʒ j. Croci Orient., & Cinnamomi ana.

℈ ij. f. p. & M. cum f. q. ſyrupi Cychorii cum Rhabarbaro; exhibeatur ℥ j. ß. mane jejuno ſtomacho, nebula obvolvenda, per dies xij., ſuperbibendo cyathum Ptiſanæ aperientis.

## ONOBRYCHIS.

ONOBRYCHIS, *Offic.* Onobrychis foliis viciæ, fructu echinato major, floribus dilute rubentibus, C. B. P. 350. *Inſt.* R. H. 390. Polygalon Geſneri, J. B. 2. 335. Onobrychis, *Dod. Pempt.* 548. Onobrychis quibuſdam flore pallido, vel Polygalon, J. B. *Raii Hiſt.* 936. Onobrychis vulgaris, *Park.* Onobrychis, ſive caput gallinaceum, *Ger.* Caput gallinaceum Belgarum, *Adv. Lob.* Onobrychis, *Dioſcor. Plin. & Galen.* Polygala multorum, quibuſdam Onobrychis, *Lugd. Hiſt.* Glaux, ſive Criſta gallinacea, *Quorumd.* vulgo, *Sain-Foin ou gros Foin.*

Ejus radix longa, mediocriter craſſa, dura, lignoſa, nonnullis ſuffulta fibris, extus nigra, intus alba, vivax, plures extollit caules fere ſemper pedales, erectos, firmos, virides ſub-rubros, foliis Viciæ, aut Galegæ fere ſimilibus, ac exilioribus, in antica ſui parte viridibus, poſtica vero albis, atque villoſis, mucronatis, paribus in coſta, uno tantum folio terminata, appenſis, guſtu amaro, odore leviter bituminoſo, floribus leguminoſis, ſpicatis, ex foliorum alis exeuntibus, plerumque rubris, raro albidis, villoſis calycibus ſuffultis, quibus ſuccedunt parvæ ſiliquæ ad modum criſtæ gallinaceæ inciſæ, rudibuſque ſpiculis inhorreſcentes, reniforme ſemen tegentes, adinſtar Lentis craſſum, & Fœnu-græco fere ſimile, ſuavi, adhuc recens, ſapore præditum.

Altera quoque Onobrychis ſpecies invenitur, a præcedenti, niſi omnium ſui partium, excepta ſiliqua, exilitate diſtans. Extat etiam Onobrychis Hiſpanica, cujus flos coloris eſt igneſcentis, aut albi, a Curioſis in hortis ſata. Neque Onobrychis noſtra juxta Nonnullos cum Medica quandoque etiam Trifolium majus nuncupata, eſt confundenda; plantæ enim ſunt admodum inter ſe diſtantes, quamvis nonnihil ſimilentur.

*Sain-Foin* Gallice appellatur, quia potiſſimum inter omnia *Fœnu* genera *ſaniſſimum* eſt, magis ab animalibus appetitum, nutriens, iiſque cito pinguedinem concilians. Ab aliis vero, & præcipue Veteribus ſcribitur *Saint-Foin*, quaſi *Fœnu-ſacratum* quis diceret, ob ejuſdem excellentiam. Ab omnibus vero receptum eſt, prata optima eſſe recenſenda, in quibus ſata fuerint Onobrichis, Trifolium, & Medica. Onobrichis appetitum conciliat, enutrit, & pinguefacit armenta; quidpiam tamen habet calefacientis, facile ubique excreſcit, ſolo etiam ſterili, ac ſicco, pro animalium nutrimento ſeritur; lactis copiam Vaccis, aliiſque fœminei ſexus beſtiis ſuppeditat, hinc a Geſnero jure, ac merito *Polygalon* nuncupatur. Advertendum eſt beſtiis ægrotantibus, Onobrychim propinandam non eſſe: exſiccanda etiam in primis eſt, iiſque exigua quantitate exhibenda, ſanguificationem enim in iis adeo adaugere ſolet, ut ſi in ea voranda excedant, ſuffocationis periculum immineat. Semen aptiſſimum eſt ad Gallinas enutriendas, ac calefaciendas, ejuſque ope ova edunt frequentiſſime. Pratum Onobrychi ſatum, quatuor annorum ſpatio conſtanter pullulat, & plerumque etiam octo, & decem annorum ſpatio. Arva etiam inveniuntur, in quibus adeo excreſcit, vigetque,

ut qua-

ut quatuor, aut ſex vicibus in anno excidatur, & ad viginti, & triginta quoque annos perduret. Hoc præterea commodi præſtat, ut nullam ſolo inferat ſterilitatem, quin immo arva infœcunda ita pingueſcat, ut abſque fimi adiumento, apta ſint ad ſegetes, trium annorum integro ſpatio, celeriter progignendas: Junio, & Julio flores emittit; haud frequenter vero in uſum medicum venit.

Olei, ſaliſque eſſentialis habet plurimum; detergens, aperiens, & diaphoretica eſt. Magis a Veteribus, quam a Neotericis uſurpatam conſpicimus; quum enim Plantarum cognitio de die in diem magis excreverit, aliæ Plantæ majori vi præditæ ac eaſdem indicationes adimplentes facile inventæ fuerunt. Dioſcorides, & Galenus ejuſdem folia contuſa Cataplaſmatis forma ad tumores, & infaltiones reſolvendas applicabant. Decoctio ejuſdem foliorum exſiccatorum ex Vino maximum eſt remedium juxta Plinium adverſus Stranguriam. Ad ſudorem ciendum ejus ſuccus cum Oleo mixtus aliquando uſurpabatur. Noſtris diebus hujuſce plantæ decoctio in aqua fontis ad eaſdem indicationes adhibetur largius ægris exhibenda. Obſervatum fuit, Onobrychim diligenter collectam, & probe exſiccatum, vaſiſque ſervatam odore Theæ ſcatere, & quandoque peritis etiam, pro Theæ Viridi exhibitam fuiſſe, folia enim pari ratione rotundantur, dummodo vix ante floris eruptionem colligantur.

## O N O P O R D O N.

Botanici Onopordon denominationem duobus Cardui ſpeciebus tribuunt, aliquando a Medicis uſurpatis, de quibus hic ſermonem inſtituemus.

Acanthium, Spina alba, *Offic.* Spina alba tomentoſa, latifolia, vulgaris, C. B. P. 383. Spina alba ſylveſtris, *Fuchſio*, J. B. 2. 54. Acanthium vulgare flore purpureo, *Tabern. icon. 686.* Cardus tomentoſus, Acanthi folio, vulgaris, *Inſt.* R. H. 441. Acanthium vulgare, *Park. Raii Hſt.* 313. Acanthicum album, *Ger.* Acanthium, *Matth. Dod.* Carduus alatus, tomentoſus, latifolius, vulgaris, *Hiſt. Oxon.* Carduus Leucanthemus, *Schrod.* Onopordon Athenæi, *Anguill. Geſn. Hort.* Acanthium, Onopordon aliis, *Camerar. Hort.* Acanthion, ſive Carduus albus *Brunf.* Carduus ſylveſtris in ruderibus naſcens, *Cæſalp.* Onopordon foliis decurrentibus margine ſpinoſis, *Linn. Hort. Cliff.* 393. Spina alba agrorum, Agriocinara, Acantha Leuce ſeu Leucacantha, *Nonnull.* vulgo, *Chardon commun*, *grand Chardon aux Aſnes*, *Artichaud ſauvage.*

Radice eſt tenera, alba, ſub-dulci in planta adhuc adoleſcenti, quæ proprietates ætate mutantur, caule efformato, qui ad trium, aut quatuor cubitorum, ad quatuor, ſcilicet vel quinque uſque pedum altitudinem excreſcit, pollice craſſior, ſtriatus, cavus, lanugine quadam alba indutus, ac in longum ſpinoſis, ſinuoſis, eminentibus, aut effuſis, ac lanuginoſis membranis munitus. Folia cauli continua ſunt, manum ſuperantia, lata, ſinuoſa, eorum extremis parvis ſpinis horreſcentibus, quaquaverſum lanugine alba obtecta, exiliora præſertim, antequam caulis perfecte efformetur, Acantho ſimilia. In caulium, & ramulorum apicibus, conſpicua locantur capita, plerumque ſolitaria, depreſsa, & lata, ſquammis in mucronem longum acutum, & rigidum terminantibus, atro-luteis adinſtar foliorum conflata. Capita hæc veluti globulos florum purpureorum, aliquando albeſcentium ſuperius expanſorum, & in habenas inciſorum ſuſtinent, qui in ſemina abeunt ſtriata, rugoſa, Cnici ſemi-

 nibus

nibus similia, exiliora tamen, coloreque diverso, gustu acri ad amarum accedente. In locis rudibus, & incultis excrescit, in viarum, & fossarum, marginibus, juxta sepes, aggeres, & fere ubique: altero anno floret post Junium, ad Augustum usque, radixque perit post seminis maturitatem, ut in plerisque Carduis evenit, qui tamdiu durant, quamdiu semen perfectum est.

Radix a Medicis usurpatur. Donatur virtute, aperitiva, diuretica, carminativa, stomachica, discutienti, & ressolventi. A nonnullis etiam in morbis dentium commendatur, ab aliis magni fertur semen adversus Convulsiones, insultusque epilepticos infantum. Juxta Johannem Bahuinum ejus flores vim habent lac coagulandi, ex quo planta *Presura* quoque vocatur.

Cardus Eriocephalus; *Offic.* Cardus capite rotundo, tomentoso, C. B. P. 382. *Inst.* R. H. 441. Carduus capite tomentoso, J. B. 3. 57. Carduus Eriocephalus, *Dod. Pempt.* 723. Carduus tomentosus, Corona fratrum dictus, *Park*, *Raii Hist.* 311. Onopordum, *Plin. Lugd. Hist.* Acanthium montanum, Carduus montanus echino lanugine obducto, Carduus globosus capitulo majore, seu latiore, corona fratrum Herbariorum, *Nonnull.*, vulgo, *Pet d' Asne des Parisiens*.

Radix crassa est, gustu aromatico, neutiquam ingrato, adinstar caulis, & foliorum, excepta medullari substantia alba, sicca, & insipida. Caulem effert lanuginosum, striatum, tricubitalem, & ultra, magno lævium ramorum numero divisum, manibus ægre contrectandum ob foliorum spicula, quæ pedem, aut pedem cum dimidio longa, & arcta sunt, lanugine inferne obducta, superne vero atro-viridia, rudia, ut in Viperina, spiculis longis, rigidis, & acutis referta, & minoribus quamplurimis foliis constantia, quatuor per intervalla quæque locatis, bina scilicet singula in costa, tam in parte antica, quam in postica. Capita crassa, rotunda, squammosa, amara, spiculis vix acuminatis, lanugine alba, delicata, & densa inspersa in apicibus ramorum locantur, flores plurimis staminibus, diversisque coloribus ministrantia, in quorum postica parte pulpa carnosa, & alba invenitur gustus grati, & aromatici; tandem vero abeunt in semina oblonga, lucida, cinerea, striata, mediocriter plana, dulcia, in quadam lanuginis, aut gossipii specie obvoluta. Quum autem caulium capita segregantur, lactiginosus effluit succus. In marginibus viarum, in arvis, pratisque, in locis elatis, montanis, & incultis excrescit, frequensque occurrit in agro Parisiensi, quamvis præcedenti rarior sit, Julio, & Augusto floret, quandoque serius. Cardus hic aspectu gratissimo semine e capitibus delabente propagatur, satus vero Hyemi adhuc vestitus foliis ressistit; caulem vero nisi altero anno emittit, quo perit, quum semen ad maturitatem pervenerit. Johannes Bahuinus inquit, *Coronam Fratrum* ideo vocari, quia, dum rami eamdem altitudinem acquisiverint, suis capitibus onusti, caput in media caulis summitate positum circumdant, ut Monaci plerumque Abbatem, aut Priorem ambiunt.

Aliquem etiam usum Medicum habet Planta hæc. Petrus Borel *Observatione* 51. *Centuriæ duodecimæ* nos edocet, Rusticum sanatum fuisse a Nasi Carcinomate, hujusce plantæ succo, & tetrimento sæpius cataplasmatis forma applicato, quod ab alio quoque rustico excepit, qui plures sanaverat. D. Tournefortius facultatem hanc ad mammarum Carcinoma usque amplificat. Experimenta ab eo prolata facile comprobari possunt; vulgatissima enim est hæc Cardui species, & nihil fere certi in hac Medicæ artis parte usque ad

hunc

huc prolatum fuiſſe ſcimus, præſertim quum agatur de morbo graviſſimo, uti eſt Cancer fere ſemper incurabilis reputatus. Rajus aſſerit, a nonnullis Cardui capita, ante floris eruptionem in aqua decocta, & butyro, ac pipere condita, in menſis ad varietatem uſurpari, tamquam Cinara ab ipſis ſummopere in deliciis habita.

## OPHIOGLOSSUM.

OPHIOGLOSSUM, *Offic.* Ophiogloſſum vulgatum, C.B.P. 354. *Inſt.* R.H. 548. Ophiogloſſon, J. B. 3. 708. *Dod. Pempt.* 139. *Raii Hiſt.* 126. *Trag. Ger. Fuchs. Camer. Tabern. Eyſt.* Ophiogloſſum, ſive lingua ſerpentina, *Park. Cæſalp. Caſt.* Lancea Chriſti, vel Luciola, *Geſn. Hort.* Ophiogloſſum, ſive Henophyllon, *Lob. icon.* 808. Lingua ſive Lingulaca, *Plin.* Lingula vulneraria, *Cord. Hiſt.* Serpentatia ſecunda, *Brunf.* Ophiogloſſum fronde ovata, *Linn. Flor. Suec.* 305. Folium unifolium, Monophyllum, Ophioglosſus, Echioglosſum, lingua viperina, *Quorumd.* vulgo, *Ophiogloſſe, herbe ſans Couture.*

Radicem habet plurimis craſſis fibris ſtipatam, veluti in faſciculum coacervatis, ut in Eleboro, præcipue in ſolo pingui. Caudam vero emittit manum altam, unicum tantum folium ſuſtinentem, quoquo modo Pyri foliolæ ſimile, craſſius tamen, carnoſum, læve, nullatenus nervoſum erectum, quandoque anguſtum, & oblongum, quandoque latum, & rotundum, guſtu ſubdulci, aliquantula virulenta viſcoſitate commixta. Ex hujuſce folii ſinu, præſertim qua pedunculo connectitur exit fructus parvam depreſsam linguam referens, ſenſim in mucronem deſinentem, in extremis ad modum limæ denticulatus, & per longum in plures cellulas diviſus, quæ ſeminis loco tenuiſſimum pulverem occludunt, qui ſponte cadit, quando maturus fructus aperitur, vocaturque *lingua ſerpentis* ob ejuſdem fructus extremitatis configurationem. In pratis, paludibus, aliiſque humidis, aliquando etiam in montanis, fontibus refertis locis excreſcit; in hortis ad umbram translata perdurat, iterumque ſingulis annis pullulat Aprili, aut ſaltem Majo, vigetque toto Junio; pauloque poſt omnino flaceſcit, ac evaneſcit: ejus radix tamen profunde in terram deſcendit, ut difficillime evelli poſſit. Caſpar Bauhinus obſervat, Ophioglosſum variare, quandoque ſcilicet folium extollit ſinuoſum, fructumque communiter ſimplicem, aut duplicem, aut triplicem. Mentzelius idem adanotavit, præter alias, reſpectu magnitudinis, varietates. Nonnulli putant, Veteres de hac planta nuſquam verba feciſse, aut ſaltem Botanici, probe non videntur inter ſe conſentire, quo ſub nomine iis nota fuiſset. Frequenter in agro Pariſienſi ob oculos verſatur in terris humidis. Ophioglosſum plurimum olei, & phlegmatis, ac parumper ſalis elargitur. Omnes conveniunt, vulnerarium eſse, aut interne, aut externe applicatum. Dodonæus aſserit, Johannem Baptiſtam Sardum, Hernias ſanare poſse exiſtimaſse, pulverem hujuſce plantæ uſurpando; a Cæſalpino vero, tuſa pro Cataplaſmate commendatur adverſus ulcera. Vulgatior ea utendi modus eſt, Infuſio in optimo Oleo Olivarum per aliquod temporis ſpatium Soli expoſita, & per linteolum expreſsa. Ita Balſamum utiliſſimum contra vulnera paratur, eademque dignum æſtimatione, ac Oleum Hyperici. Uſurpatur etiam Balſamum hoc, in faucium violentis morbis, affectas partes illiniendo, ejuſque cochleari ægris exhibito.

Folia

Folia hujuſce plantæ in Balſamis *vulnerariis*, *& Oppodeltoch Pharmacopææ Pariſienſis* adhibentur.

## OPHRYS.

OPHRYS ſeu Bifolium, *Offic.* Ophrys bifolia, C. B. P. 87. *Inſt.* R. H. 437. *Ger.* Bifolium majus, ſive Ophrys major quibuſdam, J. B. 3. 533. *Raii Hiſt.* 1232. Pſeudo-Orchis Bifolium, *Dod. Pempt.* 242. Bifolium ſylveſtre vulgare, *Park.* Ophris, *Matth. Fuchs. Anguill. Coſt.* Bifolium majus, Ophris, *Plinii*, *Schvvenck.* Perfoliata ſylveſtris mas, *Brunf.* Ophrys foliis ovatis, *Linn. Hort. Cliff.* 429. Aliſma, Orchis ſpuria, ſive ſatyrium degener, *Quorumd.* vulgo, *Double-Feville.*

Radicem habet fibroſam, cineream, ſeſe undique late expandentem, caulemque unicum emittentem, quandoque pedis dimidium, quandoque pedem unum, & quandoque etiam pedem cum dimidio altum, rotundum, in centro bina ſolummodo oppoſita folia nervoſa, lata, & Plantaginis vulgaris foliis ſimilia ferentem. Ejus apex ornatur floribus ſex bracteis compoſitis, quarum quinque ſuperiores galeam, ſexta vero, ſive inferior, quoquo modo humanam figuram repræſentat, colore ſub-viridi, aut dilute-viridi, horum florum poſtea calyx in fructum lanternæ trium laterum æmulum, & ſemina minutiſſima, lignorum raſuram æmulantia condentem, immutatur. Radicis guſtus amaricans eſt, nonnihil acris ac viſcidi præſeferens; caulis vero, foliorumque ſapor viſcoſus eſt. In agro Pariſienſi occurrit, in nemoribus, aliiſque humidis, & umbroſis locis excreſcit, Majo, Junioque floret, quo potiſſimum tempore eſt colligenda. Quamvis autem uſum Medicum vulgatiſſimum, neutiquam habeat, tamen ejus radix, & folia uſurpantur: adnotandum eſt Bifolium magnitudine varium eſſe, ſpeciemque alteram *Ophrym trifoliam* nuncupatam a prima in alio non differre, niſi tribus inæqualibus elatis foliis, quorum prima, duo oppoſita, tertium vero exilius ex alterutrorum connubio progignitur.

Planta hæc plurimum habet phlegmatis, atque olei, ſaliſque parum. Veteres, & Neoterici de ea conſentiunt, interque vulnerarias, detergentes, & conſolidantes enunciant. Radice contuſa Cataplama adverſus antiquas plagas, & ulcera paratur; ab aliis tota planta, radices, & folia in optimo Olivarum Oleo infunduntur, & Solaribus radiis ſubinde exponuntur, optimumque Balſamum conficitur.

## OPULUS.

SAMBUCUS aquatica, *Offic.* Sambucus aquatica flore ſimplici, C. B. P. 564. Sambucus aquatica, J. B. 1. 552. Sambucus paluſtris, *Dod. Pempt.* 846 Opulus Ruellii, *Inſt.* R. H. 607. Sambucus aquatilis, ſive paluſtris, *Ger. Raii Hiſt.* 1586. Sambucus paluſtris ſive aquatica, *Park.* Opulus, *Linn. Hort. Cliff.* 109. Lycoſtaphylos ſive uva Lupina, Clinotrochos ſeu Lectirotaria, Platanus fœmina, Obierus ſive Opierus, *Quorumd.* vulgo, *Obier ou Opier*, *Sureau d' eau.*

Ei radix eſt craſsa, firma, alba, caulemque emittit, quinque aut ſex cubitos altum, qui deinde craſseſcit, manumque adimplet, atque in quampluri-

plurimos dividitur ramulos, Sambuco ſimiles, perque intervalla nodoſos; tectos cortice lævi, cinereo, medulla fungoſa, alba, tenera, ac fragili repleto. Folia lata, anguloſa Aceri minoris, & Aliſariæ foliis ſimillima e nodis exeunt. Duobus conſtant ſpeciebus flores parumper odori, & umbellati; in circumferentia locati, magnitudine, coloriſque albi elegantia, prævalent, ſimilanturque Roſis exilioribus, quinque concamerationibus foramine piſtillum recipientes e medio calycis exiens, hi autem flores ſteriles ſunt, nullumque ſemen relinquunt: Centrum vero occupantes exiliores & ſub-lutei ſunt, ſerius explicantur, & pocula quinquifida repræſentant, in quorum centro foramen adeſt Calycis apicem excipiens, qui tandem in baccam, aliquanto craſſiorem Sambuci Bacca, mollemque abit, quæ eo magis rubrum acquirit colorem, quo magis matureſcit, guſtumque habet auſterum, ſemenque planum, latum, durum, rubrum, ac cordatum. Arbuſcula juxta aquas, fluviorumque margines ſeritur; creſcit etiam inter Alnos in pratis humidis, vallibuſque umbroſis Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, & in agro Pariſienſi frequens occurrit in locis humidis, & paludoſis, Majo floret, baccæ vero Autumno maturationem nanciſcuntur, per Hyemem perdurant, pabulumque gratiſſimum præbent quibuſdam avibus, quo facilius aucupantur.

Alia Opuli ſpecies invenitur a D. Tournefortio, *Opulus flore globoſo*, nuncupata; niſi floribus conglobatis, plerumque albis, adinſtar nivis, quandoque vero purpureis a præcedenti diſtat; vulgo nuncupatur, *Roſe de Gueldres, Pain blanc, ou Pain mollet*, inque hortis ornamenti genus eſt non contenendum, ita tamen hodie vulgatum, ut quondam exquiſitiſſimum. Hujuſce floribus cubilia conſperguntur, ob eorum tum odorem, cum elegantiam.

Ferme nullum uſum Medicum Opulus habet. Nonnulli aſſerunt, aquam diſtillatam florum ejuſdem urinas ciere, arenulaſque depellere. Prevotius aſſerit, juſculo pingui, in quo ebulliverint ℥ ij. fructus hujuſce plantæ cum pauca Abſintii ſummitatum quantitate, blande vomitum excitari. Dalemchampius *in Hiſtoria plantarum Lugdunenſium* huic pariter emeticam facultatem largitur. Juxta Cordum baccarum ſuccus Autumno amarus eſt, & mediocriter dulcis, ac acidus; Verno autem tempore ſubſequente, magis adſtringens efficitur, utpote Hyeme intermedia magis exſiccatus.

## O R C H I S.

JUre ac merito queritur Rajus in ORCHIS hiſtoria plurimum obſcuritatis, & confuſionis inveniri, tum ob ſpecierum varietatem, & nonnullarum inter ſe ſimilitudinem, cum ob generalem nimium, ac imperfectam Botanicorum deſcriptionem; hinc peritiſſimorum etiam quorumque ſtudia morantur: Et ratio potiſſima eſt, quia figuræ de hiſce exhibitæ non ſatis aptæ ſunt, ut ſpecierum omnium differentiæ a naturæ ſcrutatoribus diſtinguantur, charateriſtica enim quæque earum ſigna delineari vix arte poſſunt, ita ut OEdipode opus eſſet ad ea divinanda. Quamobrem hac diſquiſitione inſtituto noſtro non conſentanea prætermiſſa ſat erit, aſſerere inter diverſas Orchis ſpecies in pratis, nemoribus, collibus, montibus, locis umbroſis, & apricis, ſiccis, aut humidis enaſcentes, variiſque tempeſtatibus Vere ſcilicet, Æſtate, & Autumno flores emittentes, frequentius in uſum Medicum eas venire, quæ radices habent bulboſas, & carnoſiores, ac præcipue ſequentes duas.

Orchis,

Orchis, ſeu Satyrium, *Offic.* Orchis Morio mas foliis maculatis, C. B. P. 81. *Inſt.* R. H. 432. Orchis major tota purpurea; maculoſo folio, J. B. 2. 763. Teſticulis Morionis mas, *Dod. Pempt.* 236. *Lugd. Hiſt.* Cynoſorchis Morio mas, *Tabern. icon.* 66. *Germ. emac.* Teſticulus primus, *Matth.* Serapius ſeu Morio maculoſus, Teſticulus Caninus, *Nonnull.* Teſticulus canis mas foliis anguſtioribus *Fuchs.* vulgo, *Satyrion.*

Ejus conflatur radix ex duobus tuberculis ferme rotundis, carnoſis, Nucis Moſchatæ craſſitie, quorum alterum plenum, durumque eſt, alterum vero rugoſum, fungoſumque, fibris qua craſſis ſtipatum. Ab ea ſtatim ſex, aut ſeptem folia, & ultra exeunt longa, mediocriter lata, levia, Liliorum foliis ſimilia, & exiliora, plerumque maculis atro-rubeſcentibus diſtincta, aliquando his deſtituta; caulis vero vix pedem æquat, rotundus, ſtriatus, uno, aut duobus præcinctus foliis, atque in ſui apice ſpicam promit floribus conſtantem aſpectu pulcherrimis, purpureis, numeroſis, pauliſper odoris, centrum verſus albicantibus, nonnulliſque punctis atro-purpureis conſperſis. Quicumque flos ſex inæqualibus conſtat foliis, quorum quinque ſuperiora ſeſe incurvando galeam veluti efformant, inferius vero cæteris prævalet magnitudine, ita ut ad inſtar capitis ortum habens, in caudam, aut cuſpidem, ad calcaris modum, acutam deſinat. Flores plus, minuſve in ſpica clauſi ſunt, eorumque calyx in fructum ſecedit, lanternam trium laterum æmulantem, & ſemina ſcobiformia condentem. Aprili exeunte, & ineunte Majo floreſcit, inque dumetis, ſylvulis, pratiſque frequenter occurrit. Facile Orchis hæc noſci, interque cæteras ejuſdem generis diſtingui poteſt, ex iis enim quæ ſponte inter nos enaſcuntur, omnium prima florem emittit: apparet etiam in agro Pariſienſi, varietatemque exhibet, accidentaliter ſolum a præcedenti diſcrepantem, foliis ſcilicet maculis ſub-nigris deſtitutis. D. Vaillant obſervat, ejuſdem folia quandoque decumbere, rotamque ſuper ſolum efformare, additque, quadraginta tres uſque flores in uno tantum caule numeraſſe.

Orchis latifolia, ſeu major, *Offic.* Cynoſorchis militaris major, C. B. P. 81. Orchis ſtrateumatica major, J. B. 2. 758. Orchis militaris major, *Inſt.* R. H. 432. Orchis latifolia altera, *Cluſ. Hiſt.* 267. Orchis ſtrateumatica vel ſtratiotes major, ſive militaris, C. *Gemmæ Lob. icon.* 184. Orchis ſtrateumatica, *Ger. Raii Hiſt.* 1213. Orchis militaris, ſive ſtrateumatica, major, *Park.* Orchis baſilica, Teſticulus Caninus Major, *Nonnull.*

Ejus radix, ut in præcedenti, binis bulbis carnoſis, aliquanto craſſioribus, & olivaribus componitur, caulemque emittit pene cubitalem, ſpicam longam in apice efferentem, pyramidalem, plus, minuſve clauſam, floribus amplis, aſpectu gratis, intus ſub-albidis, maculis purpureis in ſummitatibus diſtinctis, extus rubicundioribus, odore forti, & ingrato, galeamque referentibus. Folia ampliſſima ſunt, longa ſimul, atque lata, initio ſphærica, e terra, ut in fere omnibus Orchis ſpeciebus ſuccedit, Novembri pullulantia. Majo floret, & in omnibus agri Pariſienſis nemoribus reperitur. Flores hirci odore fœtentiſſimo ſcatent, coloreque plurimum variant. In hac quoque, uti de alia diximus, teſticulus ſalacidus, alterque turgidus invenitur: ſingulis enim annis bulbus anni præcedentis flaceſcit, ejuſque loco noviſſimus apparet.

Aliæ etiam quamplurimæ vulgatiſſimæ Orchis ſpecies, tum radicibus bulboſis, cum ad modum manus adapertæ efformatis, & *Palma Chriſti* vocatæ, duobus

duabus ſupradictis commode ſubſtitui poſſunt: quæcumque vero ſint radices uſurpandæ, certe ſeligendæ ſunt craſſæ, probe enutritæ, compactæ, ſucculentæ, guſtus dulcis, atque viſcoſi, Vere e terra elicitæ, antequam ſcilicet caulem emittant. Johannes Bauhinus obſervavit in Orchi bulboſa non bulbos indiſcriminatim, ſed duriorem ſolummodo, ſuccoque pleniorem in uſum eſſe revocandum; flacidior vero, & rugoſior minus aptus videtur.

Omnes Orchis ſpecies plurimum olei, ſaliſque volatilis elargiuntur; in immenſo autem earum numero, ruri obvio, communiter prædictæ tantum ſeliguntur, utpote quæ radices habent probe enutritas, & ponderoſas. Notum eſt, nonnullos Alchymiſtas Paracelſi aſſeclas, proprietates quibuſdam plantis tribuiſſe, ob ſimilitudinem quarumdam earum partium cum humano corpore, vel cum aliquo hujuſce morborum effectu. Bulbi vero, ex quibus radix Orchis conflatur teſtibus ſimillimi Philoſophorum, & Medicorum tum Veterum, cum Recentiorum, & Alchymiſtarum vulgatæ opinioni anſam præbuerunt, qua creditur, bulbum ejuſdem pleniorem, & enutritum ad generationis opus utilem eſſe, & contra proximum exſuccum, flacidumque contrarium effectum progignere; & hæc fuit Theophraſti, Galeni, & Plinii ſententia a poſteris omnibus recepta: nihilominus veriſſimum eſt, & experientia quotidie comprobatur, Orchim, cujuſcumque ſit ſpeciei, hiſce fictis dotibus præditam non eſſe, præſertim ſi bulbi ſolitarie uſurpentur, quum ſit extra omnem quæſtionem pleraque remedia, tam ſolida, quam liquida, *Aphodriſiaca*, & *Magnanimitatis* nuncupata, quamplurimis acribus, & aromaticis, uti Pipere, Zingibere, Oleis Cinnamomi, & Caryophyllorum, Moſcho, Ambra griſea, aliiſque ejuſdem naturæ, ad ſupradictum effectum edendum, ſimplicibus bulbis Orchis, aptioribus, componi. Quidquid vero a Crollio prolatum fuit in ſuo Opuſculo *de Signatura Plantarum*, & quidquid Alchymiſtæ poſt illum auſi ſunt aſſerere, ad opinionem quotidiana experientia repulſam confirmandam, ſufficere non videtur, præſertim quum incongruæ tantum auctoritati, & analogiæ penitus erroneæ innitatur. Quomodocumque tamen res ſe habeat, invaluit uſus, bulbos Orchis exſiccandi, & in pulverem redigendi, cujus ℥ ß. in optimi Vini cyatho exhibetur ad ſemen augendum, parteſque generationi dicatas roborandas. In Officinis etiam in promptu eſt Conſerva, quæ iiſdem in caſibus apta cenſetur a ℥ ij. ad ℥ ß.

Inter vero diverſas radicis, aut bulbi Orchis præparationes, tutior nobis ea videtur, quæ in *Actis Academiæ Scientiarum anni* 1740. *pag.* 96. reperitur, ejuſque inventum debemus *D. Geoffroy* fratri Medici celeberrimi, cujus Operis ſupplementum aggreſſi ſumus. Cum eruditiſſimus hic Academicus cognoviſſet *Salep*, radicem nempe albam, ſub rubram, & diaphanam apud Turcas uſitatiſſimam ad vires debilitatas reficiendas, nihil aliud eſſe quam Orchis ſpeciem, præparationem inſtituit de hac poſtrema, præſertim in locis, in quibus Orchis abunde creſcit, ſequenti ex ipſius verbis decerpta ratione.

Recipiendæ ſunt radices, aut bulbi Orchis probe enutriti, excorticandi, frigida infundendi per horas aliquot, ac in ejus ſufficienti quantitate coquendi, & percolandi, poſtea vero filo congeſti ad aerem exſiccandi, aptiori pro hac præparatione tempeſtate ſicca nempe, & calida: Diaphani fiunt, duriſſimi, fruſtulis Gummi Tragacanthi ſimiles: quandiu libuerit conſervantur, dummodo loco ſicco repoſiti ſint: dum e contra radices abſque hac diligentia paratæ cœlo pluvio humectantur, atque muceſcunt.

Præ-

Prædicti bulbi ita parati in pulverem quantumlibet tenuissimum reduci possunt: cujus gr. xxiv. recipiuntur, paulatim ferventi aqua, humectantur, qua pulvis omnino liquatur, mucilaginemque efformat, quæ ebullitione cum ℔ j. aquæ fontis dissolvi potest, gratiorque reddi, saccharo, mitive aliquo aromate permixto. Pulvis hic etiam cum lacte sociari potest, ægrisque morbis pectoris affectis favet. D. Geoffroy observavit, remedium esse temperans, lymphæ acrimoniam contundens, atque in Phthisi Dysenteriisque biliosis aptissimum.

℞. Pulv. Rad. Orchis juxta præparationem D. Geoffroy ℈ j. Humectetur paulatim aqua ferventi, dissolvaturque postea in ℔ j. ejusdem aquæ. M. cum æ. q. Lactis Vaccini, & adde s. q. sacchari ad gratiam. Dividatur in quatuor portiones de die exhibendas, convenienti temporis spatio, aut per biduum dimidium dosis supradictæ in Phthisi pulmonari, & Dysenteria biliosa.

Planta hac nomen mutuatur Electuarium *de Satyrio*, ʒ j. præscribendum ad spiritus excitandas, viresque labentes erigendas. Foliis quoque Cosmeticum paratur, cui penitus nullam non secus ac cæteris remediis ex Orchi elicitis, fidem præstamus.

*Opiata roborans, & stimulans.*

℞. Elect. de Satyrio ℥ j. ß. Theriacæ Androm. ʒ vj. Sem. Erucæ ʒ iij. Trochis. de Vipera, & Boracis ana. ʒ ij. Essentiæ Ambari liquid. gut. xxx. M. cum s. q. syrupi flor. Mali Aurant.: ʒ. j. nebula obvoluta sero hora somni exhibenda temporis spatio convenienti.

## OREOSELINUM.

IN Officinis duæ Apii montani species notæ sunt, Majus, & Minus.

Oreoselinum, sive Apium montanum, *Offic.* Daucus montanus, Apii folio major, C.B.P. 150. Libanosis altera quorumdam, aliis dicta Cervaria nigra, J. B. 3. 165. *Raii Hist.* 413. Oreoselinum Apii folio majus, *Inst.* R. H. 318. Libanotidis alterum genus, *Dod.* Libanotis Theophrasti nigra, *Ger. Tab.* Daucus secundus selinoides *Lob. icon.* 720. Daucus selinoides major, *Park.* Seseli Peloponesiacum, vel Peloponense, radix Cervina nigra, Saxifragia Venetorum, Elaphoboseum nigrum, Ciminum sylvestre latum, Pinastellum, Ocellus Cervi, Pas Porcinus, Pseudocostos, *Nonnull.* vulgo, *Le gran Persil sauvage, ou de Montagne.*

Radices habet plurimas crinito capiti, ut in Meo, appensas, longas, & auricularis digiti crassitie, sese in terram expandentes, extus sub-nigras, intus albas, succo mucilaginoso fœtas, gustu resinoso, aromatico, & grato ad Pastinacam accedente, substantia teneriuscula; Caulem vero emittunt ferulaceum ad quatuor, vel quinque pedum altitudinem, striatum, alisque divisum. Folia tum e radice, cum e caule exeuntia magna sunt, ampla, Apio Macedonico similia, & compactiora, lævia, colore sub-cæruleo, denticulata, longis caudis appensa, gustu radice dulciori. Umbellis magnis in caulis, & ramorum apice flores efferuntur parvi, sub-albicantes, ad purpureum accedentes, antequam expandantur, quinque petalis rosaceis constantes; horum

locum

locum nonnulla ſemina ſubeunt bina ſimul juncta, lata, ovalia, plana, dorſo ſtriato, folliculo membranoſo, ſub-rubro clauſa, Paſtinacæ domeſticæ ſemen æmulantia. In locis montanis inter paſcua planta hæc excreſcit, & abunde Fontisbellaquei in agro, aliiſque quamplurimis Galliæ in locis parumper eminentibus, & ſabuloſis reperitur. Semen, & radices in uſum Medicum veniunt, ut in ſequenti.

Oreoſelinum, ſive Apium montanum minus, *Offic.* Apium montanum nigrum, C. B. P. 153. J. B. 3. 104. *Raii Hiſt.* 413. Oreoſelinum, ſive Veelgutta, *Dod. Pempt.* 696. Oreoſelinum Apii folio minus, *Inſt.* R. H. 318. Apium montanum vulgatius, & Apium montanum Pariſienſium, *Park.* Selinum foliis ovato-acutis acute ſerratis & inciſis, *Linn. Hort. Cliff.* 92. Polycretum Cordi, Polymentum Geſneri, Valdebona Italorum; Oreoſelinon nigrum; Agrioſelinon, ſive Apium Sylvaticum; Montapium nigrum; Multibona, *Nonnull.*

Radicem habet ſatis craſſam, mollem, crinitam in parte ſuperiori, extus, intuſque albam, carnoſam, vivacem, guſtu acri, ad amarum accedente, & parumper ingrato, ſucco lactiginoſo, viſcoſo, & reſinoſo fœtam. Caulem emittit cubitalem, & ultra mediocriter craſſum, firmum, ſtriatum, nodoſum per intervalla, ſub-rubrum, & ramoſum. Folia in ſolo expanduntur Apio hortenſi ſimilia, nigriora, & compactiora, ſatis acria, & amara, pedunculo membranaceo ad purpureum accedente, odore parum aromatico, & vinoſo, caulem amplectentia. Caulibus, ramiſque ſummis flores locantur albi, umbellati, nonnihil ampli ſemina foliis acriora poſt ſe relinquentes plana, atque lata, ſemirotunda, ante maturitatem plus, minuſve rubra, & quandoque viridia. Montana, & ſabuloſa loca diligit; atque in agro Pariſienſi reperitur, & præcipue in *Monte Valerien*; Julio, & Auguſto floret, quandoque etiam ſerius, uti Apium montanum majus.

Oreoſelinum plurimum ſalis eſſentialis, atque olei continet. Semen guſtum habet acrem, & aromaticum, uſurpaturque, uti radix, adverſus Calculos, Icterum, & ad obſtructiones Hepatis, ac Lienis reſolvendas, & urinas, menſeſque ciendos. Radix manſa dentium dolores mitigat, ſalivam excitat, tormina demulcet, viſus aciem acuit, plurimoſque alios optimos effectus progignit. Juxta Cordum ejus lactiginoſus liquor præ cæteris Plantæ partibus efficacior eſt, folia enim debiliora ſunt, & flores medium inter folia, & radicem locum tenent.

## ORIGANUM.

INter plures ORIGANI ſpecies a Botanicis cognitas, binæ ſequentes tantum in Officinis inveniuntur, nempe Origanum vulgare, & Origanum minus.

Origanum vulgare, *Offic.* Origanum ſylveſtre, Cunilia bubula Plinii, C. B. P. 223. *Inſt.* R. H. 198. Origanum vulgare ſpontaneum, J. B. 3. 236. *Raii Hiſt.* 539. Origanum ſylveſtre, *Dod. Pempt.* 285. Origanum Anglicum, *Ger.* Majorana ſylveſtris, *Park.* Agrioriganum, ſive Onitis major, *Lob. icon.* 492. Origanum Italicum, *Cæſalp.* Origanum foliis ovatis, ſpicis laxis erectis, conſertis paniculatis, *Linn. Hort. Cliff.* 305. Origanum Onites, Tragoriganum, Penaces Heracleum, ſive Origanum Heracleoticum ſylveſtre, *Nonnull.* vulgo, *Origan commun.*

Radi-

Radicibus donatur minutis, lignosis, fibrosis, oblique in terra concisis; quæ plures emittunt caules duros, quadratos, villosos ad duorum, vel trium pedum altitudinem. E caulium nodis, folia invicem opposita ortum trahunt; quorum majora Calaminthæ vulgari, exiliora vero Majoranæ similantur, villosa quoque, ac odora sunt, gustu acri aromatico. Flores umbellati, in caulium apicibus e spicis gracilibus, & squammosis fasciculos efformantibus exeunt; horum unusquisque labiatus vertice binis labiis distincto, roseus aut ex albido-ruber, in semen abit minutissimum, fere rotundum, capsula oblonga e floris calyce proveniente conclusum. Planta hæc non in regionibus calidis solum, verum etiam in frigidis crescit, Germania nempe, Anglia, & Gallia. In agro Parisiensi, in locis campestribus, montanis, siccis, & apricis, in dumetis, & juxta sepes luxuriat. In collibus præcipue, & montibus colitur, ex quibus nomen mutuatur; Æstate floret; Cæterum Origanum vulgare plurimum variat foliis, ac floribus. Tragus observat, ejus flores trium esse specierum, nempe saturate-rubros, albo-rubros, demum albos. Nonnulli putant, Origanum Hispanicum, & Italum nostro esse præferendum; etsi autem adeo vulgare sit, ac sponte ubique crescat, idem de sequenti dici non potest.

Origanum minus, *Offic.* Origanum sylvestre, humile, C. B. P. 223. *Inst.* R. H. 199. *Raii Hist.* 539. Origanum repens, villosum, Aurelianensium, *Hort. Reg. Par.* Agrioriganum, sive Origanum sylvestre minus, Majorana sylvestris minor, *Nonnull.*

Radice est lignosa, subrubra, fibrosa, exilemque emittit caulem, plerumque unicum, rotundum subrubrum, satis rudem, sex, aut septem pollices altum, cujus apex in plures dividitur ramulos, umbellatos flores cæruleo, & purpureo colore conspersos, cæterum præcedentibus similes, sustinentes, instructosque oppositis foliis, exiguis, oblongis, villosis, parum compactis, frequentius inordinate dispositis, quæ præcipue superiorem caulis, & ramelorum partem circumdant, odoris aromatici, & suavis, uti Origanum vulgare. Floribus semina præsto sunt minuta, rotunda, grati odoris, gustusque acris. Raro admodum occurrit planta hæc, tamen abunde crescit in nemoribus Aurelianensibus, & alibi. Præcedenti substitui potest, eodemque tempore flores edit.

Origanum acre est, aromaticum, detergens, vixque chartam cæruleam rubro inficit colore; hinc conjicere possumus, plantam hanc sale volatili aromatico oleoso, intime acidis neutiquam destituto, fœtam esse, dum e contra in Sale volatili oleoso artificiali, acidum salis Ammoniaci a sale Tartari irretitus fuit; Præterea Origanum quamplurimis terrestribus particulis inficitur. Planta hæc diuretica, & diaphoretica est, ad provocandos menses aptissima. Ad modum Theæ in Asthmate, Tussique violenta, quæ a causa, ut ajunt calida ortum non ducat, usurpatur. Foliorum, & florum in umbra exsiccatorum pulvis cephalicus est, & ad modum Tabaci usurpatus e naribus copiosas seriositates expellit. Eorumdem florum infusio cum successu exhibetur in mensium, & urinarum suppressione.

Tanquam optimum Stomachicum quoque reputatur planta hæc, ejus enim Aqua distillata, Oleum essentiale, Syrupus, & Conserva magnum auxilium indigestionibus, ructibus acribus, flatibusque præbere solent. Oleum distillatum Origani optimum est adversus dentium dolores a carie obortos; den-

tium

tium foramen gossipio hocce Oleo saturato est obturandum, dolorque statim cessabit. Olea Thymi, Satureæ sativæ, & Caryophyllorum aromat. eumdem effectum gignunt; Etmullerus parum Camphoræ addit, quæ hujusce remedii energiam mirum in modum adauget.

Externe in Pediluviis, & Embroche planta hæc usurpatur adversus Vapores, Chlorosim, Paralysim, & Rheumaticos affectus a causa frigida obortos, cerebri Catharros, collique Rheumaticam affectionem communiter *Torticolim* appellatam; ad ignem quoque Origanum exsiccatur, calidumque linteolo obvolvitur, eoque caput, aut collum tegitur.

Quandoque etiam Majoranæ substitui potest, iisdem enim pollet facultatibus.

Origani folia usurpantur in Aqua Generali, & Syrupo Artemisiæ; summitates vero floridæ in Aqua Vulneraria, pulvere *Chalybis*, & in Oleo catulorum; flores autem in Syrupo Stechados, plantaque integra in Electuario Baccarum Lauri *Pharmacopææ Parisiensis*.

*Fomentum contra Paralysim.*

℞. Summit. Orig., Lavend., Absinth., Thymi, Salviæ, Hyssopi, & Roris marini ana. Man. ß. superaffunde ℔ iij. ferventis aquæ, ac Vase cooperto Infusum relinquatur, postea affecta pars calide abluatur, tetrimentumque Cataplasmatis forma applicetur, quod juxta exigentiam repetetur.

## ORNITHOPODIUM.

ORNITHOPODIUM, seu Pes Avis, *Offic.* Ornithopodium majus, C. B. P. 350. *Inst.* R. H. 400. Ornithopodium flore flavescente, J. B. 2. 350. Ornithopodium, *Dod. Pempt.* 544. Ornitopodium radice nodosa, *Park. Raii Hist.* 931. Ornithopodium tuberosum Dalemchampii, *Lugd. Hist.* Polygala, *Gesn. Hort.* Ornithopus, *Linn.* Herniaria, *Quorumd.* vulgo *Ornithopode*.

Ei radix est parva, alba, simplex, fibrosa, crinita, quibusdam parvis globulis, aut tuberculis sociata, plures etiam minutos eicit caules satis exiles, debiles, ramosos, fere in terram stratos, semipedales, & ultra in solo pingui, rotundos, & villosos. Folia Lentis foliis exiliora, invicem opposita eadem in costa, cujus extremum uno tantum folio occupatur. Flores exiles quoque sunt, leguminosi, plures ad umbellæ modum simul conjuncti in ramulorum summitate, brevibus pedunculis, coloris lutei, purpureo, atque albo permixti, calyx vero corniculum denticulatum repræsentat. Hi tandem abeunt in totidem siliquas planas, falcatas, & in vertice reflexas, quæ singulæ, quinque, sex, aut septem portionibus cuicumque extremo appensis scatent, & mucronata ungula terminantur; hæ siliquæ binæ aut tres una enascuntur, ad instar pedum avium dispositæ, a quibus Plantæ denominatio oborta fuit. In unaquaque siliquæ portiuncula semen reperitur minutum, fere rotundum, Napi, aut Rapæ semini simile. Planta hæc Æstate floret communiter Junio, & in arvis tum ante, cum post messim excrescit, inque locis siccis, incultis, sabulosis, collibus, pratis arridis, & apricis, secus vias, & in agro Parisiensi occurrit. Rajus observat a Botanicis ex una solummodo tres Plantas de ea effectas fuisse.

Habet plurimum salis, atque olei; integra planta interne usurpata aperiens, & diuretica est; ejus decoctio ex aqua fontis, aut pulvis ʒj. in Vini albi cyatho infusus mane jejuno stomacho, ad attenuandos, pellendosque calculos, glareasque in renibus, & vesica stabulantes pluries exhibetur. Externe etiam tusa Cataplasmatis forma in Herniis usurpatur.

## OROBUS.

OROBUS, *Offic.* Orobus siliquis articulatis, semine majore, C. B. P. 346. Orobus sive Ervum multis, J. B. 2. 321. *Raii Hist. Matth.* 915. Ervum verum, *Camer. Hort. Inst.* R.H. 398. Mochus, sive Cicer sativum, *Dod. Pempt.* 524. Orobus receptus herbariorum, *Ger.* Orobus vulgaris herbariorum, *Park.* Orobus verus seu genuinus creditus, Pisum Columbinum, *Nonnull.* vulgo, *Orobe, Ers, ou Eres.*

Ei radix est minuta, delicata, sub-albida, quæ plures caules vix pedales, debiles, angulosos, læves, ramisque solum versus late sese expandentibus stipatos emittit. Folia Lentis foliis similia sunt, æquali ordine juxta costam disposita. Ex foliorum alis, ut in aliis hujusce generis plantis, pedunculi exeunt vertice ornato floribus solitariis, aut binis, leguminosis, exilibus, aliquantulum tamen Lentis flores superantibus, purpureis, quandoque albidis, lineisque purpureo-cæruleis, & calycibus ungulam denticulatam referentibus, donatis. Hisce præsto sunt siliquæ pollicem longæ, minutæ, pendentes, articulatæ in utroque latere, per maturitatem sub-albidæ, seminibus fœtæ semi rotundis, pisis exilioribus, atro-rubris, gustuque leguminoso, nec amaro, nec ingrato. Planta hæc in quamplurimis Galliæ provinciis in arvis seritur pro animalium nutrimento: sponte quoque inter segetes. In Hispania, & Italia crescit; Aprili, Majo, & Junio floret, semenque Julio maturescit, *quod gratissimum est columbis, a quo etiam mirum in modum multiplicantur.* Orobus in solo sterili, levi, & sabuloso seritur. Minor vero species communiter, *Orobus Candiæ*, vocata, varietas est prædicti juxta sententiam Johannis Bahuini, Parkison, & Raii. Alia quoque Orobi species invenitur, in nemoribus excrescens, minus tamen, Orobo officinarum, in pretio habita.

Semen tantum ex hac planta in usum Medicum venit, estque resolvens, detergens, ac aperiens. Medici Veteres hocce in pulverem reddactum, & cum Melle mixtum in Asthmate humido, ad expectorationem juvandam exhibebant: panis etiam ex eo sterilitatis tempore confectus fuit, gustus tamen insipidi, & fere nullius nutrimenti. Nostris diebus semen hoc inter quatuor resolventes farinas in Chirurgia adeo communiter usurpatas, connumeratur; hic autem præcipuus est ejusdem usus.

Ingreditur autem prædicta farina in pulvere *Diaprassio Nicolai Alexandrini*, Electuario *Justini* & Trochiscis scilliticis *Pharmacopææ Parisiensis*.

### *Cataplasma Resolvens.*

℞. Far. Orobi, Fabæ, Hordei, & Lupini ana. ℥ jv. coquantur in q. s. Lactis ad Cataplasmatis consistentiam.

*Cataplasma adversus Ani procidentiam.*

℞. Rad. Consolidæ Maj. tus., & Farinæ Orobi ana. p. æ. Coque in q. s. Vini nigri optimi, aut aquæ fabror. ferrariorum ad Cataplasmatis consistentiam, quod repetetur juxta exigentiam.

## O R Y Z A.

ORYZA, *Offic.* Oryza Italica, C. B. P. 24. Oryza, J. B. 2. 451. *Matth. Ger. Park. Raii Hist.* 1246. *Inst.* R. H. 514. Oryza peregrina, *Trag.* Hordeum Galaticum Columellæ, *Hermol. Ruell. Amat. Tabern.* Hordeum sicilienfe, Oryzon peregrinum, Risum seu Rizum, *Nonnull.* vulgo, *Ryz*; *Ris*.

Radicem habet radici Triticeæ similem, quæ caules, sive culmos propellit cavos, Triticeis, aut Hordeaceis crassiores, & firmiores, per intervalla nodosos, ad trium, vel quatuor pedum altitudinem. Folia oblonga sunt adinstar foliorum Arundinis, carnosa, folia Porri æquantia. Flores in summitabus enascuntur purpurei, paniculosque efformant, ut flores Milii, & Panici; horumque locum subeunt semina oblonga, & fere ovalia, alba, diaphana, dura, quæque capsula lutea, rudi, cava, angulosa, ac villosa, conclusa arista armata, & alternatim in utroque latere juxta ramos disposita sunt. Planta hæc in regionibus calidis, locisque humidis, & paludosis colitur; ejusque grana præcipue rei alimentariæ, nonnumquam etiam Medicæ inserviunt. Nobis sicca ex Indiis Orientalibus, Italia, & Hispania, aliisque quamplurimis regionibus adferuntur. Oryza præcipuum est totius Orientis nutrimentum, atque illinc in Græciam, & Italiam primum delata fuit. Adeo humiditate delectatur, ut in ipsa aqua excrescat. In insula Ceylan in usu sunt receptacula quædam pro aquarum illuvie, a qua ita perpetuo terra, sua sponte pinguis, emollitur, & inundatur, ut aqua usque ad Messorum genua pertingat. *Porta* asserit, magnam Oryzæ copiam in planis humidis agri Salernitani colligi, eo quod incolæ agrum ipsum, mediantibus canalibus, & colliciis e vicinis rivis, ac fluviis derivantibus, frequenter juxta exigentiam irrigant; aliter aut Oryza ad incrementum non perduceretur, aut grana non emitteret; ita ut mirum profecto sit, granum adeo exsuccum, solum humidum exposcere; nec non in paludibus, segetem gustus adeo exquisiti, & nutrimenti adeo sani, & incrassantis, progigni. Radiorum Solis vi maturescit, ac nisi exeunte Autumnali Æquinoctio messis colligitur; & ecce in promptu potissima ratio cur in regionibus Septemptrionalibus, quamvis humidioribus, non excrescat, quia scilicet frigidissimæ sunt. Oryzæ farina optimus panis confici potest; ac non modo loco panis in Indiis sed diversimode etiam usurpatur. Indi namque, non solum placentas, & pulmenta ex ea conficiunt, verum etiam potus genus quoddam, aut liquorem vinosum, qui *Arak* aut *Aracle* appellatur, ab iis saccharo, diversisque aromatibus saturatum; narratur autem hoc potus genere gentes illas facilius, quam Vino generosiori inebriari. Levis Oryzæ decoctio in aqua, basis aut vehiculum est apud ipsos usitatissimum plurimorum Medicamentorum.

Vulgatissima est opinio, Oryzam pinguefaciendi vim habere; hinc Matronæ graciles eam frequenter usurpant, præsertim una cum lacte, ac plu-

rimo ſaccharo; quæ ſane conſuetudo a veteribus Medicis reprobatur, Oryza enim ab ipſis inter alimenta leviſſimæ ſubſtantiæ, difficiliſque digeſtionis dinumerabatur: Nos tamen contrarium cenſemus, & facilius vulgari opinioni ſubſcribimus, neque audemus quotidianum nutrimentum a tam diverſis nationibus uſitatum, atque a ſeculorum conſuetudine comprobatum damnare. Concedimus ſolum, Oryzam aliquantiſper conſtipantem eſſe, qua de cauſa utiliter variis in morbis aliis adſtringentibus ſociata uſurpatur.

Oryza plurimum olei, & mediocrem ſalis eſſentialis, portionem continet; temperans eſt, incraſſans, nonnihil flatulenta, ſtomacho gravis, ejuſque frequenti abuſu obſtructiones progigni facile poſſunt. In alimentarium non minus, quam in medicamentarium uſum venit; pro alimento familiares, ſelectioreſque præ aliis ſunt ſequentes præparationes.

Globus ſtanneus vertice perforato, & ad tres, aut quatuor & ultra Oryzæ uncias excipiendas aptus, probeque intus, extuſque mundatus recipitur, ac in eo una aut duæ, ſolummodo Oryzæ unciæ infunduntur (coctura enim excreſcit) atque in cacabo, in quo juſculum conficitur duobus poſt deſpumationem horis, globus infunditur, poſtquam vero ad juſtam coctùram, & conſiſtentiam Oryza pervenerit, ſtatim retrahitur. Album vero colorem, neque ingratum ſaporem juſculo conciliat.

Oryza etiam communiter minutalibus ſuperaffunditur, aliquando etiam ſolitarie in juſculo optimo decocta comeditur, addique poteſt pugillum ſalis, & Cinnamomi parum, aut cochlear aliquod Reſtaurantis, ut ajunt, aut jus vitullinum, ut gratior, magiſque nutriens reddatur.

Limpidi juſculi forma Oryza quoque redigi poteſt, uncias duas ſupradictas Oryzæ concoctæ cochleari contundendo, inque juſculo denuo lento igne ebullitioni committendo, addendoque fruſtula corticis Citri, cum pug. Nucis moſchatæ raſæ ad gratiam. Coctura vero Oryzæ ſupradicto ſtanneo globo, hoc præſtat commodi, quod ſcilicet albiſſima reddatur, exquiſitiorem guſtum ſemper acquirat, nec unquam fumi odore ſcateat, aut uſtuletur, B. M. enim opus omne conficitur: deffectu autem globuli ſtannei, in quolibet alio vaſe Oryza concoqui poteſt, dummodo ſatis ſit depletum, ut facilius concitationem ebullitiorem ſubeat, abſque effuſionis metu.

Conficitur quoque Cremor, Oryzæ ℥ ij. in pulverem in mortario marmoreo reddactis, atque poſtea in ℔ ij. aquæ fontis decoctis, uſque dum clare ebulliat liquor, qui calidus per cribrum ſetaceum trahicitur forti expreſſione, atque in vaſe Faetino ſervatur. Dein juſculo ſimplici calido cochlear j. aut ij. hujuſce Cremoris Oryzæ ad gelatinæ modum conſiſtentis juxta exigentiam infunduntur.

Hæ ſunt præ cæteris Oryzæ, tanquam alimenti, præparationes; quod vero ad uſus Medicos ſpectat, primum hæmorrhagiis nimium debilitatis, mulieribus, excedentibus evacuationibus, conflictatis, hæmoptoycis, hecticiſque convenit. Fere nulla, ad ſanguinis acrimoniam temperandam, eumque demulcendum, atque incraſſandum, Oryza, aptiora, remedia reperiuntur. Ejuſdem cochleari j. in ℔ ij. aquæ ebullito, per horæ quadrantem, ac exigua Sacchari, aut Cinnamomi quantitate permixta, ægris optimus potus exhibetur, vocaturque *Aqua Oryzæ*, atque magnæ eſt utilitatis in omnibus ventris fluxibus, irritatione, febrique lenta ſociatis. Oryza quoque pro baſi aliquando in Emulſionibus loco aquæ Hordei uſurpatur; ejuſdem cochlear j. vel ij.

vel ij. infunduntur in juſculis humectantibus, & refrigerantibus, præterea juſcula, aliæque præparationes, tum ad convaleſcentium nutritionem, quum ad remedia in morbis longis apta, attinentes, Oryza conficiuntur; uſurpatur denique in decoctione pectorali, & adſtrtngenti *Pharmacopææ Pariſienſis*.

*Ptiſana adſtringens.*

℞. Oryzæ mund. ac lotæ ℥ ß. Aquæ fontis ℔ iiij. Ras. C. C. nodulo incluſæ ℥ ß. Coque ad quartæ partis conſumptionem: dein Vas igne abjiciatur, & ſtatim infunde Rad. Conſolidæ maj. ℥ j., & Glycyrrhizæ in fila evulſæ ʒ ij. Poſt ſemihoram coletur, ſerveturque pro potu ordinario.

*Emulſio adſtringens in Diarrhæis calore, & irritatione ſociatis.*

℞. Semin. quat. frigid. maj. ʒ iij. Amygd. dulces excorticatas N. vj. Contunde in mortario marmoreo, & paulatim ℔ j. decoctionis Orizæ ſuperaffunde. Linteolo filtretur, atque ℥ j. Syrupi Conſolid. maj. edulcoretur. Pro tribus doſibus de die exhibendis; in morbis ſupradictis conveniet.

*Juſculum Pulli pectorale.*

℞. Pullum gallinac. mundatum, in quo ſeminum quatuor frigid. maj., & Oryzæ ana ℥ j. & Sacchari tenuiſſ. ʒ ij. injiciantur. Coque lento igne in aquæ ℔. vj. ad medias, poſtea coletur levi expreſſione.

Juſculum hoc refrigerat, temperat, delicatulis, irritatione, & ardore in Thoracis regione, nec non agitationibus, inſomniiſque feralibus vexatis utiliſſimum reputatur.

## O X Y C O C C U S.

OXYCOCCUS, *Offic.* Vitis Idæa paluſtris, C. B. P. 471. Oxycoccus, ſive Vaccinia paluſtris, J. B. 1. 525. *Inſt.* R. H. 655. Vaccinia paluſtria, *Dod. Pempt.* 770. *Ger. Park. Lob. Raii Hiſt.* 685. Acinaria paluſtris, *Geſn. Hort.* Vaccinium ramis filiformibus repentibus, foliis ovatis perennantibus, *Linn. Flor. Lapp.* 111. Oxyococcos ſive Oxyoccon, Granum acidum, vitis paluſtris, acini paluſtres, ſerpillum acinarium, Roſmarinus paluſtris, Vitis idæa paluſtribus locis naſcens, Poterium, Vacciniun paluſtre, *Quorumd.* vulgo, *Canneberge, Couſines des Marais.*

Ei radix eſt exilis, repens, ſub-rubra, crinitis fibris ſtipata, plurimoſque tollit caules longos, minutos, fibroſos, atro-rubros in terram ſtratos, lateque ſeſe expandentes, foliis ornatos, Serpillo ſimilibus, aliquando etiam exilioribus ſuperne viridibus, inferne vero cinereo-viridibus, lævibus, plerumque marginibus reflexis, pedunculis adeo brevibus, ut immediate cauli appenſa videantur, in quo alternatim diſponuntur. Flores in ramulorum apicibus, ſolitarii, aut bini, pedunculo digitum longo, & tenerrimo appenſi enaſcuntur, quorum quiſque in quatuor acuminatas reflexas, & purpureas, partes dividitur, pluribus ſtaminibus luteis in centro poſitis, piſtillo junctis, ſimulque quoddam acutum veluti corpus efformantibus. Florum locum ſubeunt deinde

deinde baccæ pene ſphericæ, aut ovales, ſub-rubræ, aut luteo-ſubvirides, parvis punctis rubris circumſperſæ, umbilico purpureo cruciformi ornatæ, guſtus acris, aut acetoſi, atque in quatuor exiguas cavitates, minutiſſima ſemina occludentes, aut ſuper terram, adinſtar caulium, repentes, & quandoque etiam ſub Muſco abditæ. In locis humidis, paludoſis, umbroſis, ſterilibus, montibus, & vallibus, ex quibus fontes derivant, ac ſtagnant, in ſylvis demum cœnoſis, & muſcoſis excreſcit, floretque Majo, & Junio, fructuſque ad maturitatem Julio, & Auguſto perducitur. Verum juxta Dodonæum baccæ Autumno tantum matureſcunt, abditæque remanent ſub nive Hyemis tempore, ac Vere a pueris, & paſtoribus pulpa, aut carne molli repletæ colliguntur, & innoxie comeduntur. Rajus de hac planta diſſerendo obſervavit, *Vaccinium* incongrue vocari, eo quia Veteres nomen hoc ipſum Hyacintho tribuerunt. D. Linnæus aſſerit, Aurifices baccis hujuſce plantæ uti ad albedinem argento conciliandam, idem quoque ab omnibus acidis obtineri poteſt. In Normandia prope Officinas occurrit.

Oxyococcus plurimum ſalis eſſentialis, atque olei continet. Fructus vero refrigerant, detergunt, & adſtringunt, quod etiam eorum ſapor acidus, & nonnihil adſtringens innuere videtur: Humorum æſtum a bile acri, & adurente obortum ſedant, hinc cum ſucceſſu exhibetur eorum decoctio in febribus ardentibus, & malignis; ventris quoque fluxum ſiſtunt, ſtomachum, & inteſtina roborant, appetitum revocant, dyſenterias ſiſtunt, utileſque deprehenduntur in Hæmorrhagiis ab humorum acredine, aut ſanguinis ſolutione provenientibus. Folia, & flores eoſdem in uſus veniunt, eaſdemque adimplent indicationes. E baccis maturis ſuccus exprimitur, qui ſaccharo mixtus Rob conſtituit, ac in julapiis refrigerantibus uſurpatur, aut ad humorum malignitatem auferendam, aut ad calorem nimium in ardentibus febribus compeſcendum; virtute enim cardiaca, & alexipharmaca donantur.

℞. Flor. Oxycocci ad umbram exſic. pug. ij. Infundantur per ſemihoram, addeque colaturæ Syrup. Berberis ℥ j. pro ptiſana in diarrhæa bilioſa exhibenda.

℞. Roſar. rub. exſicc., & Balauſtior., ana. ʒ ij. ſuperaffundantur ℔ iij. aquæ Plantaginis. Maceretur in cinerario calido per horas quatuor, ſolvanturque deinde in colatura Rob Oxycocci ʒ vj. Ægro ℥ iiij. hujuſce liquoris, tertia quaque hora, exhibeantur in ſanguinis ſcreatu, aliiſque hæmorrhagiis.

## P Æ O N I A.

Inter plures Pæoniæ ſpecies a Botanicis cognitas ſequentes duæ tantum in uſum Medicum veniunt, nempe Pæonia mas, & Fœmina.

Pæonia mas, *Offic.* Pæonia folio nigricante, ſplendido, quæ mas, C. B. P. 323. J. B. 3. 492. Pæonia mas *Dod. Pempt.* 194. *Ger. Park. Raii Hiſt.* 693. Pæonia mas foliis nucis, *Geſn. Hort.* Pæonia pulcrior, ſive nobilior, Menion, Selenion ſive Herba Lunaris, Selenogonon, Theodonion, Glyciſide ſeu Dulciſida, Pentrobon, Orobelium, Orobax, Hæmagogon, Pæſæde, Aglaophotis, Roſa Benedicta, Sancta Regia; Herba Caſta, *Nonnull.* vulgo, *Pivoine Male*.

Ejus radix Napi formam habet, pollicem craſſa, & ultra, in terram alte repoſita, erecta, quandoque in plures diviſiones diſtincta, externe ſub-rubra, intus

intus alba. Ex ea caules exurgunt ad duorum, vel trium pedum altitudinem, sub-rubri in nonnullos ramulos divisi. Folia lata sunt, quamplurimis aliis composita foliis; Nucis foliis fere similia, latiora, & compactiora, atro-viridia, aut saturate-viridia, lucentia, quadam lanugine inferne obtecta, longisque pedunculis sub-rubris appensa.

In caulium summitatibus flores magni, lati, rosaceis pluribus foliis aliquando purpureis, aliquando vero roseis enascuntur, calyceque quinquepetalo sustinentur, pluribus staminibus purpureis, extremitatibus croceis. Hi tandem abeunt in fructus, qui pluribus cornubus albis, villosis, lucentibus, ac introsum dehiscentibus conflati maturescendo aperiuntur, exhibentque elegantem quidem processum seminibus compositum crassis, semirotundis, initio rubris, granisque Mali Punici similibus, dein atro cæruleis, demum nigris. Præcocior, rarior, pretiosiorque est Planta hæc sequenti, a qua facile distinguitur foliis, ac radice diversa, nec non floribus duplicibus, qui in altera simplices sunt. Ineunte Majo florescit, floresque cito decumbunt. Gesnero relatum fuit in Monte quodam Sveciæ repertam fuisse; Johannes vero Bauhinus inquit, sativam solummodo in hortis observasse. Pæonia mas non minoribus effertur laudibus a Galeno, quam Brassica a Catone. A Veteribus, & Neotoricis ob ejus magnas, innumerasque facultates celebrata magnopere fuit; oportebat autem pro ea e terra elicienda oportuniorem tempestatem probe adnotare, ab uno enim una Constellatio, ab altero alia aptissima prædicabatur: Juxta Lobellium Caniculare tempus aptius est. Si Vere seratur, plerumque anno integro in terra latet, at postea singulis annis foliorum divisionibus adaugetur.

Pæonia fœmina, *Offic.* Pæonia communis vel fœmina, C. B. P. 323. *Inst.* R. H. 274. Pæonia fœmina vulgatior, J. B. 3. 492. Pæonia fœmina altera, *Dod. Pempt.* 195. Pæonia fœmina, *Fuchs. Gesn. Hort. Lob. Ger. Raii Hist.* 694. Pæonia fœmina vulgaris flore simplici, *Park.* Pæonium, Pionia, Dactylus idæus, Cynospastus; Rosa Asinorum, Rosa fatuina, *Nonnull.* vulgo *la Pivoine femelle*.

Ejus radix, tuberculis, uti in Asphodelo fibris appensis, componitur, caulemque altissimum pellit nullo fere rubore infectum. Folia quandoque magis quandoque minus incisa sunt, superne dilute-viridia, inferne vero albescentia, & parumper villosa. Flores vero supradictis fere similes sunt, exiliores tamen; rubri, aspectuque gratissimo, quibus fructus succedunt seminibus referti, præcedentis speciei more, aliquanto exilioribus, oblongis, & maturescendo nigricantibus. Vulgatissima est, & ubique in hortis seritur, Majo floret, semenque Julio maturescit, facileque multiplicatur in terra rependo.

Pæonia omnium plantarum est antiquissima, existimatur enim a veteri Medico *Pæon*, qui ad sanandum vulnus ab Hercule Plutoni inflictum hanc plantam usurpavit, *ut in quinto Odyssææ libro*, Homerus refert, denominationem desumpsisse.

In Medicina vero facienda Pæonia mas, fœminæ anteponitur, quamvis, & ipsa nonnullos usus habeat, plurimum salis essentialis, olei, & phlegmatis largitur. Communiter Radices, semina, & quandoque flores adversus convulsiones, epilepsiam, paralysim, vapores, aliosque morbos ab irritatione nervosi generis ortos usurpantur. In pulverem rediguntur radices ad umbram exsiccatæ, exhibenturque a ʒ j. ad ʒ ij. boli, aut opiatæ forma, aut alia ra-

tione: Decoctæ quoque præscribuntur ad ℥ j. recentes in jusculo vitulino, aut in aqua fontis ad ptisanæ modum. Conserva foliorum Pæoniæ fœminæ in Officinis reperitur, quæ ab ℥ ß. ad ℥ j. & aqua distillata, quæ ab ℥ jv. ad vj. præscribitur in Potionibus, & Julapiis anti-epilepticis. Ad easdem indicationes quoque communiter usurpatur syrupus Pæoniæ simplex, & Compositus, ab ℥ ß. ad ℥ ij.

Inter usitatiores recensetur, utpote a Veteribus magnis encomiis posteritati commendata: si enim Galeno fides præstanda est, hæc ipsa tutissimum est adversus Epilepsiam Specificum; aut ad præservationem frustulo hujusce radicis amuleti forma collo suspenso, aut semine, floribus, & radice interne sumptis. Experimentum de quodam adolescente hoc amuleti genere sanato, ab ipso relatum profecto mirum est: præterquamquod ab eodem gravissimo Authore asseritur, radicem hanc ab infantis Epileptici collo fuisse quandoque detractam, ipsumque convulsionibus illico fuisse correptum nusquam sedatis, nisi eodem amuleto in pristinum locum restituto. Maximæ apud omnes Medicos Galeni auctoritati posteritas innixa, remedium hoc absque ullo examine fidenter amplexa est ad hæc usque tempora, in quibus primarii Medici Fernelius, Sylvius de le Boe, & Hoffmannus, inutile esse in pluribus Epilepticis experti sunt, ac fere nusquam Galeni effatis respondere. Nos vero hanc sententiarum diversitatem conciliari, ac utrinque rationem consistere posse existimamus. Probabile enim est, experimenta a Galeno in Asia fuisse instituta, qua in regione Pæonia majorem habet fortasse efficaciam quam in Europa. Præterea Pæonia mas raro admodum reperitur, inque iis casibus, in quibus vim suam non exeruit forsitan fœmina usurpata fuit.

Utcumque res se habeat in vegetabilium familia usque adhuc præstantius anti-epilepticum notum non est; fere semper basis esse solet in Compositis adversus hoc ferale morbum. Arnoldus de Villanova narrat quemdam Paralysi affectum, & post octo dierum spatium linguæ usu destitutum, perfecte sanatum fuisse, triginta nigris, & excorticatis Pæoniæ seminibus deglutitis: Dioscorides grana xv. tusa, & per noctem in Vini albi cyatho infusa adversus incubum præscribebat. Juxta Rajum planta hæc menses, & lochia ciet, resseratque viscerum obstructiones.

Radix in aquis Generali, & Epileptica, Syrupis Artemisiæ, & anti-spasmodico *Pharmacopææ Parisiensis* usurpatur, semina vero in Syrupo Stechados, & emplastro *Diabotano* ejusdem *Pharmacopææ*.

*Ptisana adversus Epilepsiam.*

℞. Rad. Pæoniæ maris, & Valerianæ maj. rasar. & contus. ana ℥ j. Superaffundantur ℔ ij. ferventis aquæ, Vas ab igne abducatur, probeque operiatur, & post infusionis horæ spatium Colatura cyathis exhibeatur repetitis vicibus.

*Opiata in eodem morbo.*

℞. Rad. exsicc. & p. Pæoniæ Maris, & Valerianæ maj. ana ℥ j. Auri fulminantis ʒ ß. M. cum s. q. Syrup. Pæoniæ simp. Dosis ʒ j. mensis spatio mane jejuno stomacho, superbibendo cyathum Ptisanæ prædictæ.

*Potio*

*Potio in paroxiſmo exhibenda.*

℞. Aquæ Pæoniæ, & Meliſſ. ſimp. ana ℥ iij. Pulv. de Gutteta gr. xx. Tincturæ Camph., Caſtor., & Anody. ana gut. x. M. pro potione cochleatim exhibenda.

*Juſculum Anti-Epilepticum.*

℞. Rad. Pæoniæ maris ℥ ß. Cichorii ſylv., & Fragariæ ana ʒ ij. Folior. Cichorii ſylv., Lactucæ, & Agrimoniæ ana. Man. ß. Flor. Meliſſ. Pug. ij. Coque cum ℔ ß. juguli vervecini, in ℔ iij. aquæ: Leviter deinde exprimatur, & in duas doſes dividatur, quarum una mane jejuno ſtomacho, altera vero veſperi menſis ſpatio ſumetur.

## PALIURUS.

PALIURUS, *Offic.* Rhammus folio ſubrotundo, fructu compreſſo, C. B. P. 479. Rhamnus, ſive Paliurus folio Jujubino, J. B. 1. 35. Paliurus, *Dod. Pempt.* 756. *Lob. Ger. Raii Hiſt.* 1708. *Inſt.* R. H. 616. Paliurus, ſive Rhamnus tertius Dioſcoridis, *Park.* Spina Chriſti, ſeu Judaica, *Quorumd.* vulgo *Paliure*.

Radix ei eſt dura, atque lignoſa, caulemque emittit aliquando ad arboris altitudinem excreſentem, ligno compactiſſimo conſtantem, & erectum, ramuli vero longi ſunt, atque ſpinoſi, & ſpinæ prope folia ſitæ exiliores minuſque, alibi locatis, nocent, inferne reflexæ, & ſub-rubræ. Folia exilia ſunt, ſemirotunda, mucronata, atro-viridia, veluti ſub-rubra, Zizyphæ foliis adeo ſimilia, ut nihil magis, aliquanto tamen exiliora, nec ambitu adeo denticulato apparent. Flores parvi ſunt lutei, in apicibus ramorum collecti, communiter quinque petalis conſtantes in orbem diſpoſitis, exilem veluti roſam in medio calycis ſitam, circumdantibus, deinde in fructum abeuntes ſcutiformem, aut pileo ſimilem in ſui medio elevatum, ambitu tenui, folioque membranaceo circumfuſum, nucleum ſphericum occludentem, tribus diviſum cellulis, ſemen fere rotundum plerumque ſervantibus, colorem, nitorem, dulcedinemque ſeminis Lini referens. Hæc arbuſcula ſponte in ſepibus Provinciæ, Occitaniæ, & Italiæ creſcit; ſeriturque locis ſylveſtribus, incultis, & humidis, floretque Majo, & Junio, fructus autem Autumno matureſcit, & per totam Hyemem arbori adhæret; in regionibus etiam frigidis Hyemis ſatis miteſcentis injurias perferre poteſt; ſin minus neceſſe eſt tectam, ſartamque tenere. A quibuſdam *Spina Chriſti* nuncupatur, putant enim ſpinarum coronam, quam Judæi capitis Salvatoris noſtri impoſuerunt, ex hac arbuſcula fuiſſe compactam: de facto nulla fortaſſe planta acutiores, rigidiores, manibuſque infenſiores ſpinas habet, hinc mos ex Paliuro ſepes vivas conficiendi, adverſus hominum, animaliumque incurſiones tutiſſimas. Johannes Bahuinus, & Raius exiſiſtimant, idem eſſe Theophraſti, & Dioſcoridis *Paliurum*. Radix, folia, & fructus a Medicis uſurpantur.

Fructus diuretici, & ad glareas e renibus, & veſica pellendas aptiſſimi, dummodo decoctio iis tuſis parata diutiſſime adhibeatur: neque tamen calculum in veſica ab iis ſolvendum eſſe putemus ut a nonnullis Empiricis aſſeritur,

tur, nunquam enim adeo efficaci virtute præditi fuerunt. Cum ſucceſſu præterea uſurpari poſſunt in Tuſſi, & Aſthmate humido ad expectorationem juvandam. Rajus aſſerit, radicem, ramos, & folia, adſtringentia eſſe, ventriſque fluxus ſiſtere, eorum dectione epota. Hæc eadem tuſa Cataplaſmatis forma, ſurunculos, alioſque ejuſdem generis tumores cutaneos ſanant.

## PANICUM.

PANICUM, *Offic.* Panicum Germanicum, ſive Panicula minore, C. B. P. 27. *Inſt.* R. H. 515. *Raii Hiſt.* 1247. Panicum vulgare, J. B. 2. 440. *Ger.* Panicum, *Dod. Pempt.* 307. Panicum album vulgare, *Park.* Elymus, Meline, ſeu Mel frugum, Antiquorum Paniculum, Milium agreſte ſive exiguum, *Nonnull.* vulgo *Panic.*

Radicem habet fortem & fibroſam, plurimoſque emittit arundinaceos caules, plerumque bicubitales, & ultra in ſolo optimo, rotundos ſolidos, decem quandoque nodis circumfuſos, ſenſim decreſcentes, vertice nonnihil inclinato. Folia pariter arundinacea ſunt, Milii foliis rudiora, & acutiora, Triticeis vero latiora, e nodis exeuntia, ut plurimum cubitalia. In caulis vertice ſpica locatur vix pedem longa, rotunda, craſſa, compacta, & clauſa adinſtar Uvæ racemi, ſeminibus Milio exilioribus, rotundioribus, numeroſioribuſque, lucentibus folliculis albis concluſis, ſub-luteis, aut purpureis, conflata. Dioſcorides Panicum inter ſegetes, Galenus vero inter legumina connumerat. In arvis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ ſeritur, idemque ſolum, ac Milium expoſtulat, leve nempe, ſabuloſum, & humidum. Juxta Johannem Bahuinum, & *Hiſtoriam plantarum Lugdunenſium* fere nullus eſt hiſce diebus Panici uſus in Officinis, aut in re piſtoria, ejus enim granum ſiccum, macrumque eſt nulliuſque pene nutrimenti; nihilominus Cluſius refert, Panicum in tota Germania, Hungaria, & Bohemia eſſe uſitatiſſimum, alimenti forma, ejuſque ſemine excorticato iis in regionibus ſapore gratiſſimo pulmenta confici.

Plurimum olei, parumque ſalis volatilis planta hæc largitur. Semina tantum in uſum Medicum veniant; aperientia ſunt, nec non ad humorum acredinem temperandam aptiſſima: Milio, cujus ſaporem, ac proprietates habent, commode ſubſtitui poſſunt. Cremor, & pulmenta gratiſſima iis excorticatis parantur a Caſpare Bauhino, aliiſque Veteribus Medicis vix ſaluberrima reputata, alvum enim nimium adſtrictam reddunt, flatus excitant, ac difficile concoquuntur: Milii defectu ſolummodo erunt ergo uſurpanda, ſique in magna ſterilitate neceſſitas urgeat, in Lacte decoquenda, ut partim ſaltem corrigantur; ſic autem Cremor prædictus conveniet in magnis capitis morbis a bile nimium rarefacta productis, in Hæmoptyſi, aliiſque in caſibus, in quibus temperandus, innovanduſque ſit ſanguis nimia acrimonia, & ſolutione peccans. *Panis* etiam ex *Panico* conficitur, hinc denominationem mutuatur; ſiccus, & friabilis eſt, quapropter agricolis, vinitoribus, meſsoribus, & pauperibus eſt relinquendus. Externe etiam pro Cataplaſmate reſolvente uſurpari poteſt, & vulgatiſſime ad volatilia, aviculaſque veſcendas.

PAPA-

## PAPAVER.

PRæter PAPAVER album, de quo alibi, de Opio ex eo elicito disserendo, sermo institutus fuit, alia tria quoque Papavera a Medicis usurpantur, primo scilicet Papaver cornutum, sive Glaucion, peculiare genus constituens; secundo Papaver rubrum, sive erraticum; tertio demum Papaver nigrum.

Papaver cornutum seu corniculatum, *Offic.* Papaver corniculatum luteum, Ceratitis, Dioscoridis, Theophrasti, sylvestre Ceratitis Plinio, C.B.P. 171. Papaver corniculatum luteum, J. B. *3. 398. Park. Raii Hist.* 857. Papaver corniculatum majus, *Dod. Pempt.* 448. Glaucium flore luteo, *Inst.* R. H. 254. Papaver cornutum flore luteo, *Ger. Gesn. Hort.* Papaver vulgare corniculatum flavo flore, *Clus.* Papaver sylvestre corniculatum, Papaver luteum, Papaver maritimum, Glaucion, seu Paralion, Papaver seu Fabulum marinum, Sisimaca, Mimitha, Alnuchara, *Nonnull.* vulgo, *Pavot cornu*.

Radicem habet digitum crassam, longam, subnigram, turgentem succo luteo, virulento, aut male-olente, ex quo tota etiam inficitur planta, sapore amaro prædita. Folia vero emittit longa, lata, carnosa, pinguia, densa, villosa, profunde incisa, ambitu denticulato sinuosa, ac veluti crispata, in terram decumbentia, frigorisque injuriis ressistentia, crassis caudis appensa, coloris glauci. Caulis autem altero tantum anno sese extollens, compactissimus est, nodosus, & lævis, in plures divisus ramusculos, e nodis folia emittens, foliis basis, exiliora, & minus incisa, dum vertici magis accedunt, aliquo pacto Hederæ folia similantia. Summo caule, ramulisque flores progignuntur, magnitudine florum Papaveris sativi, quatuor luteis petalis in rosam dispositis, numerosisque staminibus ejusdem coloris e centro exsurgentibus, conflati, qui demum abeunt in quamdam fructus speciem, aut exilem siliquam palmarem, & ultra, corniculatam, tactu asperam, vertice obtuso, neutiquam, ut in Fœnu-Græco, aculeato, semina occludentem duplici ordine locata, intermedio sepimento divisa, & adinstar seminum Papaveri vulgaris rotunda. Sponte crescit in maris littoribus, marritimisque, sabulosis locis, & alibi, inque frigidis regionibus. In Bononiensi saltu, Parisiensi agro, & Matritensi arce reperitur; semine propagatur, sique Autumno in hortis seratur, Vere apparebit, floremque Æstate edet, Junio scilicet, & Julio, siliqua vero Augusto maturescet. Scaliger asserit, easdem comestioni aptas non esse.

Papaver cornutum plurimum olei, salisque essentialis habet. Dioscorides vero testatur, ejusque Commentatores affirmant diureticum esse, & decoctionis forma utilissimum urinas turbidas, & densas reddentibus. Calculo affectis cyathus Vini albi, in quo infusus fuerit Man. ß. foliorum hujusce plantæ tusorum in Portugallia præscribitur. Galenus autem vulnerariam, & detersivam esse testatur, monetque ad putridas ulcerum carnes exedendas solummodo usurpari posse. Garidelius narrat, agricolas in Provincia folia ejusdem trita usurpare ad detergenda ulcera contusionibus, erasionibusque succedanea in equis, mulis, & asinis, nonnullosque in crurum ulceribus eadem ratione hæc ipsa optimo effectu applicasse, iisque parum Olei addi potest, ut Dodonæo solemne erat.

Papaver

Papaver erraticum ſeu rubrum, *Offic.* Papaver erraticum, majus. Rhœas Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio, C. B. P. 171. *Inſt.* R. H. 238. Papaver erraticum, rubrum, Campeſtre, J. B. 3. 395. Papaver erraticum, *Dod. Pempt.* 447. Papaver erraticum primum, *Fuchs.* Papaver Rhœas, *Ger. Raii Hiſt.* 855. Papaver erraticum, Rhœas ſive ſylveſtre, *Park.* Papaver foliis pinnatifidis, hiſpidis, fructu ovato, *Linn. Hort. Cliff.* 201. Papaver fluidum, Papaver agreſte. Flos Pleuriticus, *Nonnull.* vulgo, *Le Pavot rouge des Champs, le Coquelicoq, le Ponceau.*

Radicem habet ſimplicem, minimi digiti craſſitie, albam, nonnullis fibris amaricantibus ſtipatam, pluresque emittit caules cubitales & ultra, rotundos, ſolidos, ramoſos, raris, & aſperis pilis circumfuſos. Folia vero huc illuc profunde diſſecta ſunt, ut in Jacobæa vulgari, Coronopo, & Cicorio, villoſa, atro-viridia, marginibus denticulatis. Flores ſummis caulibus, ramuliſque enaſcuntur, quatuor conſtantes bracteis latis, ſubtilibus, ſaturate-rubris, minimo venti afflatu decidentibus, in parva deinde abeuntes capita, Nucis avellanæ magnitudine, oblonga, lævia, ad Papaveris ſativæ capitum figuram accedentia, plurimiſque cellulis diſtincta, ſemina minuta, nigricantia, vel atro-rubra occludentibus. Ubique luxuriat in arvis, ſecus vias, ac præcipue inter ſegetes, quibus florum pulchritudine, ac vivacitate gratiorem aſpectum conciliat; Majo, Junio, Julioque floreſcit, floremque præcipue Medici uſurpant. Dodonæus, C. Bauhinus, aliique alteram Papaveris exilioris ſpeciem deſcribunt foliis non inciſis, ſed denticulatis tantummodo, cæterum præcedenti ſimilem.

Flores præcipue, uti innuimus, in uſum Medicum veniunt, nihilominus Scorderus aſſerit, Nonnullos, hujuſce plantæ radices ac folia tuſa ad narium hæmorrhagiam ſiſtendam externe admoviſſe. Flos nonnihil habet glutinoſi, chartamque cæruleam, uti Opii ſolutio, rubore inficit; ex quo conjectari jure poſſumus, ſale huic analogo ſcatere: at in Opio ſal hoc quamplurimo oleo fœtido commixtum ad Ammoniacum accedit, dum in Papavero erratico longe minor Olei, maxima vero phlegmatis viſcoſi quantitas reperitur. Temperantes ergo, ac expectorantes in Rheumatica præſertim affectione, ſiccaque Tuſſi ejuſmodi flores ſunt recenſendi: ſanguinis fluxus ſiſtunt, ſudoreſque cient. Aut Syrupi forma, aut ad modum Theæ uſurpantur; eorum pug. j. in ℥ viij. aquæ infuſo; Ptiſanæ vero forma, manipulo j. parvo pro liquoris ℔ jv. in cucuma injecto, quum ſcilicet mox ab igne eſt abducenda, Glycyrrhiza, aut aliis additis floribus. Elicitur quoque aqua diſtillata ab ℥ iij. ad ℥ vj. exhibenda: Conſerva præterea conficitur ab ℥ ß. ad ℥ j. præſcribenda, & extractum a ʒ ß. ad ʒ j. Extractum hocce anodynum eſt, ſomnumque dulciſſimum conciliat, cumque ſucceſſu in Tuſſi pertinaci præſcribi poteſt. Omnibus notum eſt, ſyrupum Papaveris ejus florum infuſione terque, quaterque novis floribus repitita eſſe, conficiendum. In Rheumaticis vero affectionibus pertinacioribus tinctura Papaveris duobus, vel tribus infuſionibus ſaturata, cyathiſque exhibita, utiliſſima eſt, præſertim, ſi pro ſingulis ℔ ij. ℥ j. Sacchari candi diſſolvatur. D. Chomel aſſerit, in ſuo *Tractatu de Plantis uſitatioribus*, infuſionem florum Papaveris ſaturatiorem, & ſaccharo edulcoratam ad modum Theæ calide in Colica flatulenta propinatam ſaluberrimam evaſiſſe; additque ſimilem infuſionem tertia, vel quarta Pleuritidis die exhibitam, quum præſertim primum ſudor apparet, hunc copioſio-

rem

rem reddere, majorique ſanguine hyrcino, aliiſque celebrioribus diaphoreticis, ſudorifica virtute, præditam eſſe, præterquamquod merito obſervat, phlebotomia præcipiti impetu bis, terve in hoc morbo inſtituta, ſudore ut plurimum ſuperveniente, atque hac naturali criſi parumper adjuta, morbum feliciter terminari.

Fructus quoque, aut capita Papaveris ſuas habent facultates, communiter uſurpatur eorum decoctio, uti temperans, & nonnihil ſoporifera in Pleuritide, Pectoris fluxionibus, ſanguinis ſputo, aliiſque Pulmonum morbis; nihilominus a Dodonæo horumce uſus reprobatur, ne (inquit ille) materia morbifica nimium in Pleura infigatur, ob narcoticam vim potiſſimum ab eo ſuſpectam, cui fortaſse poſsemus reſpondere, ab hac ipſa præcipue narcotica vi, prædictam infuſionem in morbi initio utiliſſimam reddi, ut ſcilicet fibrarum criſpatura in membranis inflammatis opportune relaxetur, & perſpiratio adjuvetur, dummodo tamen in progreſsu, hocce remedio non abutamur, expectorationemque, excreatuſque expulſionem inhibeamus, nimio, ac intempeſtivo narcoticorum uſu. Non igitur ſputi materiam in pulmonibus figet, uti Dodonæus autumavit, quin immo ejus expulſionem adjuvabit. Prudenti autem manu, & experientia conſumatiſſima opus eſt, ut Remedium hocce diverſis ægrorum conditionibus aptetur.

Ex floribus Papaveris aqua diſtillatur, cui, juxta Rajum, ruber color poteſt conciliari, apponendo Man. j. ejuſdem florum juxta verticem capitelli, poſtquam aqua aſcenſum inceperit, quæ hoc pacto eorum colore inficitur, aſpectuque gratiſſima redditur.

Iidem flores in decoctione pectorali *Pharmacopææ Pariſienſis* uſurpantur.

*Ptiſana adverſus Tuſſim ſiccam aptiſſima.*

℞. Rad. Bugloſ. & Graminis ana. ℥ iij. Coque in ℔ jv. aquæ ad quartæ partis conſumptionem. Superaffundatur huic decoctioni ℥ j. Flor. Papaveris erratici, & tria capita Papaveris albi minutim inciſa, & nodulo occluſa. Poſt horæ ſpatium fiat colatura, nodum exprimendo, edulcoreturque ℥ j. Sacchar. cand.

*Ptiſana altera in Pleuritide, Rheumaticis Pectoris affectionibus, & Sanguinis ſputo conveniens.*

℞. Capitum Papaveris errat. antequam flos omnino evanuerit N. xij. Hord. mund. Man. j. Coque in ℔ vj. aquæ abſque ulla imminutione, vas dein ab igne abducatur, & adde Rad. Glycyrrhizæ in fila evulſæ ℥ ij. Serveturque colatura pro potu.

*Potio Diaphoretica.*

℞. Aquæ Papaver. errat. ℥ iij. Mand. Lucii p. ʒ j. Salis volat. C. C. gr. vj. Laud. liquid. Sydenham gut. xxiv. Syrup. Papaver. errat. ℥ j. M. pro tribus doſibus.

*Altera potio adversus ictus, in quibus sanguinis concreti, aut alicujus internæ contusionis suspicio adest.*

℞. Aquæ Papaver. errat. ℥ ij. Aceti Vino parati ℥ vj. Oculor. Chancror. pp. & Mandibular. Lucii p. ana. ʒ ß. Syrupi Papav. errat. ʒ ij. M. pro binis dosibus.

*Altera ad sudorem ciendum in Scabie retrocessa.*

℞. Aquæ Papaver. Errat. ℥ j. Pulv. Viper. ʒ ß. Salis volatil. Viper. gr. jv. Syrup. Fumariæ ʒ ij. M. pro una Dosi.

Papaver nigrum, *Offic.* Papaver hortense, nigro semine, sylvestre Dioscoridi, nigrum Plinio, C. B. P. 170. *Inst.* R. H. 237. Papaver fimbriatum, flore purpureo, & albo, J. B. 3. 391. Papaver nigrum sativum, *Dod. Pempt.* 445. Papaver nigrum, *Brunf. Cast.* Papaver nigrum sativum semine atro, *Fuchs.* Papaver minus nigro semine, *Gesn. Hort.* Papaver nigrum sativum, flore Pæoniæ simplici; Papaver nigrum sive vulgare; Papaver sylvestre, capite depresso, & semine nigro, *Nonnull.*

Radix digitum crassa, succo lactescente, & amaro, una cum tota planta prægnans, caulem profert erectum, bicubitalem, ut plurimum lævem, nonnunquam modice hirsutum, & ramosum, cui folia adnascuntur oblonga, lata, denticulata, crispa, colore glauco, magnis floribus in ejus, & ramorum summitatibus locatis, rosaceis, rubris, expansis, aliquando simplicibus, aliquando duplicibus, fimbriatis, & non fimbriatis, suffultis calyce duorum foliorum excidentium, flore sese expandente, qui deinde abit in capita, aut baccas rotundas, plus, minusve crassas, capitello ornatas radiato, seu stellato, cavitate, aut membranosis sepimentis parva semina fere rotunda, & nigricantia continentes. Dum virescit succo turget pingui, & oleoso, virulentum, aut fœtentem odorem, capiti infensum expandit, non secus, ac flos, qui tamen plurimum ornamenti ob elegantes varietates hortis conciliat; colitur etiam pro usu Medico, quamvis longe minorem Papaveris albi usum habeat, quod tutius interne exhibitum reputatur. Autumno, aut Vere seritur, Majo, Junioque floret, perque totam Æstatem conspicitur: Cæteris vulgatius est, dummodo una tantum vice seratur nunquam in hortis deest, sponte namque multiplicatur.

Quoad hujusce Papaveris, nigri ob nigrum semen vocati, proprietates, diversæ sunt Authorum sententiæ. Iidem enim, ac Papavero albo huic quoque usus, quamvis demissiori gradu a majori ipsorum numero tribuuntur; ab aliis vero uti a Foresto, & Schordero infestum reputatur, internusque ejus usus firmiter inhibetur. Ingnotum vero nobis est quo potissimum fundamento hi Authores innixi, hanc sententiam tueantur: Hoc solummodo testari possumus, expertissimum Pharmacopolam a nobis cognitum, ad syrupum Diacodii conficiendum, hoc idem indiscriminatim usurpavisse, præsertim quia quandoque Papaveris albi capita difficile admodum occurrunt, eosdemque effectus edere semper credidisse. Itaque probabilius nobis videtur asserere, errore hoc, Papaverum album anteponendi, in arte Medica illapso, Nigrum neutiquam postponendum esse: si enim aliquatenus debilius depre-

deprehendatur, augenda, si vero majori narcotica vi polleat, ut Nonnulli dictitant, minuenda erit ejus dosis. Dioscorides *Lib.* 4. *Capite* 60. semen Papaveris nigri tusum, & in Vino infusum adversus ventris, uterique fluxus commendat. A Mesuæo Trochiscis de Karabè, & Terræ Sigillatæ sociatur. Exprimitur etiam ex iisdem seminibus Oleum, quod *huile d'OEillet* vocatur, usurpaturque in lampadibus, & a plebecula in acetariis, & fricturis.

Capita vero Papaveris nigri in Balsamo Tranquillo, folia autem in Unguento *Populeo Pharmacopææ Parisiensis*.

## PARIETARIA.

PARIETARIA, *Offic.* Parietaria Officinarum, & Dioscoridis, C.B.P.121.*Inst.*R.H.509. Parietaria, J.B.2.976. *Dod.Pempt.*102.*Ger.Raii Hist.*206. Parietaria vulgaris, & major, *Trag.* Parietaria vulgaris,*Park.* Helxine, urceolaris, sive Perdicium, *Cæsalp.*169. Vitriola.*Lob.*98. Vitriaria, herba vitri, herba muralis, sive Perdicalis, Muralium, sideritis, Heraclia, seu Herculana, ixine sylvestris, clibadium, Polyonymon, Amelxine, Amorigne, Melampeton, Cittamprelon, Anatetamenon, Parthenium, *Quorumd.* vulgo, *Casse-pierre ou Perce-muraille*.

Radix fibrosa, & rufescens plures bipedales emittit caules rotundos, rufescentes, fragiles, & ramosos, alternatim dispositos, foliis oblongis, Mercurialis æmulis, acuminatis, hirsutis, atro-viridibus, lucentibus, asperis, facile transeuntium vestibus adhærentibus, caudis longis. Florum vero exiles fasciculi ex foliorum alis juxta caulem enascuntur, quorum quisque quatuor plerumque staminibus conflatur, extremis albo-purpureis, adeo elasticis, ut minimo styli contactu statim decidant, pulveremque impetu excutiant, colorem vero habent luteo-viridem ad purpureum accedentem, calyceque sustinentur monopetalo, & quadrifido, pistillo intermedio. Flores fertiles variam, a sterilibus figuram habent, abeuntque in capsulas seminales tactu asperas, semen minutum, oblongum, lucidum, Uvæ nuclei figuram æmulans occludentes. E vetustis parietibus, a quibus nomen mutuatur, abunde excrescit; vulgatissima est, & magni usus in arte Medica, & prsertim ejus folia.

Chymicæ analyseos ope magnam olei, salis fixi, & terræ portionem, plurimosque liquores acres, & acidos largitur; nihil vero salis volatilis concreti, nonnihil autem spiritus urinosi. Boyleus in suo *Tractatu de utilitate Philosophiæ experimentalis*, in ea sal nitroso-sulphureum recognovit, nec Etmullerus dubitat, quin nitro sit saturata, præsertim si in vetustis muris excrescat. Tanquam aperiens, temperans, & resolvens interne, & externe usurpatur. Interne vero, & ejus succus, & decoctio, & aqua distillata, diuretica sunt, & aperientia, & ad glareas viscosumque renalium tubulorum lacticem incidendum dicata.

Utilissima ergo est urinæ suppressione, & calculo affectis. Exhibenda erit ejus aqua distillata ℥ iij. cum æquali aquæ Liliorum quantitate, & Olei Amigd. dulc. ℥ j. pariterque ℥ j. Syrupi Limonum in colicæ Nephriticæ paroxismo. In semicupiis quoque planta hæc optimo cum successu semper usurpata fuit. Tragus ejus decoctionem ad infimi ventris obstructiones tollendas magnis laudibus extollit; pulvis vero cum melle mixtus uti bechicus, & in Asthmate, & Phthisi aptissimus reputatur. Syrupus cum Parietariæ succo, & melle al-

le albo confectus Hydropicos solatur, remediumque est in Anglia magnó pretio habitum, iisque ejusdem ℥ j. mane in cyatho aquæ Graminis soluta exhibetur: hic idem succus in opiata cephalica usurpatur, cujus Garidel exactam nobis descriptionem largitur: pluries a se ipso comprobata fuit in Vertigine, ad Apoplexiam præcavendam, adversus Epilepsiam in adultis, & infantibus. Ejusque sequens erit formula.

℞. Sem. Cumin. p. ℥ iiij. Succi Parietar. depur., & extracti forma concocti ℥ ij. Fol. & flor. Majoran. exsicc. & p. ℥ j. ß. M. cum s. q. Mellis Narbonensis, aut alterius optimæ notæ, ut opiata conficiatur a ℈ j. ad ʒ ß. pro Adultis præscribenda, superbibendo poculum alicujus convenientis liquoris; sique adversus Epilepsiam adhibeatur, addendus erit fimus Pavonis, & pulvis radicis Pæoniæ maris.

Externe etiam Parietaria usurpatur in decoctionibus emollientibus, pro fomentis, clysteribus, & semicupiis. A Dioscoridis usque temporibus, partibus Arthritide affectis applicabatur, ejusque decoctione, Gargarisma conficiebatur pro faucium morbis, inque auribus iniciebatur, ad earum dolorem mitigandum. Tragus hac ipsa utebatur Cataplasmatis forma vesicæ regioni applicanda adversus urinæ suppressionem, addebatque Vinum, & Nasturtium aquaticum, in sartagine omnia ad ignem aliquo temporis intervallo commiscendo, ac calide ad ægri sufferentiam imponenda esse præcipiebat. Hoc idem Cataplasma, Oleo Amygdalarum dulcium, aut Scorpionum, fricta planta ab aliis commendatur. Camerarius cum Aceto tusam, calidamque scroto applicabat in magnis doloribus quandoque ab herniis productis. Nos ipsi pluries experti sumus, Man. j. Parietariæ una cum ℥ ij. ß. panis albi sicci tuso, Oleo Liliorum, aut Camomillæ addito, utilissimum confici Cataplasma adversus inflammatorias mammarum constipationes.

Summitates vero hujusce plantæ usurpantur in Syrupo Althææ *Fernelii*, & Decoctione emollienti pro clysteribus *Pharmacopææ Parisiensis*.

*Clyster emolliens.*

℞. Furfuris loti Man. ß. Fol. Pariet. Man. j. Ebulliant in ℔ ij. aquæ ad medias, Colaturæ adde Mell. violat. ℥ ij. pro Clystere.

*Fomentum emolliens.*

℞. Folior. Parietar. Malvæ, & Betulæ ana. Man. j. Ebulliant in ℔ iij. Lactis cum æquali aquæ quantitate ad tertiæ partis consumptionem. Immergatur panni lanei frustulum, & exprimatur, calidumque parti affectæ applicetur repetitis vicibus.

℞. Pariet. minutim dissectæ Man. ij. Frigatur butyro liquato, & Cataplasmatis forma collo applicetur in faucium morbis, & Angina.

*Potio oleosa adversus Colicam nephriticam.*

℞. Aquæ Parietar. ℥ iiij. Olei Amygd. dulc. ℥ ij. Syrupi Althææ, & Capilli Veneris ana ℥ ij. Adde succum Limonis j. M. pro binis dosibus duarum horarum intervallo propinandis.

PASTI-

## PASTINACA.

PLures PASTINACÆ species reperiuntur, vulgatiores vero, magisque a Medicis usurpatæ sunt, Pastinaca vulgaris sativa, & Pastinaca sylvestris.

Pastinaca sativa, seu Baucia, *Offic.* Pastinaca sativa, latifolia C. B. P. 155. *Inst.* R. H. 319. Pastinaca sativa, latifolia, Germanica, luteo flore, J. B. 3. *Part.* 2. 150. Pastinaca latifolia sativa, *Dod. Ger. Park. Raii Hist.* 1410. Elaphoboscum sativum, *Tabern. icon.* 76. Pastinaca domestica vulgi, Pastinaca major, Sisarum sativum magnum, Pastinaca Cervina, Olus Cervinum, Elaphicon sive herba Cervina, Elaphoboscon seu Pabulum Cervi, Nebrium, Ophigenium, Ophioctonon, Cervi ocellus, *Nonnull.* vulgo, *Panais.*

Ei radix est longa, pollice crassior, carnosa, sub-lutea, aut rufescens, nervo in media sui parte per longum percurrente, odore neutiquam ingrato, sapore optimo. Caulem vero profert ad trium, vel quatuor pedum altitudinem, & ultra, & quandoque crassiorem, erectum, firmum, striatum, cavum, & ramosum, foliis amplioribus, ex aliis foliis constantibus, Fraxino, & Therebintho æmulis, oblongis, binos digitos latis, ambitu denticulato, hirsutis, atro-virentibus; paribus conjugationibus juxta simplicem Costam positis, impari folio terminatam, sapore grato, & aromatico. Summo autem caule, summisque ramis exigui flores, quinque constantes petalis rosaceis, luteis, magnis umbellis, conspiciuntur, qui abeunt in semina bina simul juncta, magna, ovalia, plana, subtilia, leviter striata, exiguo membranaceo folio circumfusa, Angelicæ semen æmulantia. Planta hæc maximum habet culinarium usum; ejusque radices in pultaceis jusculis potius, quam uti remedium usurpantur; qua de causa præsertim in hortis olitoriis colitur; tamen semina, & folia nonnunquam a Medicis adhibentur. Altero autem anno postquam terræ commissa fuerit mensibus Julio, & Augusto florescit. Radices vero ad perfectum magnitudinis gradum perductæ nervum durissimum in sui centro recondunt, post ebullitionem abjiciendum, comextioni ineptissimum; dulces admodum sunt, gratique saporis, satis nutrientes, magisque pinguefacientes, respectu Raparum, ac Sisari. Non solum in pultibus concoctæ, verum etiam butyro conditæ, aut frictæ, præsertim Quadragesimali tempore, sumuntur tamquam saluti magis conducentes, cum ob gratiorem saporem, tum, quia earum succus Hyemis tempore probe præparatus, digestusque fuit. J. Bauhinus admonet, ne loco prædictæ radicis, Cicuta, aut Cicutaria fatua incaute colligatur, & ingurgitetur, asseritque binas integras familias morti proximas, hujus erroris causa, conspexisse, tamque magno periculo, vomitoriis Theriaca, pulvere cordiali, & purgantibus omnes incolumes evasisse. Juxta Rajum, Angli asserunt, autumantque, Pastinacas veterascentes, delirium, & insaniam progignere; ab iis autem tunc temporis *Pastinacæ fatuæ* nuncupantur. A nonnullis Pastinacæ gustus penitus despicitur, & J. Bauhinus narrat, quoddam instinctum naturæ congenitum prætulisse, ad hasce radices abhorrendas, sed a Patre ad harum esum coactum, optimas tandem reperiisse, quamvis semper Pastinacarum jusculum odio sit prosequutus. Alii e contra hasce in delitiis habent, uti exquisitissimum alimentum, Pliniusque memoriæ prodidit, easdem singulis annis e Germania Romam afferrendas esse Tiberium jussisse.

Pastinaca sylvestris, *Offic.* Pastinaca sylvestris latifolia, C. B. P. 155. *Inst.* R. H.

R. H. 319. Paſtinaca Germanica, ſylveſtris, quibuſdam Elephaboſcum, J. B. 3. *Part.* 2. 149. Paſtinaca latifolia ſylveſtris, *Dod. Ger. Park. Raii Hiſt.* 409. Elaphoboſcum erraticum, ſeu Branca Leonina, *Tabern. icon.* 77. Paſtinaca ſponte nata, ſiſer ſylveſtre, Paſtinaca ſylveſtris Gallica, Paſtinaca minor erratica, ſive adulterina, Cervaria ſylveſtris, *Quorumd.*

E radice alba, ſimplici, lateraliter nonnullas craſſas fibras emittente, odore, ac ſapore Paſtinacæ ſativæ æmulo, a qua niſi cultura differre videtur, caulis effertur duos, vel tres cubitos altus, erectus, rigidus, ſtriatus, pollicem, & ultra craſſus, hirſutus, intus cavus, ramoſus, alternis ornatus foliis, Paſtinacæ ſativæ ſimilibus, exilioribus, ſaturatius-viridibus, quandoque hiſpidis, præſertim radicem verſus. Ab imo caulis uſque ad verticem ex foliorum alis ramuli exeunt umbellas ſuſtinentes florum exiliorum, majoribus in medio caule locatis. Hi flores exigui admodum ſunt, lutei, & quinquepetali. Differt a prædicta non foliis exilioribus tantum, ſed etiam radice tenuiori, duriori, lignoſa, guſtuique minus grata, in locis ſylveſtribus excreſcit, in pratis ſiccis, collibus, & alibi inter arvenſes, & incultas plantas. Quamvis autem minus ſit pro re culinaria expetita, præcedenti tamen, urgente neceſſitate, ſubſtitui poteſt. Quod vero ad uſum Medicum ſpectat, altera ignobilior nequaquam eſt recenſenda; hæc quoque Æſtate flores oſtendit. Paſtinacam domeſticam in optimo ſolo facile progigni poſſe creditur, ſemine a Paſtinaca ſylveſtri bis repetito, eadem prorſus ratione uti a Siſaro ſylveſtri, Siſarum ſativum producitur

Paſtinacæ plurimum olei, phlegmatis, ſaliſque eſſentialis largiuntur. Alimentis, uti innuimus, & Medicinæ inſerviunt, pro primo autem uſu ſativæ cæteris ſunt præferendæ, craſſiores enim ſunt, teneriores, guſtu, & odore gratiſſimo, faciliuſque concoquuntur. Suas quoque Medicas habent facultates, urinas namque, menſeſque cient, vapores cohibent, quinimmo vulnerariæ & febrifugæ reputantur. D. Garnerius Doctor Medicus Lugdunenſis publici juris experimenta effecit in Semine Paſtinacæ ſativæ nonnullis ab hinc annis a ſe ipſo inſtituta, cui efficaciſſima virtus febrifuga ab eo tribuitur, notiſſimumque eſt, nonnullis in regionibus hujuſce radicis decoctionem uſurpatam fuiſſe ad intermittentes febres debellandas, ac ſæpe numero rem feliciter ceciſſe: remedium ergo hoc neutiquam eſt negligendum, tamquam vulgatiſſimum, fereque nullius pretii; præterquamquod, quandoque febres intermittentes peculiaris cujuſdam indolis irrepere ſcimus, quæ Chinæ Chinæ pertinaciter reſſiſtunt, aliiſque poſtea cedunt remediis infidis plerumque reputatis. Cæſalpinus autem Electuarium radice Paſtinacæ, & ſaccharo confectum convaleſcentibus perutile, appetitumque ciens magnis laudibus extollit. Jamque innuimus cum J. Bahuino, iterumque monemus, Paſtinacæ radices, cum radicibus Cicutæ, quibus figura, & dulceſcenti ſapore ſimilantur, confundendas non eſſe, quod imperitis Herbariis Hyeme ruſticas radices effodientibus plerumque accidit, eorumque errore, ferales eventus ortum duxiſſe ſcimus: ergo Verno tantum tempore e ſolo erunt educendæ, quum ſcilicet caule, & foliis ſatis diſtingui poſſunt.

Quod vero a Rajo aſſeritur, radices Paſtinacæ veteraſcentes, plurium nempe annorum ſpatio in ſolo detentas, comeſtas, noxias eſse, phantaſiam pervertere, ac miſeranda, & pertinaciſſima deliria progignere, Obſervatione *Ephemeridum Germanicarum Decuria* 3. *anni* 2. confirmatur, in qua D. Petrus

Albrecht

Albrecht narrat, a ſe ipſo, quamplurimos hiſce ſymptomatibus eadem de cauſa correptos, Vomitorio immediate, ac poſtea Theriaca propinata, ſanatos fuiſse.

℞. Sem. Paſtin. ſativ. tuſ. ℥ iij. Ebulliant in duobus cyathis Vini optimi albi veteris auſteri ad mediæ partis conſumptionem. Coletur, vique exprimatur, ac tepide propinetur in Febribus intermittentibus, quatuor, aut quinque ante paroxiſmum horis, ægro in lectulo probe cooperto, decumbente: quinque, vel ſex vicibus, eadem ratione, remedium repetetur.

℞. Rad. Paſtinacæ ſativ. lot., nec raſar. Man. ij. Taleolatim inciſæ ebulliant nonnullis horæ minutis in ℔ j. Vini albi auſteri, & inſuſæ per noctem relinquantur in cinerario calido; Forti expreſſione mane colentur, tribuſque doſibus propinetur decoctio tepida quatuor horarum intervallo in acceſsus intermiſſione.

## PELLIBOSSA.

Lisimachia, ſeu Lyſimachion luteum, *Offic.* Lyſimachia lutea, major quæ Dioſcoridis, C. B. P. 245. *Inſt.* R. H. 141. Lyſimachia lutea, J. B. 2. 901. *Ger. Raii Hiſt.* 1021. Lyſimachium verum ſeu legitimum, *Dod. Pempt.* 84. Lyſimachia lutea, major, vulgaris, *Park.* Lyſimachia foliis lanceolatis, caule corymbo terminato, *Linn. Flor. Lappon.* 51. Salicaria flore flavo, ſeu Melino, Salicaria lutea, Pelliboſsa, *Nonnull.* vulgo, *Lyſimachie*, *Corneille*, *Souci d'eau*, *Perceboſſe ou Chaſſeboſſe*.

Radix rufeſcens, in terræ ſuperficie repens, plures profert caules, duos, vel tres pedes altos, erectos, ſtriatos, hirſutos, pluribus refertos nodis, ex quorum unoquoque tria, vel quatuor, vel etiam nonnumquam quina, raro bina exeunt folia oblonga, mucronata, Salicem latis foliis æmulantia, ſuperne atro-virentia, inferne vero ſub-albida, & lanuginoſa. Flores autem ſummis ramis in modum parvæ roſæ in quinque vel ſex portiunculas diviſi floribus Hyperici æmuli, guſtus acidi, & inodori, in fructus abeunt plerumque ſphæricos, extremo in plures cellulas ſeſe aperientes, ſemina occludentes minuta, & adſtringentia. Humidis, & paludoſis in locis, prope rivulos, & foſsarum margines excreſcit, floretque Junio, & Julio; inter venuſtiores agri plantas connumeratur, faſciculoſque exhibet florum, qui cum floribus Lyſimachiæ rubræ, aut Salicariæ, de qua ſuo loco verba faciemus, ſi forte miſceantur, aſpectu revera elegantiſſimi ſunt. Rajus obſervat, raro hanc plantam reperiri; hoc autem veroſimiliter Angliæ refertur: in hac enim regione, & in agro Pariſienſi præſertim, vulgatiſſima eſt. Cæſalpinus obſervavit, quandoque bina, tria, vel quatuor folia caulium nodis oppoſita Pelliboſsam geſtare, & D. Tournefortius aſserit, idipſum in una eademque planta obſervaſse: quod ad ejuſdem plantæ varietates eſt referendum.

Pelliboſsa plurimum in ſe habet phlegmatis, & olei, parumque ſalis, & ab Authoribus, tamquam adſtringens, & vulneraria reputatur. Interne aut ejus decoctio, aut pulvis adverſus dyſenteriam, immodicum menſium fluxum, aliaſque hæmorrhagias uſurpatur: hæc eadem decoctio pro Gargariſmate vulnerario detergente adverſus parvas oris exulcerationes adhibetur. Contuſa etiam, Cataplaſmate ad detergenda, & conſolidanda vulnera, adverſus

verſus carbunculos, buboneſque peſtilentiales externe applicatur. Ejus vero flos, capillos reddit flaveſcentes, ejuſque pulvis eſcoriationes, præſertim in pedibus ob nimium anguſtarum crepidarum uſum ſanat. Si autem comburatur, ſerpentes, & muſcas adeo cubiculis infeſtas, odore præſertim, forti, & acri expellere ſolet.

℞. Pulv. Lyſimachiæ ℨ j. F. B. cum Syrupo Roſarum exſicc., aut Cydonior., repetaturque tribus vicibus de die, in dyſenteria, vel alia hæmorrhagia interna.

℞. Herb. Lyſimachiæ, & Agrimoniæ ana. Man. j. Ebulliant cum Man. ſ. Hordei in ℔ ij. aquæ ad medias. Colaturæ adde Mellis roſacei ℥ j. pro Gargariſmate adverſus oris, & gingivarum ulcera.

## P E R F O L I A T A.

INter diverſas PERFOLIATÆ ſpecies, ſequentes duæ tantummodo a Medicis uſurpantur.

Bupleuron, Coſta Bovis, Auricula Leporis, *Offic.* Bupleuron folio ſubrotundo, ſive vulgatiſſimum, C. B. P. 278. *Inſt.* R. H. 309. *Raii Hiſt.* 473. Auricula Leporis, umbella lutea J. B. 3. 200. Auricula Leporis Monſpelienſium, *Geſn. Hiſt. Anim.* Bupleurum auguſtifolium, *Tabern. icon.* 872. Bupleuron anguſtifolium herbariorum, *Lob. icon.* 456. Iſophyllon, *Cord. Hiſt.* Bupreſtis, Gratia Dei, herba Coparia, herba vulneraria, *Nonnull.* vulgo, *Perce feville vivace.*

Radicem habet exiguam, rugoſam, ſub-viridem, fibroſam, guſtus acris, caulemque pellit pedem cum dimidio, vel duos pedes altum, gracilem, lævem, ſtriatum, nodoſum, intus cavum, ramoſum, quandoque ſub-rubrum, quandoque viridem. Folia vero præſertim caulis, longiuſcula ſunt, anguſta, ſimplicia, alterna, & nervoſa; in baſi autem locata aliquantulum ſunt latiora. Flores ſummis caule, ramuliſque umbellati enaſcuntur lutei, floribus Fœniculi accedentes, quorum quiſque pluribus foliis in modum roſæ diſpotis componitur. Hiſque ſuccedunt ſemina oblonga Petroſelini ſeminibus æmula, ſtriata, cinerea, acidi guſtus. Planta hæc, quæ Auricula Leporis vocatur, abunde in montanis locis creſcit, juxta ſepes, atque inter dumeta, floret autem Julio, & Auguſto, ſeriuſque, ſemenque Autumno matureſcit, nempe Septembri, & Octobri; & in ſolo argillaceo præcipue ſeritur agri Pariſienſis incola.

Auricola Leporis plurimum continet ſalis, & nonnihil olei. Tota planta acido ſcatet ſapore ad amarum accedente. Ejus folia vim habent detergentem, exſiccantem, & vulnerariam. Semen vero calidum eſt aperiens diſcutiens, ſudores, urinaſque ciet; manſumque ſalivæ excitat ſecretionem, ſputumque promovet.

Perfoliata vulgaris, *Offic.* Perfoliata vulgatiſſima, ſive arvenſis, C. B. P. 277. Perfoliata ſimpliciter dicta, vulgaris, annua, J. B. 3. *Part.* 2. 198. Perfoliata, *Dod. Pempt.* 104. *Matth. Fuchs.* Perfoliata vulgaris, *Ger. Park. Raii Hiſt.* 471. Bupleurum perfoliatum, rotundifolium, annuum, *Inſt.* R. H. 310. Perfoliatum vulgatius, flore luteo, folio umbilicato, *Lob. icon.* 396. Perfoliata vera, ſeu genuina, Diaphyllon, *Quorumd.*

E radice minimum digitum craſſa, ſimplici, lignoſa, alba, nonnihil fibroſa, guſtus dulcis ad Rapunculum accedentis, caulis unicus propellitur,

pedem

pedem cum dimidio altus, gracilis, firmus, rotundus, pilis destitutus, striatus, cavus, nodosus, ramosus, fractu aromaticus, foliis alternis, simplicibus, ovalibus, aut fere rotundis, lævibus, nervosis, caule, aut ramis intersectis, coloris glauci, saporis acris. Flores vero in ramulorum apicibus parvi, umbellis luteis, quinquepetalis rosaceis, brevibus appensi petiolis locantur, abeuntque in semina bina simul juncta, oblonga, gibba, striata, & sub-nigra. Inter segetes in arvis, in solo pingui, quandoque etiam in hortis locisque sabulosis planta hæc conspicitur, floremque profert Junio, Júlio, & Augusto, vulgatissima quoque est in agro Parisiensi. *Perfoliata* vero nuncupatur ob folia a caule, & rammis quodammodo perforata. Juxta J. Bauhini sententiam, Dioscorides, aliique veteres Authores, Perfoliatam nostram silentio præterierunt; annua est, semineque multiplicatur; dum e contra præcedens vivax est, & nunquam perit.

Plurimum salis essentialis, atque olei in se habet, & ab omnibus uti vulneraria-adstringens recipitur. Totius plantæ decoctio, aut ejus folia sicca in pulverem redacta, iis exhibentur, qui ab aliquo lapsu, aut violenta contusione, alicujus corporis vasis rupturam perpessi sunt; nec non eadem ratione propinata adversus Hernias in pretio habetur, externe applicata Cataplasmatis forma cum Vino, & farina Fabarum, Tritici farina præstantiori, decocta. A Schordero, & S. Paulli in hernia umbilicari plurimum commendatur, ab hoc postremo Cataplasma, imponebatur Prædicta, Pilossella, Herniara, Plantagine, & Musco Prunus sylvestris, post ebullitionem in Vino paratum. Dodonæus vero existimat, idem remedium Strumas resolvere, & J. Bauhinus asserit, Exostoses dissipare, optimumque esse adversus fracturas.

*Cataplasma adversus Hernias, & Strumas.*

℞. Herb. Perfoliatæ, Pilosellæ, Herniariæ, Plantaginis, & Muschi Pruni sylvestris ana. Man. ß. Coque in ℔ vj. Vini rubri optimi ad medias, appliceturque calidum Herniis, duobus, vel tribus vicibus de die usque ad sanationem.

℞. Pul. Perfoliatæ exsicc. ʒ j. M. cum q. s. Syrupi Hederæ terrest. f. b. ex nebula, adversus lapsus, & internas contusiones.

## PERIPLOCA.

SCAMMONEUM, sive Scammonium Monspeliacum, *Offic.* Scammonía Monspeliaca foliis rotundioribus, C. B. P. 294. Scammonea Monspeliaca flore parvo, J. B. 2. 136. Periploca Monspeliaca, foliis rotundioribus, *Inst.* R. H. 93. Apocynum quartum latifolium, Scammonea Valentina, *Clus. Hist.* 126. *Raii Hist.* 1088. Scammonia maritima Monspeliaca, *Richier. Onomast. Lugd. Hist. Camer.* Scammonea Monspeliaca dicta, *Park.* Scammonea Monspeliensis, *Ger.* Volubilis marina, Convolvolus Scammonia Monspeliaca dictus, Scammonia Monspeliensis floribus exiguis, Scammonia adulterina, *Nonnull.* vulgo, *Scammonèe de Montpellier, Apocyn a large feville de l'Ecluse.*

Ei radix est fere digitum crassa, longa, alba, capillitio stipata, repens, lateque super terram serpens, succo lactescente, uti tota planta, referta. Caules vero profert sarmentosos, longos, bicubitales, tenues, rotundos,

ramosos, flexibiles, obvia quæcumque amplectentes, foliis oppositis, Aristolochiæ clematitidis, vel Assari foliis æmulis, latis, densis, lævibus, sub-albidis, pediculum versus falcatis, mucronatis, caudis longis appensis, succo lactescente fœtis. Ex foliorum axillis apparent florum fasciculi, longo elati pedunculo, parvi, albi, stellati, quinquifidi, qui abeunt in fructus duobus instructos vaginis, Apocyni fructibus similes, sese sponte maturescendo aperientes, materiamque lanuginosam seminibus imbricatis refertam ostendentes. Planta hæc Periplocæ species quædam juxta mare Monspelinse excrescit, in sabuloso Galliæ Narbonensis solo, ripis Rhodani, inque maritimis Regni Valentiæ locis, juxta Clusii relationem. Junio, Julio, & Augusto floret. Ejus vero lactescens succus coctura inspissatus nigrescit, veramque Syriæ Scammoneam æmulatur tum colore, cum vi solvente.

Ut vero ad hanc vim exerendam sufficiat, dosis est augenda. Pseudo-Mercatores, & præsertim Marsilienses succum hunc ita paratum una cum vera Scammonea Smyrnensi, & Alepensi mixtum parvi venditando plurimum lucrantur; Scammoneæ autem sic adulteratæ efficacia adeo alteratur, ut effectu suo pene destituta sit.

## PERSICARIA.

PLanta est plurium specierum, nos hic binas solummodo in usum Medicum venientes, videlicet Persicariam mitem, & Persicariam urentem describemus.

PERSICARIA mitis, *Offic.* Persicaria mitis maculosa, & non maculosa, C.B.P. 101. *Inst.* R. H. 509. Persicaria mitis, J. B. 3. 3. 779. Persicaria secunda, *Tabern. icon.* 857. Persicaria, *Matth. Fuchs. Dod. Lugd. Hist.* Persicaria maculosa, *Ger. Raii Hist.* 183. Persicaria vulgaris mitis, seu maculosa, *Park.* Persicaria maculis nigris, *Gesn. Hort.* Persicaria florum staminibus senis, stilo duplici, *Linn. Hort. Cliff.* 42. Persicaria maculata. Pulicaria fœmina, Molybdæna, Plumbago, Crataeogonon, Pavonaria seu Pavonum speculum, Britannica, Sanguis Christi, *Nonnull.* vulgo, *Persicaire douce tachée.*

E gracili radice, obliqua, fibrosa, lignosa, fractuque difficili, caules exeunt pedales, rotundi, cavi, sub-rubri, ramosi, nodosi, foliis nonnihil latis, foliorum Mali Persicæ, vel Salicis æmulis, in centro, quandoque nigra aut plumbea macula obsignatis, quandoque ea destitutis. Flores vero spicei ex foliorum alis in vertice pediculis longis appensi conspiciuntur monopetali, quinquifidi, calyce orbati, quinis staminibus, plerumque purpureo-lucentibus, quandoque etiam albidiusculis, quibus præsto sunt semina ovalia, plana, mucronata, lubrica, & sub-nigra. In hac vero urens sapor, ut in sequenti neutiquam deprehenditur; nonnihil acidi tamen præsefert; loca aquatica, & paludosa amat; fossarum humidarum, lacuum, rivulorum, agrique Parisiensis incola est; Julio & Augusto præcipue florescit.

Persicaria vulgaris plurimum phlegmatis, atque olei, parumque essentialis salis largitur, nonnihil præterea salis volatilis concreti. Jure D. Tournefortius adnotavit, plantam hanc mansam quopiam adstringenti sapore linguam afficere, chartamque cæruleam saturate-rubro colore imbuere, ex quo conjicere possumus, hujusce sal ejusdem fere esse naturæ, ac sal ammoniacum, magna terræ portione fœtum, exigui sulphuris miscella: Ideoque uti adstrin-

ſtringens, detergens, & vulneraria commendatur. Ejus decoctio optima eſt adverſus ventris fluxus, & dyſenteriam, præſertim, ſi alicujus inteſtinalis ulceris ſuſpicio adſit, denique contra cutaneos morbos. Utiliter ergo ejus Ptiſana exhibetur ſcabie, aliiſque cutaneis eruptionibus affectis. *In actis Regiæ Scientiarum Academiæ anni* 1703. *pag.* 304. prædictus D. Tournefortius aſſerit, hance Perſicariæ ſpeciem, Vulnerarium eſſe, præ cæteris efficaciorem, ejuſque decoctionem ex Vino gangrænam mirabiliter ſiſtere, quod a Perſicaria urenti non præſtatur. Hujuſce ſapientiſſimi Viri ſincera fides nunquam in dubium revocata, nobis omnium remediorum tutiſſimum contra eoſdem morbos miniſtrat.

Perſicariæ folia uſurpantur in Unguento mundificativo de Apio dicto; Summitates vero floridæ in Balſamo tranquillo; Salque fixum in Petra medicamentoſa *Pharmacopææ Pariſienſis.*

℞. Rad. Lapathi ſylv. & Enulæ Campanæ, lotar. raſar. & taleolatim inciſar. ana. ℥ ß. Coque cum carnis vitullinæ ℔ ß. in ℔ iij. aquæ ad medias. Adde ultima ſemihora Man. j. Folior. Perſicar. vulgar. & Man. ß. Folior. Fumariæ; Levi expreſſione colentur per linteolum, dividaturque Colatura in duas partes, quarum una Mane jejuno ſtomacho, altera Veſperi propinabitur, repeteturque per dies ix. Pro unaquaque autem doſi ſolvetur ʒ j. Salis Glauberiani, curando ut venter initio, ac in fine ſolvatur, Juſculum hoc convenit in Scabie, Impetigine, Porrigine, & Prurigine, aliiſque omnibus cutaneis vitiis a Lymphæ acrimonia, & lentore oriundis.

*Fomentum adverſus Gangrænam.*

℞. Folior. Perſicar. mitis Man. ij. Leniter ebulliant in ℔ ij. Vini rubri ad medias. Forti expreſſione coletur, linteolaque hoc Vino calido madefacta applicentur partibus Gangræna affectis, aut Gangrænam minitantibus, tertia quaque hora, eam innovando, cureturque, ut quatuor de die vicibus ℥ iiij. ejuſdem decoctionis hac de cauſa paratæ propinentur.

*Ptiſana adverſus Diarrhœam, & Dyſenteriam.*

℞. Rad. Conſolidæ maj. lotar. ℥ j. Folior. Perſicariæ mitis Man. j. Superaffundantur ℔ ij. ferventis aquæ, & poſt ſemihoræ infuſionem colaturæ adde Syrupi Conſolidæ maj. & Cydonior. ℥ j. M. pro potu communi.

Perſicaria urens, *Offic.* Perſicaria urens, ſeu Hydropiper, C. B. P. 101. *Inſt.* R. H. 509. Perſicaria acris, ſive Hydropiper, *Jo. B.* 3. 780. *Raii Hſt.* 182. Hydropipari, *Dod. Pempt.* 607. Hydropiper, *Matth. Ger.* Perſicaria vulgaris acris, ſive minor, *Park.* Perſicaria maſcula, *Brunf. Ruell.* Perſicaria florum ſtaminibus ſenis, ſtylo bifido, *Linn. Hort. Cliff.* 46. Mercurius terreſtris, *Parac.* Piper aquaticum ſive aquatile, Piperitis, Herba Pulicaris, ſive Pulicaria mas, Perſicaria mordax. Zinziber caninum, *Quorumd.* vulgo, *Curage.*

Huic radix eſt ſimplex, lignoſa, alba, fibroſa, plures caules emittens pedem, aut pedem cum dimidio altos, firmos, rotundos læves, nodoſos, aliquando ſubrubros, aliquando luteo-virides, & ramoſos, foliis e caulis nodis erumpentibus, eumque amplectentibus, appendiculis membranaceis, brevibus appenſis pedunculis, dilute viridibus, macula, & pilis deſtitutis, foliis Mali

Persicæ similibus, a qua hoc plantæ genus nomen mutuatur. Flores vero in caulis, & ramulorum apicibus enascuntur in spicæ longæ, & gracilis formam dispositi, monopetali, quinquifidi, calyce destituti, quinque conflati staminibus, coloris plerumque purpurei, tandem in semina satis crassa, veluti triangularia, lucentia, & sub-nigra abeuntes. Gustu Piperis, acri, & mordaci tota scatet planta; annua est, inque locis humidis, aquaticis, & paludosis excrescit, nonnunquam juxta rivulos, & fossas, in quibus Hyeme aqua stagnat, & præcedentis in modum Julio, & Augusto plerumque floret.

Analyseos vero Chymicæ ope plurimum acidi, olei, & terræ, parumque salis volatilis concreti largitur. Sapor acerrimus est & urens, chartamque cæruleam saturate rubro colore imbuit. Ejus autem sal plurimum accedit, ad sal, ex mixtura salium Corallorum, & Ammoniaci acido saturatissimorum, elicitum. Uti maxime detergens, & vulneraria commendatur in clysteribus adversus Tenesmum, & Dysenteriam; eodemque tempore bolus ejus pulvere, cum Vino in consistentiam syrupi, saccharo decocto, permixtus exibendus est. Solvens præterea, & aperiens contra Hydropem, Icterum, viscerumque obstructiones præscribitur. Quominus vero in crepidis, ut quibusdam usuvenit, Planta hæc deferatur, ejusdem Man. j. in jusculo omni pinguedine destituto ebulliat, linteo postea coletur, addaturque Tartari martialis solubilis ℥ ß. Ejus aqua distillata ℥ ij. vel ℥ iij. specificum est in calculo, & sabulosis vesicæ concretionibus. Plurimum quoque ab Etmullero commendatur eadem aqua ad vermes enecandos, additque a nonnullis in variolis, & elephantiasi usurpari. Hujusce etiam foliis tusis, membra arthriticis doloribus affecta mirabiliter solantur, quinimmo dolorem a carie dentis productum mitigat pilula ex ea efformata in dentis foramine introducenda.

Piper aquaticum frequentius a Chirurgis usurpatur ad tumores œdematosos crurum, coxendicum, aliarumque partium dissipandos: Ejus stirpes ebullitæ, & calidiusculæ applicantur, aut linteola ejus decoctione madida. Omnes Authores consentiunt, Persicariam urentem contusam, & antiquis ulceribus applicatam, corruptam carnem exedere, pus detergere, & exsiccare. Hæc eadem Cataplasmatis forma Equorum contusiones resolvit, eorumque vulneribus, & ulceribus hujusce succo madefactis, numquam muscæ magni etiam æstus tempore accedent.

De facultatibus vero pene miris, ac singularibus, quas nonnulli Alchymistæ huic plantæ pro ægritudinum transfusione tribuerunt, longius hic verba facere supervacaneum erit. Crollius, Marcus Marci, Schmuck, aliisque hujusce scholæ sapientes testantur, hujusce plantæ folia aqua macerata genis adversus dentium dolorem, & vulneribus, ulceribusque apposita, usquedum calore partis calefiant, ac deinde hæc eadem folia in terram confossa, ut prompte putrescant, dentium dolorem cessare eodem gradu, quo hæc ipsa ad putredinem magis accedunt; ulcera quoque ac vulnera eodem pacto exacte consolidari. Riverius vero, ut citius curatio exitum habeat folia ex ægris partibus avulsa in flammas iniciebat. Credat quicumque vellit, nos autem, qui nullam aliam, præter auctoritatem experimentis comprobatam in arte Medica recipimus, libentissime confitemur, nullam modo allatis fidem præstandam esse.

℞. Seri Lactis, aut aquæ Semin. Lini ℔ j. ß. Folior. Persicar. urent. Man. j. Ebull. ad ℔ j. Coletur pro clystere in Tenesmo, & Dysenteria usurpando.

do. Bolus pulvere ejusdem plantæ, & Vino cum Saccharo, aut Syrupo rosarum exsiccatar. decocto paratus Clysteri prædicto sociabitur.

℞. Pulli dimidium, & carnis Vitull. ℔ ß. Coque in s. q. aquæ, usque dum Jusculum conficiatur, postrema semihora adde Folior. Persicariæ urentis Man. j. & summitatum Marrubii albi Pug. ij. Coletur deinde per linteolum levi expressione, solvaturque ʒ ß. Tartari martialis solubilis pro Jusculo quindecim dierum spatio repetendo mane jejuno stomacho in Ictero, & Mesenterii obstructionibus, curando ut alvus lubrica interim servetur.

*Fomentum ad Tumores œdematosos crurum, & coxendicum, al.arumque partium dissipandos.*

℞. Aquæ Calcis ℔ ij. & aquæ fontis ℔ j. Ebull. cum foliis Persicariæ urentis Man. ij. & Baccar. Lauri tusar. ℥ ij. ad ℔ ij.; colatura servetur pro fomento, ad partes œdematosas madefaciendas repetitis de die vicibus.

## PERVINCA.

DUæ tantum PERVINCÆ species nobis notæ sunt a Medicis usurpatæ, Angustifolia, & Latifolia.

Pervinca vulgaris, *Offic.* Clematitis Daphnoides, minor, flore cœruleo vel candido, C. B. P. 301. Clematitis, Daphnoides, minor, flore cœruleo, purpureo, violaceo, ut & albo, simplici ac pleno, J. B. 2. 130. *Raii Hist.* 1091. Clematis Daphnoides, *Dod. Pempt.* 405. Pervinca vulgaris, angustifolia, flore cœruleo vel albo, *Inst.* R.H. 120. Vinca Pervinca minor, *Ger.* Vinca Pervinca vulgaris, *Park.* Pervinca quod semper vireat, *Trag.* Chamœdaphne altera Dioscoridis, *Brunf.* Daphnitis, idæa Daphne, Laurago, Laureola, Danae Eupetalon, Nicophyllon, seu Victoriæ, folium, Mustellago terrestris, Hypetale, Mitrion, Polygonoides, Clematis Ægyptia, Stephane Alexandri, *Nonnull.* vulgo, *la petite Pervenche*.

Radice nititur fibrosa plurima sarmenta efferente, aut minutos caules, longos, rotundos, virides, nodosos, super terram serpentes, quibuscumque obviis adhærescentes, foliis oblongis, lævibus, superne viride-lucentibus, inferne vero dilutioribus, firmis, colore, & consistentia Hederæ, figura vero Lauro æmulis, & exilioribus, binis invicem oppositis, brevibus elatis pediculis, gustus adstringentis, & amariusculi. Flos vero inodorus e caulis nodis erumpens satis longo pedunculo appensus tubulo efformatur, in latum expanso, & quinquifido, ut plurimum cæruleus est, nonnunquam albus raro ruber, quandoque simplex, quandoque vero duplex, ac raro admodum facessit in fructum duobus instructum siliquis, semina oblonga, fere cylindrica, latere ut plurimum sulcato occludentem. Planta hæc vivax est, semperque viret, sponte, ac facile multiplicetur, tum radicibus, cum sarmentis, quæ huc, illuc pullulant; vix Vere ineunte Martio, & Aprili ut plurimum floret, & diutissime hoc in statu perdurat: fructus vero vix unquam elargitur. D. Tournefortius, nec hisce in regionibus, nec in Provincia, aut Occitania, in quibus vulgatissima est, ejus fructum, unquam conspexisse asserit; additque, si forte eumdem examinandi cupiditate flagremus, in vase cum pauca terra serendam esse, tunc enim succus in radicibus neutiquam dispergetur, coge-

cogeturque in caules subire, pistillumque in fructum facescens afflare; & hæc potissima ratio est fructus plurimos e Ficu, aliisque plantis eliciendi, præsertim in frigidis regionibus, in quibus radices nimium expanduntur. Pervinca angustifolia præ altera Medico usui inservit, & in *Faltran* aut vulnerariis Helvetiæ usurpatur, in quibus facile discernitur; quamvis autem hac vulgatius præ latifolia utamur, æquali tamen adstringenti, & vulneraria virtute ambæ donantur. Ubique fere obviæ sunt in sepibus, dumetis, saltubus, fossis, aliisque contectis, humidis, umbrosisque locis. Juxta D. Tournefortium inter veteres Botanicos solus Cæsalpinus Pervincæ fructum observavit.

Pervinca latifolia, *Offic.* Clematis Daphnoides major, C. B. P. 302. *Dod. Pempt.* 406. *Raii Hist.* 1091. Clematis Daphnoides major flore cæruleo & albo, J. B. 2. 132. Pervinca vulgaris, latifolia, flore cæruleo vel albo, *Inst.* R. H. 119. Pervinca major, *Lob. Eyst.* Pervinca altera major, *Cæsalp.* Clematis Daphnoides latifolia, *Clus.* Clematis Daphnoides major cæruleo flore, *Matth. Camer. Hort.* Clematis Daphnoides, sive Pervinca major, *Ger.* Clematis Diaphnoides latifolia, sive vinca Pervinca major, *Park.* Vinca Pervinca folio latiore, Clematis Daphnoides grandioribus floribus cæruleis vel albis, *Quorumd.* vulgo, *le grand Pucelage*.

Radice est fibrosa, & repente, quæ plurimos emittit caules crassiusculos, longos, rotundos, nodosos, virides, repentes, foliis binis juxta caulem invicem oppositis, caudis longis elatis, expansis, expolitis, colore viridi lucenti, gustu amaro, ingrata acredine permixto. E foliorum alis progeniti flores monopetali, magni, ut plurimum cærulei, quandoque albi, ac inodori late expanduntur, brevibusque pedunculis sustinentur, quibus præsto sunt oblongi fructus duobus constantes siliquis, plurima semina oblonga, fere cylindracea, ac sulcata occludentibus. A præcedenti differt omnibus sui partibus longe majoribus; in hortis seritur, in quibus læte virescit arbustatarum arborum ordine composita; Hyeme vero nimium algente perit præcendenti delicatior, & tenerior; in locis incultis & nonnihil pinguibus, in sepibus, prope vias, agri Parisiensis incola sponte crescit. Hæc quoque Pervincæ species, uti præcedens raro fructus edit, nisi sarmenta sæpe sæpius cultro scindantur.

Amara est, satisque chartam cæruleam rubro inficit colore; jure igitur conjicere possumus, oleum, ac terram in Pervinca prædominari, ejus autem sal ad Aluminis naturam accedit, quidpiam tamen urinosi salis præsefert, alumenque prorsus æmulatur, in quo urina fuerit permixta, ut melius in crystallos facesceret; Chymicæ enim Analyseos adiumento præter plures acidos liquores, plurimum terræ, atque olei, parumque volatilis salis ex ea recipitur. Vulneraria, adstringens, & febrifuga est; vulgatiorque ejusdem usus esse solet, ut immoderatus mensium, & hæmorrhoidalium vasorum fluxus, fluoresque albi cohibeatur. Ad hunc vero finem obtinendum ℔ jv. ferventis aquæ Man. iij. foliorum Pervincæ superaffunduntur, vas cooperiendo; ab igne retrahitur, & infusio repetitis cyathis, diversis horis exhibetur; eadem vi pollet ejusdem Conserva, & Extractum. Cum Cancris fluviatilibus eadem planta decocta, & jusculi forma, convenienti temporis spatio felici cum successu propinata fuit in sanguinis sputo a D. Garidelio, uti ab eodem asseritur *in Historia Plantarum agri Aquisextiensis*. Lac vero cum Pervincæ decoctione mixtum Phthisi, & Dysenteria affectis utilissimum est. In Hy-

drope

drope vero Lac distillatum optimum est, in quo xxiv. horarum spatio maceratæ fuerint Pervinca, Tanacetum, ac Eupatoria Avicennæ, quod facilius, quam prædictum decoctione permixtum hypocondria pertransit.

Quod vero ad ejusdem externum pertinet usum, in narium hæmorrhagia usurpatur, ejus foliorum tusorum frustulis nares obturando. Agricola vero merito præscribit Gargarisma cum decoctione ejusdem paratum, uti validissimum remedium adversus Anginam suffocativam. Optimum pariter censendum est adversus Amygdalarum, & Uvulæ inflammationes, utque magis temperans sit cum Lacte misceri potest. Pervinca quoque contusa, mammisque applicata, lac nutricibus reddit, juxta Authorum relationes; Rajusque *in Historia Plantarum* una cum D. Hulse testatur, folia eadem recentia super bibulam chartam extensa, & scrophulis Cataplasmatis, forma applicata, ad eas discutiendas, & exsolvendas mirum in modum valere; J. Bauhinus autem post Tragum asserit, sufficienti Pervincæ quantitate in dolio Vini turbidi immissa, brevi optimum reddi, præsertim recipiente antea immutato.

Usurpantur Pervincæ folia in Aqua Vulneraria, in Unguento mundificativo de Apio dicto, & in Balsamo Oppodeltoch *Pharmacopææ Parisiensis*.

℞. Aquæ ferventis ℔ j. ß. Infundatur per semihoram Pug. j. Fol. Pervincæ, coletur liquor inclinatione, addatur Sacchari parum.

Hæc infusio contra albos fluores, mensesque immodicos convenit, apto temporis spatio repetita.

℞. Pulli mediam partem, Oryzæ lotæ cochlearia ij. Coque in ℔ iij. aquæ ad binas doses. Postrema semihora adde Fol. Pervincæ, & Plantaginis ana. Man. j. Cancror. fluv. mund. & tus. N. vj. Fiat colatura linteolo forti expressione, dividaturque in partes duas, quarum una Mane jejuno stomacho altera vero Vesperi, in sanguinis sputo, & Phthisi sumetur per mensis spatium.

℞. Fol. Pervincæ, Tanaceti, & Eupatorii Avicennæ ana Man. ij. Paululum tusa macerentur per hor. xxiv. in ℔ vj. Lactis Vacc. recent. Distillationi dein omnia committantur S. A. ad ℔ jv. in cucurbita residuum relinquendo, serveturque liquor in vasis probe obturatis.

In Hydrope Ascite quatuor per diem cyathi ægris erunt propinandi.

## P E T A S I T E S.

PETASITES vulgaris, *Offic.* Petasites major, & vulgaris, C. B. P. 197. *Inst.* R. H. 451. Petasites vulgaris, rubens, rotundiori folio, J. B. 3. 566. Petasites, *Dod. Pempt.* 597. *Trag. Fuchs. Tabern. Ger. Raii Hist.* 260. Petasites vulgaris, *Park.* Petasites magnus perperam Tussilago major, *Matthioli Lugd. Hist.* 1053. Tussilago scapo imbricato Thyrsifero, flosculis omnibus Hermaphroditis, *Linn. Hort. Cliff.* 411. Tussilago magna, major, & maxima; Personata, seu Persolata, Galerita, Petasites flore purpureo vel punicante odorato, sive mas, *Nonnull.* vulgo, *Petasite*, *herbe aux Teigneux*, *grand Pas-d'Asne.*

Radice est crassa, longa, foris nigricante, intus alba, gustus acris-aromatici, & amariusculi, odoris suavis. Caules vero emittit semipedales, & ultra, digito crassiores, cavos, lanuginosos, nonnullis indutos foliolis angustioribus, & acuminatis, in flosculorum purpureorum parvum poculum æmulan-

lantium, & in quatuor vel quinque partes diviſorum faſciculos terminantes, qui calyce pene cylindraceo ad baſim uſque in plures partes diviſo fulciuntur. Hi autem flores brevi flaceſcunt, & una cum caule cadunt, criſtatis ſeminibus ſubſequentibus. Folia autem magna, ampla, ferme rotunda, extremis nonnihil denticulatis, ſuperne atro-viridia deciduo caule evehuntur, centro caudæ pedem cum dimidio longæ, craſſæ, rotundæ & carnoſæ appenſa; folia vero hæc pilei inverſi, aut fungi pediculo elati figuram habent. Libentius, frequentiuſque in locis humidis, ſecus fluvios, rivulos, lacus, ac ſtagna luxuriat; ineunte Vere floreſcit, nonnunquam etiam Februario, & Martio in calidis, nec non in frigidis regionibus, dummodo Ver dulcis ſit, ac temperatus. Flos autem immediate a radice progignitur, foliaque antecedit ad modum floris Tuſſilaginis. Nonnullis in regionibus folia ad humanam uſque ſtaturam excreſcunt, ut inter eas forte tranſeundo inter arbores incedere videatur, ad Hyemem uſque perdurant, quibus noviſſima ſubſequuntur: radix enim vivaciſſima eſt, atque longe, lateque rependo in ſolo expanditur.

Alia quoque Petaſitis ſpecies flore albo, præcedenti exilior reperitur, quæ eodem quoque tempore florem edit, & in montibus humidis, ac umbroſis excreſcit; rarius præcedenti ſpecie occurrere ſolet, eaſdem tamen habet facultates. Ejus radices tantum, raro autem folia in uſum Medicum veniunt, ut plurimum autem radicibus Lappæ majoris ſociantur, a nonnullis etiam Authoribus hæ duæ plantæ ſimul confunduntur, vel ob earumdem foliorum ſimilitudinem, vel ob analogam facultatem, flores vero, & ſemina plurimum diſtant, uti & radices. Petaſites major quamvis & rarior ſit hac in regione, vulgatior tamen eſt, quandoque etiam Pariſienſis agri incola, ejuſque radix, Minoris radice uſitatior eſſe ſolet.

Plurimum olei, ſaliſque eſſentialis in hac planta continetur; radix vero, qua communiter utimur, aperiens, hyſterica, reſolvens, & vulneraria recenſetur; expuitionem in Aſthmate, Tuſſique pertinaci promovet, & feliciter in malignis febribus, & variolis propinatur, nec non ad urinas, menſeſque ciendos potiſſimum commendatur ℥ j. in ℔ ij. aquæ ad medias decocta, aut infuſa in Vini albi ℔ j. doſi ℥ j. Cyathus autem ejuſdem parvus mane jejuno ſtomacho per aliquod temporis ſpatium exhibetur. Prædicta quoque Acetum infuſione paratur, quod Rutæ ſucco, & Theriaca mixtum, valentiſſimum eſt diaphoreticum in febribus malignis & peſtilentialibus, quo præſertim Germani maxime utuntur, a quibus radix hæc *Anthi-peſtilentialis* nuncupatur, propter ejus, erga venenum morbificum, ab ea per cutis meatus, & ſudores mirabiliter eliminandum, efficaciam; quin etiam iiſdem ac Coſtus Officinalis viribus, pollere creditum fuit, eique commode ſubſtitui poteſt. A nonnullis, ejus pulvis uſurpatur ad vermes enecandos, nec non externe ad bubones reſolvendos, & ulcera mundificanda.

Eadem radix adhibetur in Aquis, Generali, & Prophylactica, & Orvietano, radix vero, & folia in Emplaſtro *Diabotano Pharmacopææ Pariſienſis*.

℞. Rad. Petaſitis p. ʒ j. Diluatur exiguo Vini cyatho, exhibeaturque ſero hora ſomni. Remedium hoc valet adverſus porriginem, vermes, ulcera maligna, mejendique difficultatem a glareis in veſica ſtabulantibus ortam.

℞. Rad. Petaſitis exſicc. & p. ʒ ß. Florum ſulphur. ℈ j. & Spermat. Ceti gr. xij.

gr. xij. M. cum Melle albo. F. B. mane jejuno ſtomacho in Aſthmate, Tuſſique pertinaci propinandi.

℞. Rad. Pataſitis, Bardanæ, & Scorſoneræ lotar. & in taleolas inciſar. ana. ℥ ß. Ebulliant in ℔ iij. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem. Adde in fine fruſtulos Glycyrrhizæ, coletur linteolo pro Ptiſana in Febribus malignis, & Variolis propinanda.

## PETROSELINUM.

INter diverſas PETROSELINI ſpecies, uſitatiores ſunt Petroſelinum vulgare, & Macedonicum.

Petroſelinum vulgare, *Offic.* Apium hortenſe, ſeu Petroſelinum vulgo, C. B. P. 153. *Inſt.* R. H. 305. Apium hortenſe multis, quod vulgo Petroſelinum, palato gratum, planum, & criſpum, J. B. 3. 97. Apium hortenſe, *Dod. Pempt.* 694. *Ger. Raii Hiſt.* 448. Petroſelinum *Brunſ. Trag. Cord. in Dioſcor.* Petroſelinum vulgare, *Park.* Selinon ſeu Apium, *Theophr. & Dioſcor.* Apium verum, Apium vulgare, Apium domeſticum ſeu ſativum, Apium mas, Petroſelinum vulgi, Petroſelinum cultum, Selinum commune, Apium Hortulanum ſeu legitimum, *Quorumd.* vulgo, *Perſil domeſtique.*

Radice eſt ſimplici, digitum, & quandoque pollicem craſſa, incana, longa, profunde in terram deſcendente, eſu optima; ab ea vero caules ad trium, vel quatuor pedum altitudinem, pollicem craſſi, rotundi, ſtriati, nodoſi, cavi, & ramoſi propelluntur, foliis, aliis inciſis foliolis, conſtantibus, viridibus, longis caudis ſtipatis. Flores vero ſummis caulibus, ramuliſque umbellati, quinque-petali, palleſcentes, & roſacei inſident, quibus ſemina bina ſimul juncta, minuta, ſtriata, cinerea, gibba, ſapore acriuſculo ſuccedunt. In hortis olitoriis planta hæc colitur, in quibus facile frigorem, ac calorem ſuſtinet, dummodo in terra humida, aut frequenter humectata feratur; aqua enim potiſſimum delectatur: & hæc potior eſt ratio, cur abunde in ſolo pingui, præſertim prope fontes excreſcat. Altero anno caulem profert, floret autem Junio, & Julio, ſemina vero Auguſto matureſcunt. Antiquiſſimus eſt hujuſce plantæ uſus, omnibuſque ætatibus, ut inter legumina excellentior, commendata fuit.

Duæ aliæ præterea Petroſelini ſpecies in hortis ſatæ reperiuntur, quarum una aſpectus jucundiſſima, foliis criſpatis diſtinguitur, vocaturque *Petroſelinum criſpatum*: nihil aliud eſt quam præcedentis varietas, quod tamen a Nonnullis in dubium revocatur, Fabiuſque Columna aſſerit, Petroſelinum criſpatum ſponte in regno Sardiniæ excreſcere, e quo ſemen aliis in regiobus allatum fuit; altera vero ſpecies altius evehitur, ejus folia majora ſunt, radices vivaces, ac eſu optimæ, ut Apii vulgaris radices, nuncupaturque *Petroſelinum craſſum*, ſeu *Anglicum*.

In Petroſelino magna ſalis acris, & mediocris olei exaltati prortio reperitur: ſal hoc acre adeo, & corrodens eſt, ut ſi vitreus poculus in aqua mundetur, in qua Petroſelinum prius ablutum ſit, ac foliolum quodpiam remanſum fuerit, ſi parum ad poculum appellat, ſtatim in fruſtula abeat minutiſſima. Salis hujuſce ope omnes ejuſdem partes vim habent aperiendi, obſtructiones reſerandi, menſes ciendi, plurimoſque alios ſimiles effectus progignendi. Familiariſſime tam in Culina, quam in Pharmacia uſurpatur.

patur. Radix intinctubus admiſcetur, ac folia ſapore gratiſſimo, & aromatico quamplurimis alimentis condimentum miniſtrant. Prædicta etiam radix in Ptiſanis, Apozematibus, Juſculiſque aperientibus uſurpatur. Folia reſolventia ſunt, & vulneraria, ac cum ſucceſſu vulneribus, & contuſionibus tuſa, & ſpiritu Vini commixta applicantur: lac etiam e mammis divertunt tuſa, ac thoraci impoſita; Decoctio autem radicum, aqua, aut lacte parata utiliſſima eſt ad Morbillorum & Variolarum eruptionem juvandam; mitiſſima quoque vi pollent ſudorifica, qua in hiſce caſibus miros effectus edunt.

Petroſelini ſemen inter quatuor ſemina calida minora locum habet, quæ ſunt ſemen Apii, Petroſelini, Ammeos, & Dauci. Semen hoc attenuans eſt, & diureticum, Nephriticis, Hydropiciſque conveniens. Aqua diſtillata ex eo elicitur, quæ aut ſola, aut potionibus aperientibus ab ℥ ij. ad ℥ jv. uſurpatur. Dodonæus vero hanc potiſſimum commendat in Aſthmate humido, Tuſſique inveterata. Petroſelinum viſui noxium eſſe, ejuſque aciem debilitare Nonnulli autumant, quibus vero ſententia hæc ſtipetur rationibus, prorſus ignoramus. Ab aliis Medicis aſſeritur, ejuſdem uſum Epilepticis non convenire, eorumque paraxiſmos violentiores reddere. Qua de re *in Ephemeridibus Germanicis Decuria 3. Anno III.* extat. Obſervatio D. Hannemanni, quæ tam cum Veterum, quam cum Neotericorum opinionibus conſentit, quamvis a Nonnullis cum Sebizio contrarium aſſeratur. Qua de cauſa hujuſmodi ægrotantes non ſolum, quin etiam Nutrices, Infantibus huic morbo, & convulſionibus obnoxiis, lac præbentes, ab eo ſeſe abſtinere, tutius eſſe exiſtimamus; Quibuſcumque temperamentis præterea indiſcriminatim aptatri non poteſt; ſuo enim aromatico, & exaltato oleo ad ſanguinem inflammandum, capitiſque ægritudines ſuſcitandas valet: bilioſi ergo calidiſque temperamentis prædití eodem ſobrie utantur. Extat præterea *in Ephemeridibus Germanicis anni* 1727. *pag.* 285. obſervatio D. Michaelis Valentini, qui teſtatur, ſemen Petroſelini p., & in capite Infantum inſperſum, tutius eſſe remedium ad pediculos enecandos, Staphiſagria, & Mercurio, eodemque tempore humidam porriginem ſanare, ab aliis vero facultas hæc pediculos enecandi ſeminibus Apii tribuitur; Idem laudatus Valentini addit, Petroſelini nomen derivare ab urbe *Petronella* Hungariæ, inter Viennam, ac Poſonium, ob magnam ejuſdem plantæ copiam, qua ejus ager ſponte fœcundatur; quæcumque ſit hæc etymologia, quove plauſu excipienda, neſcimus, præſertim quia, conſonantia quadam ſolummodo, cum *Petronella*, & *Petroſelino* intercedente, fulcitatur. Cȩterum Petroſelinum noſtras ſativum nequaquam eſt verum Grȩcorum Petroſelinum, & conceſſo etiam quod unum, idemque eſſet, cur etymologia adeo incongrua, diſtanſque a ſemita a veteribus nobis relicta perquirenda?

Petroſelini radices uſurpantur in aqua Generali, Syrupis Althȩȩ, Quinque Radicum aperientium, & Artemiſiȩ *Pharmacopææ Pariſienſis*; prȩterea in *Philonio Romano*, Benedicta laxativa, & *Hiera Diacolocynthidos ejuſdem Pharmacopææ*.

℞. Rad. Petroſel. Eringij, & Aſparagi ana. ℥ ß. Raſæ taleolatim incidantur, ebulliantque in ℔. iij. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem. Ultimo ſemihorio adde Folior. Agrimoniæ, Cicorij ſylveſtris, & Cheræpholij ana Man. j. Leviter exprimatur liquor per linteolum, ſolvanturque Arcani duplicati ʒ ij. Syrupi quinque radicum ℥ j ß. M. pro Apozemate

zemate aperienti in Hydrope, cujus dosis, cyathus tepidus quarta quaque hora iterum sumendus.

℞. Rad. Graminis rasar. & contusar. Man. ß. Petroselini, & Anonidis spinosæ ana ℥ ß. Ebulliant in ℔. iij. aquæ ad tertiæ partis consumptionem. Adde in fine Rad. Glycyrrhizæ in fila evulsæ ʒ ij. Colaturæ infunde Crystali montanæ, aut Nitri depurat. ʒ j. Pro ptisana aperienti pro potu communi in Hepatis, & Mesenterij infarctubus, & adversus glareas in Renibus, & Vesica stabulantes, & Hydropem.

℞. Rad. Petrosel. Asparagi, Brusci, & Polypodii Quercini mundatar. & contusar. ana. ℥ ß. Ebull. cum ℔. ß. colli vervecini in ℔ iij. aquæ pro binis dosibus. Adde extrema semihora Fol. Agrimoniæ, & Cicorii sylvestris ana. Man. j. Coletur, dividaturque in partes duas, mane, & vesperi exhibendas, postquam soluta fuerit pro unaquaque dosi ʒ j. Arcani duplicati.

℞. Sem. Petrosel. ʒ ij. Tere & M. cum q. s. Mellis albi pro quatuor dosibus, binis diebus exhibendis, una scilicet mane jejuno stomacho, altera hora somni in Asthmate humido, Tussique inveterata.

℞. Aquar. distill. Petrosel; & Parietar. ana. ℥ ij. Syrupi Althææ Fernel. ℥ j. Spiritus salis dulcif. gut. X. M. pro potu diuretico.

℞. Rad. Petroselini lotarum ℥ j ß. Ebulliant in ℔. ij. Lactis ad medias. Coletur, dividaturque in doses duas calide sumendas trium horam intervallo ad morbillorum, & variolarum eruptionem promovendam.

℞. Fol. Petrosel. Man. j. Micæ Panis albi ℥ ii. Tere in mortario marmoreo, aut ligneo, & Cataplasmatis forma mammis applicetur, ut lac evanescat.

Apium seu Petroselinum Macedonicum, *Offic.* Apium Macedonicum, C.B.P. 154. *Inst.* R.H. 305. *Raii Hist.* 463. Apium sive Petroselinum Macedonicum multis, J. B. 3. 102. Petroselinum Macedonicum ex Lobelio, *Dod. Pempt.* 697. Daucus secundus Dioscoridis, *Col.* 107. Petroselinum Macedonicum, *Matth.* Petroselinum Macedonicum verum, *Ger.* Petroselinum Macedonicum quibusdam, *Park.* Apium petræum, Petrapium, seu Apium saxatile, Petroselinum verum seu legitimum Antiquorum, *Nonnull.* vulgo, *le Persil de Macedoine*.

Radice est longa, crassa, alba, rugosa, lignosa, saporis acris. Caulem vero extollit ad pedis cum dimidio altitudinem, satis crassum, hirsutum, ramosum, foliis, Petroselini sativi æmulis, amplioribus, magis dissectis, ac denticulatis, lucentibus, ad Coriandri, & Babæ Hirci sive Tragopogoni folia accedentibus, dilute viridibus, ac sapore Petroselini vulgaris minus penetranti. Flores vero summis ramis umbellati, rotundi, subalbidi, quinquepetali, & rosacei enascuntur, tandem in semina minuta, villosa, & oblonga abeuntes, quæ etiam, odore aromatico, & sapore acri, & calido ad Cuminum accedente, donantur. Abunde in Macedonia crescit inter petras, montiumque saxa; hinc diversis nominibus insignitur. Hoc præterea verum est *Petroselinum* Veterum, neque putandum cum nonnullis, a Petroselino nostro sativo sola cultura differre, nostra ætate nominibus speciosis Mundus neutiquam decipi potest. Ab omnibus ( inquit Galenus ) Petroselinum Macedonicum avide exquiritur, tamen regio, in qua sponte crescit prærupta admodum est, & angusta nimis, nec adeo magnam pro universis nationibus copiam largiri potest, hinc Petroselino Macedonico idem accidit, quod

& de

& de Melle Attico, & Vino Falerno notum eſt, vafri enim, lucrique avidi mercatores per urbes fere omnes Mel Atticum, Vinumque Falernum venditant ſpurium, aut artefactum, idemque, de Petroſelino Macedonico numcupato, eſt aſſerendum. Cæterum nihil refert utrum ſemina Petroſelini alius ſpeciei in Therica uſurpentur.

In hortis colitur Petroſelinum Macedonicum; ſolumque ſaxoſum, ac ſabuloſum amat. Semen tantum, in uſum revocatur; recens ſit, probe enutritum, mundatum, coloris atri, odoris, ſoporiſque grati, & admodum aromatici. Petroſelinum vulgare pro culinario uſu, aliiſque, huic anteponitur, tamen virtute alexipharmaca, a Petroſelino Macedonico ſupeperari creditur.

Quamvis origine ſua planta hæc exotica ſit, ob facilitatem, qua noſtris in hortis excreſcit, veluti indigena reputatur, ac excedenti tantummodo frigore lædi poteſt. Semen vero à Medicis uſurpatum plurimum in ſe habet olei exaltati, ſaliſque volatilis; nec adeo acre eſt, uti Petroſelini vulgaris ſemen, Thericæ, ut innuimus, admiſcetur, valetque ad menſes ciendos, humores craſſos obſtructiones progignentes, attenuandos, atque incidendos, flatuſque diſcutiendos.

## P E U C E D A N U M.

PEUCEDANUM. *Offic.* Peucedanum Germanicum, C. B. P. 149. *Inſt.* R. H. 318. Peucedanum minus, Germanicum, I. B. *3. 36* Peucedanum, *Dod. Pempt.* 317. *Trag. Ger. Raii Hiſt.* 416. Peucedanum, fœniculum Porcinum, *Lob. icon.* 471. Peucedanum vulgare, *Park.* Pinaſtellum, ſive satiria herba, Maratrophyllon, Marathrum, ſeu fœniculum ſylveſtre, Cauda Porcina, fœniculum agreſte vel ſuavium, Peucedanon foliis anguſtioribus, *Quorumd.* vulgo, *Queve de Porceau.*

Radice nitirur craſſa, fibroſa externe nigra, interne alba, ſucculenta, diſſecta liquorem luteum odoris picei effundente, virulenta, aut fœtenti Caulem vero emittit bipedalem, cavum, ſtriatum, ramoſum denticulatis foliis, Fœniculi foliis majoribus, quorum ſubdiviſiones ſingulis ternis apparentes, longæ ſunt, anguſtæ, planæ, Graminis foliis æmulæ. In ſummis autem caulibus, & ramis ſitæ ſunt umbellæ amplæ, floſculis refertæ luteis, quinque petalis, roſaceis, in ſemina abeuntibus bina ſimul juncta, fere ovalia, longiora, quam lata, ſulcata, membranaceo foliolo ſtipata, guſtus acris, & amariuſculi. In paludoſis, umbroſis, maritimiſque locis creſcit, in montibus, pratiſque humidis, & ſiccis, Julio, & Auguſto floret; ſemen vero Autumno matureſcit, quo potiſſimum tempore mos invaluit pro Medico uſu radicem colligendi; aptior autem eſſet Ver ad eam e ſolo educendam, tunc enim ſucco magis turget: Radix hæc vivaciſſima eſt. Juxta Tragum difficile evellitur, odoremque fortem, ac ſulphureum foſſoris caput tentantem exhalat, quapropter conſultiſſimi Veteres, ante radicis hujus extractionem, aromatico aliquo caput, & nares illiniebant, ne dolore capitis, aut vertigine, eam effodiendo, corriperentur: ſcio tamen (inquit Tragus) me aliquando hanc ipſam e ſolo extraxiſſe abſque ullo incommodo.

Si Botanicis fides præſtanda eſt, Peucedanum majus Italicum a præcedenti, niſi omnium ſui partium magnitudine differt. Nonnulli etiam putant;

Peuce-

Peucedanum Gallicum foliis angustioribus, & brevioribus, nihil aliud esse, quam Peucedani Germanici, aut vulgaris varietas. Certissimum tamen est, & ab omnibus comprobatum, deffectu præcedentis, nostrum Peucedanum substitui posse, quod vulgatissime occurrit, præsertim in agro Parisiensi.

Plurimum olei, salisque essentialis planta hæc largitur, vimque habet aperientem, bechicam, & hystericam. Radix tantum ut plurimum usurpatur: igne, aut calore Solis inspissatur succus ope incisionum ex hac elicitus, qui resinosus, gummosusque est, & juxta Tragum utilissimus in Tussi pertinaci, & mejendi difficultate. Hac de causa exsiccatus, & in pulverem redactus cum Melle miscetur, ʒ j. & ℥ j. Mellis albi. Gelatina quoque, aut Conserva ex hac radice conficituntur, menses, & lochia promoventes, & Hypocondriacis utilissimæ.

Quod vero ad ejus externum spectat usum, ulcera detergit tusa, ipsisque superimposita. Schorderus autem in Micrania plurimum hanc commendat, omnesque Veteres singulis nervorum ægritudinibus dicatam existimant, Lethargo scilicet, Phrenitidi, Epilepsiæ, & Paralysi: nostris vero diebus ob ingratum odorem parum usurpatur.

Hæc radix in pulvere *Diaprassi Nicolai*, Electuario Lithontriptico, & *Triphera Magna* ejusdem Authoris ingreditur.

℞. Succi inspisat; & exsiccati radicis Peucedani ʒ ij. Mellis albi ℥ j. ß. Adde syrupi Tussilaginis parum, ut Opiata conficiatur ʒ j. ß. mane, & sero propinanda in Asthmate humido, Tussique inveterata.

℞. Conservæ Peucedani, & Extracti Gentianæ ana ℥ ß. Croci martis aperit. ʒ ij. Myrrhæ, & Gummi Ammoniaci ana ʒ ij. Salis Tamarisci ℈ ß. Cinnamomi ʒ j. M. ut Opiata conficiatur cum Syrupo de quinque radicibus aperientibus, ʒ ij. singulis diebus mane exhibenda in Ictero, Mensium suppressione, Cakexia, morbisque Hypocondriacis.

## PHASEOLUS.

PHASEOLUS vulgaris *Offic.* Smilax hortensis sive Phaseolus major, C. B, P. 339. Smilax hortensis, I. B 2. 255. *Rai Hist.* 884. Phaseolus vulgaris, *Lob. icon.* 59. *Inst.* R. H. 412. *Park.* Dolichos Theophrasti, *Anguill.* Phaseolus, Phasiolus, Smilax domestica seu sativa Phasiolifera, Dolichus communis, Lobus seu siliquula, Phaseolus Turcicus, Faba Turcica multicolor, Pisum Turcicum, *Quorumd.* vulgo, *Haricot*, *Faverol*, *Fave peinte ou à visage*.

Radice est gracili, & fibrosa, caulemque emittit longum, rotundum, ramosum, qui stipitibus, uti Hedera adrepit, ac quibuscumque obviis ita adnectitur, ut compluvia, arcusque in hortis efformet. Folia vero exeunt per intervalla tria simul juncta ad modum Trifolij, latissima, apice mucronato, carnosa Hederæ fere æmula, caudis longis, viridibusque fulcita. Ex eorum alis flores leguminosi, aut papilionacei, albi, aut purpurei ortum habent, qui tandem in siliquas saltem semipedales & mucronatas abeunt, hæ quoque sunt admodum planæ, duobus instructæ involucris, initio carnosæ, virides, phaselum referentes, hinc nomen planta mutuatur, quum vero exsiccantur lutescentes, & membranaceæ remanent: Semina autem in ipsis conclusa, sunt satis crassa, reniformia, expolitissima, quandoque alba, quando-

que e luteo pallida, rufescentia, cinerea, violacea, aut nigricantia, quandoque etiam venulis, diversisque lineis, aut maculis multiformibus variisque venustis coloribus conspersa. Siliquæ hæ recentes adhuc & virides comeduntur, vel semina ad maturitatem perducta, tegumentisque nudata. Vere in arvis, hortisque seritur, Æstate floret, Autumnoque maturescit, ac annua est. Phaseoli una cum siliquis per annum commode possunt conservari, si aceto condiantur; pinguedinem autem solo conciliant fœcundissimi sunt, diutissime servantur, ac bulliendo inflantur: Saporem habent gratissimum, nec a nobilioribus mensis exploduntur.

Plurimum olei, salis essentialis, ac phlegmatis Phaseoli largiuntur. A nemine autem ignoratur hujusce leguminis culinarius usus, ejusque seminis utilitas pro re alimentaria; omnibus anni tempestatibus; sano stomacho, junioribus, robustis, plurimumque exercitatis convenit: delicatulis vero, studiis deditis, ac sedentariam vitam agentibus inhibetur, flatus enim concitat, stomachum onerat, ac difficile concoquitur.

Phaseoli aperiendi, emolliendi, ac resolvendi vim habent, urinas menses, ac lochia promovent, eorumque farina Cataplasmate emollienti, tumoresque resolvente usupatur, quamvis ut plurimum farina Fabæ anteponatur, hæc tamen minus efficax, neutiquam est recensenda. In ventris fluxibus, si indicatio adsit, eos cohibendi, jusculum cum Late, & Phaseolorum farina paratum optimum est remedium. Cinis vero ex ejus caulibus, tegumentisque elicita aperiens est si, ℥ j. hujusce pulveris in ℔. ij. aquæ ebulliat, ac postea filtretur, Hydropicisque ingurgitanda exhibeatur. Phaseolorum jusculum sale, ac butyro conditum utilissimum est convalescentibus diuturno morbo conflictatis, salus pristina, vigorque in promptu est, dummodo leve sit, ne nimium stomachus oneretur.

*Decotio adversus doleres Partum subsequentes, & Lochiorum imminutionem.*

℞. Fol. Artemisiæ, & Camomill. Rom. ana Man. j. Phaseolorum ℥ j. Ebulliant in ℔. ij. aquæ ad tertiæ partis diminutionem; coletur, exhibeaturque per cyathos horæ intervallo, addendo guttas aliquot aquæ Cinnamomi, si adsit lassitudo.

℞. Rad. Consolid. maj. mund. ac tusar; & Farinæ Phaseolorum ana. p. æ. Cum Vino, aut aqua Fabror. ferrariorum conficiatur Cataplasma ano applicandum in Intestini recti procidentia.

℞. Far. Phaseolor. & Lentis ana ℥ ij. Ebuliant in Oxycrato ad pultis consistentiam. Adde versus finem Butyri recentis ℥ j. ß. Olei rosat. ℥ j. M. pro Cataplasmate, initio inflammationum, ad fluxionem imminuendam, leniterque resolvendam, ministrando.

## P H I L L Y R E A.

PHILLYREA vulgaris, *Offic.* Phillyrea folio Ligustri, C. B. P. 476. *Inst.* R. H. 509. Phillyrea latiusculo folio, I. B 1. 539. *Raii Hist.* 1585. Phillyrea latiore folio, *Ger.* Phillyrea latifolia, foliis fere non serratis, *Park.* Cyprus latiore folio, *Dod.* Phillyrea tertia *Clus.* 52. Phillyrea media, *Camer.* Phillyrea Narbonensis, *Lob.* Phillyca Dalemchampij, *Lugd. Hist.* Ilatrus, *Cæsalp.* Linter-

Linternus, Oleæ Amasia, Mahaleb; Almahaleb, Machaleb seu Macalep, *Nonnull.* vulgo, *Philaria*.

Radice donatur crassa, firma, profunde in terram dehiscente, e qua plures evehuntur caules ad octo, vel decem pedum altitudinem, ramosi, cortice albido, aut cinereo, & nonnihil rugoso obtecti. Folia vero Lentiscum, ac Ligustrum æmulantur, aliquanto tamen ampliora sunt, & longiora, carnosa, saturate-viridia, invicem prope caulem, ramosque opposita, semper virentia, saporis adstringentis. Ex foliorum alis flores acervatim prodeunt, Oleæ floribus pene similes, parvi, poculum quadrifidum referentes, coloris dilute-viridis, aut herbacei, demum abeuntes in baccas sphæricas, myrtiformes, maturescendo nigras, racemosas, saporis sub-dulcis, & amariusculi, ad saporem baccarum Juniperi accedentis, exiguumque nucleum rotundum, ac durum occludentes. In sepibus, nemoribusque agri Monspeliensis arbuscula hæc abunde crescit, coliturque saxosis rudibus ac incultis in locis, Majo & Junio floret, fructusque Septembri maturescit. Annis superioribus, hisce diebus magis exculta fuit, neque facile percipi potest, cur adeo negligatur: quum autem ejus folia semper virescant, serie, ac ordine parietis in modum excoli potest, ac stipitibus, perticisque eleganter applicari. Facile seminibus, ac surculis fœcundatur; quin etiam ad libitum secatur, dum scilicet aut globi, sepis, aut arbustarum forma. Herbarij nonnumquam *Alaternam* cum *Phillyrea* confundunt, hortulanique unam pro altera indiscriminatim sub uno, eodemque *Filariæ* nomine venditant.

Phillyrea plurimum habet olei, salisque essentialis. Arbuscula vero hæc in hortis colitur, eos enim maxime exornat, facilique negotio virentia cubilia in iis repræsentat; muri etiam umbrosi ea commode cooperiuntur, quod quocumque alio arboris genere difficillimum esset. Medico vero usui raro inservit. Dioscorides hujusce folia adstringentia, & refrigerantia, indeque ad faucium inflammationes compescendas, earumque ulcera sananda, dicata, enunciat, si eorum decoctio pro Gargarismate usurpetur. D. Lemeryus flores tusos, aceto permixtos frontique applicatos ad dolorem capitis sedandum maxime commendat.

℞. Hordei Pug. j. Folior. Phillyreæ Man. ß. Ebull. in ℔. ij. aquæ ad medias. Colaturæ adde Syrupi Diamoron ℥ ß. Crystalli montanæ ʒ ß. pro Gargarismate refrigerante.

℞. Flor. Phillyreæ Man. j. Contusi aceto conspergantur, applicenturque deinde fronti Cataplasmatis forma in violentis capitis doloribus.

## P H Y T O L A C C A.

SOlanum racemosum, *Offic.* PHYTOLACCA Americana majori fructu, *Inst.* R. H. 299. Solanum racemosum Indicum, H. R. *Par.* Solanum racemosum Americanum, *Raii Hist.* 662. Solanum magnum rubrum, Virginianum, *Park.* Solanum Indicum caule rubro, *Nonnull.* vulgo, *grande Morelle des Indes*, *Vermillon*, *Lacque ou herbe de la Lacque Mechoacan du Canada*.

Radix pedem longa, humanumque crus, & quandoque, coxendicem, & ultra, crassa, alba, vivax ad plures annos perdurans, caulem ad quinque, vel sex pedum altitudinem crassum, rotundum, firmum, sub-rubrum, ac ramosum extollit. Folia vero inordinate locata, ampla sunt, venosa, tactu

lævia, dilute-viridia, quandoque etiam sub-rubra, figura Solanum vulgare æmulantia, pediculis in caulis vertice locatis, flosculos racemosos, rosaceos, dilute-rubeos sustinentibus, quorum pistillum centrum occupans abit inde in fructum, aut baccam semirotundam, mollem, succulentam, globulum referentem superficie superna, ac inferna plana, ac maturescendo saturate-rubro colore infectam, nonnulla semina fere rotunda, & nigra occludentem. Planta hæc Bahuinis non innotuit, & ex Virginia in Europam delata fuit; in hortis quandoque facillime colitur ob optimas ejus qualitates: radix tamen quamvis robustissima videatur, tamen diutissime Hyemis rigoribus, nisi probe tutetur, resistere vix potest. Mechoacan quoque similatur.

Quamvis Phytolacca amplissimum in Arte Medica usum non habeat, tamen ob nonnullas probatissimas ejus facultates silentio in hoc Tractatu prætereunda non est, quum præterea insignem quoque in Hortis Botanicis locum occupet.

Usurpatur in celebri compositione *Balsami Tranquilli*, & hac de causa inter anodynas recenseri potest. Quamvis autem inter Solani species collocetur, demissiori præ cæteris vi narcotica pollet. D. Lemeryus in suo *Dictionario Simplicium* asserit, ex hujusce baccis succum elici posse, colorem purpureum ad cæruleum accedentem, Carmini æmulum, ac pro arte Tinctoria accommodatum, suppeditantem. Nonnulli vero prædictas baccas, granis Kermes, in eorumdem Confectione substitui posse immerito crediderunt; quum enim harum baccarum proprietates probe nondum adeo perspectæ, ut ad internum usum præscribantur, quin potius suspectæ sint; Veterum Compositiones longa annorum serie comprobatas venerari oportet, reformationesque omnes usque adhuc tentatas, ad eas potius labefactandas in medium allatas fuisse credimus. Quamvis enim aut inutilibus, aut male simul junctis Simplicibus prædictæ Compositiones constitui videantur, tamen ab hisce omnibus intimius, simulque commixtis, productum resultat, constanti ac diuturna experientia commendatum, nullisque correctionibus æquiparandum.

## P I L O S E L L A.

PILOSELLA, sive Auricula Muris, *Offic.* Pilosella major repens hirsuta, C. B. P. 262. Pilosella majori flore, sive vulgaris repens, J. B. 2. 1039. Pilosella major, *Dod. Pempt.* 67. *Matth. Fuchs. Lugd. Hist.* Dens Leonis, qui Pilosella Officinarum, *Inst.* R. H. 469. Pilosella, Auricula muris, *Tabern. Icon.* 196. Pilosella repens, *Ger. Raii Hist.* 242. Pilosella minor vulgaris repens, *Park.* Hieracium repens vulgare majus, *Volk.* Hieracium foliis integerrimis ovatis, caule repente, scapo unifloro, *Linn. Hort. Cliff.* 388. Pilosella lutea, Holostium, *Nonnull.* vulgo, *Pilosel!e, Oreille de Rat, ou de Souris.*

E radicula digitum longa, fibrisque stipata, plures exiles caules, sarmentosi, hirsuti, solo repentes, radicibusque adhærentes exeunt. Folia vero oblonga sunt, extremitate rotunda, auriculis muris similia, villosa, superiori parte viridia, parte vero inferiori venosa, incana, ac lanuginosa, saporis adstringentis, floribus Hieracii æmulis, exilioribus, luteis, calyce squammoso, ac simplici, pediculo gracili, ac hirsuto, suffulto, quibus semina præsto sunt minuta, nigra, cuneiformia, cristata. Planta hæc vulgatissima est; in

locis

locis aridis, ac sterilibus, collibus incultis, terris sabulosis, & secus majores vias excrescit. Majo, Junio, Julioque floret. Nonnumquam una cum vulnerariis Helveticis commixta reperitur. Botanici vero putant, Vetres ne verbum quidem de hac tam cognita planta fecisse.

Pilosella amarissima est, ac nonnihil chartam cæruleam rubro tingit colore. Analysi autem Chymica præter plures acidos liquores plurimum olei, ac terræ, nonnihil spiritus urinosi, salisque volatilis concreti elargitur; ex quo conjicitur a sale alumini congenere, sulphureque saturato, ac cum pauco sale Ammonico commixto componi, qua de causa inter adstringentes, vulnerarias, ac detergentes locum habet. Ejus vero Extractum ʒ ij. exhibitum, ulceribus internis, plerumque Phthisim, ac Dysenteriam subsequentibus utilissimum est; succus quoque depuratus, aut integræ plantæ decoctio ab ℥ jv. ad ℥ vj. tribus de die repetitis vicibus in iisdem morbis usurpatur, ac in Provincia ex ea trita plancentas ex ovis confici, cumque successu dysentericis propinari, a D. Garidelio asseritur *in Historia plantarum Agri Aquisextiensis*. Ad calculos e vesica, renibusque expellendos Pena, & Lobellicus prædictam decoctionem commendant, Tragus vero adversus Icterum, & ad Hydropem præcavendam. Remedium autem in febri tertiana comprobatum, infusio est hujusce plantæ in Vino albo, xxiv. horarum spatio, cujus ℥ viij. horæ spatio ante proxismi accessionem ægris propinantur. Commendatur etiam Pilosella a Tabernæmontano uti specificum adversus Infantum hernias; qua de causa iis ʒ ß. Folior. hujusce exicc. & p. in cyatho ejusdem decoctionis exhibentur, ac externe tusa planta Cataplasmatis forma applicatur. Nonnulli quoque pro Gargarismate adversus oris ulcera, fauciumque inflammationes usurpant, Doctorque Hulse in *Historia Plantarum Rajana*, ejusdem succum pro fomento herpetem miliararem exsiccante, ac sanante, plurimum commendat. Idem succus, aut decoctio ferrum, aut calybem in ea pluries immersum indurat, ac temperat. S. Paulli in suo *Quadripartito Botanico* asserit, prope Æstatis solstitium, aut Festum Divi Joannis Baptistæ non solum in radicibus Polygoni minoris repentis folio Graminis, verum etiam in radicibus Pilosellæ baccas, seu grana æmula granorum Kermes reperiri, eaque insecti cujuspiam ova esse, suspicari, quum enim ab eo in plumæ anserinæ tubulo ex iis nonnulla inclusa fuerint, Solique exposita, sex, aut septem dierum spatio ex iis insectum aligerum, brevique extinctum ortum habuisse ait; additque, anno 1623. observationem hanc in Universitate Lugduno-Batava Stapero, aliisque condiscipulis rei Herbariæ studiosis communicasse.

Pilosellæ folia in Balsamo Vulnerario *Pharmacopææ Parisiensis* usurpantur.

℞. Succi depur. Pilosellæ, Brunellæ, & Hederæ terrestr. ana. ℥ jv. Syrupi Consolidæ majoris ℥ j. ß. M. ac divide in doses jv. de die sumendas in Hæmorrhagiis.

℞. Rad. Brusci Asparagi, Petrosellini rasar., & contus. ana ℥ j. Ebulliant in ℔ iij. aquæ, Semihoræ spatio, adde inde Fol. Pilosellæ, Agrimoniæ, ac Pimpinellæ ana. Man. j. Reducantur ad medias, iterum adde Sennæ mund. ℥ j. Rhabarbar. tus. ʒ ij. Salis Glauber. ℥ ß. Salis Absinthii, & Tamarisci ana. ʒ ß. Abducatur vas ab igne, & horarum quatuor spatio calide infusa remaneant, Colentur forti expressione, dividanturque in doses tres, quæ propinentur tepentes per triduum mane jejuno stomacho, addendo singulis, Syrupi Flor. Mali. Persic. ℥ j.

Apozema convenit in Ictero, ac Hydrope incipiente.

℞. Hordei Pug. j. Fol. Pilosellæ, & Agrimoniæ ana. Man. ß. Summit. Absinthii, ac Hypericon ana. Man. j. Ebul. in ℔ aquæ ij. ad medias. Colaturæ adde Mellis Rosati ℥ j. pro injectione vulneraria, ac detergente.

## PIMPINELLA.

PIMPINELLA vulgaris, *Offic.* Pimpinella sanguisorba minor hirsuta & lævis, C. B. P. 160. *Inst.* R. H. 157. Sanguisorba minor, J. B. 3. 113. Pimpinella Sanguisorba, *Dod. Pempt.* 105. Pimpinella vulgaris sive minor, *Park. Raii Hist.* 401. Pimpinella hortensis, *Ger.* Sideritis secunda Dioscoridis, *Col.* 124. Poterium inerme, filamentis longissimis, *Van. Roy. Flor. Leyd. Prodr.* 240. Pampinula, Elatine Pampinaria, Peponella, Bipinella, Bipennula, Sorbastrella, Sorbaria, Sanguinaria; Sissitiepteris, Protomedia Casignetes, Dyonisio Nymphades, *Quorumd.* vulgo, *Pimpienelle ou Bipinelle.*

E radice longa, rotunda, gracili, subdivisionibus prædita sub-rubris, in quibus fertur aliquando quædam grana rubra reperiri, quæ Cocinilla sylvestris nuncupantur, reique Tinctoriæ inserviunt, saporis adstringentis nonnihil amaricantis, plures caules ad altitudinem pedis, vel pedis cum dimidio proferuntur rufescentes, angulosi, ramosi, quaquaversum foliis stipati rotundis, ambitu denticulato, secus costam sub-rubram, hirsutam, ac gracilem pari ordine locatis. Summis caulibus capita rotunda, ac globulosa, exiguis floribus rosaceis, quadrifidis, ac purpureis constantia sustinentur, in quorum centro staminum oblongorum cista locatur. Binis speciebus flores occurrunt, alii enim steriles sunt, fasciculumque habent staminum, alii vero fertiles, pistillum; hisce postremis fructus quadrangulares succedunt, plerumque duabus extremitatibus mucronatis, coloris cinerei ad maturitatem perducti, nonnulla occludentes semina oblonga, minuta, atro-rufescentia, adstringentia, & amariuscula, odoris demissi neutiquam insuavis. Planta hæc vulgaris est, ultroque crescit in locis aridis, ac incultis, montibus, collibus, pratis, ac pascuis, in hortis olitoriis quoque colitur, maximeque in culinis usurpatur præsertim in acetariis. Floret Junio, Julio, & Augusto, vivacissima est, ac diutissime in hortis perdurat, sese seminibus fœcundando. Ut plurimum species hæc usurpatur, quamvis uti quoque possemus Pimpinella majori pratensi, quæ pingue solum amat, maximeque cum præcedenti similatur omnium ejusdem partium magnitudine tantummodo intercedente. Universa planta in usum Medicum revocatur.

Pimpinellæ nomine paucis tantum ab hinc annis indigitari, Rajus memoriæ prodidit. Quomodocumque sit, Botanici diversissimas habent plantas hoc insignitas nomine, Pimpinellam nempe nostram vulgarem per excellentiam *Pimpinellam*, aut *Pimpinellam Sanguisorbam* vocatam, tamquam sanguini sistendo aptissimam, & *Tragoselinum*, de quo suo loco verba faciemus, *Pimpinellam Saxifragam*, vocitando. Ac præcipue distinguuntur, quia scilicet altera hirsuta, altera vero glabra est, juxta Leoninum carmen:

*Pimpinella pilos, Saxifraga non habet ullos.*

Pimpinella salitæ herbæ saporem habet, ac parumper chartam cæruleam rubro colore imbuit, Analysi commissa plures acidos liquores largitur, plurimum salis volatilis concreti, atque olei, ac terræ. Nil itaque mirum est,

est, vim habere detergentem, vulnerariam, ac diureticam, sanguinique depurando, partiumque elaterio restituendo, dicatam esse. Interne, ac externe usurpatur. Communiter in acetariis miscetur; tamen laboriosam reddit digestionem, alvumque nimis adstrictam, si ea abutamur. Qui urinæ vias glareis habent impactas, hujusce plantæ in frigida infusione solantur. A Nonnullis etiam folia tria, vel quatuor in cyatho antequam Vino opleatur, infundunt, totoque mensæ spatio relinquunt, ex quibus Vinum, vim aperiendi, urinasque ciendi, acquirit: animadvertendum tamen est odorem aromaticum, quo Vinum inficitur, nonnumquam capiti noxium esse, hinc prædicta methodus micraniis, ac dolore capitis obnoxiis non convenit. Rajus autem in hisce potissimum particulis volatilibus, & aromaticis, cardiacam ejus virtutem consistere credit, qua etiam a Peste, aliisque contagiosis morbis præservari possumus. Julius Paulmierius asserit, a quodam *Henrici Secundi* Galliarum Regis venatore accepisse, plantam hanc frequenter a morsis a cane rabido comextam, eos ab hydrophobia servare. In jusculis, decoctionibusque aperientibus, ac vulnerariis Pimpinellæ folia præscribuntur, & Hæmorrhagias cujuscumque generis, tum externas, cum internas sistunt: quapropter uno eodemque tempore adstringens, ac aperiens vocari potest, plurimisque aliis Plantis proxima, hisce præditis facultatibus, quæ quamvis primo intuitu oppositæ videantur, plerumque ex iisdem fere principiis ortum habent; qualitates enim aperiendi, ac constringendi quamdam habent inter se relationem: tunc enim quævis planta aperiens reputatur, quum incidendi, materiamque in viscerum fibris obstructionem progignentem discutiendi, eique convenientem fluiditatem ad circularem motum, aut ad transpirationem per cutis emissaria subeundam, conciliandi vim habet, eademque adstringens efficitur, quum obstructionibus reseratis, ac dissipatis, elasticam fibris vim restituit, quibus pristinum munus obeuntibus, ac naturaliter constitutis, oscula vasorum capillarium occluduntur. D. Garidelius asserit, vel propria experientia, præstantiorem adversus Hæmorrhagias Pimpinellæ usurpandæ rationem esse, ejus decoctione, aut pulvere, postquam ad umbram exsiccata fuerit, potissimum uti. Rajus idem testatur, narratque D. Boylæum cum successu, una cum Saccharo Rosato in narium hæmorrhagiis, sanguinis exspuitione, Phthisique pulmonari adhibuisse.

Externe etiam planta hæc usurpatur, ejusque folia ferventi aqua madefacta Cataplasmatis forma vulneribus recentibus applicantur, quæ omnino sanant. Eorum quoque pulvis ulceribus charcinomatosis inspersus, eorumdem impedit dilatationem, ac progressum.

Folia quoque in Syrupis *Althææ Fernelii*, ac Althææ simplicis, in Mundificativo de Apio dicto, ac Emplastro Betonicæ *Pharm. Paris.* usurpantur.

℞. Fol. Pimpinell., & Bursæ Pastoris ana. Man. j. Ebulliant in ℔ aquæ iij. ad medias. Colaturæ adde Syrupi Cydoniorum ℥ j. pro ptisana in narium & uteri Hæmorrhagia, ac Dysenteria propinanda.

℞. Pimpinell. ad umbram exsic. & p. ℥ ß. M. F. B. cum q. s. Syrupi Althææ, propinenturque mane ʒ j. ß. in sanguinis sputo Phthisique pulmonari.

Juvabunt etiam immediate ℥ iij. aquæ distillatæ ejusdem plantæ.

℞. Rad. Brusci, & Asparagi mund. & incis. ana. ℥ ß. Coque cum ℔ ß. colli vervecini, in ℔ iij. aquæ pro binis dosibus. Adde ultima semihora Fol. Cichorii sylv., Agrimoniæ, Pimpinellæ, & Scolopendræ ana Man. ß.

Limatur. Calybis, & Rhabarb. contus. noduloque incluſ. ana ℥ ij. Flor. Calendulæ Pug. ij. Coletur levi expreſſione, dividaturque in doſes duas, novem ſubſequentibus diebus repetendas, mane jejuno ſtomacho, ac veſperi in Cakexia, Ictero, Hydrope, infimique ventris obſtructionibus.

℞. Rad. Conſolid. Maj. lotar. ℥ ß. Fol. Bugloſſi, Agrimoniæ, Pimpinellæ, & Scolopendræ ana Man. ß. Quatuor ſem. frigid. maj. nodulo ſuſpenſorum ℥ ß. Florum Malvæ, ac Violariæ ana. Pug. j. Adde pullum, cujus venter Hordeo, ac ſemine Papaveris albi oppleatur. Coque in ℔ aquæ iij. Exprimatur liquor dividaturque in doſes binas, quindecim ſubſequentibus diebus repetendas mane, ac ſero in Tuſſi violenta, ſanguinis ſputo, Thoracis doloribus, ac inſomniis.

## PINGUICULA.

PINGUICULA, *Offic.* Sanicula montana, flore calcari donato, C. B. P. 243. Pinguicula Geſneri, J. B. 3. 546. *Inſt.* R. H. 167. *Raii Hiſt.* 751. Pinguicula, *Cluſ. Hiſt.* 310. Pinguicula, ſive Sanicula Eboracenſis, *Ger. Park.* Pinguicula nectario cylindraceo longitudine petali, *Linn. Flor. Lapp.* 11. Cucullata, quibuſdam Crias Apuleii, *Lugd. Hiſt.* 1206. Dodecatheon Plinii, Liparis, Oleoſa, Viola humida & paluſtris, Sanicula rotundifolia & pinguis, *Quorumd.* vulgo, *Graſſette, herbe graſſe ou huileuſe*.

Huic radix eſt fibroſa, nonnullis albis fibris, craſſioribus, reſpectu habito ad plantæ exilitatatem, ſex, aut ſeptem profert folia, & ultra, in terram ſtrata, dilute-viridia, ad luteum colorem accedentia, nonnihil craſſa, ac lucentia, veluti oleo, aut butyro illinita, extremo fere obtuſo, compacta, denticulis deſtituta. Ea inter pediculi nonnulli ad manus altitudinem quandoque elevantur, ac in eorum apice flos apparet purpureus, violaceus, aut albus, Violarum æmulus, tamen monopetalus in duo labia diviſus, ac in plures alias partes iterum ſubdiviſus, longo in baſi calcari donatus; hic flos tandem abit in fructum, aut baccam calyce in parte inferna involutam; ſeſe in duas cellulas, aperientem, globulo plura ſemina minuta, ac ſemirotunda occludente, inſtructas. In pratis, aliiſque humidis, paludoſiſque locis excreſcit, necnon in montibus aquis irrigatis a nivium exſolutione oriundis, ac in agro Pariſienſi occurrit; regiones frigidas amat; vivax eſt, ſeminibuſque multiplicatur abſque cultura, difficile enim in hortis coli poteſt. Vere floret, citoque evaneſcit.

Pinguicula plurimum phlegmatis, & olei, ac parumper ſalis eſſentialis continet, inter vulnerarias, ac conſolidantes recenſenda; ejuſdem enim folia digitis tuſa, vulneribus recentibus applicata, ea protinus ſanat. Succus oleoſus, ac temperans ex hac elicitus, pro linimento in mammarum fiſſuris mirabiliter uſurpatur; Syrupus etiam ex hac eadem conflatur, qui magnam ſeroſitates omnes expurgandi vim habet. Nonnulli etiam ejuſdem foliorum Pugil. in juſculo Vitulino injiciunt, a quibus vim laxantem acquirit, ac in alvi conſtipationibus convenit. Præcipuus tamen hujuſce plantæ uſus externus eſt. Cataplaſma enim ejus radice tuſa conflatum, brevi Iſchiaticum, alioſque dolores ſanat, uti Dalemchampius teſtatur; præcipue autem adverſus Infantum hernias a Camerario, & S. Pauli, idem Cataplaſma commendatur, qui etiam, ab agricolis accepiſſe ait, folia, ac radicem recen-

recentem Pinguiculæ tusam, capillis aureum colorem conciliare, si hisce sæpius illiniantur. Mulieres, vero rusticæ Danenses, pinguem ejusdem foliorum succum familiarissime, uti nos unguentum pomatum, usurpant, quo, ab iis capilli circumliniuntur, ac elegantissime cincinantur. Hæc unguenti species præterea comarum crispaturæ ac culturæ plurimum inseruit. D. Linnæus asserit, nullos fere Medicos hujusce plantæ efficaciam, & præcipue ejusce foliorum pinguidenis cognoscere, hæc enim ab ipso plurimum existimatur, uti Roris Solis pinguedo, additque, mulieres Lapponienses foliis hujusce recentibus, Rangiferarum Lac recenter extractum, ac calidum superaffundere, ac unius, vel alterius etiam diei spatio intactum relinquere, ut majorem acquirat consistentiam, absque ulla seri separatione, saporemque gratiorem; quamvis minorem cremoris quantitatem præseferat. Lacte hoc pacto parato novis non indigent foliis ad opus iterandum, sufficit enim cochlearis semisse hujusce Lactis coagulati, novo Lacti commiscere, ut in prioris naturam immutetur, & hæc commutatio in infinitum usque procedere posset, absque ullo discrimine; tamen si diutius, quam par est, conservetur in serosum lacticem abit a mulieribus prædictis *Syra* nuncupatum. Laudatus Author refert cum J. Bahuino, Pastores in Alpibus vaccinarum mammarum fissuras, succo pingui foliorum prædictæ plantæ inungendo, sanare; qua de re observat Lapponenses quoque idem remedium usurpare posse ad Rangiferarum mammas scissas sanandas, quæ pro lacte plerumque sanguinem fundunt. Clusius vero admonet, ab Angliæ Meridionalis incolis plantam hanc *VVhytroot* nuncupari, ut quis diceret *Oves enecans*, si enim a vervecibus alterius alimenti deffectu comedatur eos enecat.

Boeclerus a Medicis plurimi faciendum esse asserit, Vinum Medicatum Anti-phthisitum *Muralt*, in quo succus Pinguiculæ usurpatur.

## PIPER INDICUM.

PIPER INDUM, sive Indicum, vulgare, *Offic.* Piper Indicum vulgatissimum, C. B. P. 102. *Raii Hist. 676.* Piper Indicum, sive Calecuticum, sive Piper Siliquastrum, I. B. Capsicum Actuarij, sive Caninum Zinziber Avicennæ, Calecuticum Piper, sive Piper Indicum longioribus siliquis, *Lob. icon. 316.* Capsicum siliquis longis propendentibus. *Inst.* R. H. 152. Solanum Capsicum dictum vulgatissimum, *Herman.* Quiya Brasiliensibus, *Pis.* 225. Chilli Piper siliquosum Mexicanum, *Hern.* 135. Siliquastrum *Trag. Tabern. Fuchs.* Piper Americanum vulgatius, *Clus.* Piperitis, seu Siliquastrum Peruvianum, *Cord. Hist.* Cardamonum Arabicum, *Gesn. Hort.* Capsicum majus, vulgatius, oblongis siliquis, *Park.* Capsicum longioribus siliquis, *Ger.* Piper Hispanicnm, seu Lusitanicum, siliquosum, Piper Brasilianum, seu Brasiliense, Piper ex Guinea seu Guineese, Piper Indicum rubrum & nigrum Piper Indicum Occidentale quod axi vocant, Piperastrum, *Nonnull.* vulgo, *Poivre d'Inde, de Guinèe, ou du Brèsil, Piment ou Poivre d'Espagne, ou de Portugal en gousses, Corail de Jardin.*

Brevis, gracilis, plurimisque fibris circumsepta radix angulosum, durum, hirsutum, ac ramosum Caulem emittit ad pedis, vel pedis cum dimidio, & ultra altitudinem, in regionibus præsertim calidis. Folia vero longa, & gladiata sunt, ac foliis Persicariæ nonnihil latiora, crassa, carnosa, glabra,

colo-

coloris atro-viridis, quandoque ad luteum accedentis, pendunculis pollicem unum, aut duos longis appensa, denticulisque destituta, flore ex foliorum alis, ac exorientibus ramusculis, exeunte, rosaceo, plurimis cuspidibus, coloris albidiusculi, floribus Solani vulgaris æmulo, ac majori, satis longo pedunculo, carnoso, ac rubro suffulto, tandem in fructum abeunte capsularem, longum, ac pollicem, crassum, erectum, pellicula conflatum nonnihil carnosa, lucente, expolita, initio viridi, postea lutea, tandem, adinstar Coralli, rubra, aut purpurea, quando potissimum maturescit, capsula hæc interioriri sui parte duabus, aut tribus cellulis dividitur, quamplurima plana, albescentia, sub-lutea, ac reniformia semina, occludentibus. Omnes plantæ hujusce partes magna scatent acrimonia, præsertim vero fructus, fauces enim exurit. Sponte in Indiis, ac præcipue in Guinea, ac Brasili luxuriat. Colitur quoque, facileque ope seminis propagatur in regionibus calidis, nempe Hispania, Lusitania, Occitania, ac Provincia, necnon in hortis nostratibus, in quibus elegans ejusce capsularum color visum summopere delectat. Quamplurimæ aliæ Piperis Indici species inveniuntur inter se figura, ac capsularum colore distantes; vulgatior tamen, usitatior, minusque acris adhuc a nobis descripta debet recenseri. Fructus tantum, sive capsulæ communiter usurpantur, rarissime vero pro Medico usu, satisque longæ, pollicem crassæ, erectæ, integræ, recentes, colorisque saturati sunt seligendæ, nobisque ab Occitania ut plurimum deferuntur, ibi enim planta hæc frequentius colitur. Apud nos vero Augusto florescit, Autumnoque exunte, & quandoque etiam Septembri fructus maturatur, Solum pingue, ac humidum amat, loca nonnihil umbrosa, & semine ubique, vase aliquo, alive modo propagari, caloreque etiam moderato plurimum adjuvari potest.

Analyseos ope plurimum salis acris, ac olei Piper Indicum largitur. Hæc autem salis acris maxima portio potissimum in causa est, cur intolerabili calore fauces exuret, nihilominus ab Indis hujusce capsulæ crudæ comeduntur, utpote ipsis, a teneris usque unguiculis familiares, quod in Europa absque palati, ac faucium gravissimo incommodo nunquam profecto tentare possumus. Sacchro prædicti fructus condiuntur, ut facilius sumi, faciliusve in longis itineribus in mari institutis, in quibus conveniunt, usurpari possint. Præterea adhuc virides, ac nondum in fructum concrescentes colliguntur, acetoque nonnullorum mensium spatio condiuntur, ac ad fauces sapore acri, ac stimulante, recreandas, ut Capparis, ac Nasturtium Indicum, usurpantur. Præterquamquod fructus hi saccharo conditi, ℨ ij. post prandium, flatus discutiunt, viscosamque pituitam stomachi parietibus adhærescentem attenuant, ciborumque adjuvant concoctionem. Aptissimi ergo erunt pituitosis, relaxatisque stomachis; nimio autem autem calore, ac tensione debilitatis e contra interdicendi; morbi enim causam adaugent, non tollunt.

Aliæ Guineensis Piperis species apud Indos tantum in usum veniunt, quas ipsi condimentis immiscent; a Gallia vero penitus exulantur ob excedentem acrimoniam. Acetarii propolæ fructum hunce aceto infundunt, ut fortius reddatur, & gratiorem acquirat saporem. Piper Indicum, inquit Rajus, cum Fratre Georgio Regio, acre adeo est, ut pustulas, excitet quocumque in loco applicetur, quinimmo, si ejus capsulæ tantummodo aperiantur, ut semen eliciatur, vaporem exhalant per nares ad cerebrum usque adeo penetrantem, ut materiæ viscosæ mira profecto quantitas eliciatur; iis præterea ingur-

ingurgitatis, tuſſis, ac vomitus provocatur. Si forte ſuper ardentes prunas una tantum ex hiſce capſulis, aut minima earumce particula inijciatur, in triclinio, aut conclavi fumus ad circumſtantium nares elatus, ſternutationem in omnibus excitabit perduraturam, uſque dum fumus omnis ceſſabit, aut aere exteriori, adaperta feneſtra diſſipabitur. Sequenti vero ratione prædictæ capſulæ pro uſu ab Indis parantur. Statim, ac collectæ fuerint, ab iis ad umbram, deinde vero ad ignem una cum farina, vaſe huic muneri dicato, exſiccantur; poſtmodum forcipibus minutatim inciduntur, ac pro unaquaque capſularum hac ratione inciſarum uncia, tenuiſſimæ farinæ additur libra una, ut fermento ad modum paſtæ ſubigantur; maſſa probe fermentata clibano committitur, qua concocta, in offulas dividitur, ac novæ cocturæ, ut panis nauticus, ſubijcitur: Demum in minutiſſimum pulverem reducitur, cribroque traiicitur. Pulvis hic ad quæcumque alimenti genera condienda mirabiliter inſervit, potenter enim ſtomachi, ac inteſtinorum flatus diſcutit, appetitum promovet; alimenta humida, ac flatulenta, ac vinum eo conſperſum ſapidiora redduntur; digeſtionem adjuvat, urinam, menſeſque ciet, humores pituitoſos, ac præſertim in femoris articulatione ſtabulantes, Iſchiademque progignentes, diſſipat, atque educit.

## P I S U M.

PISUM vulgare, *Offic.* Piſum hortenſe majus, flore fructuque albo, C.B. P. 342. *Inſt.* R. H. 394. Piſa majora alba, I. B. 2. 299. *Raii Hiſt.* 892. Piſum vulgatius, majus, *Lob. icon.* 65. Piſa majora fructu albo, *Matth.* Cicer arietinum, *Trag.* 605. Piſeolus vulgo, *Cæſalp.* 231. Piſum majus album, Piſum verum, Piſum Romanum, Piſum rotundum, & candido ſemine, *Quorumd.* vulgo, *Pois cultivè.*

E gracili, fibroſaque radice caules exſurgunt longi, cavi fragiles, glauci, aut albidiuſculi, ramoſi, ac in terram ſtrati, niſi forte pedamentis erigantur, foliis oblongis, colore caulium communi, quorum nonnulla caule transfoſſa videntur, eumque in unoquoque nodo amplectuntur, alia vero pari ordine e coſtis, capreolis obvia quæque amplectentibus terminata enaſcuntur. Flores vero ex foliorum alis bini, vel tres ſimul eodem pedunculo prodeuntes, leguminoſi, aut papilionacei, albi ſunt, abeuntque in ſiliquas longas, cylindraceas, pendentes, carnoſas, duobus conſtantes involucris, fere rotunda, ac viridia ſemina occludentibus, quæ ſemina exſiccata, alba fiunt, atque anguloſa. In hortis, arviſque ſeritur, ac citius, aut ſerius flores edit; communius tamen Vere exeunte, fructuſque Æſtate matureſcit. Aprica, ac adverſus ſeptentrionales ventos munita loca, utpote frigoris impatiens amat planta hæc, nec non terram mobilem, probeque ſtercoratam. Frequentiſſime parva Piſa recentia in uſum veniunt culinarium, iiſque dapes exquiſitiſſimæ conficiuntur, ſolertes vero hortulani glaciali tempeſtate plantam hanc præſervando, ac præpropera Piſa eliciendo, magnopere lucrantur, ſi vero ramalibus fulciatur felicius excreſcit, nuncupaturque *Pois ramès*. A Majo, per totum Octobrim uſque Piſa colligi poſſunt, dummodo diverſis temporibus ſerantur, tertio autem exeunte menſe colliguntur, quo exacto, ut plurimum matureſcunt. Piſa in terris ſalbuloſis ſata præcociora ſunt, faciliuſque quam e terris fortioribus elicita, decoquuntur. Veteres ipſi, non ſecus, ac nos

pluri-

plurimum hisce delectabantur, eaque præsertim recentia, delicatula, ac appetitum promoventia existimabant, magnatumque mensas ab expertibus coquis condita tunc temporis pariter exornabant.

Habent vero Pisa plurimum olei, salisque essentialis; emollientia, ac nonnihil laxantia sunt; tamen frequentius uti alimentum, quam uti remedium usurpantur: optimum partibus nutrimentum suppeditant, quocumque tempore, vel ætate conveniunt, ac præsertim junioribus, & quibuscumque fere temperamentis, dummodo modus servetur. Crassiorum humorum sarcina onustis non satis aptantur; quippe quæ flatulenta sunt, stomachisque debilioribus, glareisque in renibus, aut vasica stabulantibus, noxia. Nonnulli putant, Pisa tussim compescere, pectorisque acrimonias demulcere, Tragus autem tanquam Epilepticis utilia deprædicat. Alii vero eorum decotionem ad menses, lochia, ac urinas ciendas, obstructionesque reserandas, Petroselini radice, foliisque Rorismarini, Macisque parum, admixtis commendant, quos effectus profecto, potius ab aliis simplicibus suprarecensitis, quam a sola eorumce decoctione, sunt dessumendi, magis enim emollientia, ac laxantia sunt, quam ulla insigni aperiendi facultate prædita.

Pisa una cum siliquis comesta magis nocent, quam grana simplicia, quod in *Schola Salernitana* hoc Disticho explicatur,

*Sunt inflativa cum pellibus, atque nociva;*
*Pellibus ablatis, sunt bona Pisa satis.*

Rajus asserit, Pisa recentia, ac cruda iis præsertim convenire, qui longis navigationibus a carnium, piscimque salitorum usu scorbuticam affectionem contraxerunt. Joannes Bauhinus, cum Martino Rulando refert, eorum decoctionem una cum foliis Quercus pro balneo paratam, scabiem, lepram, ulcera, omnesque alios cutaneos morbos sanare.

## P L A N T A G O.

PLures PLANTAGINIS species inveniuntur; vulgatiores tamen, ac a Medicis usitatiores sunt sequentes tres, scilicet Plantago major, Media, & Minor.

Plantago major, seu septinervia, *Offic.* Plantago latifolia sinuata, C. B. P. 189. *Inst.* R. H. 126. Plantago major, folio glabro, non laciniato, ut plurimum. J. B. 3. 502. Plantago major *Dod. Pempt.* 107. *Matth. Trag. Fuchs. Turn. Tabern. Camer. Hort.* Plantago latifolia vulgaris. *Park. Raii. Hist.* 876. Plantago latifolia, *Ger.* Plantago rubra, *Brunf.* Plantago, vulgo Centinervia, *Cæsalp.* 327. Arnoglosson, *Dioscor.* Plantago scapo spicato, foliis ovatis, *Linn. Flor. Lappon.* 34. Heptapleuron, Centumnervia, Arnoglossum sive Arnoglossa, vel Lingua Agnina, Olus Agninum, Arnion, Probation, Cauda ichneumonis, Herba viarum, *Nonnull.* vulgo, *Le Plantain large la grand Plantain.*

Huic radix est brevis, digitum crassa, lateraliter fibris stipata, quæ folia emittit lata, lucentia, ambitu perraro denticulato, glabra ut plurimum, septem satis apparentibus, ac præsertim in parte postica per longum excurrentibus nervis distincta, unde tam Græce, quam Latine ejus nomen deduci-

ducitur; præterea folia hæc in terram strata longis caudis adhærescunt. Ex eadem radice, media inter folia plures caules fere pedales, rotundi, fractu difficiles, quandoque rufescentes, ac nonnihil villosi eriguntur; in quorum apicibus spica oblonga, pluribus albidiusculis, aut purpureis floribus, ornata sustinetur; singuli hi flores quinquifidi pluribusque staminibus suffulti basim habent cylindraceam, verticem vero satis expansum, abeuntque in fructum, sive coccum membranaceum, elyptico-acutum, aut conicum, transvesim sese aperientem, adinstar pixidis saponariæ, quamplurima semina minuta, ovalia, aut oblonga, & rufescentia occludentem. Vulgatissima est planta hæc, ac fere ubique in magnis viis crescit, nec non in areis, & viridariis, juxta sepes, ac loca herbosa, & inculta. Majo, Junioque floret, Augusto semen largitur: antiquissimis usque temporibus, omnibusque regionibus tam ob ejus utilitatem, quam ob maximam ipsius copiam cognita fuit. Qua de causa familiarissima est, ac inter omnes Plantaginis species uti vulgatior usurpari frequentius solet, hujus tamen deffectu duæ sequentes in usum Medicum veniunt, ac juxta Nonnullos postrema cæteris omnibus est præferenda.

Plantago media, seu Quinquenervia, *Offic.* Plantago latifolia incana C. B. P. 189. *Inst.* R. H. 126. Plantago major, hirsuta, media a nonnullis cognominata, J. B. 3. 504. Plantago media, *Dod. Pempt.* 107. *Matth. Fuchs. Gesn. Hort.* Plantago incana, *Ger. Raii Hist.* 1261. Plantago foliis ovato-lanceolatis pubescentibus *Linn. Hort. Cliff.* 36. Plantago minor, vel alba, Arnoglosson medium, Lingua ovina major incana, *Quorumd.* vulgo, *Plantain moyen, le Plantain blanc.*

Radice est satis crassa, extremis quodammodo demorsis, pluribus stipata fibris, sese hac illac in terram extendentibus. Folia vero habet nonnihil lata, in terram strata, caudis majoris Plantaginis exilioribus appensa, quæque extantibus quinque nervis discriminata, quaquaversum pubescentia, & incana, margine denticulis destituto. Media inter folia plures pedales, rotundi, hirsuti, nodosi, ac neutiquam striati caules elevantur, extremitatibus, spicis duos digitos longis stipatis, compositisque pluribus parvis, in fasciculum coacervatis, monopetalis, ac stellatis floribus, numerosis ac purpureis staminibus, apicibus albis, quibus fructus, aut capsulæ seminales parvæ, ac rotundæ succedunt, occluduntque ut plurimum bina minuta semina exiguos pulices æmulantia. Planta autem hæc fere ubique in pratis siccis, sabulosisque locis, secus magnas vias reperitur.

Plantago minor, seu Trinervia, *Offic.* Plantago angustifolia major. C. B. P. 189. *Inst.* R. H. 127. Plantago lanceolata, J. B. 3. 505. Plantago minor, *Dod. Pempt.* 107. *Gesn. Hort. Lon. Lac.* Plantago minor, Longa Matthioli, *Lugd. Hist.* 1255. Plantago Quinquernervia, *Ger. Raii. Hist.* 877. *Lob.* Plantago Quinquenervia major, *Park.* Lanceola major, *Cæsalp.* 328. Lanceola & Lanceolata, Costa Canina, *Tabern.* Plantago foliis Lanceolatis, spica fere ovata *Linn. Hort. Cliff.* 36. Plantago angustis, oblongisque foliis, Herlatum, Magebora, Herba Martis, *Quorumd.* vulgo, *le Plantain ètroit.*

Primæ speciei similem radicem habet, foliaque emittit longa, angusta, acuta, vix quidem serrata, hirsuta, quinque nervis per longum excurrentibus, signata (quorum tres cæteris sunt insigniores in parte folii postica) longis penduncu lis, lanceæ æmulis, appensa, colore viridi, præcedentibus

bin is

binis speciebus saturatiori, sapore nonnihil dulci, ac adstringenti. Ea inter plures pedales, minuti, angulosi, ac striati caules extolluntur, in quorum apicibus spicæ breviores, crassioresque Plantagine majori locantur, quæ flosculis conflantur pallidiusculis, æqualibus, staminibusque donatis, quorum extrema albo lutescentia sunt, ac raro prodeunt, spicæ enim quaquaversum sensim florescunt: antequam vero florescant nigricantes sunt, dum e contra in aliis speciebus ad viridem colorem accedunt. Floribus præsto sunt capsulæ membranaceæ, semina occludentes minuta, oblonga, ac præcedentibus speciebus crassiora. Planta vero hæc ubique germinat, in pratis, aliisque herbosis locis; Æstate ineunte cæterarum in morem florescit, semenque Augusto maturescit. Radix vivacissima est, ut in aliis Plantaginis speciebns, Hyemique ressistit.

Prædictæ omnes Plantaginis species usque adhuc a nobis descriptæ, prout commodius reperiuntur, indiscriminatim in usum Medicum venire possunt. Ejus folia amara, & adstringentia sunt, ac nonnihil chartam cæruleam rubro colore, inficiunt, radix vero saturatiori, adstringensque tantum est, a quo evincitur in foliis, sal Ammoniacum, particulasque terrestres, maxima sulphuris portione irretiri, Plantaginemque vulnerariam, adstringentem, resolventem, ac febrifugam esse. De facto ejusdem succus depuratus ab ℥ ij. ad ℥ jv. exhibitus initio febrium intermittentium, eas plerumque sanat. Qua in re species foliis angustioribus cæteris præferri solet, e qua sex, ad duodecim usque radices sumi possunt, cum Man. ß. Fol. quibus tusis, noctis spatio ℥ vj. ferventis aquæ infusis, ac mane expressione colatis, adduntur gut. xxx. Spiritus Sulpheris, aut Vitrioli, pro tribus dosibus, tribus vicibus propinandis, horæ spatio ante febris paroxismum purgatione tamen antea in usum revocata. A nonnullis etiam loco aquæ pro infusione cyathus aceti usurpatur, testanturque plerumque post primi cyathi sumptionem febrim evolare. Observatio Doct. Garbesii hoc expresse confirmans extat *in Ephemeridibus Germauicis Decuria II. Anno X. pag.* 100.

Plantaginis ptisana utilissima deprehenditur in dysenteriis, ac in fere omnibus hæmorrhagiis, dummodo criticæ non sint; D. Chomel celebris Medicus Parisiensis testatur, pluries cum successu adversus diarrhæas semen Plantaginis ʒ j. in Lacte ebullitum, aut pulveratum in jusculo exhibuisse, atque hocce remedii genus rusticis admodum esse familiare. Succus foliorum depuratus tribus subsequentibus diebus mane jejuno stomacho exhibitus eumdem quoque effectum edit, juxta observationem Lanzonianam 137. *in Ephemeridibus Germaniæ Decuria II. anno X. pag.* 227. S. Paulli, extractum Plantaginis, decoctionemque Sarsæparillæ ad sistendam sanguinis micturictionem Gonorrhœæ succedaneam in juvene usurpasse narrat; ac Riverius testatur, ʒ j. Seminis Plantaginis una cum ovo deglutitam abortum impedire posse. D. Boylæus adversus vomitum, hæmoptysimque sequens remedium proponit, quod satis comprobandum videtur.

℞. Rad. Consolid. maj. recent. & rasar. ℥ ß. Terantur in mortario marmoreo cum Sacchari tenuissimi exigua quantitate. Adde postea Succi Fol. Plantaginis s. q. ut Electuarium conficiatur, cujus dosis erit a ʒ j. ß. ad ʒ ij., tribus de die vicibus, bolis nebula obvolutis; cyathum decoctionis pectoralis superbibendo.

Quod vero ad externum hujusce plantæ usum spectat, ejus decoctio nobis

bis excellens Gargarisma suppeditat adversus faucium morbos; quorum ulcera protinus detergit, ac exsiccat. D. Garidelius testatur, hanc eamdem decoctionem in aqua calcis institutam pari ratione crurum ulcera exsiccare, ac cum successu eam pluries usurpasse, quamvis ea in Provincia contumaciora esse soleant. Succus quoque Plantaginis, spleniis, aut foliis tusis in eo immersis, & Cataplasmatis forma parti affectæ applicitis, carbunculi progressum sistit; folia quoque recentia vulneribus, contusionibusque, quas statim dissipat, applicantur. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria II. anno X. pag.* 142. Observatio reperitur Doct. Casimiri Gahrliep, qui asserit, inflammationem, gangrænam minitantem sedasse, sola foliorum Plantaginis tusorum, ac calefactorum applicatione. Adversus vero hæmorrhoides teritur Plantago, ac cum butyro recenti una cum prædicta liquato unguentum conficitur, partesque affectæ Porri apice illinuntur; quod remedium profecto saluberrimum reputatur. In collyriis plerumque aqua Plantaginis cum aqua Rosar. usurpari solet ad oculorum inflammationem cohibendam. Camerarius vero collyrium hocce, foliorum succo, ac radice tusa, una cum aqua Rosar. ac Saccharo, commixto conficiebat. Cataplasma foliis Plantaginis, Muscoque in Pruno excrescente, simul in Vino decoctis, optimum censetur remedium adversus Hernias, usurpatur demum radix lota, nonnihil tusa, in aurium osculo immissa ad dentium dolores compescendos.

Radix, foliaque Plantaginis in Aqua Vulneraria *Pharmacopææ Parisiensis* adhibetur, folia vero in Decoctione adstringente, Syrupis *Althææ Fernelii*, & Consolidæ, in Pulvere adversus rabiem, Balsamo Vulnerario &c. ejusdem *Pharmacopææ*. Semina vero in pulveribus *Diarrhodon*, Adstringenti contra abortum, ac Unguento Comitissæ.

℞. Aquar. distill. Plantag., & Sanguinariæ ana. ℥ ij. Bolli Armenæ, Terræ sigill., Theriacæ, & Dioscoridis ana. ʒ ß. Syrupi Cydonior. ℥ j. M. pro potione chocleatim, quaque hora, sumenda in ventris fluxibus, relaxationi fibrarum intestinalium supervenientibus, ac superpurgationibus.

℞. Capitis Vitulini in taleolas incisi dimidiam partem, Oryzæ cochleare j. Radicis Consolidæ majoris tusæ ℥ j. Folior. Plantag. & Urticæ ana. Man. j. Coque in ℔ iij. aquæ pro binis haustibus; uno mane, jejuno stomacho, altero vero vesperi in hæmoptysi, aut vomitu sanguineo.

℞. Aquæ Plantaginis, & Rosar. ana. ℥ iij., Terræ sigill. Boli Armenæ ana. ʒ ß. succi Urticæ depur. ℥ ij. Syrupi Diacodii ℥ ß. M. pro Julapio hora somni exhibendo ad abortum præcavendum.

℞. Folior. Agrimoniæ Man. ij. Rubi ac Plantag. ana. Man. j. & Malum Punicum. Coque in vase terreo cum ℔ aquæ iij. ad tertiam partem. Colaturæ adde s. q. Sacchari, ut Syrupus conficiatur, ab ægro cochleatim statis intervallis sumendo, sinendo, ut paulatim in ore liquescat.

Eclegma autem prædictum mirabile reputatur adversus faucium morbos. ac præsertim anginam.

℞. Catholicon dup. ℥ ß. Mannæ ℥ j. ß. Dissolve in aquæ Plantag. ℥ jv. pro potione in ventris fluxibus exhibenda.

℞. Fol. Plantag. Saniculæ, Brunellæ, Hederæ terrestris, utriusque Veronicæ, Bursæ Pastoris, ac Virgæ Aureæ ana. Man. ß. Coque in ℔ aquæ vj. ad quartæ partis consumptionem. Adde finem versus Glycyrrhizæ

in fila

in fila evulsæ ℥ ß. pro prisana vulneraria adversus contusiones :

℞. Conservæ Rosar. vetustissimæ, & Diascordii ana. ℥ ß. Sem. Plantag. contus. ʒ ij. Corall. rubri pp. ac Rhabarbari torrefacti ana. ʒ j. Ipecacuanhæ p. gr. xviij. M. cum s. q. syrupi Diacod. pro Opiata ; a ℈ j. ad ʒ j. ß. sero, hora somni, bolis nebula obvolutis in Dysenteriis ad exitum properantibus sumenda.

℞. Aquæ Rosar. & Plantag. ana. ℥ iij. In his dissolvantur Trochiscor. albor. *Rhasis* ʒ ß. Sacchar. Saturni gr. xx. pro collyrio refrigerante adversus incipientem oculorum inflammationem.

℞. Aquar. Plantaginis, Spermatis Ranar., Rosar., ac succi Sodi major. ana. ℥ ij. Nitri depur. ʒ j. Syrup. Rosar. exsiccat. ℥ j. M. pro Gargarismate in Angina.

℞. Folior. Plantag., Rubi, & Agrimoniæ ana. Man. ß. Balaustior, & Rosar. rubrar. exsiccatar. ana. ʒ j. ß. Ebulliant in aquæ ℔ ij. ad medias. Colaturæ adde Aluminis Rupei ʒ j. Syrupi Rosar. exsiccatar. ℥ j. Pro Gargarismate adversus uvulæ relaxationem.

℞. Folior. Plantaginis, & Veronicæ ana. Man. ß. Coque in ℔ aquæ ij. ad medias. Immergantur in hac calida decoctione splenia, crurum ulceribus prius eadem decoctione fotis, applicanda.

℞. Butyri loti in aqua Violar. s. q. Adde Succum Plantaginis pro Linimento utilissimo adversus impetiginem, porriginemque.

## POLIUM.

POLIUM genus Plantæ est, cujus plures sunt species: nos vero duas tantum, nimirum usitatiores hic describemus, nempe Polium luteum, & Album.

Polium luteum, *Offic.* Polium montanum, luteum, C. B. P. 220. *Tabern. Icon.* 364. *Ger. Inst.* R. 206. *Raii Hist.* 525. Polium luteum, *Lob. Icon.* 487. Polium montanum vulgare, *Part.* Polion flore luteo, Theurion, Melosmon, Belion, Leonthocaton, Polium vulgatius, *Quorumd.* vulgo, *le Polium ou Polion de montagne a fleur jaune.*

Huic radix est lignosa nonnullis fibris stipata, quæ plures emittit caules duros, lignosos, graciles, fere semipedales admodum hirsutos, quorum alii in terram prosternuntur, alii vero eriguntur. Folia exilia, oblonga, crassa, ambitu crenato lanugine albescenti superne, ac inferne obducta sunt. Exigui flores, quamplurimi, ad modum capitis cujusdam, simul congesti, florum Chamædris æmuli, & labiati, luteum adinstar auri colorem habent, odorem vero penetrantem, aromaticumque, saporemque amarum ; horum quisque tubulus est in vertice expansus, ac in labium quinquifidum elongatus, labium vero superius adeo breve est, ut, ne vix quidem conspici possit, cujus loco nonnulla gerit stamina. Hi flores tandem abeunt in semina minuta, semirotunda, capsula quondam floris calicem efformante, obvoluta. In regionibus calidis, montibus, ac collibus, aliisque elatis siccis, saxosisque locis, uti in Occitania, Provincia, ac Delphinatu crescit planta hæc. In hortis quoque seritur, in quibus Æstate, ac plerumque Julio, & Augusto floret. Clusius autem asserit, in Hispaniæ Regnis Granatensi, ac Valentiano, plantam hanc ipsam Martio flores edere, ejusque semine enatum vidis-

vidisse *Polium* flore ac foliis, quandoque albis, quandoque intus pallidis; extusque albidiusculis. Nonnulli vero pro Theriaca, aliisque usibus e Candia nobis allatum præferre consuescunt, vix tamen inter se distant. Idem quoque censendum est de Polio Italo adeo magnis laudibus a plerisque cumulato.

Polium album, *Offic.* Polium montanum, album. C. B. P. 221. *Ger. Inst.* R. H. 206. *Raii Hist.* 524. Polium montanum 1. *Clus.* 361. Polium montanum, Monspeliacum, *Park.* Polium alterum seu candidum, Polium seu Polion montanum flore albo. *Quorumd.* vulgo *le Polium ou Polion de Montagne a fleur blanche*.

Huic quoque radix supramemorato simillima est, quæque caules exiles, rotundos, firmos, lignosos, ac ut plurimum in terram stratos emittit. Folia autem minutiora, nec adeo ut in Polio luteo lanuginosa, ac leviter denticulata sunt. Flores vero præcedentibus forma similantur, colore tamen albo florum, & capitum differunt. Semina etiam alterius seminibus æquiparantur. Non solum in montibus, aliisque elatis locis crescit planta hæc, verum etiam in planitiebus sabulosis, ac aridis, secus vias in Occitania, & Provincia. Uno, eodemque tempore, ac Polium luteum floret, semenque edit.

Juxta D. Chomelium major Polii specierum numerus, quibus Authores diversa nomina tribuerunt, nihil aliud revera est, nisi quædam varietas ex uno, eodemque semine prodiens, sic florum Polii lutei color nonnunquam deletur, pallidusque efficitur: omnium tamen efficacia æqualis semper est, ac indiscriminatim unius, aut alterius ex speciebus usque adhuc recensitis, caulium extrema florida usurpari possunt. Johannes Bauhinus post Clusium curiosos admonet, Polium facillime ad talearum umbram excrescere, dummodo solum probe paratum sit.

Analyseos ope Polium montanum plurimum salis volatilis-aromatico-oleosi largitur, unde virtutem cephalicam ac anti-epilepticam mutuatur. Luteum quamvis usum Medicum habeat satis angustis limitibus constitutum, tamen magis existimatur, nobisque siccum fasciculis quibusdam affertur, eligendumque est optime floribus stipatum, coloris luteo-aurei, recenter duplici charta exsiccatum, odoris penetrantis, & aromatici, saporis amari, ac ingrati. Floridæ summitates, *Comæ polii*, aut *Polium comatum*, nuncupatæ, præcipue usurpantur, præsertim in alexipharmacis Veterum compositionibus, nempe Theriaca, & Mithridato. Specificum quoque reputatur adversus icterum, hydropem, ac animalium venatorum morsum: hac de causa foliorum, ac florum infusio ad modum Theæ usurpari solet, a qua etiam menses, ac urinæ cientur, obstructionesque reserantur. In Provincia vero adversus pertinaces ventris fluxus aquam, in qua Polium fuerit maceratum, propinare consuescunt, decoctionem vero ejusdem Enematis forma, magma autem extus infimo ventri.

Folia Polii lutei montani usurpari solent in aquis Generali, & Prophylactica *Pharm. Paris.* summitates vero in Theriaca, Mithridato, & *Hiera Diacolocynthidos* ejusdem *Pharmacopææ*.

℞. Summit. Polii ad umbram exsicc. Man ij. Superaffunde aquæ ebull. ℥ ij. Infusum per horæ quadrantem in vase clauso relinquatur. Propinetur mane jejuno stomacho, addendo parum Sacchari. Convenit autem in Ictero, affectibus capitis, & Epilepsia.

## POLYGALA.

Polygala, *Offic.* Polygala vulgaris, C. B. P. 215. *Inst.* R. H. 174. Polygalon multis, J. B. 3. 386. Polygala cærulea, purpurea, alba, *Tabern. Icon.* 831. Polygala, *Dod. Camer. Ger. Raii Hist.* 1335. Polygala minor, *Park.* Polygala recentiorum, *Lob. Clus.* Onobrychis tertia purpurea Dalemchampii, *Lugd. Hist.* 491. Polygala foliis lineari-lanceolatis, caulibus diffusis herbaceis, *Linn. Hort. Cliff.* 352. Amarella, *Gesn.* Onobrychis vera Dioscoridis, Polygala Græcorum, & Latinorum, Eugalacton, Flos ambravalis, *Quorumd.* vulgo, *Polygalon, herbe à lait.*

Ei radix est lignosa, dura, exilis, vivax, coloris albo-viridescentis, aut purpurei, gustus amari, & nonnihil aromatici. Plures vero emittit caules ad semipedis fere altitudinem, graciles, firmissimos, alios erectos, alios in terram stratos, rubro-virides, exilibusque foliis ornatos alternatim dispositis, ex quibus alia oblonga & acuta sunt, alia vero rotunda. Flores solitarii sunt, parvi, & spicæ in modum dispositi a caulium media parte, ad verticem usque germinantes, cærulei, aut violacei, aut purpurei, aut rubri, raroque admodum albi, cylindroque, basi clausa, vertice expanso, bifidoque constantur, quorum labium superius introrsum incisum est, inferius vero fimbriatum. Hisce succedit fructus, aut sacculus compressus, ac in duas cellulas seminibus oblongis refertas divisus, qui etiam a floris calyce quinque foliis donato obvolvitur, quorum tria exiliora sunt, bina autem majora, adinstar duarum alarum fructum amplectentia. Omnibus in locis rusticis, herbosis, elatis, aut montanis, incultis, desertisque crescit planta hæc, florescit autem Majo, Junio, & Julio, crediturque animalium ea lac adaugeri, qua potissimum de causa *herbe à lait* nuncupatur.

Polygala plurimum olei, ac phlegmatis, parumque continet salis. Gesnerus ob amaritem plantam hanc *Amarellam* vocat, asseritque laxante virtute præditam esse adeo, ut, si ejusdem Man. j. in Vino infundatur, bilis copia leniter, ac absque ullis torminibus extrudatur. *In actis Regiæ Scientiarum Academiæ anno* 1739. *pag.* 135. extat D. Duhamel Commentarium, in quo plurima refert experimenta a se ipso instituta, ut hujusce plantæ virtutes adversus pleuritidem, pectorisque fluxionem sibi innotescerent. Quibus observationibus evinci potest, Polygalam in plantarum bechico-incisivarum classe esse reponendam. Ejusdem enim decoctio in prædictis morbis sputus materiem, pectus infestantem incidit, expectorationemque adjuvat, quin etiam sanguinem coagulatum, ac in pleura irretitum attenuat, ac ad circularis motus leges reducit. Hæc satis miranda, ingens emolumentum revera præstare possunt, votisque omnibus exoptandum, ut repetitis experimentis confirmentur. Pleuritis, ac Peripneumonia morbi profecto sunt in arte Medica exhorrescendi, nihilque impensius inquirendum, quam quod ut remedia morbi periculum imminuentia probe cognoscantur. Consilium itaque celeberrimi Academici, cujus extant observationes, hac de re amplectendum est, & in morbis prædictis planta hæc vulgatissima usurpanda: felix namque eventus abunde fuit comprobatus, neque adhuc constat eamdem nocere potuisse. Quibus omnibus rationibus Medici ad eam præscribendam sufficienter allici possunt.

℞. Rad.

℞. Rad. Althææ lotar. ℥ ß. Plantæ integræ Polygalæ Man. j. Glycyrrhizæ ʒ ij. Affunde aquæ fervent. ℔ ij. Paulo post fiat Colatura, ptisana vero tepida propinabitur pro potu ordinario in pleuritide, pectorisque epiphora.

## POLYGONATUM.

POLYGONATUM, seu sigillum Salomonis, *Offic.* Polygonatum latifolium vulgare, C. B. P. *303. Inst.* R. H. 78. Polygonatum, vulgo sigillum Salomonis, J. B. *3. 529.* Polygonatum, *Matth. 954. Dod. Pempt. 345. Lob. Icon. 631. Ger. Raii Hist. 664.* Polygonatum vulgare, omnibus Provinciis familiare, *Clus.* Polygonatum vulgatius, *Eyst.* Frassinella, seu Fraxinella, *Cæsalp. 224. Anguill.* Convallaria foliis alternis, floribus ex alis, *Linn. Hort. Cliff. 124.* Polygonatum majus, sigillum Salomonis latifolium, Geniculata Genicella, seu Geniculum. *Quorumd.* vulgo *Sceau de Salomon*.

Radix longa, transversim in terræ superficie locata, digitum crassa, articulata, seu geniculata, statisque spatiis, conspicuis nodis, aut tuberculis, intersita, coloris albi, variegati, saporisque dulcescentis, plurisimisque stipata fibris emittit caules ad pedis cum dimidio, vel duorum pedum altitudinem, rotundos læves, ramulis destitutos, extremis nonnihil recurvis, odoris ingrati, si forte frangantur, aut in taleolas incidantur, pluribus ornatos foliis alternatim locatis, oblongis, latis, Lilii Convallii foliis æmulis, nervosis, atro-viridibus, lucescentibus in parte superna, glaucis vero, aut subcæruleis in inferna. Ex foliorum alis secus caulem brevibus appensi pedunculis, aut solitarii, aut bini, aut terni, plurimique eadem in costa locati flores enasci solent; eorum quisque campanulam veluti cylindraceam senis denticulis distinctam repræsentat, calyceque destituitur, coloremque album habet, extremis herbosis, aut viridescentibus, hisce vero baccæ admodum crassæ, baccis Hederæ similes, aut etiam majores, semi-rotundæ, molliusculæ, virides, aut purpureæ, aut sub-nigræ succedunt, in quibus plerumque tria semina, uti Viciæ semen crassa, ovalia, dura, atque alba occluduntur. Fere ubique in agro Parisiensi luxuriat planta hæc, nec non cæteris in provinciis, locisque umbrosis, juxta sepes, in nemoribus, sylvisque, in quibus radicibus huc illuc excurrentibus sponte multiplicatur, earumque nodi veluti impresso sigillo quodam distinguuntur; Majo, Junioque florescit, baccæque Augusto maturescunt. Radix vero frequentius in usum Medicum venit.

Sigillum Salomonis Chymicæ Analysi commissum nihil aliud præter liquores acidos, ac oleum ministrat, parumque terræ, salisque fixi, nihil vero salis volatilis ex eo elici potest. Folia insipida sunt, quidpiam habent glareosi, quodammodo nauseam excitantis. Radices autem dulces, acriusculæ, ac nonnihil glutinosæ, chartam cæruleam rubro colore languide imbuunt, folia vero eo minus. Glareosum phlegma, maxima olei portione, commixtum, in Sigillo Salomonis, tantum contineri videtur: Authorum omnium consensu uti vulnerario adstringens reputatur, & de facto ejus radices familiarissime adversus hernias usurpari solent; & D. Chomel in *Historia Plantarum usitatiorum* asserit frequenter cum successu eas infantibus exhibuisse. Qua de causa ℥ j. in taleolas incisa in ℥ viij. Vini albi, xxiv. horarum spatio, infundi solet, quod infusum deinde tribus, aut quatuor exilioribus cyathis de

die propinatur: repetendum quoque est duodecim, aut quindecim dierum spatio, eademque radix tusa, fascia herniæ coercendæ aptata, super affectas partes solet applicari. Pro adultis vero ℥ ß. noctis spatio in cyatho uno Vini albi maceranda est, ac infusum singulo quoque mane per mensem exhibendum, sique ægrum magis solari cupimus, eadem radix Cataplasmatis forma usurpanda. A Matthiolo Conserva ejusdem radicis adversus eumdem morbum plurimum existimatur, & a Palmero ejusdem infusum ex Cerevisia adversus arthritidem.

Quoad usum exteriorem radix hæc tusa, ac externe applicita adversus morsus, ac contusiones excellit. Ejus aqua distillata cosmetica est, faciem detergit, coloremque conciliat. S. Paulli, post Henricum Paulli ejusdem genitorem, affert Recipe, ut ajunt, quod optimum videtur, ac quondam prolatum fuisse fertur pro Austriacæ domus Principe.

℞. Rad. recent. Sigilli Salomonis, Bryoniæ, Asphodeli, Lilior. albor. Flor. Lilior. convall. Genistæ, & Levistici ana Man. j. Contusa infunde in cucurbita una cum Mellis albi despumati ℥ iiij. ac Vini albi ℔. ij. Fermentata usque ad putrefactionem distillentur B. A. omnia tribus repetitis vicibus cohobando, in cucurbitæ capitello Camphoræ ʒ iij. suspensis. Utiliter hæc aqua usurpatur ad Variolarum vestigia obliteranda, necnon ad cutim expoliendam, pulcritudinemque conciliandam. A Nonnullis etiam integræ plantæ decoctio in usum revocari solet ad scabiem, impetigenemque aliosque cutaneos morbos sanandos.

℞. Rad. recent. erasar. Sigilli Solomonis q. l. contunde in mortario marmoreo una cum æquali farinæ Fabar. portione, pro Catapsalmate super hernias quotidie innovando.

## POLYGONUM.

Centinodia, *Offic.* Polygonum latifolium, C. B. P. 281. *Inst.* R. H. 510. Polygonum, sive centinodia, J. B. 3. 374. Polygonum mas, *Dod. Pempt.* 113. *Matth. Fuchs.* Polygonum mas vulgare, *Ger. Raii Hist.* 184. Polygonum mas vulgare major *Park.* Sanguinaria, sive centumnodia, *Lob Icon.* 419. *Brunf.* Sanguinalis mascula, *Gesn. Hort. Cord. Cast.* herba Prosepinaca, a serpendo, *Apul.* Polygonum, *Linn. Hort. Cliff.* 150. Polygonon vulgatius, Polygonia, herba seminalis, heraclia, seu herculea, Clema, Polycarpon, Myrtopetalon, muris unguis, herois sanguis, Pedalion, Corrigiola, Heliobotanon sive solis herba, Lingua passerina, *Quorumd.* vulgo, *Renouée*, *Trainasse*, *Centinode*. *Corrigiole*.

Radice donatur satis crassa, si cum plantæ magnitudine conferatur, simplici, dura, lignosa, retorta, pluribus stipata fibris, difficulter e solo extirpandis, ac late repentibus, gustus adstringentis. Plures vero eicit caules pedem, aut pedem cum dimidio longos, graciles, rotundos, solidos, tenaces, quandoque erectos, sed plerumque repentes, ac in terram stratos, læves, plurimis refertos finitimis nodis, foliisque oblongis, angustis, acutis, glaucis, brevibus caudis appensis, ac alternatim dispositis. Flores ex foliorum axillis parvi, monopetali, ac quinquifidi exeunt, octo constantes staminibus albis, purpureis, aut rubris, extremis luteis, calyceque destitutis. Hisce semen subrogatur satis crassum, triangulare, Casteneæ coloris æmulum, propria capsula

psula obvolutum. Indiscriminatim in omnibus fere excrescit planta hæc incultis, aut sativis locis, & præsertim secus vias, plagasque frequentatas; inter vulgatiores recensetur, Æstate floret, ac toto fere anni cursu virescit, excepta Hyeme. D. Linnæus post Rajum observat, Centinodiam foliis magis, minusve elongatis, ac magis minusve angustioribus variare, & ab hisce varietatibus e soli diversitate præcipue productis, differentes species neutiquam constituendas esse.

Saporem habet glutinosum, & nonnihil acidum, eaque plurimum charta cærulea rubescit: Verosimillimum ergo erit Centinodiæ sal ad Alumen accedere, una cum exili salis Ammoniaci ac sulphuris quantitate permixtum: ope enim Chymicæ Analyseos plurimum acidi, terræ, ac olei, parum volatilis concreti, parumque fixi lixivialis salis elargitur. Centinodia adstringens est, vulneraria, atque ad omnes hæmorrhagiæ species sistendas aptissima tam interne, quam externe usurpata. Prostat in Officinis ejus aqua distilata, ab ℥ jv. ad ℥ viij. propinanda, quæque cum julapio aut potione vulnerario-adstringenti commiscetur. Folia vero in usum veniunt pro decotione Enematis forma in ventris fluxibus præscribenda; in dysenteria vero addi solent emollientes hærbæ, vel etiam eorumdem ex Late decotio. Ab hocce remedio D. Chomel in *Tractatu de Plantis usitatioribus* miros adeo effectus expertum esse testatur, ut ab eo veluti Specificum in hisce morbis reputetur. Succus quoque ad ℥ ij. vel ℥ iij. & ptisana, aut infusum in Vino rubro adversus dysenteriam, sanguinisque fluxus exhibetur. Camerarius cujusdam experimentum refert, qui a vomitu sanguineo, succo Centinodiæ in Vino generoso epoto, liberatus fuit. In narium hæmorrhagia decoctio ejusdem propinari, ac sub alis tetrimentum applicari solet. *In Ephemeridibus Germaniæ Decuria I. Anno III. pag.* 34. extat observatio VVedelii, qui asserit, plantam hance tusam, pratierque sub alis applicatam, excedentem hæmorrhoidum fluxum sedare. Notum præterea est vulneribus appositam, ea protinus sanare. In herniis quoque usurpatur, ac Schordero adnotante, compertum fuit adversus intermittentes febres hanc eamdem plantam, Epicarpii forma, rusticos adhibere.

Centinodiæ folia in syrupo Consolidæ, ac decoctione adstringenti *Pharmacopææ Parisiensis* usurpari solent, ejusque aqua distillata *in aqua styptica* ejusdem *Pharmacop.*

℞. Aquæ distill. Centinodiæ, & Plantaginis ana ℥ ij. Boli Armenæ, Terræ sigill. & Cretæ pp. ana ʒ ß. Syrupi Cydonior. ℥ j. M. pro potione adstringenti cochleatim capienda.

℞. Aquæ Centinodiæ, & Lilior. ana ℥ iij. Coralli rubri pp. Oculor. Cancror. pp. ana ℈ j. *Laudani Sydenham* gut. X. aut Xij. Syrupi Cydonior. ℥ j. M. pro Julapio anodino, ac adstringenti.

℞. Colcotharis, Aluminis usti, Sacchar. cand. p. ana ℥ ß. Infunde omnia in vase vitreo, & adde Aquarum Plantaginis ℥ iij. & Rosar. ℥ j. Misceantur probe, obtureturque phyala exactissime, serveturque pro usu. Aqua hæc a gut. X. ad gut. XX. cum ℥ ij. vel ℥ iij. aquæ Centinodiæ in sputo cruento, dysenteria, immodico mensium, hæmorrhoidumque fluxu, omnibusque aliis hæmorrhagiis a causa interna obortis usurpari potest: in narium vero sanguineo fluxu turunda hac aqua saturata in naribus ipsis intruditur, necnon in alicujus vasis ruptura splenium madefactum toties applicatur, quoties opus est.

# POLYPODIUM.

POLYPODIUM Quercinum vel quernum, *Offic.* Polypodium vulgare, C. B. P. 359. *Inst.* R. H. 540. *Park.* Polypodium, J. B. 3. 746. *Ger. Raii Hist.* 137. Polypodium majus, *Dod. Pempt.* 464. Polypodyum. I. *Lugd. Hist. Tabern.* Polypodium, Filicula, herba Radioli Apulei, *Lob. Icon.* 814. Polypodium fronde pinnata, foliolis lanceolatis integris ferrulatis alternis connata sessilibus, *Linn. Hort. Cliff.* 475. Polypodium vulgatius, Filicula dulcis sive quercina, Radix seu Radiculus dulcis, *Quorumd.* vulgo *Polipod de chesne.*

Radicem habet semipedalem, minimum digitum fere crassam in terræ superficie repentem, minutis fibris pilos æmulantibus, munitam, pluribus exiguis tuberculis, aut verrucis stipatam, fractu facilem, coloris externe atri, aut sub-rubri, interne vero viridescentis, gustus sub-dulcis, ac nonnihil aromatici, denique parumper acerbi, ac stiptici. Folia vero emittit Filici mari similia, exiliora tamen, profunde ad centrum usque incisa in partes longas, & angustas, dorso, tecto veluti quodam pulvere adhærenti, ac sub-rubro, in quosdam exiguos acervos congregato. Pulvis hic microscopii examine perscrutatus fructuum plantæ collectio videtur esse, aut baccæ sphericæ, ac membranosæ sese in duas partes aperientes, veluti pixis saponaria, e sui cavitate semina nonnulla, minuta, flava, ac reniformia, seminibus Medicæ pene similia emittentes. Planta hæc, quæ in Capillarium classe solet enumerari, ( quæ scilicet nunquam florem emittunt ) germinat in sylvis, vallibus, montibus umbrosis, inter saxa musco obtecta, ac super veterum arborum truncos, Fraxini nempe, Fagi, Coryli, Alni, necnon in domuum ruderibus. Ejus præcipue radix in usum Medicum venit; excellentior tamen, magisque commendata recencetur ea, quæ reperitur in Quercuum basi contorta, inque locis, in quibus caulis in furcam dirimitur. Recens, probe enutrita, crassa, & fractu facilis est seligenda, ac filamentis antequam usurpetur spolianda; inepte enim a nonnullis Polypodium in Quercu enascens veluti species diversa reputatur. Planta hæcce per totum anni curriculum virescit, ac fere semper colligi potest. Vere, Aprili scilicet nova emittit folia, ac juxta observationem Cæsalpini radicis appendices nihil aliud sunt, quam foliorum singulis annis decidentium vestigia.

Radix Polypodii Analysi commissa plures acidos liquores, nonnihil spiritus urinosi, nullam vero salis volatilis, concreti portionem, plurimum olei, parumque terræ elargitur. Antiqui plantam hanc purgantem crediderunt; verum compertum deinde satis fuit, eamdem ignave admodum ventrem laxare, ac jure, meritoque inter alterantes, ac aperientes esse reponendam. De facto Polypodium hepaticum revera est, jecur recludit, viscerumque reserat obstructiones, ac ut plurimum in jusculis aperientibus usurpatur. Ejus autem radix ab ℥ ß. ad ℥ j. præscribi solet. Rajus refert, radicem hanc exsiccatam & cum pauca cremoris Tartari ac Cassiæ ligneæ quantitate exhibitam, optimum esse remedium adversus lienis obstructiones, icterum, ac hydropem. Ejus vero decoctio cum Vino parata, nonnihil Sacchari, ac Mellis addito, a Trago maxime existimatur in febri quartana, & affectione melancholica. Dodonæus adversus arthritidem radicem hanc in aqua ebullitam præscribit, ac magnopere in usum venit secus Rhenum ac Mosellam adversus prædi-

ctum

ctum morbum. Polypodium præterea sanguinis æstum temperat, ac cum successu in tussi sicca, quum potissimum sputus materies salsa est, in asthmate, ac scorbuto usurpari solet.

Ploypodium in plurimis compositionibus adhibetur, & præcipue in Catholico, Lenitivo, Confectione *Hameck*, Diapruno, Unguento de *Arthanita Pharmacopææ Parisiensis*: folia vero in pulvere adversus rabiem *ejusdem Pharmacopææ*.

℞. Rad. Polypod. Quercini rasar. & contus. ℥ j. Lapathi sylvestris ℥ ß. Chelidonii maj. ʒ ij. Coque cum ℔. ß. juguli vervecini in ℔. iij. aquæ, reducanturque ad doses ij. Adde ultimo semihorio Folior. Scolopendræ, Chærophylli, & Cichorij amari ana Man. j. Fiat Colatura levi expressione ac divide in ij. p. æ. quarum una mane, jejuno stomacho, altera vesperi, quindecim dierum spatio, propinabitur. Pro unaquaqua dosi solvatur Arcani duplicati ʒ ß. ac Tartari Martialis solub. ℈ j. Juscula prædicta apta nata sunt adversus hepatis, lienisque obstructiones, affectus hypochondriacos, morbosque cutaneos.

℞. Rad. Polypod. Quercini, & Cuscutæ ana Man. j. Ebulliant in aquæ ℔. ij. ad tertiæ partis consumptionem; adde postea Sennæ mund. ℥. j. Cremor. Tart. ʒ ij. Sem. Anisi ʒ j. Ebuliant denuo omnia parumper; Fiat Colatura levi expressione. Adde Syrupi de Pomis simplicis ℥ j. pro Apozemate solvente, adversus Cakexiam, Icterum, ac primarum viarum depravatum fermentum.

## P O P U L U S.

POPULUS magna arbor est, cujus tres sunt species vulgatissimæ, Nigra scilicet, Alba, ac Tremula. Primæ duæ tantum, quæ frequentius videlicet a Medicis usurpari solent, hic a nobis describentur.

Populus nigra, *Offic.* C. B. P. 429. *Dod. Pempt.* 836. *Inst.* R. H. 592. *Ger. Park. Raii Hist.* 1417. Populus nigra, sive αἴγειρος, J. B. 1. 155. Populus secunda, *Anguill. Turn.* Populus foliis deltoidibus acuminatis serratis, *Linn. Hort. Cliff.* 460. Aigyros sive Ægiros, *Nonnull.* vulgo *Peuplier noir*.

Ejus radix satis profunde in terram immersa Vere ineunte primum surculos, aut foliorum germina fere Capparis æmula, oblonga, acuta, luteo-viridia, crasso, glutinoso, aut resinoso, facile digitis adhærescente succo referta, Odore satis grato propellit, quæ *Oculi* seu *Gemmæ Populi nigræ*, Gallice vero, *Yeux de Peuple, ou Peuplier noir*, nuncupantur. Germina hæc eadem sive gemmæ in folia quædam lata, Hederæ folia primum erumpentia, veluti æmulantia, acuta, minus tamen densa, ambitu nonnihil denticulato longis caudis, ac minutis appensa expanduntur. Arbor hæc autem sterilis, sive mas est, ac flores tantum, absque ullo fructu; aut fertilis sive fœmina flores fructusque defert: unde in truncis, aut individuis diversis mares, fœmineosque flores gestare solet. Flores Populi nigræ maris oblongi sunt, cylindracei, squammosi, veluti in spicam quamdam dispositi, octo brevissimis staminibus, onustis apicibus quadrangularibus, magnis, repletis pulvere, coloris sub-rubri, aut sub-albidi. Fructus vero Populi nigræ fœminæ sunt capsulæ quædam oblongæ, aut ovales, membranaceæ, virides, in quosdam racemos dispositæ, maturescendo sese bifariam recurvantes, & aperientes,

pluraque ovalia, parva veluti crista ornata semina occludentes. Arbor hæc magna, est crassa, erecta, cortice, expolito sub-albido in ramis præcipue obtecta, lignea substantia pallida, aut lutescente, dura, compacta, & levi. In locis humidis, aquaticisque, prope flumina rivulosque facillime crescit. Ejusdem oculi, seu gemmæ odoræ, Aprili, aut citius, flores vero Majo, ac Junio apparent.

Germina Populi nigræ interne, aut externe a Medicis usurpari possunt. Tinctura quoque ex iis ope spiritus Vini elicitur, quæ juxta D. Tournefortium, ad pertinaces ventris fluxus sistendos, internaque ulcera consolindanda, optima, atque excellens est, a ʒ ß. vel ʒ j. mane, ac sero in jusculi calidi cochleari. Prædicta quoque germina in Unguento *Populeo*, cujus descriptio præsto est in omnibus Pharmacopæis, adhibentur, & revera ad dolores sedandos aptissimum est. Cum ejusdem compositione radices Brioniæ, summitatesque Rubi admiscentur. Linimenti forma in hæmorrhoidum externarum inflammatione, & enematis ab ℥ ß. ad ℥ j. in decoctione emollienti, adversus easdem internas usurpatur; tempora quoque eo inunguntur ad capitis dolorem compescendum, ac ad somnum conciliandum in vigiliis perticioribus: caute admodum tamen in usum revocabitur, ac generalibus antea præscriptis remediis, necnon ægri temperamento probe perspecto: aliter enim symptomata morbo debellando longe pejora in promptu esse possent.

Folia Populi nigræ tusa, partibusque, doloribus arthriticis, affectis applicata, eosdem sedant juxta Nonnullos. Usurpatur etiam hujusce arboris lignum ob fibrarum, ac linearum elegantiam, ad diversa vermiculata opera conficienda.

Unguentum *Populeum*, Balsamum hypnoticum Unguentum adversus scabiem, ac Hæmorroidale *Pharm. Paris.* ingreditur.

℞. Florior. Malvæ, Althææ, Acanthi, Verbasci ana M. ß. Ebull. in ℔. iij. aquæ fontis ad medias; colaturæ adde Unguenti Populei ℥ j. pro Enemate adversus dysenteriam, tenesmum, hæmmorrhoidesque internas.

℞. Succi Solani, & Geranii Robertiani ana ℥ iij. Plumbi usti ℥ j. Unguenti Populei ℥ ij. Omnia macerentur, misceanturque in mortario plumbeo exactissime cum ejusdem metalli pistillo pro Unguento adversus tumores, & ulcera carcinomatosa.

℞. Ceræ luteæ, Unguenti Populei ana ℥ iiij. Olei Nucis ℥ viij. Liquetur cera, ac deinde adde Unguentum Populeum, probe omnia commiscendo, Oleum inde superaffundendo, ut Unguentum adversus adustiones aptissimum efformetur.

℞. Unguenti Poqulei ℥ j. Olei Oliv. & Balsami tranquill. ana ℥ ß. Tincturæ Anodynæ gut. XX. M. pro Linimento adversus hæmorrhoidum externarum dolores.

*Alterum adversus eumdem morbum Linimentum.*

℞. Unguenti Populei ℥ ij. Thuris masculi p. ʒ j. ß. Testarum Ostrearum p. s. q. cum prædicto Unguento admiscendam.

Populus alba, *Offic.* Populus alba majoribus foliis, C. B. P. 429. *Inst.* R. H. 592. Populus alba λεύκη J. B. 1. 160. Populus alba, *Dod. Pempt.* 835. *Ger. Park. Raii Hist.* 1418. Populus alba latifolia, *Lob. Icon.* Farfarus Antiquorum, *Bellon.*

Popu-

Populi prima ſpecies, *Anguill.* Populus foliis ſubrotundis dentato-angulatis ſubtus tomentoſis, *Lin. Hort.Cliff.* 460. Populus candida, Populus Heraclea, Arbor admirans, ſeu bicolor, Albarus, ſive Albara, Farfora *Nonnull.* vulgo *le Peuplier blanc*, *l'Obeau*, *Aubel*, *ou Obel*, *l'Orme blanc des Pariſiens*.

Radicem habet ſeſe in terræ ſuperficie expandentem, minuſque profunde deſcendentem, unde a ventorum impetu ſæpe numero arbor concutitur, ac omnino evertitur, truncum vero eminentem pluribus ramis ſtipatum, cortice lævi, compacto, ſub-albido. Folia lata ſunt, profunde inciſa, anguloſa, Vitis aut Aceri foliis proxima, & exiliora, viridia, polita, ac ſuperne lanugine omnino deſtituta, ſubtus alba, ac tomentoſa, adinſtar Tuſſilaginis, longiſque caudis appenſa. Flores, fructuſque diverſis in truncis enaſcuntur, ac præcedentibus omnino ſimilantur. In locis humidis, ac juxta aquas colitur; & citiſſime creſcit, facile quoque multiplicatur taleis, quamplurimoſque in baſi ſurculos, ut aliæ Populi ſpecies, emittit quo magis radices latius in ſoli ſuperficie vagantur. Hinc caute admodum, ac prudenter Populus in pratis coli debet, radicibus enim ſeſe maxime propagantibus innumera eorum ramalia, herbis omnibus languorem inducunt.

Injurius Veteres opinabantur, arborem hance omnino ſterilem eſſe, ac tractu temporis in Populum nigram ſponte immutari. Populus ubique fere invenitur; Alba vero, reſpectu Nigræ minus familiariter uſurpatur. Plinius poſt Theophraſtum aſſerit, folia Populi albæ adhuc adoleſcentia perfecte ſphærica eſſe, ſeneſcentia vero, anguloſa deprehendi, quod utique verum eſt, e contra vero Hederæ folia angulos ſenſim emittunt, ac poſtremo rotundandantur. Quod vero ab iiſdem Authoribus additur, ſcilicet immediate poſt Solſtitium Æſtivum folia Populi albæ ſurſum, deorſumque retorqueri, nos cum Rajo omnibuſque recentioribus fide dignis, fatemur, id nunquam obſervaſſe. Ejuſdem lignum iiſdem uſibus utilis eſt, ac alterius ſpeciei lignum; quum autem minus ſolidum, leviuſque deprehendatur, plurimum ad ſoleas ligneas, & talos calceamentorum conficiendos æſtimatur. Hinc facile elicitur cur a Tornatoribus, æque ac Populus tremula requiratur. Ut plurimum experientia confirmatur, ut innuit Theophraſtus, quod ſcilicet, ſi Populus grandeſcens ac arboreſcens transferatur, eo facilius expandatur.

Et ſi Populus alba minus ſit a Medicis uſurpata, ſuos tamen uſos habere poteſt. Schorderus aſſerit, ejuſdem corticem, vi detergenti pollere, ac Iſchiadi, urinæque difficultati ejus decoctionem, ℥ j. in aquæ ℔ iij. aut ejus pulverem, ʒ j. cum Melle, aut cum aliquo competenti ſyrupo commixtum, eſſe dicatum; Rajus in aurium doloribus, ſuccum ex ejuſdem foliis expreſſum, ac in auris cavitatem injectum præſcribit. Dioſcorides, ac alii poſt ipſum quamplurimi, Populus albæ cortici optimos fungos progignendi facultatem tribuerunt, ſi præſertim eo in fruſtula ſecto terræ probe ſtercoratæ conſpergantur.

## PORRUM.

PORRUM, *Offic.* Porrum commune, Capitatum, C. B. P. 72. *Inſt.* R. H. 382. Porrum, J. B. 2. 551. *Dod. Pempt.* 688. *Part. Raii Hiſt.* 1126. Porrum Capitatum, *Ger. Fuchs. Turn*, Porrum commune, *Matth. Lugd. Hiſt.* Por-

rus

rus Communis, seu Capitatus, Scorodoprasum, Gethyllis seu Gethyum, *Nonnull.* vulgo, *Porreau ou Poireau.*

Radix quatuor aut quinque digitos longa, pollices vero, unum, aut duos crassa, fere cylindracea, pluribusque conflata tunicis albis, lævibus, lucidis, simul una conjunctis, inferne capillitio stipatis, sapore Cepa dulciori, sese extollendo, abit in folia pedem longa, sat s lata, alternatim sita, plana, fistulosa, dilute-viridia, saporis Cepæ. Hæc inter ad quatuor, aut quinque pedum altitudinem, digitum & ultra crassus, firmus, solidus, succoque plenus erigitur caulis, apice insigne acervum, sive parvorum alborum ad purpureum accedentium florum fasciculum sustinens, qui singulis sex bracteis, in lilium dispositis, pediculoque appensis, pari staminum latorum, & cylindraceorum numero conflantur. Hisce præsto sunt fructus fere rotundi, triangulares, nigri, interne tribus distincti cellulis, pluribus oblongis seminibus plenis. Universa planta odore Cepa minus penetranti scatet; Julio floret, semenque Augusto maturescit. Porrum inter vulgatiora oleracea ubique recensetur, solumque pingue, probeque stercoratum exposcit: nemini inde latet hujusce usus in pultibus, & jusculis. Juxta Jo: Bauhinum ejus semen trium annorum spatio servari potest.

Porrum plurimum olei, nec non salis essentialis, sive volatilis continet. Diligenter in hortis olitoriis colitur, quum potissimum magis in alimentis, quam in arte Medica usurpari soleat.

Ab omnibus fere Authoribus inter perniciosa alimenta recensetur, tamen nostris in regionibus, in quibus usitatissimum est, pravos affectus ipsi tributos progignere numquam compertum est. Non ita facili digestione in stomacho subigitur, flatusque quandoque concitat, ob phlegma viscosum, lentumque in ipso contentum, quod facile longa coctura, antequam comedatur attenuari potest; tuncque senibus, phlegmatico temperamento, humoribus tenacibus, crassisque præditis convenit.

Porrum urinas, menses, semenque sale suo acri, incidente, ac penetrante excitare solet; fœcundasque reddit mulieres, viscositates vasa uteri infarcientes discutiendo. Eo Hippocrates in morbis mulierum, tam interne, quam externe utebatur; hujusce magni viri vestigia subsecutus Jacobus Prevostius in mensium suppressione Porrum, frustulis pluribus radicis Hellebori nigri perforatum, & coctum jejuno stomacho ante purgationum tempus præscribebat. Nonnulli etiam in Asthmate humido, morbisque pectoris a viscida pituita ortum ducentibus, Porri syrupum adhibent. Omnibus praeterea notum est, juscula cum Porris, & Napis confecta in vocis abolitione, & ad thoracem roborandum usurpari.

Porri semina vim habent diureticam; tusa, & in Vini albi cyatho infusa ℥ j. ad urinas ciendas exhibentur.

Quoad vero exteriorem hujusce usum, sub cineribus Brassicæ folio, obvolutum concoquitur; statimque lateri dolore affecto in Pleuritide applicatur, vel in sartagine frixum, stupis complicatum, optimoque aceto conspersum. Porrum crudum tusum, tumoribusque articulorum applicatum, eos dissipat, in Lacte ebullitum ad hæmorrhoides turgidas, ac dolentes fovendas, ejusque magma ad eas præsertim mitigandas, inservit. Hujusce praterea injectus succus aurium tinnitibus medetur.

℞. iij. vel jv. Porrorum medullam, coquatur sub cineribus Brassicæ folio obvo-

obvolutam, deinde contundatur, & adde Croci pulv. pug. j. ac Olei rosat. parum ad Cataplasma conficiendum hæmorrhoidibus turgidis, ac dolentibus applicandum.

℞. Medull. Porri ℥ iij. Frigatur Olei Chamæmill. s. q. Furfuris triticei Man. j. Fœcum Vini albi ℥ iij. M. pro Cataplasmate calide applicando, lateri in Pleuritide.

## PORTULACA.

PORTULACA genus plantæ est, cujus duæ sunt vulgatiores, usitatioresque species, nempe Sativa, & Sylvestris.

Portulaca sativa, *Offic.* Portulaca latifolia, seu sativa, C. B. P. 288. *Inst.* R. H. 236. *Raii Hist.* 1039. Portulaca hortensis latifolia, J. B. 3. 678. Portulaca sativa, *Dod. Pempt.* 661. Portulaca domestica, *Matth. Ger.* Portulaca hortensis, *Park. Gesn. Horn.* Portulaca latioribus foliis, *Cæsalp.* Portulaca, seu Portulata major. Porcellana hortensis, Porcastrum sativum, Andrachne, sive Adrachne domestica, *Nonnull.* vulgo, *Pourpier des jardins, la Pourcellane, ou Pourcelaine a larges fevilles.*

Radicem habet ut plurimum simplicem, nonnullis fibris stipatam, tractuque temporis lignosam, quæ plures emittit pedales caules, crassos, rotundos, quandoque erectos; quandoque solum versus inclinatos, sub-rubros, teneros, succulentos, læves, lucentes, sese in quosdam ramulos dividentes, foliaque circumferentes alternatim locata, oblonga, vel fere rotunda, satis lata, crassa, carnosa, expolita, lucentia, sub-albida, aut sub-lutea, viscosa, ac nonnihil acidiuscula. Ex foliorum alis parvi lutei, aut pallidiusculi exeunt flores quinquepetali, rosacei, calyce monopetalo, quoquo modo mitram referente suffulti. Hisce fructus, vel capsulæ oblongæ, herbosi coloris, parvas urnas æmulantes succedunt, quæ transversim, aut orizontaliter bifariam aperiuntur, recipiuntque plurima minuta, & nigra semina. In omnibus fere hortis olitoriis, soloque pingui, probeque stercorato colitur planta hæc. Alia quoque sativa Portulacæ species invenitur foliis latioribus, ac sub-luteis, parvisque aureis maculis notatis, qua de causa *Portulaca aurata* nuncupatur. Rajus dubitat, utrum hæc species differat a præcedenti, aut simplex sit varietas: certissimum est, addit idem Author, hanc altera longe esse delicatiorem. Portulaca viridis vulgaris omnium prima seritur, minime enim frigore lædi potest, scilicet Martio, ac Aprili ineunte, quandoque etiam Februario, potissimum tempestate mitiori, atque ad Autumnum usque virescit. Magnopere quum in culinis, tum a Medicis usurpari solet; præcipue vero ejus recens caulis, folia, ac semen.

Portulaca sylvestris, *Offic.* Portulaca angustifolia, sive sylvestris, C. B. P. 288. *Inst.* R. H. 236. Portulaca sylvestris minor, sive spontanea, J. B. 3. 678. Portulaca sylvestris, *Dod. Pempt.* 661. *Matth. Ger. Park. Raii Hst.* 1039. Portulaca sponte nascens. *Card. Hist.* Portulaca exigua, sive Andrachnion arvense, *Camer.* Portulaca angustioribus foliis, *Cæsalp.* Portulaca foliis Cuneiformibus verticillatis sessilibus, floribus sessilibus, *Linn. Hort. Cliff.* 207. Portulaca agrestis sive arvensis, Andrachne sive Adrachne sylvestris, minor, altera, sive agria, *Nonnull.* vulgo, *le petit Pourpier sauvage.*

Simplex radix, parva, fibrisque donata, plures emittit parvos caules rufescen-

feſcentes, varioſque in ramulos diviſos, prope ſolum ſtratos, nec non foliis ſuffultos latiuſculis, carnoſis, denſis, ſuccolentis, atro-viridibus, ſaporis viſcoſi, acidulique; uno verbo foliis Portulacæ ſativæ ſimilibus, & anguſtioribus, uti & flores: juxta enim Johannem Bauhinum Portulaca ſylveſtris in alio a ſativa non differt, præter omnium ſui partium exilitatem, ac merito ſuſpicari poſſumus, ſativam a ſylveſtri, naturam cultura, immutante, ortum duxiſſe. Frequentiſſime in hortis, areiſque conſpicitur, quin etiam in ſabuloſis, incultiſve terris, prope magnas vias, in quibus ſponte naſcitur. Quamvis vero Portulaca ſylveſtris non adeo, uti ſativa, in pretio habenda ſit, in hac enim poſtrema, & caules, & folia carnoſa magis, ſuccoque turgidiora, gratioriſque ſaporis reperiuntur, tamen, tam Culinario, quam Medico uſui ambæ inſerviunt, Sylveſtriſque jure, ac merito Sativæ locum occupare quandoque poteſt.

Portulaca plurimum olei, ac phlegmatis, ac fere nihil continet ſalis, interque refrigerantes recenſeri ſolet, nam ſanguinem depurandi, pectoris acrimoniam edulcorandi, ſcorbuticam affectionem demulcendi, vermeſque enecandi vim habet. Admiſceri ſolet juſculis refrigerantibus, acetariiſque, in quibus difficile admodum a ſtomacho ſubmittitur, flatuſque concitat; ſolummodo ergo juvenili ætate, ac temperie ſicca, & bilioſa conſtitutis conveniet. A Nonnullis etiam, ut diutius ſervari poſſit, aceto, ac ſale conditur. In Officinis vero præſtant aquam diſtillatam Portulacæ, quæ ad ℥ iij. vel jv. in febrili fervore ad ſanguinis, ſpirituumque irruptionem compeſcendam, exhiberi ſolet. D. Chomel *in Hiſtoria Plantarum uſitatiorum*, hanc, aſſerit, ſæpiſſime, in hæmorrhagiis, præſertim uterinis, uſurpaſſe. Optima quoque hæc aqua æſtimatur adverſus lumbricos, ſemperque cum ſucceſſu pueris hoc morbo affectis propinari ſolet. Ejus etiam ſuccus prædicta doſi, ejuſque ſyrupus in Officinis fumigeratiſſimus ab ℥ j. ad ℥ ij. eumdem edunt effectum: ſuccus idem ad ignem ad Extracti conſiſtentiam inſpiſſatus ʒ j. aliquo temporis ſpatio repetitus a nonnullis Authoribus, ad renum, ac veſicæ glareas expellendas, commendatur. Portulacæ folia manſa dentium dolorem mitigant, præſertim ſi auſteris fructibus fuerint debilitati. Portulacæ ſemen inter minora quatuor frigida aſtipulatur, quæ ſunt Lactucæ, Portulacæ, Endiviæ, ac Cichorii.

Portulacæ ſemina uſurpari, ſolent in Electuario de *Pſyllio*, ac *Requie Nicolai*, Diapruno, Confectione Hyacinthina, ac pulveribus Diarrhodon contra vermes. *Pharm. Pariſ.*

℞. Rad. Oxylapati, & Fragariæ ana. ℥ j. Coque cum ℔. ß. carnis vitulinæ in aquæ ℔ iij. ad duos hauſtus reducendis. Adde extremo ſemihorio Fol. Portulacæ, Borraginis, & Bugloſſi ana. Man. ß. nec non Lactucam fruſtulatim inciſam. Fiat colatura levi expreſſione, ac duas in partes dividatur potio refrigerans congruo temporis ſpatio reiteranda, mane, jejuno ſtomacho, ac ſero.

Adde vero pro unaquaque doſi Nitri puriſs. ℈ j.

℞. Aquar. Portulacæ, Scordii, Tanaceti ana. ℥ iij. Corall. pp. ac Seminis contra ana ℈ j. ß. Theriacæ ʒ j. Extracti Juniperi ʒ ß. Salis Ammoniaci, ac Gemmei ana ℈ j., Syrupi Limon. ℥ j. M. pro potione vermifuga pro binis doſibus.

*Alia*

*Alia Potio contra vermes.*

℞. Aquæ Portulacæ ℥ vj. Semin. contra ʒ ß. Myrrhæ p. & C. C. usti ana. ℈ j. Pulveris viperini gr. xv. Syrup. Absinthii ℥ j. M. pro potione chocleatim exhibenda.

℞. Aquæ Portulacæ, & Cichorii ana. ℥ iij. Corall. rub. pp. ac Ocul. Cancror. pp. ana ℈ j., Chinæ Chinæ p. ʒ j. Syrup. Capill. Vener. ℥ j. M. pro Julapio, in sputo sanguinis perodice reccurrente, convenientissimo.

℞. Aquæ Portulacæ ℥ jv. Præcipitati albi ʒ ß. Croci gr. xii. M. pro Linimento exsiccante, in quo penna ter de die immergetur, ad faciei impetiginem, aut papulas exsiccandas.

## PRIMULA VERIS.

Primula Veris, *Offic.* Verbasculum pratense, odoratum, C. B. P. 241. Primula Veris odorata, flore luteo, simplici, J. B. 3.495. *Inst.* R. H. 124. Primula veris major, *Ger. Raii Hist.* 1081. Herba Paralysis, *Bruf. Cast.* Paralysis vulgaris, pratensis, flore flavo simplici odorato, *Park. Parad.* Primula veris flavo flore elatior, *Clus. Hist.* 301. Primula veris flore luteo, *Eyst.* Primula pratensis, *Lob. icon.* 567. Arthritica, *Gesn. Hort.* Arthritica simplex luteo flore, *Camer. Hort.* Alisma pratorum, *Columell.* Dodecantheon, *Anguill.* Arthritica prior, seu viola Tusculana, *Ruell.* Primula foliis dentatis rugosis, *Linn. Hort. Cliff.* 51. Verbascum odoratum, *Fuchs.* & *Antiquorum.* Herba Paralyseos, Herba, seu Clavis Sancti Petri, Paralysica sive Arthetica, Chelidis seu Chelidium, Flos quadragesimalis, Bracæ, Brachæ seu Brachulæ Cuculi, *Quorumd.* vulgo, *Prime vere*, *Primerole*, *Fleurs de Coucou.*

Radicem habet satis crassam, squammosam, sub-rubram, fibrosam, saporis nonnihil adstringentis, odoris grati, ac aromatici. Ineunte Vere folia emittit oblonga, lata, rudia, rugosa, in terram strata, glabra, aut lanugine brevissima, ac vix quidem conspicua ornata. Hæc inter unus, aut plures eriguntur caules, palmaris altitudinis, & ultra, rotundi, nonnihil villosi, foliisque destituti, & firmi, in quorum apicibus flores simplices, venustissimi, lutei, odori, tubulares, superna parte expansi, ac quinque emarginatis segmentis distincti, fasciculo sustinentur, umbellati quoque sunt, sexque septem, duodecim, & aliquando etiam vigintiquatuor, & ultra numerantur, abeuntque in fructus ovales, calyce obtectos, plura semina rotunda, aut angulosa minuta, ac nigra refferantes. Planta hæc, cujus sapor nonnihil acer, ac amarus est, juxta Johannem Bauhinum fere ubique crescit in arvis, pratisque humidis, nemoribus, ac sylvis, in quibus Vere vix quidem incipiente apparet, unde Primula Veris fuit nuncupata. Hæc quoque suas habet varietates, non minus, quam species alia flore albo, ac ad septem usque a Rajo cum Parkinsono reducuntur. Folia, ac præcipue flores in usum Medicum veniunt.

Hujusce plantæ flores Analysi commissi, plurimum acidi, parum spiritus urinosi, nihil salis volatilis concreti, maximamque olei, ac terræ portionem largiuntur. In iis vero sal volatile aromatico-oleosum satis moderatum continetur, unde bene apti ad Spirituum influxum adjuvandum, nervos-

que

que roborandos, censeri solent. Præstant in officinis Aquam distillatam, & Conservam Primulæ Veris, cum successu in Apoplexia, ac Paralysi, præsertim linguæ, ejusque hæsitantia, usurpandam. Aqua ab ℥ jv. ad vj. solitaria præscribitur, Conserva vero ab ℥ ß. ad ℥ j. plerumque autem Potionibus, aut Opiatis hisce morbis convenientibus admisceri solent. Distillationis ope spiritus quoque elicitur iisdem præditus facultatibus, ad hunce autem probe eliciendum, flores sale communi sunt inspergendi, ac fermentationi priusquam distillentur per dies aliquot relinquendi. Horum quoque florum Infusum in aqua fervent ad modum Theæ præscribi solet, Pugillo nempe uno in aquæ ℥ vj. aut Man. ß. in jusculo vitulino. Nonnihil somniferi in hac planta contineri, observatum fuit, eo quod sedat vapores, dissipat hemicraniam, ac vertigines a suppressis mensibus præcipue productas. Rajus refert, foliorum, ac florum succum æquali portione vaccini lactis commixtum capitis inveteratum ac pertinacem dolorem sanasse, testaturque etiam cum D. Hulse Radicum decoctionem in convenienti liquore optimum remedium esse adversum vertiginem.

Quod ad externum Primulæ Veris usum ejus flores Cataplasmatis forma, efficacissimi deprehenduntur adversus arthriticos dolores, ac articulationum morbos. Bartholinus ait, paralyticum in sinistro latere sanasse fomento, e spiritu ope Tritici elicito, in quo Primula Veris ebulliverit. Schorderus veluti optimum remedium deprædicat, acetum infusione hujusce plantæ radicum saturatum, ad dentium dolores sanandos, dummodo naribus inspiretur. Florum succus, aut aqua distillata faciem, maculasque cutaneas linimenti forma detergit.

Flores autem Primulæ Veris in Aqua Generali *Pharm. Paris.* usurpari solent.

℞. Fol. Salviæ, Fol. ac Flor. Primulæ Veris, Flor. Chamæmel. Tiliæ, & Rorismarini ana Man. j. Superaffunde Aquæ ℔. jv. Infusa omnia relinquantur bihorio in Cinerario calido cooperto vase. Fiat inde colatura per linteolum forti expressione, qua calida caput bis, terve in die foveatur, in Paralysi, morbis capitis, & Hemicrania a frigida, ut ajunt, ac viscosa pituita productis.

℞. Fol. Melissæ, & Betonicæ ana Man. ß. Summit. Gallii lutei, Stechados, ac Florum Primulæ Veris ana pug. ij. Ebulliant in aquæ ℔. iij. ad ℔. ij. colentur postea expressione, & adde Syrupi Stechados ℥ j. ß. pro decoctione adversus Paralysim, Rheumaticos, aliosve nervorum affectus a causa frigida oriundos, cyathis quatuor tepidis de die propinatis.

℞. Aquæ stillatitiæ Primulæ Veris, Melissæ, ac Flor. Tiliæ ana ℥ j. ß. Sp. volat. C. C. gut. X. Succin. pp. ℈ ß. Pulveris de Gutteta ℈ j. Confectionis Hyacinthinæ ʒ j. Syrupi Beton. ℥ j. M. pro potione Cephalica cochleatim sumenda in Apoplexia, & Paralisi.

℞. Fol. ac Flor. Primulæ Veris, Betonicæ, ac Rorismarini ana Man. ß. Florum Caryophylli, ac Liliorum Convall. ana pug. j. Infunde in tribus sextariis optimi Vini rubri super cinerarium calidum pro Gargarismate pluries de die repetendo in linguæ Paralysi.

PRU-

# PRUNUS.

PRUNUS arbor est adeo ubique nota, ut in Europa nostris hisce diebus hortus non sit, in quo optima aliqua Pruni species non inveniatur: Duæ generaliter distinguuntur, *Domestica* una, altera vero *Sylvestris*; quum vero alio in loco de Pruno sylvestri, sermo jam sit institutus, Prunum domesticam hic solummodo describemus.

Prunus sativa vulgatissima est, ideoque pluribus haud est delineanda: Radicem habet satis longam, in plures divisam ramos, lignosam, robustam, serpentem, nigricantem, quæ caulem mediocriter altum, & crassum, satisque firmum, lignoque conflatum duriusculo, sub-rubro, centrum versus emicante, in truncis præcipue vetustioribus, ad varia vermiculata opera conficienda aptissimo, ideoque a tornatoribus expetito, cortice tectum cinereo, ad atrum accedente, scabro, e quo quandoque exsudat Gummi fulvum, ac sub-albidum, pellucidum, sub-dulce, saporisque neutiquam ingrati. Folia ut plurimum foliis Mali exiliora sunt, arctiora, longiora, magisque nigricantia: glabra etiam, crenatis marginibus, saporis amari, & adstringentis. Flores ut in Pruno sylvestri albi sunt, at majores, ac folia præcedentes; horum quisque petalis conflatur quinque, rotundis, magnis, apertis, rosaceis, calyce poculum referente, quinquifido, ac vigintiquinque, vel triginta staminibus constante. Hisce præsto sunt carnosi fructns rotundi, aut fere ovales longitudinali fissura præditi, plus, minusque longis caudis appensi, sub tenui tunica pulpam mollem continentes, in cujus centro locatur nucleus osseus, planus, rotundos, ac fere ovalis, apicibus cuspiformibus, ac sulcatus, occluditque semen, sive amygdalam.

Fructus Pruni veræ sive sativæ *Prunum* Latine nuncupatur, Gallice vere *Prune*. Infinitus fere Prunorum tam cultura, quam industria productorum numerus invenitur, ac invicem figura, crassitie, substantia, colore, ac sapore differunt. Oblonga enim, rotunda, ovalia, acuta, ac pyriformia conspiciuntur; crassa quoque, media, ac exilia; mollia, quorum humidior substantia nucleo adhæret, dura, quorum siccior nucleo facile separatur, quæque generaliter melioris notæ recensentur; alia vero mediam inter prædicta locum tenent; alba præterea, viridia, lutea, rubra, cærulea, nigra, ac atro-cærulea; dulcia, acida, ac mediæ naturæ, sive acido-dulcia, alia denique aspera, sive acerba. Ex hisce ut plurimum accidentibus Prunorum bonitas nec tollitur, nec augetur peroptima, ac exprobranda Pruna in unaquaque figuræ, crassitiei, ac coloris specie inveniuntuntur. In Prunis omnibus pulpa magis, minusque lutescens est, quod nihil refert. Damascena præ ceteris facilius a nucleo divelluntur, quorum numerus maximus est, relate saltem ad denominationum numerum pro minima quaque discrepantia. Pruna, inter fructus excellentissima, ac exquisitissima reputantur, variisque modis excoli possunt, sylvulæ scilicet, ac arbustatarum arborum more, omnibusque aliis rationibus horti cultoribus famigeratissimis, melius tamen arbustatarum arborum in modum excrescunt. Post Julium per totum usque Octobrim, & ultra Pruna adsunt in Pomariis, ac elegantem secundis mensit ornatum suppeditant: ante Solis ortum sunt colligenda; ac recentia, exsiccata, cocta, aut condita edi possunt. Usitatissima sunt, saccharoque diversis

versis rationibus condiuntur, quinimmo iis condimenta parantur, ac eorum exsiccata pulpa in massam pro variis usibus congeri solet.

Prunus arbor est, quæ insertione, nucleo, sive amygdala, & surculis, e radice aut sponte prodeuntibus multiplicatur. In unaquaque Pruni specie etiam sylvestri inseri potest, in Ceraso præterea, Malo Persica, & Amygdalo: Optima autem præ omnibus Prunorum ac Malorum Persicarum speciebus, Prunus Damascena nigra, & *S. Juliani* recensentur, hæc enim innumera germinant surcula, quæ facile interseri possunt, gratiorem habent saporem, diutiusque perdurant. Immittuntur vero aut fissura, aut scutula. Sancti Juliani nuncupata melius scutula multiplicatur, ejusque fructus copiosiore succo turgescit, Damascena vero nigra exsucca magis esse solet, minoremque fructuum edit copiam. *La Cerisette* inter Prunos præcocior est; S. Juliani in arbore flaccescit, & ad Hyemem usque moratur, Sanctæ Catharinæ, pluresque aliæ Prunorum species surcula facile, fructuumque copiam absque insertione suppeditant. Prunus solum magis siccum, quam humidum, magisque sabulosum, quam forte expostulat; cæterum Prunus ubique, reperitur, facile crescit, ac plurimum pullulat quocumque locetur. Prunus autem in arena nigra citius adolescit, copiosiores, meliorisque notæ fructus producit; segnior e contra est in terris fortioribus, ramosque tantum progignit. Cujuscumque speciei Pruni Vere ut plurimum florescunt, Aprili scilicet, & Majo, uti Cerasus, ac Pyrus.

Diversas Prunorum species curiosis cognitas hic loci describere haudquaquam idoneum reputamus, si enim de singulis sermo quantumvis brevissimus institueretur, in adeo magno numero sese offerunt, ut integro volumini materiem præberent: meliores igitur exquisitioresque, solummodo indigitabimus, uti sunt sequentes.

Pruna magna, dulcia, atro-cærulea, C. B. P. 443. Prunus fructu magno, dulci, atro-cæruleo, *Inst.* R. H. *622.* Pruna Damascena, *Lugd. Hist.* 314. vulgo, *Le gros Damas noir, ou la Prune De S. Cyr, ou le gros Damas violet de Tours.* Facile a nucleo abscedunt, optima sunt, ac fertilissima; cruda ac passa comeduntur. Eorum pulpa laxans est, ac in Diapruno usurpari solet, cujus est basis præcipua.

Prunus fructu ovato, maximo flavo, *Inst.* R. H. 622. Pruna subrotunda flavescentia. Pruna Domini, Parisiensium, vulgo, *le Perdrigon de Cernay, le double Damas ou Passevelours.* Venustissima, satisque crassa sunt, luteo-cærulea, præcocia, facile abscedentia; non adeo exquisitum saporem habent in agro Parisiensi, eoque minus in regionibus frigidis; excellunt vero in climate calido, ut in Galliæ meridionalibus provinciis.

Pruna coloris ceræ ex candido in luteum pallescentis, C. B. P. 443. Prunus fructu cerei coloris, *Inst.* R. H. *622.* Pruna cerea, sive Cereola, *Tabern. icon.* 991. Pruna Sanctæ Catharinæ vulgo. Alba sunt, crassa, magisque plana, quam longa; nucleo ut plurimum adhærescentia, ac optima. Passa quoquo magnopere æstimantur.

Pruna rotunda, flava, dulcia, mali amplitudine, C. B. P. 443. Prunus fructu maximo, rotundo, flavo, & dulci, *Inst.* R. H *622.* Pruna rubicunda instar mali Armeniaci, vulgo, *Le Damas gris, la Prune d'Abricot ou Abricotée.* Alba sunt, crassa, rotunda, ac per maturitatem quidpiam rubri acquirentia ad Mala Armeniaca, minora accedunt; exquisitissimum, ac recreantem præ cæteris saporem habent.

Pru-

Pruna ex flavo rufescentia, mixti saporis gratissima, C. B. P. 443. Prunus Brigoniensis, fructum suavissimo, *Inst.* R. H. 623. Pruneola, Brignolæ, Pruna Brignolina Briolensia seu Brignolensa. Præcedentibus exiliora sunt dulute rubra, ad flavum accedentia, pulpa firmiori prædita, uti Cotoneum, cortice Mali Medicæ conditæ, vel Armeniacæ exsiccatæ, æmulo, nonnihil acida, ac vinosa, a febricitantibus impense expetita, si enim aut leviter in aqua cocta, aut cruda ingurgitentur, refrigerant, ac humectant, nobis vero in quibusdam fiscinis acervatim ad modum Passularum, ac Ficuum pingium e *Brignole* in Provincia meridionali, sita afferuntur, hinc etiam nomen traxerunt. Veluti exquisitiora, salubriora, ac sapidiora a Pena & Lobellio reputantur, ideoque Damascenis Prunis alias adeo in pretio habitis anteferenda.

Prunus fructu majori, virescente, suavissimo, *Juss.* Pruna Claudina vulgo, *la Reine Claude*. Crassioris albi Damasceni species rotunda, nonnihil plana, quadrata, & serotina, pulpa prædita firma, ac densa, e nucleo abscedit, cæterisque dulcior est.

Pruna parva ex viridi flavescentia, C. B. P. 443. Prunus fructu parvo, ex viridi flavescente, *Inst.* R. H. 623. Pruna parva, serotina, cereola, *Gesn.* Pruna mirabilia vulgo, seu Mire Bella. Exilioris albi Damasceni species fertilissima, ac prædulcis, e nucleo abscedens; semper optima esse solent, condita vero magis quam cruda in pretio habentur. Quamplurima alia Pruna, quamvis longe minus exquisita, non omnino tamen contemnendam addi possent, quod supervacaneum penitus reputamus. Modo itaque Prunum a Medicis usitatiorem describemus. Hic tamen solummodo præmittemus, Rajum cum Schvvneckfeldt unam tantum Pruni speciem statuere vel saltem existimare, hunc fere infinitum ac adeo decantatum differentium specierum merum, nihil aliud esse, quam varietatem fortuito figura, crassitie, nusubstantia, colore, sapore, ac maturationis tempore productam: accidentia omnia a semine, & fortasse etiam a cultura emanantia, quotidie enim novæ Prunorum veteribus incognitæ apparent species. Quare juxta laudatorum Authorum placitum Prunis, æque ac Pomis, & Pyris accidit, quamtumvis enim numero excrescant, nihil inde aliud esse possunt, quam unius, ejusdemque speciei varietates. Ultro fatemur, sententiam hance nobis verosimiliorem videri; tamen quum Jo. Bauhini contrarium asserentis authoritatem quam maxime veneremur, litem adversus tantos Adversarios dirimere non audebimus, curiosis magis illuminatis hujusce quæstionis decisionem libentissime relinquentes.

Pruna Damascena, *Offic.* Pruna parva, dulcia, atro-cærulea, C. B. P. 443. Prunus fructu parvo, dulci atro-cæruleo, *Inst.* R. H. 622. Pruna Damascena nostratia, *Bellon.* Pruna parva dulcia atrovirentia, Pruna Syriaca, Brabyla seu Badrya & Madria cognominata, Pruna Passa seu Rugosa, *Nonnull.* vulgo, *le Prunier de Damas*.

Radicem habet serpentem, ac profundam, caulemque emittit in plures divisum ramos mediocris altitudinis, ac crassitiei. Folia oblonga sunt, rotunda, latissima, in margine leviter denticulata. Flos vero quinquepetalus, rosaceus, atque albus, qui tandem in mediocrem, rotundum, carnosum, tunicaque nigra contectum fructum facescit, ejus autem pulpa sub-rubra est, succolenta, nucleo abscedens, odoris satis suavis, saporisque dulcis, ac grati; nucleus parvus, oblongus lignosus, ac durissimus, exiguam amygdalam fere rotundam, aut ovalem refferans, saporis haud ingrati, & amaricantis.

Arbor hæc in hortis frugiferis coli solet; floret autem, Vere uti Pruna cætera, ejusque fructus Autumnum versus maturescunt. Crassiores autem, probe enutriti, maturi, recentes, saporis, odorisque jucundi, sunt seligendi, utpote qui sæculis omnibus celebrati; a Veteribus quoque usurpabantur, cratibus repositi, Solisque calore exsiccati, quemadmodum hisce diebus mos adhuc viget. Cæterum, quamvis asserat Dioscorides, Pruna hæc exsiccata ventrem constipare, constanti tamen experientia, confirmata fuit sententia Galeni asserentis, ea, inter laxantia, esse reponenda. Appellantur vero Damascena, primum enim e Damasco urbe Syriæ principe allata fuerunt.

Pruna parum olei, plurimum salis essentialis, ac phlegmatis continent. Quæ a nobis ut plurimum in alimentis usurpantur, humectantia, sunt laxantia, ac emollientia; Pruna enim sylvestria adstringendi vi pollent, ac alibi sub nomine *Acaciæ nostratis*, vel *Acaciæ Germanicæ* descripta fuerunt. Pruna dulcia hic loci potissimum examinanda, in plures dividuntur species, præcipuumque secundis mensis ornatum suppeditant, aut cruda, aut sacchаro condita, ac præ cæteris, Sanctæ Catharinæ, Claudina, Mirabilia, Pruna Domini Parisiensium, & Rubicunda instar Mali Armeniaci, aliaque nonnulla. Refrigerantia sunt, sitim compescunt; appetitum cient, junioribus, stomacho præsertim sicco, ac calido præditis, ac temperamentis bilosis, & sanguineis plurimum juvare solent; lædunt e contra debilioribus, ac difficili digestione laborantibus, quum enim vim habeant laxantem, eo magis ventriculum debilitant, fluxusque ventris progignunt, qui tandem in Dysenterias sæpe degenerant. Senibus ergo, ac pituita abundantibus sunt interdicenda; experientia præterea compertum est, tempestatibus Prunis ditioribus, Dysenterias, Febresque putridas familiarius, in populo præsertim, grassari, eo quia iis immodice, ac fere solis plebs enutritur: præterquam quod vermis facile in Prunis intruditur, a quo eorum qualitas alteratur, aptaque fiunt ad viscosam in primis viis saburram progignendam, morbos contumacissimos quandoque inferentem. Moderatus itaque eorum usus esse debet, ac maturiora, intaminata, recenter, ac ante Solis ortum collecta legenda sunt. Pluribus Prunorum speciebus gratissima condimenta parantur, furno quoque exsiccantur præcipue in Turrena, ubi plura simul eodem involucro artificiose colliguntur, ut venustiores, succulentiores, sapidioresque evadant. Pruna hæc passa, Hyeme per totam Galliam distribuuntur, & præsertim Quadragesimali tempestate usurpantur; carnosa vero, mollia, & sapida sunt eligenda, iisdemque, ac Pruna, donantur virtutibus.

Species autem usque adhuc a nobis, sub nomine parvorum Damascenorum nigrorum, descripta, & pro Prunis passis potissimum adhibita, uti dulcior cæteris præfertur pro Electuario *Diapruno* Officinarum tam simplici, quam composito. Diapruni simplicis dosis est, ab ℥ j. ad ℥ j. ß. quum viscera sunt emollienda, ac alvus leniter reseranda. Compositi vero, quadam Scammonii, Diapruno simplici, addita quantitate, ab ℥ ß. ad ʒ vj. nec ultra. Omnibus quoque notum est, decoctionem Prunorum passorum, infusionum purgantium sæpe basim constituere, in primis pro puerulis; pravum enim eorum odorem corrigit, purgantisque vim auget.

Sæpe in quibuscumque Prunis, eorumque fructibus, Gummi album, pellucidum, & diaphanum, Gummi Prunorum nuncupatum, reperitur, quod a Mercatoribus Gummi Arabico, cui plurimum colore, ac vi similatur, admisceri

sceri

ſceri ſolet, valetque ad ſolvendum calculum, adverſus Colicam nephriticam, nec non ad humectandum thoracem, ſputumque excitandum, pulveris, aut mucilaginis forma.

Pruna in Electuario Diapruno, Confectione Hamech, ac Lenitivo *Pharm. Pariſ.* uſurpatur.

℞. Decot. Fol. Malvæ, Parietariæ & Naſturt. Aquat. ℔ j. Diſſolve Diapruni Simplicis ℥ j. pro Enemate emolliente, ac laxante.

℞. Elect. Diapruni ſolutivi ℥ ß. Pulv. Cornachin. ℈ j. Syrupi Flor. Malor. Perſic. ℥ j. Diſſolve in cyatho calidæ pro Potione purgante, mane jejuno ventriculo propinanda.

℞. Diaprun. ſimp. ℥ ß., Tabell. de Citro ℥ ß., Salis Vegetebalis ʒ j. Fiat ſolutio in cyatho decoctionis Cichorii ſylveſtris pro potione purgante.

℞. Diaprun. ſolut. ℥ ß. Chinæ Chinæ p. ʒ vj. Rhabarbari, Salis Abſinthii, & Salis *Glauberiani* ana. ʒ j. M. cum ſ. q. Syrupi Flor. Malor. Perſic., F. Opiata febrifuga, ac purgans, ʒ j. ß., nebula excepta, ter de die, repetenda in febribus intermittentibus.

℞. Prunor. paſſor. ℔ ß. Folior. Sennæ mund. ʒ ij. vel iij. Ebulliant in duobus aquæ cyathis ad medias, coletur poſtea liquor linteolo forti expreſſione pro potione purgante, mane jejuno ſtomacho, exhibenda.

## PSEUDO-ACACIA.

ACACIA vulgaris, *Offic.* Pſeudo-Acacia vulgaris, *Inſt.* R.H. *649.* Arbor ſiliquoſa, virginenſis, ſpinoſa, Locus noſtratibus dicta, *Park. Theatr.* 1550. Acacia Robini flore odorato, J. S. *Elſch. Mentz. ind. 3.* Robinia *Car. Linn. Gen. Pl. 349.* Acacia arborea Americana, Acacia magna flore quaſi mali aurantiæ odoratiſſimo, Acacia falſa, Acacia adulterina, ſeu ſpuria, *Nonnull.* vulgo *Faux-Acacia.*

Radix craſſa, longa, ſerpens, luteſcens, ſaporis dulcis ad Glycyrrhizam accedentis, caulem conſpicuæ altitudinis, & craſſitiei, in plures diviſum ramos propellit, foliis oblongis, in eadem caulis parte, binis ſimul locatis, extremo impari claudente, floribus venuſtis admodum, longis, leguminoſis, ſive papilionaceis, albis, ſpicæ in morem diſpoſitis, mitis, ac grati odoris florum Mali Aurantiæ æmuli, quibus ſiliquæ longiuſculæ, planæ, læves, bifarium ſeſe aperientes, ac nonnulla reniformia ſemina continentes ſuccedunt Nec Bauhinus, nec Rajus arborem hanc in Virginia, & agro Annopolitano ſponte creſcentem, & inde nobis advectam agnoverunt; modo vero ubique fere in hortis colitur: quamvis enim e tam longinquis regionibus allata, temperatioribus tamen adeo aſſuevit, ut hodie penitus vulgatiſſima ſit, Vereque flores edendo, magnopere viſum delectet. Juxta D. Lemeryum, Acacia primum in Galliam translata fuit ex America cura, *D. Robini*, ac in horto Regio Pariſienſi locata, ubi hiſce quoque diebus craſſa, magna, ac robuſta conſpicitur, qua potiſſimum de cauſa *Acacia Robini* ab ipſo nuncupatur, e qua etiam Acaciæ omnes Pariſiis profluxerunt.

Quondam ambulacra, cameratæque vineæ ex hac arbore ſæpenumero conficiebantur; citiſſime enim creſcit, commodiſſimaque umbracula miniſtrat, nunc tamen Hippocaſtani gratia parum curatur, utpotequæ facile evertitur, ſcabroſum corticem habet, parvas frondes, nec læte virentes, ramos præte-

rea non ſatis flexibiles, verticemque ſæpenumero decompoſitum, quo frequenter amputato arbor quam maxime deformatur. Hiſce potiſſimum rationibus a politioribus hortis exulatur, ac quibuſdam tantum in atriis ob fragrantem odorem ab ejus flore exalante, nonnumquam toleratur. Leve, ac nonnihil pingue diligit ſolum, ſemineque abſque magna cura propagatur, eademque ratione colitur, ac Hippocaſtanum, quondam quoque perquiſitiſſimum, modo autem fere neglectum; adeo fortunæ favor in plantis etiam inſtabilis depræhenditur. Acaciæ lignum colorem habet luteum, ſatis venuſte varium, a tornatoribus pro ſellis conficiendis uſurpatum.

Perexiguum, Arbor hæc, uſum Medicum habet; quum autem pauco, abhinc tempore in Gallia innotuerit ad ejus proprietates evulgandas ſedulo incumbere poſſumus: ejus enim flores, qui fere ſoli in uſum revocantur, veluti anti-hyſterici reputantur, extatque in Officinis aqua ex his floribus ſtillatitia ab ℥ jv. ad ℥ vj. uſque in Potionibus, ac Julapiis convenientibus adverſus vapores propinanda. Lemeryus addit, emollientes, laxantes, aperientes, ac reſolventes eſſe, radicem eſſe pectoralem, ac jure arborem hance, *Glycyrrhizam arboreſcentem* poſſe nuncupari, in alio enim ab ea non diſcrepat, niſi quod arbor ſit, Glycyrrhiza vero herba. *In hiſtoria Plantarum*, Boerhaavio tributa, poſt Robinum, aſſeritur, hujuſce Acaciæ folia ebullita, ac expreſſa, adinſtar Sennæ, cathartica vi donari, ab aliis vero veluti roborantia, ac refrigerantia commendari, ac in Dyſenteria præſcribi; ab iis tamen magni dolores, ac flatus concitantur.

## P S Y L L I U M.

QUum PSYLLII omnes cognitæ ſpecies iiſdem proprietatibus præditæ cenſeantur, de binis ſequentibus tantum ſponte in noſtris regionibus excreſcentibus, ſermonem inſtituemus.

Pſyllium perrenne, *Offic.* Pſyllium majus, ſupinum, C. B. P. 191. J. B. 3. 513. *Inſt.* R. H. 128. *Raii Hiſt.* 882. Pſyllium alternum, *Matth. Caſt. Tabern. Lugd. Hiſt.* Pſyllium majus, *Cæſalp.* Pſyllium majus, ſemper virens, *Park.* Pſyllium ſemper virens Lobelii, *Ger.* Pſyllium Plinianum forte, radice perenni, ſupinum, *Lob. Icon.* 437. Pſyllion, ſeu Pſylleris, Cynocephalion, Cynomion, Cynomuya, vel Cynomya, cryſtallium, Herba Pulicaris, ſive Pulicaria, *Nonnull.* vulgo, *Herbe aux Puces vivace.*

E radice longa, lignoſa, dura, capillitio ſtipata, caules exſurgunt ſarmentoſi, lignoſi, ramoſi, reptantes, foliis referti oblongis, anguſtis, mucronatis, ſatis venuſte in ceſpite congeſtis, hirſutis dilute-viridibus. Parva capita, ſive ſpicæ breves ſummis caulibus locantur, eiſque parvi lanuginoſi flores, dilute-lutei adnectuntur, efformanturque cylindro vertice patulo, quadrifido, & cruciformi. Hiſce fructus, ſive capſula membranoſa, bicellularis ſuccedit, occluditque ſemina minuta, oblonga, ſub-nigra, tactu lævia, lucentia, Pulicum tum figura, cum colore æmula; unde hoc Plantæ genus Pſyllium vocitatur. Species uſque adhuc a nobis deſcripta frequens agri Monſpeſſulani incola eſt, nec non calidarum, incultarum, ſabuloſarumque regionum, ac ſecus mare luxuriare quandoque ſolet. In hortis quoque colitur ſeminis a Medicis uſurpari gratia; Junio, & Auguſto floret; ſemen vero Autumno colligitur, eligendumque eſt recens, nutritum, mundum, tactuque læve.

Psyllium annuum, *Offic.* Psyllium majus, erectum, C. B. P. 191. J. B. 3. 513. *Inst.* R. H. 128. Psyllium, *Dod. Pempt.* 115. Psyllium vulgare, *Park. Raii Hist.* 881. Psyllium, sive Pulicaris herba, *Lugd. Hist.* 1172. Psyllium minus, *Cæsalp.* Psyllion vulgatius, *Nonnull.* vulgo, *l' Herbe aux Puces annuelle.*

E radice annua, simplici, alba, fibrosa, unus aut plures propelluntur caules fere pedales, & ultra, erecti, rotundi, villosi, firmi, circumquaque ramosi, foliis binis invicem oppositis, stipati, Hyssopo, & Dracunculo ferme similibus, angustioribus, hirsutis, ac, adinstar Plantaginis, nervosis, quandoque leviter crenatis. Ex foliorum alis, pedunculi exeunt longi, gracilesque, quorum extremis spicæ breves locantur, pluribus conflatæ floribus parvis, pallidis, præcedentis speciei proximis, quibus pariter membranaceæ capsulæ subsequuntur, maturescendo sese horizontaliter aperientes, ac duo plerumque semina referantes plana, oblonga, lucentia parva, uno verbo Pulicum emula. Psylli hujuscemodi species vulgatior est, abundeque in incultis, siccis, sabulosisque locis, & in arvis vitibus feracioribus crescit. Frequentissime in agro Parisiensi reperitur. Rajus post Johannem Bauhinum inquit, caulium, ac ramorum summitates tactu pingues, ac viscosas esse, universamque plantam sapore amaro, absque manifesto ullo odore scatere.

Analyseos Chymicæ ope plurimum olei, ac terræ, nihil salis volatilis concreti, parum spiritus urinosi, pluresque acidos liquores Psyllium largitur. Ejus sal, corallino sali similatur; ammoniaco tamen, magnæque sulphuris, terrestriumque partium copiæ admiscetur. Semen solummodo in usum Medicum venit. Ex eo, aqua Rosarum, Portulacæ, aut Plantaginis, mucilago elicitur ad sanguinis sputum, dysenteriamque sistendam aptissima, nec non ad oculorum inflammationes, & palati, uvulæ, aliarumque partium inflammationes compescendas. Neoterici quoque mucilaginem hance uno ore, tamquam refrigerantem, ac temperantem deprædicant, solusque Mesuæus inter Veteres, abditam quamdam, malignamque acrimoniam eædem tribuendam esse censet, unde juxta ipsum internus ejusdem usus nonnihil esset pertimescendus; tamen innocuum experientia demonstravit. Schorderus, Tournefortius, aliique Professores in clysmatibus adversus Tenesmum, Dysenteriam, Renumque inflammationem proponunt. Prosper Alpinus, in sua *Medicina Ægyptiorum*, in ea regione adversus ardentes febres usurpari testatur. Præscribitur etiam felici cum successu in urinæ ardore aqua, in qua Psylli semen noctis spatio fuerit maceratum: quare hisce omnibus auctoritatibus ejus usus comprobatur. Præterea contra oculorum inflammationes plurimum prædictam mucilaginem Chesneau commendat, præsertim si una cum seminum Cydoniorum mucilagine, ope, aquæ Rosarum, aut Plantaginis elicita, parum Camphoræ, aut albuminis ovorum quassati addito, copuletur.

Eadem mucilagine, aqua Rosarum parata, ac pauco aceto roborata, Frontale conficitur contra cerebri rheumaticas affectiones accommodatum: aut etiam succo Betæ, vel aqua Rosarum eadem mucilago diluta per nares attrahitur. Hoc ipso semine Electuarium *de Psyllio* conficitur, in quo potius ad Purgantium acrimoniam corrigendam, quam ad eorumce efficaciam augendam inservit.

Psyllii mucilago usurpatur in Trochiscis de Camphora, de Karabè, ac *de Gordon Pharm. Paris.* Semen vero *in Requie Nicolai* ejusdem *Pharmacopææ.*

℞. Mucilag. Psyllii, ac Cydonior. aqua Rosar. & Plantag. elicitæ, ana. ℥ j.
Album. Ovor. quassat. N. j. & Camphoræ gr. v.

Probe omnia misceantur pro Collyrio adversus oculorum inflammationes.

℞. Hordei integri ℥ ß. Rad. Althææ, & Sem. Psyllii ana. ʒ j. Ebulliant in aquæ ℔ ij. ad medias. M. postea colaturæ adde albumen ovi aqua solutum, Sacchar. cand. ʒ j. Mellisque rosat. ℥ ß. pro Gargarismate adversus Aphthas oris, & œsophagi.

℞. Iris pulv. ℥ j. Amyli ℥ ij. Sacchar. albiss. ℥ iij. Mucilag. Sem. Psylli q. s. pro conficiendis Trochiscis adversus Tussim.

℞. Succini pp. ʒ vj. Corall. rubr. pp. Sanguinis Draconis ac Gummi Tragacanthi ana. ʒ ij. Succi Hypocistidis, & Acaciæ ana. ʒ iij. Mastich. ʒ j., Opii ℈ j. M. cum q. s. Mucilag. Sem. Psyllii pro Trochiscis conficiendis contra sanguinis sputum, ac hæmorrhagias.

## PULMONARIA.

Inter diversas plantarum species, quæ Pulmonariæ nomine nuncupantur, tres præcipue in usum Medicum veniunt; primo scilicet Pulmonaria latifolia, secundo Pulmonaria angustifolia, tertio Pulmonaria Gallorum vocata, iisdem proprietatibus, ac duæ præcedentes prædita, quamvis genere toto cælo discrepanti.

Pulmonaria latifolia, *Offic.* Symphytum maculosum, sive Pulmonaria latifolia, C. B. P. 259. Pulmonaria Italorum ad Buglossum accedens, J. B. 3.595. *Inst.* R. H. 136. Pulmonaria vulgaris maculoso folio, *Clus. Hist.* 169. Pulmonaria maculosa, *Ger. Raii Hist.* 488. Pulmonaria latifolia maculosa, *Park.* Pulmonaria foliis radicalibus ovato-cordatis, *Linn. Hort. Cliff.* 44. Pulmonaria seu Pulmonalis maculoso folio, Pulmonaria maculosa Borraginis folio, Pulmonaria Recentiorum, Britannica putata, Symphitum sylvestre maculatum, Baccharis seu Salvia Hierosolymitana, Buglossum Theophrasti, Herba cordis, Lac Sanctæ Mariæ, *Nonnull.* vulgo, *la grande Pulmonaire.*

Radice est alba, fibrisque, uti radix Hellebori, suffulta, nonnihil tamen magis conspersis, & quandoque crassioribus, saporis satis viscosi. Unum tantum, aut plures effert caules, ad pedis fere altitudinem, angulosos, hirsutos, ad purpureum colorem, & ad Buglossum accedentes. Ex foliis vero alia depressiora ac in terram strata e radice exeunt, alia vero cauda destituta caulem amplectuntur: Singula tamen oblonga sunt, lata, acuminata, per longum nervo stipata, molli lanugine superne, inferne, ac in marginibus prædita, maculisque sub-albidis, ut plurimum, hac, illac conspersa. Flores summis caulibus plures simul collecti brevibus pedunculis sustinentur, suntque totidem tubuli in vertice expansi, quinquifidi, coloris quandoque purpurei, quandoque violacei, ac nonnunquam mixti, calyceque suffulti, tubulo pariter efformato, ac in quinque acuta segmenta plerumque diviso, hisce tandem præsto sunt semina quatuor fere rotunda ad Buglossi semen accedentia, calyceque conclusa. Planta hæc in sylvis ac nemoribns, locisque montanis ac umbrosis crescit; ac vulgaris est juxta D. Chomelium in Alpibus, Pyreneis, altisque montibus. In hortis quoque colitur; Vere conspicitur, statimque flores edit, Martio scilicet & Aprili. Folia Autumno pereunt, radix autem vivax est. Post Casparem Bauhinum observat Rajus, ejusdem folia varia esse, quandoque maculis albescentibus conspersa, quandoque iisdem omnino destituta, flores præterea plerumque cæruleo purpureos

reos esse, raro albos: addit inde, Anglos suos, planta hac adinstar leguminis sæpe uti, vocarique ab iis *Salviam Hierosolymitanam*, *aut Bethelemiticam*. J. Bauhinus quoque asserit, Pulmonariam nostram, inter legumina recenseri, ac ejusce foliis a mulierculis juscula, ac ovorum intrita alterari, ab iis enim adversus pulmonum affectiones, & ad cor roborandum utilia reputantur.

Pulmonaria angustifolia, *Offic.* Pulmonaria angustifolia, rubente cæruleo flore, C. B. P. 260. Pulmonaria rubro flore, foliis Echii, J. B. 3: 597. Pulmonaria foliis Echii, *Lob. Icon.* 586. *Inst.* R. H. 136. *Ger. Emac. Raii Hist.* 489. Pulmonaria angustifolia, *Park. Parod.* Pulmonaria Plinii angustifolia, *Tabern. Icon.* 558. Pulmonaria quinta Pannonica, *Clus. Hist.* 170. Pulmonaria foliis radicalibus lanceolatis, *Linn. Hort. Cliff.* 44. Pulmonaria minor vulgaris, *Quorumd.* vulgo *La petite Pulmonaire*.

E radice fibris satis crassis, & carnosis, ut in Pulmonaria latifolia, primum sub-albidis, inde nigricantibus, saporis dulcis, ac penetrantis, unus, aut plures exeunt caules fere pedales, angulosi, hirsuti, ac quandoque purpurei, foliis oblongis, angustis, lanuginosis, Buglossi sylvestris aut Viperinæ foliorum æmulis, nonnihil tamen mollioribus, lanugineque minus hispida tectis, cauda destitutis, caulemque amplectentibus. Summis autem caulibus enascuntur flores, quorum quisque inodorus tubulo in vertice expanso, ac quinquifido efformatur, coloremque habet purpureo-cœruleum, satis elegantem, cui præsto sunt semina quatuor semi-rotunda, calyce conclusa, laciniis quinque disecto, ac vesicæ in modum turgescente. In omnibus fere locis, in nemoribus, & sylvis cæduis, abditis, umbrosis, montanisque in locis crescit planta hæc agri Parisiensis incola, ac Vere primum accedente apparet, diutiusque flore decoratur. Folia præterea ut plurimum maculis albis referta sunt.

Pulmonaria Gallorum, *Offic.* Hierarcium murorum, folio pilosissimo, C. B. P. 129. *Inst.* R. H. 471. *Raii Hist.* 239. Pilosella major quibusdam, aliis Pulmonaria flore luteo, J. B. 2. 1033. Pulmonaria Gallica, sive aurea, *Tabern. Icon.* 194. Hierarcium murorum Bauhini, quod est Pulmonaria Gallorum Lobellii, *Park.* Pulmonaria Gallica, sive aurea latifolia, *Ger. Emac.* Hierarcium Caule ramoso, foliis radicalibus ovatis dentatis, Caulino minore, *Linn. Hort. Cliff.* 388. Auricula muris major, Pilosella major Gallorum, Pulmonaria Gallica mas, Solidago Serracenica, Corchorus Theophrasti & Plinii, Hepatica, Hyoseris, *Nonnull.* vulgo, *l'Herbe a l'Epervier*.

Radix longa, crassa, geniculata, sub-rubra, fibrosa, vivax, succo lactiginoso, amaroque fœta, unum aut plures propellit caules ad cubiti, vel pedis cum dimidio altitudinem, aliquanto graciles, hirsutos, ac in plures ramusculos, divisos. Folia vero e radice exeunt in terram strata, sinuosa præcipue caudam versus, sub-viridia superne, ac villosa, lanuginosa inferne, ac sub-albida, magnis, elegantibusque nigricantibus maculis conspersa, saporis amari, & nitrosi. Summis caulibus enascuntur lutei flores squammoso calyce innixi, quibus plurima, oblonga, minuta, lanuginosa, ac nigricantia semina succedunt. E vetustioribus muris, sylvisque umbrosis, locisque abditis, & incultis, ut plurimum planta hæc conspicitur, ac in agro Parisiensi; Junio, Julioque floret, quandoque etiam citius. Magnæ in morbis Pulmonum, ac præcipue in Hæmoptysi a Gallis efficaciæ recensetur, unde etiam nomen mutuatur.

Saporem ſub-ſalſum, viſcoſumque habet ac papyrum cæruleum ſaturate rubro colore tingit. Magnam phlegmatis, oleique partem continet, & nonnihil ſalis eſſentialis. Non exiguam temperandi vim habet, ac inter vulnerarias, & conſolidantes enumeratur. In ptiſanis, aut juſculis vitulinis tres adhuc recenſitæ ſpecies indiſcriminatim uſurpantur adverſum thoracis morbos, præcipue quum ſputum ſalſum, aut purulentum apparet, nec non adverſum hæmoptoycos, ac phthiſicos. Utiliſſimus quoque contra eoſdem morbos ſyrupus paratur ab ℥ j. ad ℥ ij. in apozematibus, potionibus, ac ptiſanis pectoralibus præſcribendus. Pro hoc autem conficiendo radices una cum foliis uſurpari ſolent.

Tota vero planta in Syrupo *Roris Solis* compoſitio, folia autem in Syrupo Teſtudinis *Pharm. Pariſ.* abdhibentur.

℞. Hord. q. ſ. ebull. ℥ j. Fol. Pulmonar. & Hederæ terreſtr. ana Man. j. Jujubas N. xij. Paſſul. minor. mund. ℥ ß. Dactyl. ac Ficuum ping. ana N. ij. Flor. Tuſſillag. & Papav. rubr. ana pug. ij. Coque in aquæ communis ℔. vj. ad quartæ partis conſumptiunem. Coletur liquor, edulcoreturque q. ſ. Syrupi Tuſſilag. pro Apozemate pectorali refrigerante adverſus tuſſim a pituita craſſa ortam, ac ſputum purulentum.

℞. Capit. Vitul. dimidium in fruſtula diſſectum, Napor. parvor. N. vj. Folior. Braſſicæ rubr. & Pulmonariæ ana Man. j. Ebull. in aquæ ℔. ij. pro duabus doſibus coletur, exhibeaturque de die in morbis hactenus recenſitis.

℞. Syrup. Althææ, Pulmonariæ, & Conſolid. Maj. ana ℥ j. Olei Amygd. dulc. ℥ ij. Spermat. Ceti in prædicto oleo ſoluti ʒ j. M. pro Looch pectorali chocleatim exhibendo in tuſſi, ſputoque cruento.

## P U L S A T I L L A.

PULSATILLA, *Offic.* Pulſatilla folio craſſiore & majore flore, C. B. P. 177. *Inſt.* R. H. 284. Pulſatilla purpurea, cæruleave, J. B. 3. 409. Pulſatilla, *Dod. Pempt.* 433. *Matth. Geſn. Hort. Lugd. Hiſt.* Herba venti, *Trag.* 413. Pulſatilla vulgaris, *Lob. Icon.* 281. *Ger. Raii Hiſt.* 633. Pulſatilla Danica, *Park. Parad.* Pulſatilla flore purpureo, & cæruleo, *Tabern.* Anemone ſylveſtris, *Fuſch.* Pulſatilla foliis decompoſitis pinnatis flore nutante, Limbo recto, *Linn. Hort. Cliff.* 223. Herba ſardoa vel Aprium riſus, Herba venti, Pulſatilla vulgi italorum, Campanula vel Nola Culinæ ſeu Culinaria, Campanula vaccæ ſeu vaccaria, *Barba Hirci*, Cauda vulpis ſeu vulpina, Apicum ſylveſtre vel ruſticum, ſive Apiaſtrum, *Nonnull.* vulgo, *Pulſatille*, *Coquelourde ou Paſſefleur.*

Radicem habet longam, ac quandoque digitum craſſam, ſimplicem, vel in plura capita divergentem, ſuprema ſui parte capillitio ornatam, nigram, ſaporis amaricantis & nonnihil acrimonia ſua linguam ſtimulantis; Folia autem minutim inciſa, hirſuta, Paſtinacæ ſylveſtris æmula non magnitudine, ſed foliorum tantum diviſſione, ac eorumdem pilis, acerrima, ſaporis urentis, coſtis longis, admodum villoſis, ac ſolum verſus ſub rubris annexa: Inter ea caulis fere pedalis, rotundus, cavus, denſa ac molli lanugine tectus, ſimplex, foliis deſtitutus, ſi ea, quæ in apice enaſcuntur in parte nempe floribus proximiori, ac multifida exceperis; Ejus apex unum tantum efert

fert florem constantem senis oblongis foliis, accuminatis, rosaceis, purpureis, extus villosis, intus glabris, pistillo in centro locato, circumdatum staminibus luteis, odoris neutiquam ingrati, tandem in fructum abeuntem, adinstar capitis rotundum, crinitum, pluribus conflatum cristatis seminibus. Planta hæc petrosis in locis incultis, siccis, montanisque reperitur, ut plurimum præterea in hortis colitur ob floris elegantiam, quamvis in arvensium familia, culturæ scilicet non satis patiens, natura sua, sit recensenda. Vere, Martio exeunte florescit, vel Paschatis tempore, hinc ab Anglis *Flos Paschatis* nuncupatur. Flos colorem plus, minusve saturatum habet juxta locorum diversitatem; in sylvis enim umbrosis dilute purpureus, ac pene albus, quum e contra saturatior, ac venuste admodum violaceus in eminentibus, ac apricis locis occurrit, unde plures ejusdemmet plantæ varietates progignuntur. In Agro Parisiensi luxuriat ac præsertim in Monte Valeriano. Inquit Tournefortius, *Pulsatillam*, nomen simpliciter Italicum, Botanicos latinate donavisse. Itali vero ita Plantam hance vocarunt, eo quod ejusdem flores motum habent Campanæ æmulum, vel quia semper proni sunt ad motum, seu demum quia semina minimo ventorum motu in auras evolant. Analyseos Chymicæ ope plurimum acidi, sulphuris, ac terræ, parum fixi, nihil vero volatilis salis planta hæc vulneraria, ac incides largitur. Flores ac folia exsiccata, pulverisque forma per nares attracta sternutationem concitant, quod etiam recentia, digitis trita præstare adeo vehementer solent, ut exuri nares, ac ad cerebrum usque stimulus deferri videatur; qua de causa a Tournerfortio adversus soporosas affectiones aptissima recensentur, ex iis quoque stillatitia elicitur aqua ad ulcera antiqua detergenda, ac ad cicatricem perducenda, quam commodissima, idem etiam præstant folia trita equorum præsertim vulneribus applicata. Tragus asserit, radicem crudam mansam, abundantis pituitæ exitum producere: quum vero universæ plantæ partes acrimonia excedant, externus tantum ejusce usus tutior erit. In cubito præterea, ac in planta pedum folia tusa a vulgo ad vesicas in febribus excitandas apponuntur nonnunquam cum successu. Radix longe minori præ foliis acrimonia donatur.

Pulsatillæ flores in Aqua Hysterica *Pharmacopææ Parisiensis* usurpari solent.

℞. Sacchar. alb. p. ac Fol. Pulsatill. exsicc. ac p. ana ʒ j. Olei Lavendulæ, aut Majoranæ gut. jv. Servetur pro usu pulvis hic sternutatorius, qui si forte nimium irritabit, augenda erit Sacchari dosis.

℞. Fol. Pulsatill. esicc. ac Iridis Florent. ana ʒ j. Semin. Sinapis, & Staphisagriæ ana ʒ ß. Omnia crassiuscule pulverata nodulo inclusa, & per horæ dimidium demisso capite mansa, pituitæ magna copia cerebrum exonerabunt.

## P Y R O L A.

PYROLA, *Offic.* Pyrola rotundifolia, major, C. B. P. 191. *Inst.* R. H. 256. Pyrola, J. B. 3. 535. *Dod. Pempt.* 138. *Ger. Raii Hist.* 1233. Pyrola nostras vulgaris, *Park.* Limonium sylvestre, *Trag.* 707. Beta sylvestris, *Cord.* Pyrola a Pyri folio, *Lob. Icon.* 294. Pyrola vulgo dicta, *Gesn. Host.* Pyrola, staminibus & pistillis declinatis, *Linn. Flor. Lapp.* 132. Pyrola vulgatior satis amplo mollique folio, *Clus. Hist.* Pyrola vulgaris, Limonium Germanicum;

cum; viror hiemis seu viride hiemale, Tintinnabulum, *Quorumod.* vulgo *Pyrole, ou Verdure d'hiver*.

Radicem habet flexibilem, delicatulam, fibrosam, serpentem, sub-albidam quina, aut sena rotunda, Pyri æmula, unde denominationem planta traxit, satis carnosa, compacta, saturate-viridia, foliorum Betæ colorem similantia, lævia, ac expolita, longis caudis appensa, in terram strata, ac per Hyemen virorem servantia emittit folia, quæ inter fere ad pedis altitudinem caulis erigitur angulosus, nonnullis parvis acuminatis foliis stipatus, simplex, vertice flores efferens satis venustos, odoros, quinque petalis, rosaceis, rotundis, albis, decem breviusculis staminibus præditos, ac in centro pistillum gestantes extrema sui parte, adinstar proboscidis Elephantis, recurvum quod tandem deciduo flore abit in fructum, aut folliculum angulosum, quinque cellulis, seminibus sub-rubris, ac adinstar pulveris, aut scobis minutissimis, interne distinctum. Sapore amaro, & admodum adstringenti scatet universa planta, crescitque in montanis, umbrosisque locis, nonnihil humidis, in nemoribus, ac sylvis, ac in pluribus Galliæ Provinciis, & præsertim Campania superiori, quemadmodum agro Parisiensi, præ cæteris vero in frigidis ac Septentrionalibus regionibus, maxime autem hortorum culturæ adversatur, in quibus ægre admodum occurrit, ac tandem exsiccatur. Junio ac Julio floret. Rajus una cum Clusio observavit, quamdam in flore discrepantiam nonnumquam adnotari, quandoque enim majorem habet figuram, ac mollitiem, quandoque vero minorem, ac duritiem. Folia maximum in re Medica usum habent.

Uti vulneraria-adstringens, ac ad sanguinis fluxus, albos fluores, hæmorrhagiasque sistendas aptissima Pyrola semper ab Authoribus fuit reputata, ac uti cæteræ vulneraria vi præditæ decoctionis, aut infusionis forma ad modum Theæ usurpari solet, per dimidium horæ quadrantem pugillus unus in sufficienti aquæ ebullientis quantitate committitur, filtratur infusio, parum sacchari addito. Pulveris forma propinari etiam solet ʒ j. in iisdem affectibus. Inter celebriora Helvetiæ adstringentia enumeratur, eademque ratione usurupatur viresque habet cum Alchimilla communes.

Pyrolæ succus Emplastro *Oppodeltoch PharmacopϾ Parisiensis* admiscetur.

℞. Fol. Plantag. Pyrolæ, Alchimillæ Saniculæ, Brunellæ, Hederæ terrestris ana pug. ij. Coque in aquæ com. ℔. iij. ad ℔. ij. Adde in fine Glycyrrhizæ in fila evulsæ ʒ ij. Fiat Colatura pro Ptisana vulneraria adversus hæmorrhagias, ac contusiones tam externas, quam internas.

*Decotio Bechica vulneraria.*

℞. Rad. Consolid. maj. & Althææ ana ℥ ß. Fol. recentium Linguæ Cervinæ, Pyrolæ, Veronicæ, Pervincæ, Saniculæ, Hederæ terrestis, Bugulæ, Adianti Canadensis ana pug. ij. Flor. Centaurii min. Verbasci, Hyperici ana pug. j. Ebull. in aquæ com. ℔. vj. ad ℔. jv. Colaturæ adde Syrupi Tussilaginis ℥ jv. In sanguinis sputo, in pulmonum, aliisque internis ulceribus tertia quaque hora cyathus tepidus ægris propinabitur.

## PYRUS.

UBique Pyrus notiſſima eſt. Generaliter in ſpecies duas diſcriminari ſolet, Domeſticam ſcilicet, ac Sylveſtrem, earumque fructus Pirum nuncupatur.

Pyrus *Offic.* Pyrus ſativa, C. B. P. 439. Pyrus, J. B. I. 35. *Brunſ. Dod. Cord. Hiſt. Raii Hiſt.* 1450. Pyrum, *Turn.* Pyra, *Matth. Anguill. Lob. Caſt.* Pyrus foliis ſerratis, pomis baſi productis, *Linn. Hort. Cliff.* 190. Pyrus domeſtica, *Nonnull.* vulgo, *le Poirier Domeſtique, franc ou cultivè.*

Craſſa radix imo ſolo ſeſe immergens emittit caulem, ſeu truncum magnum, craſſum, erectum, ac ſimplicem, magis, quam in Malo ſeſe extollentem, minus tamen expandentem, in plurimos diviſum ramos; corticem Mali cortice ſcabroſiorem habet, lignum compactum, ſatis ſcalpello, torno, ac pro aliis uſibus tractabilem, coloris ſub-rubri, aut ſub-lutei, qui exſiccato ligno majorem ſemper venuſtatem, ac fulgorem acquirit. Folia vero ſunt ſatis lata, rotunda, aut nonnihil oblonga, denticulis deſtituta, juxta ſpecierum diverſitatem varia, lævia, ac fulgentia in parte ſuperiori, fere rudia ac ſub-albida in inferiori, alternatim diſpoſita, caudis longiuſculis appenſa. Flos, Mali florem, fere æmulatur quinquepetalus ac in calycis ſinubus roſaceus, ſubalbidus, bis denis ſtaminibus ſemi-rotudis, ac purpureis, calyce deinde abeunte in fructum carnoſum, plerumque oblongum, baſi producta, in cujus centro umbilicus e calycis diviſionibus efformatus locatur, vocaturque *Pyrum*, Gallice vero *Poire*. Quamplurimæ ejus ſunt ſpecies inter ſe figura, craſſitie, colore, ſapore, ac odore diſcrepantes. Caro, ſeu pulpa alba eſt, Malis compactior, ſucco turgida, ut plurimum tamen arenoſa in centro præſertim · Quinque loculamenta interna ſui parte reperiuntur ſeminibus fœta acutis, parvis, tunica contectis cartilaginea, extus nigra, intus alba. Ubique creſcit in hortis tam o litoriis, quam fructiferis, in quibus accurate colitur. Rajus unam tantum Pyri, uti unam tantum Mali ſpeciem agnoſcit, unde juxta ejus ſententiam inferri debet, multitudinem propemodum infinitam Pyrorum, nobis tanquam diverſarum ſpecierum exhibitam, nihil aliud eſſe niſi ejuſdem met ſpeciei varietatem a diverſa culturæ ratione obortam.

Pyrus minorem Mali ramorum numerum emittit, nihilominus copioſiſſimis fructibus oneratur, quum autem radices habeat profundiores abundantiori etiam indiget terræ quantitate, Cæterum utplurimum Malus magis quam Pyrus in pretio habetur, ſiceraque Pomorum perquiſitior, gratior, ſaniorque ſicera Pyrorum. Fere eumdem ac Malus ſolum amat, quum vero Pyrus ſæpe numero fructus efferat aſperos ac calculoſos, terram ſiccam, exſuccam, & ſaxoſam omnino reſpuit, qua vitata, prava ejus prædicta qualitas fere corrigitur; facilius quoque præ Malis creſcit in locis humidis, & aquoſis, terriſque argillaceis. In plagis colitur temperatioribus, in regionibus, enim calidis ut in Ægypto juxta Theophraſtum, raro adoleſcit: frequens vero admodum occurrit in Gallia, Germania, præcipue autem in oris Septentrionalibus Belgio, Normandia, & Anglia; plerumque Vere floret una cum Ceraſo, citiuſque Malo, fructus Æſtate, ac Autumno matureſcunt. Surcularii, aut plantæ evulſæ, aut taleæ ope multiplicatur, prolixioremque Malo habet incrementum, diutius tamen perdurare ſolet. Quamvis autem ſupra Meſpillum, Malum Cydoniam,

doniam, & Oxyacantham inſeri poſſit, melior tamen, tutior, promptiorque ratio ſupra ſylveſtrem Pyrum, aut Malum Cydoniam recenſetur. Quocumque modo locari poteſt, ſylvulæ nempe & arborum arbuſtatarum in morem, caudice elato, aut mutilato. Majorem ſeneſcendo acquirit fœcunditatem, ſurculoſque e radice producit. Lignum autem expoliri, ac in armaria adinſtar Ebeni colore nigro tincta, alioſque in uſus percommode reduci poteſt.

Mala ut plurimum veluti ſucculentiora, magiſque ſalutaria exiſtimantur; tamen ſi ſapori fides eſt præſtanda, Pyrum ſive crudum, ſive coctum, ſive conditum ſapidius, gratiuſque de facto eſt. Variæ extant Malorum ſpecies, major tamen Pyrorum numerus propemodum infinitus, eorumque qualitates omnino admirandæ. Si vero diverſam eorumce configurationem, craſſitiem, magnitudinem, colorem, ſaporem, ac odorem parumper contemplemur, quis maximam ſummi Opificis ſapientiam non adorabit? Rotunda enim alia, alia oblonga, alia criſpa conſpiciuntur, alia dein acuta, obtuſa, craſſa, media, exilia; aurum, argentum, cinnabris, præ cæteris, in iis refulgent; Sacchari, Mellis, Cinnamomi, & Caryophyllorum ſaporem habent; Moſcum, Ambarum, & Zibethum redolent, uno verbo ſaporis excellentia, una cum venuſtate, ac elegantia in Pyris ſita ſunt, hortuſque, in quo Pyrus non occurrat ne tali quidem nomine dignus cenſetur. Quamobrem inter fructiferas arbores perquiſitior, prætioſiorque Pyrus revera eſt, fuitque a Veterum uſque Romanorum ætate, ejuſque fructus apud nos ſecundas menſas toto fere anno inſtruunt. Singulas Pyrorum Æſtivorum, Autumnalium, ac Hyemalium ſpecies hic recenſere difficile admodum, ne dicam impoſſibile eſſet; quaſdam tantum cultura digniores indicabimus.

Pyrus ſativa, fructu æſtivo parvo, racemoſo, odoratiſſimo, *Inſt.* R. H. 628. Pyra ſuperba, parva, ſed ocyſſima Pilnio, *Lugd. Hiſt.* 306. Pyra muſcatellina ſeu moſchum redolentia, Pyra Chia, præcocia ſeu Joannina, *Quorumd.* vulgo, *Le petit Muſcat, la Poire Muſquette, la Poire de ſept-en gueule.*

Ex ea Pyrum Præcocius prima Æſtate apparet, nonnihil pingue, admodum exile, & facile marceſcens, Moſchi fragrantem odorem, ſaporem vero gratiſſimum habet, cumque aliis pluribus una progignitur. Junio exeunte, aut ineunte Julio maturatur. In horto ſatis ſicco palatarum arborum more locatur, binæ, aut tres tantum arbores aptæ, ſatiſque ſunt. Plinius hanc Pyri ſpeciem *ſuperbæ* nomine indigitavit, quaſi quis diceret *Pyrus elata*, quæ ſcilicet ſupra omnes eminere contendit.

Pyrus ſativa fructu æſtivo, oblongo, magno, partim rubro, partim albido, odorato, *Inſt.* R. H. 632. Pyra Boni Chriſtiani æſtiva, *Nonnull.* vulgo, *le Bon-Chretien d' ètè.*

Ex ea Pyrum colligitur craſſum, luteum, tenerum, lævigatum, ac oblongum, optimo ac ſaccharino ſucco refertum; excellit autem in calidis regionibus.

Quamplurimæ aliæ Pyrorum Æſtivorum ſpecies in pretio habentur, uti vulgo Gallorum *la Cuiſſe-Madame*, *la Blanquette*, *la Poire a la Reine*, aliter, *le Muſcat-Robert ou la Poire d' Ambre*, *la Beliſſime ou Supreme*, *la Caſſolette ou le Friolet*, *la Bergamotte d' ètè*, *l' Inconu-Cheneau ou la Fondante de Breſſe*, *la Robine ou Rojale d' ètè*, *l' Epine d' Etè*, *ou la fondante muſquèe*; quum autem prædicta omnia haud longius perdurent, ac una cum aliis ſpeciebus abunde

appa-

appareant, iis haud frequentius solum oneratur, quum præsertim autumnalia, & præ cæteris brumalia diutissime ac percommode servari possint.

Pyrus sativa fructu autumnali, subrotundo, e ferrugineo rubente, nonnunquam maculato, *Inst.* R. H. 629. Pyra parva subrufa vulgo, *Nonnll.* vulgo *la Poire de Roussélet.*

Quamquam ex ea Pyrum exile sit admodum, hoc tamen commodi præstat, quod adhuc viride colligi, ac ab arbore segregatum maturari, adeoque diutius servari possit. Præ aliis autem notum est, ac æstimatur, magis longum, quam rotundum. Mediocrem habet magnitudinem, elegantemque figuram, caudam vero vix crassam, ac extensam, colorem cinereum, ex una parte subrubrum, ex altera vero, e ferrugineo rubentem, ac nonnihil viridescentem, sese apte in luteum immutantem ad maturitatem indicandam. Ejus pulpa tenerrima est, ac delicatula, succus gratissimus, & peculiari ratione fragrans. Plerumque exeunte Augusto, ac Septembri maturescit. Facillime fructus edit Pyrus hæc arbustatarum arborum in morem sita, mirabiliter sylvulæ in modum, omnium maxime sponte crescens; hic autem animadvertendum est, magnam fragrantiæ partem certe amitti, si palatarum arborum more colatur, pyra tamen hac ratione pulcriora, crassiora, & copiosiora progignuntur, quæ non obstantibus egregiis hisce omnibus qualitatibus, facile fatiscunt, quod unice vitium magnam in hisce servandis expostulat vigilantiam.

Pyrus sativa fructu autumnali, sessili, saccharato, odorato, e viridi flavescente in ore liquescente, *Inst.* R. H. 629. Pyra Bergamotta Gallis, J. B. 1. 45. Pyra Falerna Plinii, *Lugd. Hist.* 306. Pyra Bergamotia, *Nonnull.* vulgo, *la Poire Bergamotte.*

Bergamotum autumnale pulpam habet teneram, ac liquescentem, succum dulcem, saccharatum, & nonnihil fragrantem, præ cæteris copiosius exunte Octobri, ad medium Novembrim, ac plerumque ad Decembrim usque perdurat. Quædam discrepantia ratione coloris in eo occurrit: Aliud enim ex albo & fusco mixtum, ac subviride apparet, ac *Bergamottum* simpliciter, aut *Bergamottum vulgare*, aut *de la Hiliere*, aut *de Recons*, quæ idem significant, nuncupatur: Aliud vero luteis, ac viridibus tæniis discriminatur, unde *la Bergamotte svisse* appellatum fuit, quæ varietas in ligno quoque reperitur. Quoad essentiam tam una, quam altera ex hisce speciebus plurimum debet existimari, simul quoque conveniunt figura plana, umbilico magis penetrante, cauda brevi, ac minuta, tunica lævi, lutescente, ac sese maturescendo humectante. Pyris melioribus adscribitur, solum exposcit leve, ac arbustatarum arborum more, aprico in loco poni debet. Sylvulæ vero in modum lignum, æque ac fructus, delicatissimum læditur, fructusque nigris maculis notantur. Pyrum hoc a Bergomo Italiæ Urbe denominationem mutuatur.

Pyrus sativa, fructu autumnali, suavissimo, in ore liquescente, *Inst.* R. H. 629. Pyra σεατόπια, seu Pyra instar adipis aut liquaminis in ore liquescentia, J. B. 1. 40. Pyra Butyri modo liquescentia, *Nonnull.* vulgo, *le Poire de Beurrè, le Beurrè rougé, gris, ou verd.*

Pyrum rubrum butyri modo liquescens, aliter *l' Isambert des Normands*, aut *le Beurrè d' Anjou*, Pyrum ex albo, & fusco mixtum, ac Pyrum viride, ejusdem naturæ omnino sunt, ac plerumque in una eademque arbore commixta perspiciuntur, sic autem per excellentiam vocitantur, a nulla enim

aliæ

alia Pyrorum specie, aut succi exquisitissimi abundantia, aut pulpa molli, ac delicatula, aut sapore suavissimo superantur, conditiones profecto omnes pernecessariæ ad horumce fructuum excellentiam constituendam. Tam crassitie, quam figuræ, ac coloris elegantia visum delectant, tantaque fertilitate donantur, ut nimium onusti rami quandoque disrumpantur. Septembri exeunte apparent.

Pyrus sativa fructu autumnali, turbinato, sessili, flavescente, & in ore liquescente, *Inst.* R. H. 630. Pyra aquosa majora, J. B. 1. 50. Pyra Sancti Michaelis, seu nivalia, *Nonnull.* vulgo, *le Doyennè*, *le Beurrè blanc d' automne*, *la Bonn' entre*.

Nivale crassitiem, figuramque habet Pyro, Butyri modo, liquescenti æqualem, caudam vero satis crassam ac brevem, tunicam compactiorem, colorem subviridem maturescendo plurimum lutescentem. E palatis arboribus enascens facie Solem versus vergente, vivido colore rubro distinguitur. Pyrum hoc revera in ore liquatur, succúmque dulcem habet, ita tamen, ut plerumque fere nihil exquisiti sapiat, non obstante nescio qua fragrantia prorsus ignobili; pulpa autem nonnunquam arenosa, adeo facile flacescit; ut vix apto, debitoque tempore eo vesci possimus. Quocumque demum in loco nusquam fœcunditate, ac pulchritudine sua destituitur.

Pyrus sativa fructu autumnali, tuberoso, sessili, saccharato, carne dura, *Inst.* R. H. 630. Pyra saccharata duriora, *Nonnull.* vulgo, *la Poire de Messire-Jean*, *le Messire-Jeanblanc*, *& gris*.

Pyrum saccharatum durius, vel Album, vel ex albo, & fusco Mixtum indiscriminatim figuram habet planam; postremum vero rudiorem tunicam; primum autem delicatiorem; pulpam vero fragilem, saccharato succo, mediocrique magmate refertam. Arbor elegantem efformat sylvulam, solumque mediocriter humidum amat, terra enim nimis sicca, Æstate præsertim ardentiori, fructum reddit exilem ac fatuum, exeunte Octobri maturescit, secundasque mensas ornatissimas reddit.

Pyrus sativa, fructu brumali, longo, e viridi flavescente, in ore liquescente, saccharato, *Inst.* R. H. 632. Pyra saccharata flavescentia, Pyra glacialia, *Nonnull.* vulgo, *la Virgoulè ou la Vigoureuse*.

Pyrum glaciale in Aquitania *Bujaleuf*, Lemovici *Chambrette*, in Vasconia *Poire de glace*, variis in locis, *Virgculese*, *& Virgouleuse* nuncupatum, vocari potius debet simplici vocabulo *Virgoulè* ob pagum *Virgoulè* prope oppidum *S. Leonardi* in agro Lemovicino, a quo denominationem sumpsimus. E vico autem facile ubique prodiit ejus possessoris liberalitate, Marchionis scilicet de *Chambret*. Pyrum hoc oblongum est, satisque crassum, cauda curva, brevi, carnosa, umbilico mediocriter conspicuo, nonnihil profundo, tunica lævi, compacta, quandoque colorata, maturescendo e viridi ad luteum vergente, pulpa tenerrima, ac liquescente adeo, ut tempore debito inter fructus omnes optimum censeatur. Fama igitur percrebescente non satis longo annorum intervallo, non minus quam cæteræ pyrorum species, in omnibus fere Europæ hortis hoc quoque propagatum fuit. Pulpam vero habet teneram, ac liquescentem, succum copiosum, ac saccharatum, saporem delicatulum, ac recreantem, eximia cum fertilitate: diutius autem Bergamotto perdurat; ejus præterea arbor ubique mirabiliter viget, ligni etiam ingentem producit copiam, eleganti æquali colore præditam, ac lucescentem adeo, ut assidue expolitum videatur.

Pyrus

Pyrus ſativa, fructu brumali, longo, a viridi flaveſcente, in ore liqueſcente, *Inſt.* R. H. 632. Pyra Sancti Germani vulgo, *Nonnull.* vulgo, *la Saint Germain, ou l'inconnue de la Fare.*

Pyrum Sancti Germani craſſum, longumque eſt, colorem habet rubro-viridem, nonnullis maculis diſtinctum, matureſcendo luteum, caudam brevem, craſſam recurvam, pulpam tenerrimam, nihil magmatis, ſaporem excellentem, ſucci denique plurimum, qui ſuccus nonnihil citrei acidi aliquando ſapit, ideoque nonnullis pergratus, aliis vero inviſus. Eodem ferme tempore ac Pyrum glaciale colligitur.

Pyrus ſativa, *fructu* brumali, magno, pyramidato, e flavo nonnihil rubente, *Inſt.* R. *H.* 630. Pyra Boni Chriſtiani, J. B. 52. *Raii Hiſt.* 1451. Pyra Pompejana cognomine Mammoſa, *Plinii Lugd. Hiſt.* 306. Pyra Bon Chreſtiana vulgo, *Nonnull.* vulgo, *la Poire de Bon Chretien d'hiver.*

Pyrum Boni Chriſtiani brumale ſatis longinquam originem ducit, ac ob illuſtrem denominationem a primis uſque Chriſtianæ Reipublicæ temporibus in hortis ſpeciatim Chriſtianorum excultum fuiſſe conijci poteſt, præ cæteris venuſtum ac nobiliſſimum eſt, mire craſſum, figura oblonga pyramidali, colore inter roſeum ac luteum elegantiſſimo. Pulpa donatur fragli, ac plerumque tenerrima, ſapore gratiſſimo, ſucco copioſo, ſaccharato, ac fragranti, unde procul dubio a majoribus noſtris præ cæteris *Bonum* appellatum fuit, uti ab omnibus nuncupatur, excepto *Poitou*, a quo *Pyrum Chriſtiani* ſolummodo vocitatur. Pyrum hoc revera excellens reputatur, quum præcipue ad exitum uſque Hyemis & ad Veris primitias perdurare ſoleat, ac ſecundas menſas non crudum tantum, verum etiam condimenti forma probe paratum magnopere exornet. Præcipuæ Boni Chriſtiani tam longi, quam rotundi, viridis, aurei, fuſci, vel lævigati, Angli, vel nucleo deſtituti differentiæ, a ſoli, regionis, ætatis, arboriſque virium diverſitate, aut omnino, aut partim progignuntur.

In infinitum fere nobis eſſet progrediendum, ſi aliæ omnes Pyrorum ſpecies eſſent recenſendæ, hinc ad deſcriptionem Pyri ſylveſtris tranſitum faciamus.

Pyrus Sylveſtris, *Offic.* Pyrus ſyveſtris major, C.B.P. 439. *Inſt.* R.H. 632. Pyra ſylveſtria, *Tabern. Icon.* 1018. Pyraſter ſeu Pyrus ſylveſtris. J. B. I. 57. *Raii Hiſt.* 1451. Pyraſter *Gazæ*, Α'χρας, *Theophraſti*. Pyra ſtrangulontea, ſeu ſtrangulatoria, Achras ſeu Pyrus ſylvatica, *Nonnull.* vulgo, *le Poirier Sauvage ou des bois.*

Radice eſt craſſa, & profunda, caudice Pyro ſativa plerumque minore, minuſque elato, denſiſſimo tamen, ramiſque pluribus ſtipato, cortice rudi, rimiſque undique patulo, ligno luteo ſplendente, ac ſativo duriore. Rami autem ſpinis duris, ac pungentibus armati ſunt. Folia oblonga aut rotunda, carnoſa, ac ſatis denſa, poſtica parte lanuginoſa ad inſtar foliorum Mali Cydoniæ, ſubviridia vero, lævia, ac lucentia in parte antica, demum acuta. Flores plurimi una ſimul umbellati apparent quinque petalis albis, rotundis, roſaceis, Pyri ſativæ æmulis, penduncculis lanuginoſis, pluribuſque ſtaminibus, purpureis apicibus donatis, quibus ſuccedunt fructus, aut parva Pyra oblonga, aut rotunda, figura Pyris domeſticis æqualia, dura tamen, ſaporis aſperi, auſteri, vel acerbi, ut iis veſci haud quiſquam poſſit, priuſquam flaceſcant, quod Octobri ſuccedit. In pulpæ centro ſemina nonnulla,

ſive

ſive nuclei occurrunt Malorum nucleis per quam ſimiles. Arbor hæc externa ſui facie, multitudine, acutieque ſpinarum facile a Malo ſylveſtri diſtincta in Normannia, pluribuſque aliis regionibus in nemoribus, ſepibus, arviſque excreſcit, una cum aliis Pyri ſpeciebus flores emittit, aliquando etiam celerius: Quæſtio eſt juxta Rajum, utrum Pyrus ſylveſtris cultura in Pyrum ſativam converti poſſit: Thophraſtus hoc aperte negat; Scaligero autem teſte, ſi alio transferatur, colaturque, priſtinam ac naturalem auſteritatem, ſpinas, ligniquе denſitatem deponit. Rajus addit, vix credere, a Scaligero, propria experientia hoc aſſertum fuiſſe. Plurimæ ſylveſtrium Pyrorum ſpecies ubique adinveniuntur in ſylvis, ac præcipue in montanis frigidiſque locis: regiones enim calidas omnino reſpuit, uti Ægyptum, ubi Pyrus ſativa quoque haud raro reperitur.

*Pyri* denominationem a *Pyramide* deducendam eſſe autumatur, eo quod Pyrum ut plurimum figuram fere pyramidalem habeat. Pyrum vero Sylveſtre Α'χρὰς Græce nuncupatur, a verbo ἄγχειν, *ſtrangulare*, *ètrangler*, appellatur etiam vulgo, *Poire de Malingre ou d'Etranguillon*, magna enim ſtypticitate adeo oris, fauciumque fibras afficit, ut ſtrangulare pene videatur.

Pyra omnia tam ſativa, quam ſylveſtria plurimum habent olei, ſaliſque eſſentialis. Inter ſativa præ omnibus optima recenſentur, quæ pulpam habent liqueſcentem, aut ſaltem tenerrimam, ac delicatulam, ſuccum dulcem, & ſaccharatum, optimum ſaporem, ac præſertim fragrantem; talia profecto ſunt *les Poires de Bergamotte*, *de Beurrèe*, *de Verte-Longue*, *d'Ambrette*, *de Virgouleuſe*, *de S. Germain*, *de Royal d'hyver*, *de Craſane*, & ſimilia. Minori vero in pretio habentur, quæ pulpam habent mollem, acidam, duram, coriaceam, magmate refertam, aut ſabuloſam, ſaporem denique aſperum, ac ſylveſtrem.

Ante maturationis tempus Pyra quæcumque omnino reijcienda ſunt, difficile enim ſegniuſque concoquuntur, vitiatos ſuccos producunt, maximamque nauſeam excitare ſolent. Pravæ hæ qualitates fructibus omnibus intempeſtive collectis generaliter tribuuntur; flatulenti enim ſunt, ſtomachis debilioribus infeſtiſſimi, colicaſque contumaces, ac periculoſas quandoque procreantes, a nonnullis præterea nervoſis partibus adverſantes ſummopere reputantur; unde morborum popularium cohors, annis præcipue fructuum feraciſſimis; tunc enim mulieres præſertim ac pueri iis fere ſolis nutriuntur: modus igitur ſervandus eſt, interque Pyra, dulciora, & maturiora, non aſpera, & ſtyptica, ſunt ſeligenda, atque ſic, quacumque tempeſtate, cuicumque ætati, ac temperamento convenient. Colligi autem præcipue debent cælo ſereno; decidua, aut contaminata ſecernenda ſunt, ne cætera ab iis inquinentur, in locis ſiccis, frigidiſque, ut melius cuſtodiri poſſint, in tabulis reponuntur, ac Hyemis tempore in ſubterraneis cavis optime conſervantur.

Pravæ Pyrorum qualitates, ac præ omnibus, flatulentia corrigitur, coctura, condimenti forma ſaccharo, aromatibuſque, parata: radiis quoque Solaribus aut clybano exſiccantur excorticata, ac per medium ſecta, unde ſalutaria fiunt, uti hoc verſiculo innuitur a Scola Salernitana,

Cru-

*Cruda gravant ſtomachum, relevant Pyra cocta gravatum.*

Pyra demum, ſylveſtria, pulpæ flacedine, ac ingrato ſapore a ſativis etiam ignobilioribus ſatis diſtinguntur; tanta ſtypticitate, ac acerbitate donantur, ut vix quidem ulla præparatione comedi poſſint: ſi vero Pyrus ſylveſtris colatur, pyra ſatis dulcia producit, apta ſaltem ad Siceræ ſpeciem quamdam efformandam, *Poirè*, vulgo nuncupatam, qua populi Normanniæ ob Vini deffectum, plurimum utuntur, eademque ratione, ac Pomaceum ſuo loco deſcriptum parari ſolet, diutius tamen haudquaquam perdurare poteſt, Æſtivo enim calore facile aceſcit. Citrum hoc aut Cidrum Pyraceum colore ac ſapore plurimum Vinum album æmulatur, pectorique amicum, ſtomachum roborat, & humectat, ſitim ſedat, iiſdemque fere virtutibus, ac Pomaceum donatur. Pyrorum nucleis vis vermifuga adſcribi ſolet.

Succus Pyrorum ſylveſtrium in ſyrupo Myrti *Phamacopææ Pariſienſis* uſurpatur.

## QUERCUS.

QUercus, *Offic.* Quercus latifolia mas, quæ brevi pediculo eſt, C. B. P. 419. *Inſt.* R. H. 582. Quercus vulgaris brevibus ac longis pediculis, J. B. 1. 70. *Raii Hiſt.* 1385. Quercus vulgaris, *Ger.* Platyphyllos mas, *Lugd. Hiſt.* 2. Quercus foliis annuis oblongis ſuperne latioribus, ſinubus acutioribus, angulis obtuſis, *Linn.Hort.Cliff.* 448. Drys, Græcorum, Robur, Jovis Arbor, ſive Arbor Jovi ſacra, *Nonnull.* vulgo, *Chène commun a larges feuilles.*

Radice eſt craſſiſſima, ac profunde in terram immerſa, trunco craſſo, erecto, robuſto, longum in ævum perduraturo, ramis in latum ſeſe expandentibus onuſto, cortice denſo, rudi, ſcabro, rimiſque patulo, interne rubro, aut ſub rubro. Folia magna ſunt, oblonga, lata, angulis obtuſis, ſinuoſa, oris profunde inciſis ſerrata, in vetuſtiori præcipue arbore, glabra, atroviridia, ſolitaria, brevibus appenſa pediculis, medio craſſiore nervo eminente, præcipue in parte poſtica. Flores ſunt quædam veluti receptacula oblonga parvis globulis conflata nervo minuto appenſis, ſteriles autem ſunt, nullumque poſt ſe fructum relinquunt. Fructus enim peculiaribus in locis in Quercu ipſa enaſcuntur, vocanturque *Glandes*: fere Olivæ craſſitiem habent, figuram vero ovalem, aut cylindricam, quo autem latere arbori adhæreſcunt pileolo duro, ac cinereo, ob configurationem calice nuncupato includuntur, tectæ, vero ſunt tunica coriacea, expolita, luceſcenti, initio viridi, matureſcendo autem ſub-lutea, ſub qua ſpecies quædam occluditur Amygdalæ, aut ſeminis duri binis lobis conflati, ſaporis aſperi, ac auſteri, uti & calix, tertiam glandis partem occludens. Glandis cujuſcumque extrema, cuſpide brevi, & acuta, armata ſunt. Glandes vero arbori appenduntur pediculis longis, vel brevibus, minutis, e foliorum alis enaſcentibus; binæ aut tres ſimul ut plurimum junctæ, raro ſolitariæ apparent. Arbor hæc inter ſylveſtres vulgatiſſima, omnibuſque Europæ regionibus notiſſima eſt, quodcumque enim ſolum Quercui aptari poteſt, exceptis accidentalibus qualitatibus a loco, aut a ſemine oriundis. Quercum, cujus glans longum habet pediculum, ſpeciem eſſe diverſam a Quercu, cujus glans habet brevem, a Rajo exiſtimatur. Addit

inde, glandium causa magnas esse inter Quercus varietates, difficileque admodum esse, denominationes, descriptionesque a Veteribus nobis relictas cum hodiernis Quercubus conciliare, quod cum a celebrioribus Botanicis tentatum quandoque fuisset, tamen, discrepantibus eorum sententiis, difficultates Lectoribus ut augeantur potius, quam tollantur, necesse est.

Quercus in sylvis præcipue, nemoribusque, elatis, montanisque locis crescit; ejus folia flore sunt præcociora, Aprili, ac Majo flores emittit, fructus autem Autumno maturescit. Facile quocumque in solo progignitur, præsertim vero sabuloso, ac Septemtrionem versus, præ cæteris, pingui, nec aquis infestato; quo minoribus autem dotibus solum afficitur, eo minus crescere, compertum est, generaliter loquendo, arborum fertilissima, ac fœcundissima recensetur quamvis lente admodum perfectionem acquirat, quum vulgatissima sit opinio, ut seculi spatio augmentum capiat, eodem temporis intervallo in eo statu permaneat, ac demum eodem seculi spatio ad interitum declinet. Quercum, pedem sese in terram usque elongari fertur, dum ad tophum pervenerit, æqualemque esse radicum numerum, ramorum numero; æmulus caulis pes a Veteribus credebatur, a pluribus quoque præcipitur, in Quercu traducenda, quum ad extremam proceritatem usque servanda sit, ut pes integer servetur; aliter enim planta exsiccaretur omnino. Quercus lignum præ omnibus pro lignariis fabris, politioribus minutariis, ac sculptura aptissimum est; senis aperto in aere, quindecim vero sæculis in fistucationibus perdurat, exustum vero pro carbonibus aptissimum esse solet. Quercus Danica, in minutariis, Quercus, aut lignum Batavum, nuncupata, ad elegantissima tabulata conficienda censetur apta, nodis enim omnino fere caret, teneriorque esse solet Quercubus regionum calidarum. Quercus præsertim junioris cortex utilissimus est ad pulverem coriarium conficiendum, eo enim corium prima quadam præparatione depilatur, eumdemque usum habet ejus ligni rasura. Arborum ergo regina jure, ac merito Quercus vocari potest. Rajus asserit, lignum hocce in ædificiis plurimum perdurare, dummodo a nimia humiditate præservetur, quinimo progressu temporis indurari adeo, ut ressistentia sua ferrum æmuletur, ac vix unquam humiditatis, ac siccitatis vicicitudinibus corrumpi, ad navigia construenda aptissimum esse, flexibile enim, compactumque est, nec nimio peccat pondere, ac difficile ab aqua, tormentariisque globis penetratur, præcipue vero in navibus. Quercum Anglicam in pretio haberi, & quamvis alia duriora, solidiora, ac ponderosiora reperiantur ligna, nempe Buxum, Cornum, Ebenum, Brasilianum, nihilominus fractu facillima, minusque apta ad magna ferenda pondera recenseri; præterea, ad parandum corium, Quercus corticem pulveratum adstringentibus cæteris efficaciorem esse, corium enim Anglicum hac ratione perfectum soliditate, ac duritie nemini cedit, nullam denique arborem, præter sibi naturales, adeo magnum peculiarium fructuum numerum progignere, una excepta Quercu, excrescentiæ enim, tubercula, sive tumores præternaturales, ab insectorum morsibus producti, hac illac in ea reperiuntur.

Cortex, alburnum, lignum, folia, glandes, nuces, gallæ tubercula in foliis locata, viscus, fungus muscus quoque, uno verbo, omnes tam naturales, quam præternaturales, & excrementitiæ Quercus productiones majorem, minoremve usum Medicum habent.

Quercus folia satis styptica, amariuscula ac glutinosa sunt, papyrumque cæru-

cæruleum in saturate-rubrum immutant, quod magis quoque a glande, austero sapore, prædita inficitur. Aluminosum sal exigua salis Ammoniaci, magna vero sulphuris portio hac in arbore continetur: acidum vero præ aliis in ea dominatur, uti in *Oxisale Diaphoretico Angeli Salæ*. Analyseos autem Chymicæ ope præter plures acidos liquores nonnihil urinosi spiritus, salis volatilis concreti, plurimum olei, ac terræ Quercus folia ministrant: ejus vero lignum per retortam distillatum, spiritum satis acidum, Oleo fœtido in recipiente transeunte, quibus sane principiis omnes Quercus partes adstringentes esse manifesto evincitur. Proprietas hæc a veteribus Medicis Dioscoride, & Galeno neutiquam fuit ignorata, eamque præsertim agnoverunt in alburno, ac in tunica sub glandis cortice sita. A Neotericis pariter cortex, folia, glans, calix, uti adstringentes vel simplices vel præparati adversus Dysenteriam, sanguinis sputum, fluores albos, aliasque hæmorrhagias usurpari solent. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria III. anno 1. pag. 86.* Doctor Ledelius refert, in Dysenteria violentioribus paroxismis comitata, præter simplicem corticis Quercus, ptisanæ forma, exhibitam decoctionem, præstantius remedium haudquaquam invenisse; alii vero adversus eumdem met morbum glandes, aut calicem ustum ac pulveratum, ℨj. vel ℨij. una cum Lacte calido & adversus colicam affectionem absque ulla ustulatione in usum revocant. Tragus tamquam optimum remedium adversus quascumque fluoris species aquam distillatam cymarum, glandiumque Quercus proponit, addit inde sanguinis mictum a nimio Cantharidum usu sedatum vidisse, glandibus tusis, ægris, propinatis.

Alexiteria quoque facultate Quercum præditam esse, veteres Medici autumarunt, venenatis enim Lac, in quo ejus glandis cortex ebullierit, fructumque prædictum adversum animalium veneficorum morsus propinabant; quæ tamen hisce diebus absoleta sunt, præstantioribus in medium productis.

Quandoque etiam penuriæ tempestate, Quercus glande, panis confectus fuit, extrema urgente necessitate, aliorumque alimentorum deffectu vix tollerandus, ponderosus quippe est, ac flatulentus, caput præsertim lædit, inebriat, ac difficilem digestionem procreat. Stomachis certe, nostris, longe robustioribus, primi nostri parentes præditi erant, quum prædicto pane vescebantur; hodie porcis solummodo relinquendus, quo profecto facile obesi fiunt.

Non desunt præterea qui Quercus lignum, non secus ac Guajacum ad reserandum, ac roborandum commendent, vocentque *Guajacum Germanicum*. Aqua, quæ quandoque in antiquarum Quercuum cavis reperitur adversum scabiem, verrucasque optima recensetur. Succus e terebrata Quercu elicitus adversum sanguineum mictum *in Transactionibus Philosophicis Anglicis* plurimum prædicatur. Foliorum vero teneriorum ac sub rubrorum decocto ex Vino, Gargarisma paratur dentium dolorem a fluxione oriundum optime sedans, si eo calido frequentius quoque os diluatur, quod remedii genus sæpenumero felici successu in inveteratis etiam dentium doloribus. J. Bauhinus a se expertum fuisse affirmat. Res plane mira ab Hoffmanno *in Introductione ad Pharmacopæam Schorderi* refertur, scilicet equos cinereo-scutulatos, pilum omnimode nigrum acquirere, dummodo Veris tempore & ultra Manipulum unum germinum Quercus pro unoquoque Avenæ Modio iis devorandum ministretur, ob vitriolicum salem in his contentum.

Quod vero ad usum attinet exteriorem, cymarum decoctio in Vino utilissima quoque est pro Gargarismate in faucium morbis. Galenus vero, nullo alio præ manibus occurrente remedio, foliis hujusce arboris vulnus securi inflictum sanavit, glande tusa ad enascentem phlegmonem dissipandum, ac ulcera exsiccanda in usum revocata. Ad arthriticos autem dolores leniendos ligni Quercini decoctio a D. Hagendorn, tamquam optimum remedium proponitur, extante ejusdem observatione *in Ephemeridibus Germanicis Decuria II. anno V. pag.* 197. juxta vero ejusdem sententiam melior quoque recenseri debet liquor e trunci recenter dissecti vasorum extremitatibus emanans: asserit inde aquæ in cavitate trunci asservatæ lotione, contumaciorem scabiem sanari.

Hic loci de Quercus protuberantiis, *excrementis* nuncupatis, de Nuce scilicet Galla, Melle, ac Pilulis in foliis apparentibus, aut Visco in ramis, aut *Uva Quercina* circum radices, adinstar Uvæ racemi, neutiquam verba faciemus. Nullum fere enim, exceptis Gallis inter exotica Medicamenta jam descriptis, & Visco in sequentibus describendo, usum Medicum habent.

℞. pulv. Alburni Quercini, aut Calicis glandis ʒ ij. Bistort. ac Tormentill. p. ana. ʒ j. M. cum s. q. Syrupi Cydoniorum, F. p. æ. N. viij. quarum una, quarta quaque hora in Dysenteria propinabitur.

℞. Cort. Quercini p. ʒ j. Dilue in ℥ vj. Lactis cremore destituti. Coletur inde, calidumque propinetur mane jejuno stomacho novem dierum spatio adversus albos fluores.

## QUINQUEFOLIUM.

Quinquefolium, *Offic.* Quinquefolium majus repens, C. B. P. 325. *Inst.* R. H. 297. Pentaphyllum, sive Quinquefolium vulgare repens, J. B. 2. 397. Quinquefolium majus, *Dod. Pempt.* 116. Pentaphyllum vulgatissimum, *Park. Raii Hist.* 611. Quinquefolium, *Matth. Anguill. Lob.* Quinquefolium vulgare, *Trag. Ger.* Potentilla foliis digitatis, caule repente, pedunculis unifloris, *Linn. Flor. Svec.* 152. Pentaphyllon seu Quinquefolium vulgare passim nascens, Quinquefolium majus luteum, Pentaphyllum verum, Pentapetes, Pentapteron, Pentatomon, Pentadactylon, Callipetalon, Xilopetalon, Xylolotum, Pseudoselinum, Asphaltion, Chamœzelum, Manus Martis, *Quorumd.* vulgo *Quintefeville Commune*.

Radix longa, minimum digitum quandoque crassa, fibrosa, extus subnigra, intus rubra, saporis adstringentis, plures, uti Fragaria, emittit caules pedem cum dimidio fere longos, rotundos, graciles, flexibiles, hirsutos, subrubros, per intervalla geniculatos, e nodis vero folia, ac radices, quibus planta dilatatur, & multiplicatur. Folia oblonga sunt, rotundis extremitatibus, nervosa, hirsuta, denticulatis marginibus, atro-viridia, digitata, ac quinque ut plurimum, eadem in cauda tres & ultra pollices longa, locata. Flores autem solitarii, quinque luteis petalis, rosaceis, nonnihil latis, & cordatis, summis caulibus emergunt longis elati pedunculis, facile flacescentes, viginti staminibus, apicibus elongatis, Lunæ crescentis cornua æmulantibus, pistillo in fructum abeunte fere rotundum, pluribus conflatum seminibus acutis, ac ad modum capitis conglobatis, calyceque floris contectis. In arvis, sabulosis, saxosisque locis, in pratis, aquarum marginibus, nemoribus

ribus humidis, umbrosisque, ac fere ubique abunde crescit planta hæc, Majo, Junioque flores emittens. Radix præcipue in usum Medicum revocari solet, Vere colligitur, extima tunica subnigra, ac tenuis, & cor, radice adaperta, abiguntur; tunica dein intima baculo obvoluta exsiccatur, servaturque ad usum. Recenter exsiccata, optimi coloris, probeque enutrita seligi debet. Theophrasto duce a J. Bauhino adnotatur, radicem hance siccam quadratam figuram acquirere. *In Historia* vero *Plantarum*, Boerhaavii nomine, publici juris facta exilior Quinque folii species *Pentaphyllon* vocatur, aliæ vero majores *Hptaphyllon*, eo quod septem foliis eadem in cauda sitis distinguantur.

Balsamica, vulneraria, adstringensque est planta hæc, parumque salis volatilis concreti Analysi Chymica ministrat. Foliorum sapor nescio quid viscidi habet, iisque nonnihil papyrum cæruleum rubescit, radicibus vero magis, quæ cum acidiusculæ ac stypticæ sint, opinari facile possumus, in iis inter magnam terræ, ac sulphuris portionem parum Ammoniaci salis contineri, qui in foliis viscoso phlegmate irretitur.

Quum potissimum adstringendi adsit indicatio, ut in mensium fluxu copiosiori, in fluxibus hæmorrhoidalibus immoderatis, ac sputo sanguineo; ad nimium in vulneribus sanguinis effluvium sistendum, ad omnes denique hæmorrhagiæ species, utiliter in ptisanis, jusculisque adstringentibus Quinquefolium usurpatur. D. Chomelius Medicus Parisiensis consumatissimus in *Historia Plantarum usitatiorum*, radicem hance, tamquam tutissimum remedium adversus fluxus, ac Dysenteriam proponit, asseritque utplurimum vel propria experientia, *Ipecacuanha* præstantius deprehendisse: ℥ j. in aquæ ℔ iij. ad tertiæ partis consumptionem ptisanæ forma ab eo exhibebatur, non minus in prædicto morbo, quam in sanguinis sputo, mensiumque immodico fluxu. Dracma una ejusdem radicis pulveratæ in aquæ cyatho ante paroxismum propinata, febres intermittentes propelli ajunt: remedium profecto comprobatum usque a magni Hippocratis ævo; qua de causa Rajus, juxta auctoritatem D. Hulse plagiarii Spon, ait, Quinquefolium, plantam esse amariusculam, ac admodum adstringentem, fibras ventriculi febri debilitatas roborandi, & acidos stomachi succos temperandi ac figendi vi præditam, indubiumque esse, in Græcia, in qua Hippocrates vixit, majoris esse efficaciæ, quum præcipue maxima plantarum pars, ac præsertim aromaticæ majori semper vi polleant in calidis, quam in frigidis regionibus, nihilominus, addit inde idem Author, vulgares quidam in nostris etiam hisce regionibus inventi sunt, qui parentum traditione edocti, Quinquefolii decoctione, febres intermittentes edomant. Garidellius vero *in Historia Plantarum Aquisextiensium*, ptisanam sequentem adversus malignas febres proponit felici successu a se ipso pluries comprobatam.

℞. Hord. integri Man. j. Cort. rad. Quinquefolii ℥ j. Rasur. C. C. ℥ ß. Coque in aquæ ℔ vj. ad tertias. Coletur inde liquor linteolo absque expressione, & adde Citri semisse taleolatim secti pro potu ordinario.

Prædictarum quoque radicum paratur Extractum a ʒ j. ad ʒ ij. in quacumque Hæmorrhagiæ specie propinandum.

Quoad vero hujusce plantæ extrinsecum usum, aquam distillatam foliorum manuum tremorem sanare nonnulli Authores autumant, dummodo ea sæpius diluantur ægri, eamque exsiccari absque ulla abstersione sinant. Alii

vero succum expressum ad sanandas fistulas proponunt bis de die in iis injectum, magmate, Cataplasmatis forma, superimposito. Notum præterea est, Gargarisma eorum decoctione paratum faucium morbos, orisque ulcera depellere.

Radix Quinquefolii in Aqua Generali, ac Theriaca, folia vero in Balsamo vulnerario *Pharmacopææ Parisiensis* usurpantur.

℞. Rad. Quinquefolii, Consolid. maj. & Bistortæ ana. ℥ ß. Corticis Mali Punici, ac Fructuum Ruhs. ana. ʒ ij. Ebull. in aquæ ℔ ij. ad quartæ partis diminutionem. Infunde deinde Glycyrrhizæ in fila evulsæ ʒ ij. Coletur pro ptisana adstringenti adversus dysenteriam, sanguinis sputum, mensesque immodicos.

℞. Rad. Quinquefolii, Bistortæ, & Tormentillæ ana. ℥ j. Fol. Sanguinariæ, Plantaginis, Millefolii, ac Urticæ min. ana. Man. j. Flor. Rosar. rubrar. & Balaustriorum ana. pug. j. Ebull. in aquæ ℔ vj. ad quartæ partis consumptionem. Coletur liquor linteolo, levi expressione, edulcoreturque unaquæque colaturæ libra, ℥ j. Syrupi Consolidæ maj. aut Rosar. exsicc. pro Apozemate, cujus tria vel quatuor pocula de die exhibebuntur in sanguinis sputo, & vomitu, aliisque hæmorrhagiis.

℞. Decoctionis Rad. Quinquefolii ℥ vj. Catechu, Terræ sigill. ac Succini pp. ana ℈ j. Syrupi Papaveris albi, & Consolidæ ana. ℥ ß. M. pro potione adversus sputum sanguineum.

℞. Rad. Quinquefolii p. ʒ ß. Conservæ Rosar. rubrar. ʒ j. Syrupi Consolid. s. q. M. f. b. in ventris fluxu ac dysenteria.

℞. Rad. Quinquefolii p. ʒ j. Dilue cyatho calidæ pro dosi ante febrium intermittentium paroxismum exhibenda, quæ repeti potest juxta exigentiam.

## R A N U N C U L U S.

IN copiosa RANUNCULORUM familia quatuor tantum usitatiores recensentur, 1. scilicet Ranunculus bulbosus, 2. Ranunculus sylvarum, seu nemorosus, 3. Ranunculus pratensis, 4. Ranunculus palustris.

Ranunculus bulbosus, seu tuberosus, *Offic.* Ranunculus pratensis, radice verticilli modo rotunda, C. B. P. 179. *Inst.* R. H. 289. Ranunculus tuberosus major, J. B. 3. 417. Ranunculus bulbosus, *Lob. icon. 667. Ger. Park. Raii Hist.* 581. Ranunculus Flammula dictus, *Gesn. Hort.* Crus Galli, *Brunf.* Ranunculus Calycibus retroflexis, pedunculis sulcatis, caule erecto, foliis compositis, *Linn. Flor. Svec.* 170. Ranunculus radice bulbosa, vel tuberosa flore simplici, *Camer. Hort.* Ranunculus rotundus, Flammula minor rotunda Vulcani, Batrachium exiguum, Batrachion Apuleii, Rapum Divi Antonii, Radix tuberosa nucis juglandis magnitudine, Pes Cervinus, *Nonnull.* vulgo *la Renoncule bulbeuse, le Bacinete, le Pied de Corbin, ou le Pied de Coq à racine ronde ou à tubercule charnu.*

E radice rotunda, bulbosa, plus, minusve crassa unus, aut plures emergunt caules erecti, quandoque pedales, & ultra, hirsuti, per intervalla ornati foliis compositis, ac longiusculis, in quorum apice progignuntur flores adaperti, luteo-lucescentes, plerumque simplices, quinque rotundis, nectariferis, rosaceisque petalis, calycis foliis pedunculum versus reflexis, constantes.

tes. Hisce rotundi fructus præsto sunt, in quibus plura capitata semina occluduntur. Majo florescit, ac fere ubique occurrit in pascuis, pratisque elatis, & siccis, juxta vias, in locis sabulosis, saxosisque, in quibus exilis adeo apparet, ut vix ad tres assurgat pollices. Observat Tragus, plantam hance singulis annis altius in terram radicem veterem immergere, supra quam novissima producitur. Simplices tantum flores ruri, in hortis vero translata, culturæque commissa elegantem duplicium florum varietatem suppeditat, quandoque etiam flos primo apparens alterum, vel tertium quoque adjunctum habet.

Plurimum salis acris, & corrosivi generaliter sub quacumque Ranunculi specie occluditur, unde perniciosus interne exhibitus recenseri debet. Fortasse omnino in arte Medica esset proscribendus, quum autem a Nonnullis externe usurpetur, ut modo indicabimus, id potius cautos nos reddet in eo præscribendo.

Radix autem acerrima, & caustica est, ad cauteria, ac vesicatoria forte apta, ni gangrænam quandoque suscitaret a circulatoribus haud raro arthriticorum articulationibus, calida, emollita, ac incisa audacter superimposita; quum vero alia satis tuta, nec nocentia vesicatoria præsto sint, cur prædicto adeo suspecto utemur? Juxta autem Caspari Hoffmanni relationem, hac planta cutis a mendicis fricatur, ut ulcuscula, & excoriaciones appareant, ac magnis ululatibus hæc ostentando, transeuntium charitas excitetur, ejusque fructibus avide collectis, confestim Verbasci foliis, ulceribus, applicatis sanantur. Quandoque etiam planta hæc tusa, manuum carpis, cum sale, ac aceto adversus febres imponitur, infelici ut plurimum successu, cutis enim sæpe elevatur, imposito quasi igne, erysipelatosa fluxione, febri (ut plurimum permanente) magis cruciante; tamen ex ea causticorum more applicata, effectus plane miros comprobatum fuisse, asserit Chesneau, in morbis præcipue capitis pertinacioribus, ac arthritide, exemplo Ecclesiastici, qui quum postremo hocce morbo, trium annorum elapso jam spatio, in lecto detineretur, mœrore captus, partibus magis dolore affectis, Ranunculi contusa folia admovit, vesicis excitatis, ac serositatibus magna copia effluentibus, sanus omnino evasit. Camerarius admonet, hujusce plantæ radicem recentem, causticam ac urentem, exsiccatam vero mitiorem esse mensis curriculo præterlapso.

Ranunculi bulbosi radix in Emplastro *Diabotano Ph. Parisien.* usurpatur.

Ranunculus nemorosus, *Offic.* Anemone nemorosa flore majore ex purpura rubente, vel candido, C. B. P. 176. Ranunculus phragmites albus & purpureus vernus, J. B. 3. 412. *Inst.* R. H. 285. Anemone V. *Dod. Pempt.* 435. Ranunculus sylvarum, *Clus. Hst.* 147. Anemone nemorum alba, *Ger. Raii Hist.* 624. Ranunculus nemorosus albus simplex, *Park.* Ranunculus candidus cum rubore, *Trag.* Ranunculus phragmites flore lacteo, *Gesn. Hort.* Sanicula minor quibusdam, *Brunf.* Anemonodoides flore albo, *Boerh. Ind.* 36. Anemone seminibus acutis, foliolis incisis, caule unifloro, *Linn. Hort. Cliff.* 224. Ranunculus chelidonius, Ranunculus lacteus, Ranunculus albus nemorensis, Ranunculus vernus flore albo vel roseo, Ranunculus præcox candidus vel purpureus, *Nonnull.* vulgo *la Ranoncule des bois*, *la fausse Anemone printaniere des forets*.

Huic radix est crassiuscula, longa, repens, extus purpurea, aut atra, lu-

tea vero adhuc junior, intus alba, Polypodii Quercini radici proxima, saporis acris adeo & austeriusculi, ut ea mansa fauces inflammentur, fibrisque capillaribus stipata. Exiguum, delicatulum, subrubrum, palmumque cum dimidio, & ultra altum caulem propellit, e quo prope fastigium tria emergunt folia, pedunculis subrubris, dimidium pollicem longis, hirsuta, quandoque subviridia, quandoque purpurea, ad pedunculum usque trifida; in caulis vero apice unicus locatur flos, calyce destitutus, modo albus, modo purpureus, aut roseus, senis oblongis petalis constans, pluribus staminibus subluteis in ejus centro locatis: abit inde in plura semina variegata, oblonga, villosa, cuspide recurva, ut in Ranunculo, capitata. Martio exeunte floret, ac ineunte Aprili, citius, seriusve juxta variam Hyemis indolem. Hæc Verni Ranunculi satis elegans species in agro Parisiensi, & alibi frequens occurrit in nemoribus, ac dumetis humidis, quandoque etiam flore duplici, aut albo, aut purpureo.

D. Chomelius in *Tractatu usitatiorum Plantarum*, asserit, Ranunculi speciem hance felici cum successu capiti puerorum porriginosorum applicuisse. Folia ac flores contusi absque alia præparatione Cataplasmatis forma bis de die super affectam partem imponuntur, quæ brevi sanatur. Lubenti animo Chomelianæ assertioni credimus, quamvis observatio *Ephemeridum Germanicarum* quamdam suspicionem de hac planta incutere videatur. D. J. de Muralto *decuria 2. anno VII.* refert, puellam duodecim annorum, cujus caput unguento hoc Ranunculo parato fuerat illinitum, pluribus diebus pruriginem extraordinariam in capite expertam fuisse, ac deinde in syncopem pertinacissimam incidisse, oculorum convulsionibus, ac dolore capitis elapso etiam mense conflictatam, quæ omnia ab eo causticæ Ranunculi acrimoniæ cerebrum, ac nervosum genus lædenti tribuuntur.

Ranunculus pratensis, *Offic.* Ranunculus pratensis, repens, hirsutus, C. B. P. 179. *Inst.* R. H. 289. Ranunculus repens flore luteo simplici, J. B. 3. 419. Ranunculus hortensis primus, *Dod. Pempt.* 425. Ranunculus pratensis repens, *Park. Raii Hist.* 581. Ranunculus pratensis, etiamque hortensis, *Ger.* Ranunculus pratensis, reptante cauliculo, *Lob. Icon.* 664. Ranunculus dulcis, Bratachium salutiferum, *Tab. Icon.* 51. Ranunculus dulcis, seu pratensis, *Trag.* Ranunculi genus per terram magis repens & acrimonia carens, *Gesn. Hort.* Ranunculi genus humi serpens, non mordens, *Cæsalp.* Ranunculus calicibus patulis, pedunculis sulcatis, stolonibus repentibus, foliis compositis, *Linn. Flor. Svec.* 170. Ranunculus vinealis repens, Batrachium dulce seu vineale, Ranunculus oleraceus major, Pes milvinus, Flos Butyri, *Nonnull.* vulgo *la Renoncule des Prez*.

Radice est exigua, repenti, pluribus albidiusculis conflata fibris, quæ plures emittit delicatulos caules rotundos, hirsutos, cavos, reptantes, ac humi serpentes, per intervalla e nodis novas radices emittentes; foliis profunde incisis, tribus segmentis, ad modum foliorum Apii palustris, marginibus denticulatis, utrinque hirsutis, caudis longis, atro-viridibus, maculisque albis ut plurimum postica parte notatis. Summis caulibus enascuntur flores quinque petali, rosacei, longis elati pedunculis, luteo-lucescentes, pigmento quodammodo colorati, calyceque quinquepetalo sustinentur, magno ejusdem coloris staminum numero in centro sito. Calyce vero una cum flore deciduo semina plura sub-nigra, capitata, parvis spiculis inhorrescentia succedunt. Vere ac

re ac Æſtate floret, ut plurimum Majo. Ubique fere occurrit in pratis, locisque umbroſis, in vinetis, hortiſque neglectis & humidis prope herboſas vias, rivuloſque. Quandoque duplici flore reperitur, ac ob elegantiam in hortis colitur.

Tertia hæc Ranunculi ſpecies dulcis eſt, acrimonia fere omnino caret, ac abſque ullo periculo internum in uſum revocari poteſt, Trago teſte, qui aſſerit, a plebe Germanica Aprili hujuſce folia teneriora una cum aliis eſculentis herbis eſitari. Tabernæmontanus, Dale, Mappus aliique Authores fide digniſſimi id confirmant. Libenter quoque ac impune hac planta beſtiæ ſaturantur, quæ iis lactis abundantiam conciliat. Utiliter etiam ad hæmorrhoides fovendas uſurpatur.

Ranunculus plauſtris, *Offic.* Ranunculus paluſtris, apii folio, Lævis, C. B. P. 180. *Inſt.* R. H. 291. Ranunculus plauſtris flore minimo, J. B. 3. 546. Ranunculus ſylveſtris primus, *Dod. Pempt.* 426. Ranunculus paluſtris rotundiore folio, *Lob. Icon.* 669. Ranunculus paluſtris rotundifolius, *Ger. Raii Hiſt.* 585. Ranunculus paluſtris, ſardonius, Lævis, *Park.* Ranunculus fructu oblongo, foliis inferioribus palmatis, ſummis digitatis, *Linn. Hort. Cliff.* 230. Ranunculus alter hirſuto ſemine, foliis apij, *Cœſalp.* Batrachium paluſtre, Apium riſus, Apium raninum, Apiaſtrum, Apiaſtellum, Apium hæmorrhoidum, herba ſardoa vel ſardonia, herba ſtrumea, herba ſcelerata, *Nonnull.* vulgo *la Renoncule des marais, la Grenouillette d'eau ou aquatique, l'herbe ſardonique.*

Radix ſatis craſſa, cava, pluribus ſtipata fibris, ſaporis acris, & urentis plures projcit caules quandoque craſſiſſimos, cavos, ſtriatos, ramoſos, foliis ſubviridibus, lucentibuſque, non ſecus ac Apii paluſtris folia, non raro parvis maculis albis diſtinctis. Summis caulibus, ramiſque flores apparent, inter Ranunculorum ſpecies, exiliores, quinque petalis luteis, quibus ſemina lævia ac minuta, capitata, oblonga, ac ſejuncta præſto ſunt. Majo, Junioque floreſcit, raro ſerius; juxta rivulos, locaque humida ac paluſtria luxuriare ſolet. Tam folia quam caules magnitudine variant.

Planta hæc, Cataplaſmatis forma, appoſita, aptiſſima eſt, juxta nonnullorum Authorum placitum, ad ſtrumas diſcutiendas ac reſolvendas; iterne vero præ aliis potentiſſimum eſt venenum: ſtomachum enim exulcerat, horribiles convulſiones, ac mortem parit, ni forte vomitoriis, oleoſiſque remediis ad ejus cauſticitatem obtundendam ſtatim occurratur. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria III. anno* 2. obſervatio habetur D. Beniamini Scharff, qui narrat, adoleſcentem Botanicum radicum hujuſe plantæ cum radicibus Apii paluſtris ſimilitudine deceptum, iis onuſtum domum rediiſſe, eaſque ab hortulano inſpectas, eſu optimas deprehendiſſe; Qua de cauſa abſque ulteriori examine edulium iis paratum fuit, quo plures una cum Botanico comederunt; poſt haud longum temporis ſpatium omnes animi deliquio, anxietate, ac ardore intollerabili in ſupremo ſtomachi orificio correpti, Medico ſuperveniente, re perpenſa, radiceque recognita, vomitorio liberati fuerunt, excepto prædicto adoleſcente, qui cum largiori copia edulium ingurgitaſſet in convulſionibus vitam cum morte commutavit.

Non ſolum autem internus Ranunculorum uſus *periculoſæ plenum opus aleæ* eſt, verum etiam eorum odor, præſertim hortenſium, qui quamvis Veris ornamentum reputentur, aliquando funeſti admodum comperti ſunt. D. Grundelius

delius hac in re narrat *in Ephemeridibus decuria III. anno 9. & 10.* quamdam Matronam Ranunculorum fasciculum deferentem, anxietatibus, animi deliquio, ac dolore capitis, haudquaquam liberari potuisse, nisi ejecto fasciculo, consilio adstantis Medici, cui pravi Ranunculorum odoris effectus probe innotuerant, & incredulum quemdam forte adstantem, fasciculum repetitis vicibus odoratum fuisse, qui statim iisdem omnino symptomatibus captus fuit, quæ nisi ablata causa neutiquam evanuerunt. Alius quidam quum in Processione Corporis Christi Ranunculorum fasciculum interpolatim odoraretur, statim dolore capitis correptus fuit, ac paulo post Epileptico paroxismo, qui morbus ab ipso numquam passus fuerat, ac verosimiliter a Ranunculorum odore ortum duxit. Quæ omnia aperte demonstrant, quam suspectæ Plantæ hæ omnes esse debeant, cautiusque esse, eas omnino proscribere, quum præcipue adeo magnus remediorum extet numerus, quæ iis percommode substitui possunt.

## R A P A.

RAPARUM binæ species distinguuntur, una Mas, altera Fœmina.

Rapa rotunda sive mas, *Offic.* Rapa sativa, rotunda, radice candida, C. B. P. 89. *Inst.* R. H. 228. *Raii Hist.* 800. Rapum sativum, rotundum, J. B. 2. 838. Rapum vulgare, *Dod. Pempt.* 673. Rapum majus, *Ger.* Rapum, *Park.* Rapum orbiculatum, *Tabern.* Rapum rotundum sive sessile, *Matth.* Rapum radice rotunda, Rapum vulgatius, *Nonnull.* vulgo *la Rave male ou ronde, la Rave ordinaire, la vraie Rave.*

Radix tuberosa, rotunda, carnosa, ventriosa, capiti infantis crassitie quandoque proxima, extus coloris viridis, aut albi, aut lutei, aut sub-rubri, aut subnigri, inferne nonnullas exiguas fibras emittens, substantia satis dura & alba repleta, saporis modo dulcis, modo acris, folia emittit oblonga, mangna, ampla, in terram strata, profunde ad centrum fere incisa, tactu rudia, atroviridia, saporis cum aliis olitoriis herbis communi: hæc inter caulis erigitur bipedalis, ac quandoque humanæ staturæ æmulus, ramosus, foliis basi lata, apiceque acuto eum amplectentibus, in cujus vertice locantur parvi lutei flores quatuor constantes petalis cruciformibus, calyceque sustinentur longo gracilique pedunculo appenso: Horum locum subeunt siliquæ rotundæ, intermedio septo distinctæ, quæ binas seminum sphæricorum, sub-rubrorum, Brassicæ seminibus proximorum series occludunt. Vere ac Æstate floret, radices vero tam extimo colore, quam magnitudine variare solet. Plinius, Tragusque asserunt, Rapas ponderis quadraginta librarum a se ipsis conspectas fuisse, Amatus Lusitamus librarum quinquaginta, & sexaginta, Matthiolus vero librarum centum, quod incredibile penitus videtur, nihilominus solum pingue, ac humidum una cum regionis calidite prædictæ singularis magnitudinis in causa esse potest. Addenda est culturæ efficacia, quo major enim foliorum numerus extirpatur, radices quoque eo crassiores efficiuntur.

Rapa oblonga sive fœmina, *Offic.* Rapa sativa oblonga, seu fœmina, C. B. P. 90. *Inst.* R. H. 228. *Raii Hist.* 800. Rapum sativum, oblongum, J. B. 2. 838. Rapum oblongius *Dod. Pempt.* 673. Rapum minus radice oblonga,

*Ger.*

*Ger.* Rapum radice tereti, Rapum exiguum, *Nonnull.* vulgo *la Rave femelle ou oblongue la Rave en Navet.*

Radice oblonga, graciliorique differt a præcedenti, qua tamen delicatior est, talemque habet cum Napo poximitatem ut a Nonnullis indiscriminatim usurpetur; haudquaquam tamen plantæ hæ duæ sunt confundendæ, inter se enim cosistentia, colore, ac radicum sapore plurimum differunt. Rapæ optimo in solo tam pro hominibus, quam pro brutis coluntur, ac præcipue Lemovici hinc appellantur *Raves de Limousin*, Rapæ scilicet Lemovicinæ, aptioresque sunt pro re Culinaria, quam pro Medica.

Plurimum autem continent olei, salisque essentialis; seligendæ vero sunt teneræ, probe enutritæ, optimi saporis, in solo pingui, & humido excultæ; inter alimenta maximum habent usum, ac etiam in re Medica. Jure enim uti temperantes reputantur, succo namque oleoso, ac balsamico ad acres humorum sales absorbendos aptissimo turgent, hinc conveniunt junioribus biliosis, quibusve humores acres, tenuesque sunt, dummodo stomacho neutiquam laborent, flatulentæ enim sunt, obstructiones pariunt, & difficile concoquuntur. Rustici Averni, & Lemovicini sub cineribus coctas comedunt, nos vero in pulmentis usurpamus, quibus optimum saporem conciliant. Quoad vero Medicum usum ex iis una cum saccharo syrupus conficitur eo modo, quo, cum de Napo verba fecimus, describitur, & cum successu in contumacioribus rheumaticis affectionibus, præsertim puerorum usurpatur. Extat in *Operibus* Tulpij pag. 311. Observatio, qua fertur, Jureconsultum ferina Tussi correptum, post succi Limonum immoderatum usum, innumeris remediis inutiliter tentatis, tandem Raparum decoctione solatum fuisse: decoctio hæc quoque plurimum commendatur à D. Lanzoni *in Ephemeridibus Germanicis ann.* 1727. *pag.* 116. adversus omnes Thoracis morbos, in quibus difficilis est respiratio, Asthmatisque tam sicci quam humidi omnino debellati exempla plurima in medium adducit; quadraginta sequentibus diebus scutella una satis ampla ab eo, mane jejuno ventriculo, ægris præscribebatur, viscidæ materiæ pulmones infarcientis copiosa excretione plerumque apparente. In passione Iliaca ab Etmullero quoque præscribitur, temperat enim, ac una detergit, quibus præcipue binis qualitatibus adversus oris, fauciumque aphtas, & ulcera, Gargarismatis forma, usurpari solet. Raparum semen alexiteria vi præditum fertur, hinc Antidotis sociatur: A Matthiolo autem ʒ ß. in decotione ad morbillorum, ac variolarum eruptionem adjuvandam commendatur.

Quoad externum Raparum usum, Rajus testatur, Rapæ rotundæ sive maris sub cinere coctæ offulam calidam, aurium faciei posteriori superimpositam, statim capitis, ac dentium dolorem sedare: hoc ipsum remedium D. Needham in usum revocabat felici exitu, Cataplasmatis forma in crurum ulceribus, mammarum tumoribus, nec non contra scorbuticos, strumisque vaxatos. Decoctio autem Raparum simplex adversus perniones optima recensetur, dummodo ea calida repetitis vicibus manus, pedesque *abluantur.*

*Gargarisma adversus Aphthas.*

℞. Decoctionis Rapar. ℔ j. Sacchar. albis. ℥ ß. M. pro Gargarismate, pluries de die in usum revocando.

*Cata-*

*Cataplasma adversus strumosa ulcera.*

℞. Rapar. in furno coctar. ℥ jv. Folior. Rutæ tusor. Man. ij. Semin. Sinapis tus. ℥ j. Olei Juniperi ʒ j. Unguenti nervini q. s. pro Cataplasmate.

## RAPHANUS.

Binæ reperiuntur Officinales Raphani species, 1. scilicet Raphanus sativus, 2. Raphanus rusticanus inter Cochleariæ species relatus.

Raphanus minor, *Offic.* Raphanus minor oblongus, C. B. P. *96. Inst.* R. H. 229. Raphanus, J. B. 2. 846. *Raii Hist.* 804. Radicula sativa minor, *Dod. Pempt.* 676. Raphanus sativus, *Ger.* Raphanus vulgaris, *Park.* Raphanus minor præcox, Raphanus domesticus, esculentus, *Nonnull.* vulgo *le Raifort cultivè ou des jardins, la Rave des Parisiens.*

Radice est longa, carnosa, magis, minusve crassa, ac tortuosa, extus rubra, intus alba, saporis acris, ac mordicantis, Radice hebetioris, foliis magnis, amplis, rudibus, viridibus, profunde incisis, foliis Rapæ proximis, ac nonnihil sinuosioribus; hæc inter caules ad pedis cum dimidio, vel duorum pedum altitudinem eriguntur, rotundi, ramosi, flores quadripetalos, ac cruciformes, circumferentes, quibus præsto sunt fructus cornu æmulantes, interne spongiosi, ut plurimum duas seminum fere rotundorum series, occludentes, quæ semina septo intermedio, tunica scilicet delicatula, quasi Mediastino dirimuntur, rubra sunt, seminibusque Brassicæ, Sinapisque majora, saporisque acris. In olitoriis hortis planta hæc colitur, cito flores promit, radixque e solo Vere præcipue elicitur, tunc enim tenerior, succulentior, fractu facilior, optimoque sapore, aliquatenus stimulante, gratissimo alimento inservit. Si forte autem dura, ac lignosa sit a mensis exploditur, vocaturque *Cordèe*, scilicet obdurescens.

Raphanus, improprie Parisiis, & alibi etiam Rapa nuncupatus, quæ nomenclatura solis Lemovicinis Rapis convenit, plurimum salis essentialis, & phlegmatis, parvamque olei portionem continet. Quamvis vero omnes hujusce plantæ partes Medicamentarium in usum revocari possent, tamen radix tantum ac semen usurpantur.

Præter usum itaque ejusdem radicis familiarem, pro quo recens, tenera, nec admodum crassa, nec producto semine est seligenda, convenitque temperamentis phlegmaticis, & melancolicis, dummodo eorum stomachus bene se habeat, aliter enim ructus, & morbos capitis, immoderate præsertim comesta progignit, succo Raphani quoque ars Medica utitur in renum, ac vesicæ morbis a glareis præcipue ortum ducentibus; quatriduo autem, mane, jejuno ventriculo, ejusdem ℥ iij. vel jv. præscribuntur una cum Mellis ℥ ß. Aqua vero distillata ℥ jv. adversus hydropem ministratur per integrum mensem; calculosis autem omnino est inhibenda, sales enim urinosos in vesica copiose præcipitando calculorum volumen adauget. *In Ephemeridibus Germanicis decuria 2. anno IV. pag. 345.* Observatio D. Skrockii refert, puerum Asthmate sicco, ac convulsivo jamdudum correptum, incassum variis usurpatis remediis, Raphanorum desiderio, qui forte in mensa aderant, stimulatum, ex iis unum tantum parentum indulgentia pauco conditum sale comedis-

medisse, paulo post lætior liberiorem aerem plurium horarum spatio respirare adeo visus est, ut ob hanc causam Raphani radices quotidie illi ministratæ fuerint, a quibus perfecte apto temporis spatio sanatus fuit. Dolœus vero radicis succum saccharo edulcoratum, ac identidem de die propinatum, eodem in morbo præscribit. Juxta Fernelium lenissimum emeticum, stomacho amicum, ac gravidis etiam impune præscribendum, vomitum enim absque ullo conatu progignit, Raphani succo paratur, ℥ ij. hujusce radicis in mortario marmoreo tusis, paulatim superaffundendo Vini dulcis ℥ jv. colatura tepida deinde exhibita. Radici vero substitui possunt seminum ʒ iij. vel jv. pari ratione contundendæ, addendoque seri, aut aquæ Hordei ℥ jv.

Quoad vero externum usum, Raphanus tusus, plantis pedum in febri maligna applicari solet.

Raphani radix in Syrupo Althææ, ejus vero aqua distillata in coctura Terebenthinæ *Pharmacopææ Parisiensis* usurpatur.

*Potio adversus Vesicæ glareas.*

℞. Rad. Raphani fibrillis mund. lotar. ac contusar. ℥ vj. Mellis Narbonensis, aut Mell. albi ℥ vj. Vini albi probe maturi ℔ j. Infunde per biduum in vase cretaceo novissimo, plumbo illinito. Ebulliant inde lento igne ad tertiæ partis permansionem. Fiat colatura infusi calidi per linteolum, serveturque pro usu. Dosis choclear. j. mane, jejuno ventriculo, alterius vero sero hora somni. Vel:

℞. Succi Raphani ℥ jv. Mellis albi ℥ ß. M. pro dosi quatuor sequentibus diebus mane, jejuno stomacho sumenda. Vel:

℞. Rad. Raphani ℥ j. Pulver. Fructuum exsicc. Spinæ albæ ʒ ij. Infunde per noctem sub cinerario calido in Vini albi ℥ jv. Summo mane fiat colatura pro potione in renum, vesicæque anfarctibus, jejuno stomacho exhibenda.

Raphanus rusticanus, *Offic.* C. B. P. *96. Ger. Park. Raii Hist.* 818. Raphanus sylvestris, sive Armoracia multis, J. B. 2. 851. Raphanus magna, *Dod.Pempt.* 678. Cochlearia folio cubitali, *Inst.* R. H. 215. Raphanus rusticanus, crassa radice, Lapathi folio, *Lob. Icon.* 320. Armoracia, vulgo Rapistrum, *Gesn. Hort.* Raphanus vulgaris, & rusticanus, *Matth.* Raphanus rusticus, seu major, Raphanus condimentorius sive obsoniorum, Raphanus montanus, Raphanus maximus, Raphanus marinus, Radicula magna, Thalspi Cratevæ, Thalspi magnum, Sinapi Persicum, Nasturtium album, *Nonnull.* vulgo *le Raifort sauvage, le grand Raifort, le Cram, la Mourtadelle.*

Radix longa, & crassa, repens, alba, saporis acris, urentisque eicit folia magna, longa, lata, acuta, læte viridia, Rhabarbari Monachorum folia nonnihil æquantia, ampliora tamen, ac glabriora. Ea inter caulis locatur pedem cum dimidio procerus, erectus, firmus, cavus, striatus, fultus foliis palmaribus longitudine, pollicis vero latitudine, aut ultra, utrinque profunde incisis, saporis radice mitioris; in ejus vero summitate parvi insident flores, quinque petalis albis, cruciformibus, quibus siliquæ succedunt, sive fructus semirotundi, ac sufflati, septo intermedio binis cellulis distincti, occludentesque rotunda levia, ac subrubra semina. Vere floret, ac sponte

juxta

juxta fontes, rivulos, ac ſtagna, & in pratis humidis excreſcit; In hortis colitur loco humido, ac umbroſo, ob radicem, quæ ſola ut plurimum in uſum revocatur.

*Raphanus ruſticanus* autem nuncupatur, quia potiſſimum eo ruſtici adinſtar radicis Raphani minoris veſcuntur; hiſce diebus in condimentis uſurpatur craſus, & aceto commixtus, carnibuſque, bovinæ præſertim ſociatur ad appetitum excitandum, hinc a Nonnullis *condita Sinapi Capucinorum*, communiuſque *Sinapis Germanorum* vocitatur.

Facillime multiplicatur, præterquamquod facile ex ſe repit; ſi e radice recenter extracta taleolæ ad trium linearum craſſitiem ſcindantur, dum adhuc planta viget, ac ſtatim terræ commitantur, ab unoquoque fruſtulo, radix ſatis longa, novaque planta, quaſi radix integra jam ſolo demiſſa fuiſſet, exorietur, juxta inventum D. Marchand Regiæ Scientiarum Academiæ ſodalis: ab aliis quoque plurimarum ſtirpium radicibus eadem ratione inciſis idem effectus prodire ſolet, a quo evincitur, ſub unius, ejuſdemque plantæ ſubſtantia, exceptis ſeminibus, plura germina contineri.

Salis eſſentialis ſive volatilis, oleique plurimum occludit, ac jure, meritoque inter aperientes, incidentes, detergentes, ac reſolventes recenſetur. A Medicis tam interne, quam externe præſcribitur, ac præ cæteris uſitatioribus plantis minus æquivocis facultatibus inſignitur. Aqua ſtillatitia, foliis, ac radice; ſyrupus vero, radice tantum, paratur. Aquæ doſis ℥ jv. una cum potionibus anti-ſcorbuticis, ac aperientibus; glareas expellit, & renes liberat, qua via maſſæ ſanguineæ impuritates abſtergit. Boerhaavius *in Hiſtoria Plantarum horti Leydenſis* magnis laudibus extollit ſuccum e radicibus, ac ſeminibus expreſſum, Melleque commixtum, ac mane, congruo temporis ſpatio, jejuno ventriculo exhibitum, præcipue ſi magnus ſeri Lactis depurati cyathus ſuperbibatur: remedium hoc, inquit ille, ſtomachum, renes, ac pulmones detergit; tuſſim expellit, raucedinemque inveteratam, ab acri & viſcoſa pituita oriundam profligat: cautos deinde nos reddit, ne in Tuſſi pectoris ariditate, aut ſputo cruento conjuncta in uſum revocetur. Hæ Raphani ruſticani proprietates, aliæque, de quibus verba faciemus, innumeris fulciuntur Obſervationibus, e quibus nobiliores ex Ephemeridibus Germanicis excerpſimus.

D. Raygerus *Decuria III. anno III.* hiſtoriam Matronæ adducit, quæ, cum vagis rheumaticis doloribus, multis annis, incaſſum tentatis omnibus, affligaretur, decoctionem Raphani ruſticani ex Lacte Vaccino, conſilio Medici, jamdiu epotavit, doſim gradatim adaugendo, ac minuendo, curandoque, ut ſudor, in lectulo permanendo, excitaretur, menſe nondum elapſo perfecte convaluit, abſque ullo dolorum veſtigio. *Decuria* autem I. *anni III.* D. Lanzoni refert, ſe civem Ferrarienſem 39. annos natum agnoviſſe, ſatis longo temporis ſpatio, tam dira raucedine correptum, ut ejus loquela ab eo percipi haudquaquam poſſet, ſolo Syrupi Raphani ruſticani uſu, ea moleſtia liberatum. Idem remedium ſimili in morbo Matronæ ab eodem Authore felici ſucceſſu præſcriptum fuit.

Si autem Raphanus adverſus Scorbutum, Hydropem, Rheumaticaſque affectiones interne ſumptus maxima vi donatur, eamdem quoque contra prædictos morbos externe uſurpatus exerere ſolet. Laudatus Raygerus *in eodem articulo* affirmat, militem Hungarum robuſtiſſimum agnoviſſe a Turcis captum,

ptum, verberatione in plantis pedum plexum ac tandem, captivitate solutum dolores acerbissimos adeo in pollice dexteri pedis passum fuisse, ut cum sibi haudquaquam ferendi viderentur, cultro, malleique ictu digitum amputaverit; sanato vulnere, haud longo intervallo a morbo liberatus permansit, nam dolor non pedem tantum sinistrum, & crus, sed brachios etiam, & manus occupabat, magna radicum Raphani rusticani tusi copia, Cataplasma veluti universale sibi ipsi paravit, sindone sese obvolvens, in lectulo magnam sudoris copiam excrevit, e quo statim sanus exivit, nullo inposterum dolore superveniente. Addit inde idem Author, quemdam in utroque brachio post colicam convulsivam affectionem, Paralysi affectum, frustra unctione spirituosa, ac aquarum mineralium embrochatione usurpata, tandem suadente Chirurgo militum, mane ac sero prope fornacis os obductum fuisse linimento, prædicta radice tusa, & optimo aceto, conflato, quo, Mensis spatio, repetito, brachiorum motus omnino fuit restitutus; mirum prorsus videtur colicis insultibus a prava victus ratione productis, pluries deinde correptum fuisse, nullo in membris subsequente dolore, nec ulla ad paralysim dispositione.

D. Samuel Polisius, *Decuria II. anno V.* narrat, Comitem de Mansfeld bellis proxime exacti seculi celeberrimum, detentione urinæ vexatum, Raphano rusticano tuso, decoctione diuretica ebullito, repletis sacculis, calidisque pluries perinæo, ac regioni vesicæ applicatis excretione copiosæ urinæ, ac calculi, sanatum fuisse, orcique faucibus ereptum.

Succedit Observatio D. Hermanni, *Decuria II. anno IV.* qua describitur adolescens, acerbo dolore in manu correptus, cujus digitos absque interna lanciniatione movere haudquaquam poterat; foliis Raphani rusticani tusis, ejusdem consilio, ea obducta, horarum spatio fœtidissimus odor emanavit, ulcusque prope extremam minimi digiti phalangem apparuit, e quo jamdiu ichorosus, acris, ac sub-luteus humor exivit, ulcusculo deinde sponte exsiccato, ægroque sanato: eodem malo, subsequente Hyeme, in pedibus serpente, deffectuque foliorum, remedio quoque defficiente, Vere statim foliis usurpatis, æger quoque liber evasit. Addit inde laudatus vir, domesticum tumore pedum erysipelatoso vexatum, pluribus remediis frustra adhibitis, Cataplasmate tandem foliorum Raphani rusticani leviter tusor. in usum revocato, eoque quoties exsiccato, toties repetito, tumore brevissime dissipato, ac sedato dolore, perfecta sanisate potitum fuisse.

Ledelius refert, quemdam scorbuticis doloribus in pedibus conflictatum in consilium incidisse, eosdem laudata radice aceto macerata fricare, qua ratione brevi convaluit.

Quibus omnibus manifesto evincitur, magnam esse hujusce plantæ vim in Scorbutum, Rheumaticas affectiones, massæque sanguineæ impuritates. Longius igitur, quam par esset, nobis fuit insistendum, quum enim adeo facile multiplicetur, præ manibus in casibus hisce omnibus percommode occurret. Finem ergo faciemus Observatione earumdem *Ephemeridum*, qua efficacia pariter singularis contra vermes huic tribuitur.

D. Frommanus *Decuria I. anno IV. & VII.* in medium adducit puellam annorum octo a se conspectam violentissimis convulsivis motibus agitatam, quos referente matre, ægraque perquisita a vermibus ortos pronunciavit, hinc aliquot Raphani rust. præscriptis unciis undecim evomitis vermibus, omnino sanata fuit.

Sebi-

Sebisius vero *Lib.* 2. *de Alimentorum Facultatibus pag.* 400. narrat, mulierem a se cognitam, lumbricis infestatam, pulvere Rad. Raphan. Rust. cum aceto sumpto, pluribus ex iis ejectis, incolumem evasisse: adnotandum est, stillatitiam aquam saporis esse acerrimi ac mordicantis, ideoque aqua alterius generis, morbo appropriata, temperandam; in causu vero prædicto, aquis vermifugis Partulacæ, & Graminis.

Radix Raphan. Rust. in decotione Antiscorbutica, Aquis, Generali, & Antiscorbutica, Syrupis Antiscorbut. & Althææ composito *Pharm. Parisiensis.* usurpatur.

℞. Succi Raphan. Rust. ℥ j. Mellis albi ʒ ij. M. sumaturque mane, jejuno ventriculo, congruo temporis spatio, immediate superbibendo ingens poculum Seri Lactis depurati, adversus renum ac vesicæ infractus, affectionesque scorbuticas.

℞. Rad. Raphan. Rust. ℥ j. Lactis Vacc. ℔. j. Coque pro una dosi. Fiat colatura linteolo, sumaturque per mensem, ægro, subsequenti hora, adhuc in lecto permanente in affectionibus, rheumaticis, artrhiticisque.

℞. Aquar. Pulegii, Papaver. rubr. ana ℥ ij. Syrupi Raphan. Rust. ℥ ß. M. pro Julapio pluries repetendo sero, hora somni in raucedine, tussique inveterata.

℞. Aquæ distill. Raphani Rust. ac Portulacæ ana ℥ ij. Seminis contra, ac Corallinæ ana ℈ j. M. pro Julapio anthelmintico, quatuor subsequentibus diebus sero hora somni propinando.

℞. Rad. Raphan. Rustican. rasar. ℥ jv. Folior. recent. Cochlear. Nummul. & Urticæ ana Man. jv. Fiat expressio S. A. saccharoque misceatur. In scorbuto ab ægris ʒ ij. sumentur quatuor de die vicibus.

*Vinum medicatum Anti-scorbuticum.*

℞. Bulb. Ari. recenter e solo extract. ℥ ß. Rad. Raphan. rust. ℥ j. Folior. Cochlear. Nasturt. aquat. ana Man. j. Sem. sinapis ℥ ij. Vini Rhenani, aut Vini albi ℔ vj. M. s. a. F. Vinum medicatum, cujus ab ægris bina pocula de die sumentur.

## RAPUNCULUS.

DUas tantum RAPUNCULI species a nobis describentur, Rapunculus scilicet campanulatus; & Spicatus.

Rapunculus esculentus, *Offic.* C. B. P. 92. *Raii Hist.* 739. Rapunculus vulgaris Campanulatus J. B. 2. 795. Rapunculus, *Dod. Pempt.* 165. Campanula radice esculenta flore cæruleo, H. L. B. 107. *Inst.* R. H. 111. Rapunculus exculentus vulgaris, *Park.* Rapunculum vulgare, *Trag.* Rapuntium parvum, *Ger. Lob. Adv.* Rapunculus vulgo. *Cæsalp.* Rapum sylvestre, flore Calathi cæruleo, *Gesn. Hort.* Campanula foliis radicalibus lanceolato-ovalibus, caule ramosissimo patulo, *Linn. Hort. Cliff.* 65. Rapunculus vulgo dictus, Rapunculus arvensis, Rapa sylvestris, Rapum hortense, Rapulum vulgo, Rapum sylvestre procerius, minimum Napi genus, Locusta seu Pes Locustæ, *Quorund.* vulgo *la Campanule Raiponce, la petite Raiponce de Careme.*

Huic radix est adinstar minimi digiti crassa, utplurimum simplex, alba, escu-

esculenta, unum, aut plures emittens caules bipedales graciles, angulosos, striatos, hirsutos, foliis vestitos angustis, acuminatis, cauda destitutis, latiuscula basi, caulibus, adhærescentibus, ambitu leviter denticulato, lactiginoso succo refertis. Longis pedunculis, summo caule, ramisque enascuntur flores; repræsentant autem campanulam latam, margine quinquifido, coloris cærulei, aut purpurei, quandoque albi, pariter quinquifido calyce fultam, qui tandem in membranosum fructum, tribus cellulis distinctum, plura semina minuta lucentia, ac sub-rubra referantem, immutatur. Universa planta lacte scatet, uti cæteræ campanulatæ. Junio floret; sponte erumpit in fossarum marginibus, pratis, arvisque, inter segetes præcipue. Olitoriis quoque in hortis colitur, ac una cum radice adhuc tenera, Vere collecta acetariis admiscetur. Radix hæc parvam veluti rapam dulcem, gratissimamque repræsentat, ac recens plurimi æstimatur. A quibusdam *Pes Locustæ* ob similitudinem nuncupatur. Hinc a nonnullis putatur, hac radicis specie, S. Joannem Baptistam in deserto sese enutrivisse, non vero Locustis, incredibile enim (ajunt ij) absque peculiari miraculo videtur, hoc insecto quempiam vivere posse; quasi scilicet Scriptura hominum arbitrio interpretari, resque novæ in ea intrudi possent. Radix vero hæc ejusdem met naturæ, ac radix Raphan. rustic. comperta fuit, si enim taleolatim incidatur, terræque committatur, nova planta e quolibet frustulo progignetur.

Rapunculus spicatus, *Offic.* C. B. P. *92. Inst.* R. H. 113. *Raii Hist.* 743. Rapunculus spicatus, sive comosus, albus & cæruleus. J. B. 2. 809. Rapunculum Alopecuron, *Dod. Pempt.* 165. Rapunculus spicatus Alopecuroides, *Park.* Rapuntium majus, *Ger.* Rapuntium majus Alopecuri comoso flore, *Lob. Icon.* 178. Rapunculum sylvestre, *Trag.* Rapunculus sylvestris communior, *Thal.* Rapunculus nemorosus, Rapum sylvestere majus, Rapunculus longiore spica, Rapunculus montanus albus aut cæruleus, Rapunculus flore spicato purpureo & albo, Rapuntium majus, Rapunculum spicatum cæruleum & album, *Quorumd.* vulgo *la Raiponce sauvage ordinaire.*

Huic radix est Rapunculo Campanulato omnino æqualis, quæ folia Violæ Martiæ simillima emittit, sæpe maculis nigris signata, productisque appensa caudis; caulis vero ea inter ad pedis cum dimidio altitudinem evehitur angulosus, cavus, lacte turgens, oblongis, arctioribusque stipatus foliis, efferensque in apice spicam elegantium florum cæruleorum, vel purpureorum, vel alborum, quorum quisque monopetalus est, ac plerumque segmentis quinque stellatus, parique staminum, summitatibus oblongis, numero donatur. Parvi succedunt rotundi fructus tribus distincti cellulis, pluribus minutis, sub-rubris, lucentibusque seminibus, refertis, Junio floret, radixque ejus parvi Napi, aut parvæ Rapæ, a qua nomen mutuatur æmula, ad præcedentis modum comedi solet. In montibus, pratis frigidis, vallibusque umbrosis, nemoribusque proximis occurrit.

Quamvis, uti innuimus, utraque species in usum revocari possit, prima tamen in alimentis præcipue frequentius usurpatur. Plurimum salis essentialis, oleique habet, recens, tenera, optimique saporis est eligenda, stomachum roborat, concoctionem adjuvat, vique aperienti adversus calculos glareasque aptissima recensetur. In faucium inflammationis initio, ejus decoctio a Dodonæo celebratur, a Sebizio autem ad nutricum lac adaugendum. Cæterum parum a Medicis usurpatur.

## RESEDA.

RESEDA, *Offic.* Reſeda vulgaris, C. B. P. 100. *Inſt.* R. H. 423. *Raii Hiſt.* 1053. Reſeda lutea, J. B. 3. 467. *Lugd. Hiſt.* Reſeda Plinii Neotericorum, Belgis Eruca peregrina, Italica, vel Cantabrica, *Lob. Icon.* 222. Reſeda minor ſeu vulgaris, *Park.* Seſamoides majus Lucæ Ghini, *Genſ. Hort.* Phyteuma, Dioſcoridis & Antiquorum. Reſeda foliis omnibus trifidis, inferioribus laciniatis, *Linn. Hort. Cliff.* 212. Reſeda vulgatior, Reſeda arvenſis, Reſeda latifolia, *Nonnull.* vulgo *Reſeda, ou Herbe Maure.*

Radicem habet longam, gracilem, lignoſam, albam, ſaporis acris, varioſque emittit caules ad pedis cum dimidio altitudinem, ſtriatos, cavos, hirſutos, ramoſos, debiles, recurvos, foliis ornatos, alternatim diſpoſitis, profunde inciſis, criſpatis, atro-viridibus, ſaporiſque herbæ olitoriæ. Summis caulibus, ramuliſque flores apparent, thyrſi in modum, pluribus irregularibus conflati foliis, luteo-albeſcentibus, numeroſiſque parvis ſtaminibus, apicibus luteis, centrum occupantibus, hiſce capſulæ membranaceæ, triangulares, pollicis longitudine, cylindricas urnas referentes, ſeminibuſque minutis, ſemirotundis, nigriſque repletæ ſuccedunt. Junio, Julio, ac Auguſto quoque floreſcit in arvis, ſecus vias, ac præcipue in ſolo cretaceo, in parietibus quoque reperitur.

Reſeda amariſſima eſt, eaque parum charta cærulea rubeſcit. Analyſi vero plurimum ſalis eſſentialis, oleique largitur, inter temperantes, ac reſolventes refertur, ac externe adverſus inflammatorios tumores uſurpari ſolet, dolorem, enim ſedat, inflammationemque omnino tollit.

## RHAMNUS CATHARTICUS.

RHAMNUS CATHARTICUS ſeu ſolutivus, *Dod. Pempt.* 756. *Ger. Emac.* Rhamnus ſolutivus *Offic.* Rhamnus Catharticus, C. B. P. 478. J. B. 1. 55. *Inſt.* R. H 593. *Raii Hiſt.* 1625. Rhamnus ſolutivus, ſeu ſpina infectoria vulgaris, *Park.* Spina infectoria, *Matth. Bellon. Lob. Cluſ.* Spina cervina vulgo, *Geſn. Hort.* Merula, *Hoffm.* 74. Rhamnus ramis ſpina terminatis, floribus quadrifidis, dioicis, *Linn. Hort. Cliff.* 70. Spina cervalis, cervi ſpina, ſpina tinctoria, ſpina merula. *Quorumd.* vulgo *Nerprun ou Noirprun*, *Bourg-Epine.*

Radix longa, dura, lignoſa, arbuſculam emittit, quandoque arbori proceritate æqualem, caudice mediocris craſſitiei, cortice Ceraſo ſimili, ligno ſub-luteo, ramiſque, nonnullis acutis ſpinis, ut in Pyro ſylveſtri, armatis. Folia vero ampliſſima ſunt, atro-viridia, ſatis rotunda, Mali foliis exiliora, foliis vero Pruni valde æmula, marginibus eleganter denticulatis, ſaporis adſtringentis. Flores parvi ſunt, herboſi, aut ſublutei, juxta ramos plurimi inter ſe ſatis proximi, ac faſciculatim fere diſpoſiti, quatuor diſtincti ſegmentis, ſupra coſtas ſæpius reflexis; hiſce ſuccedunt baccæ molles, Juniperi baccis craſſitie ſimiles, primum virides, poſtea, matureſcendo nigricantes, ac luceſcentes, refertæ ſucco nigro, virideſcente, amariuſculo, nonnulliſque ſeminibus rotundis in dorſo, Pyri nucleis pene æqualibus, cortice nigricante, fereque cartilagineo. Frequens in ſepibus, nemoribus, aliiſque incul-

incultis locis arbuſcula hæc occurrit, foſſas, rivuloſque amat, loca humida, dumetiſque obſita; Majo floret, baccæque Autumno, Octobrim verſus, aut ultra matureſcunt, ſtatim colligi ſolent, magnum enim uſum habent tam in arte Medica, quam Tinctoria. Craſſiores, probe enutritæ, nigræ, lucentes, glutinoſæ, recentes, ac ſucculentæ eligi debent.

Prædictis baccis maſſa quædam dura paratur, communiter, Viride e veſica *Verde de veſſie*, nuncupata. Pro eo vero conficiendo, baccis nigris, maturioribuſque tuſis, ac torculari commiſſis, ſuccus viſcoſus, nigerque educitur, lento ingne deinde abſque ulla depuratione evaporandus, addito parum Aluminis rupei in aqua ſoluti, ad elegantiorem, viridioremque colorem eliciendum, lentoque pariter igni relinquendus, uſquedum Mellis conſiſtentiam acquiſierit, tunc enim in ſuillis aut bovinis veſicis prope camini ſpiraculum, vel alio calido in loco ſupendenditur, ut perduratus ad Tinctorios, Pictorioſque uſus ſervari poſſit. Eligenda vero eſt Maſſa prædicta dura, compacta ſatis ponderoſa, atro-viridis, vel nigra, externe luceſcens, pulverata autem in perfecte viridem ſeſe colorem immutans, ſaporis ſubdulcis. *Verd de Veſſie*, appellatur, eo quod in veſicis duritiem acquirat.

Mirabile proſus, viſuque jucundiſſimum eſt, prædictas baccas tres diverſas coloris ſpecies ſibi invicem ſubſequentes largiri. 1. namque meſſis tempore collectæ, ac exſiccatæ, dein aqua, ac alumine maceratæ, poſtquam tritæ fuerint, luteum aut croceum miniſtrant. 2. Autumno jam maturæ congregatæ, tuſæ, vaſeque vitreo cuſtoditæ viridem ſane elegantiſſimum, a pictoridus valde expetitum largiuntur. 3. demum prope S. Martini feſtum decerptæ in locis præcipue, in quibus adhuc arbori adhæreſcunt, coccineum ed coria inficienda perutilem, necnon ad luſorias chartas, juxta Tragum, fucandas, colorem impertiuntur.

Hæ Rhamni Cathartici baccæ, quibus ſolummodo ars Medica utitur, Analyſeos Chymicæ ope, plurimum acidi phlegmatis, atque olei, nonnihil fixi ſalis, ac terræ ſuppeditant, purgantes, aptæque natæ cenſentur adverſus chronicos morbos, in quibus antiqua fermenta ſanguinem nimia ſeroſitate inundantia omnino ſunt extirpanda. Solantur itaque plurimum in hydrope, cachexia, paralyſi, rheumaticis, arthriticiſque affectibus: prædictis vero in caſibus Rhamni Cathartici baccæ maturæ, exſiccatæ, ac pulveratæ ʒ j. aut ʒ j. ß. præſcribuntur, & Conſervæ Flor. Aurantiorum admiſcentur, pro Bolo conficiendo, aut Baccæ exſiccatæ num. XV. aut XX. juſculo communi decoquuntur, addita ʒ ß. vel ʒ j. Cremoris Tartari, factaque per linteolum colatura, juſculum ægris propinatur: a Nonnullis vero adverſus chloroſim ʒ ij. Tincturæ Martis admiſcentur, aut ℥ ß. Croci Martis nodulo occluſa decoctioni ſociatur. Harumce autem Baccarum familiariſſimum eſt Extractum ab ℥ ß. ad ʒ vj. Opiatis præcipue aperientibus conjunctum, aut Syrupus ab ℥ j. ad ℥ ij. vel ſolitarie, vel cum catharticis potionibus præſcribendus, quæ methodus ultimo loco enunciata temperamentis delicatioribus, ac facile a catharticis irritationem ſuſcipientibus, magis arridet. A D. Chomelio in *Tractatu uſitatiorum Plantarum* narratur, a ſe ipſo hydropicis fuiſſe præſcriptum, binis præcipue, magna aquæ copia infimo in ventre laborantibus, qui ſanati fuerunt, remedio quarta vice, duorum dierum intervallo, ℥ j. cum æquali Mannæ ſolutæ portione in competenti decoctione repetito.

Sydenhamius jure, meritoque adnotavit, Syrupum Rhamni Cathartici ma-

gna siti ægros afficere; præcipue solitarium, hinc ad incommodum hocce vitandum, immediate post remedium, leve pulmentum sumendum est.

Cerasus, Prunusve, Rhamno Cathartico inseri possunt, qua ratione Cerasæ, Prunaque cathartica eliciuntur. A pluribus Authoribus, ac præ cæteris a Mizauld methodus sese horumce fructuum ope purgandi plurimum commendatur, quæ etsi jucundissima, tuta tamen semper esse non potest, Garidelius enim in *Tractatu Plantarum agri Aquisextiensis*, in medium affert, quemdam, Prunum Rhamno Cathartico insitum, possidentem, hunce omnino abscindere coactum fuisse, eo quod fructus ex eo producti superpurgationes, enormesque vomitus intulissent.

*Syrupus Rhamni Cathartici adversus Hydropem.*

℞. Succi express. Baccar. Rhamni Cathart. ℔ iij. Adde Sacchar. alb. ℔ ij. Coque ad Syrupi consistentiam. Dosis ℥ j. vel ℥ ij. una cum ℥ jv. Aquæ Petroselini, aut Parietariæ, leve pulmentum statim propinando.

℞. Vini albi ℥ jv. Rad. Jalap. f. p. ʒ ß. Zingiberis p. gr. xii. Syrupi Rhamni Cathart. ℥ j. M. pro potione ab ægris summo mane quotidie, aut alternis diebus juxta vires sumenda, usquequo inflatio evanuerit. Vel:

℞. Baccar. Rhamni Cathart. maturar. N° xx. Pruna optima N. xx. Vini albi, & Aquæ com. ana. ℥ jv. Coque lento igne ad medias. Adde versus finem Cinnamomi p. gr. xii. Sacchar. f. p. ʒ ij. vel ʒ iij. Fiat colatura pro dosi mane, jejuno ventriculo exhibenda, cum pulmento. Repeteturque congruo temporis spatio binis, vel tribus de hebdomada vicibus in cachexia, & hydrope.

## R H U S.

INter plures Rhus species a Botanicis cognitas, duæ solummodo a Medicis usurpantur, Rhus scilicet vulgare, & Sativum.

Rhus, sive Sumach, *Offic.* J. B. 1. 555. *Raii Hist.* 1590. Rhus folio ulmi, C. B. P. 414. *Inst.* R. H. 611. Rhus Coriaria, *Dod. Pempt.* 779. *Ger. Eyst.* Rhus obsoniorum, *Lob. Adv. Clus. Hist.* Sumach Arabum, *Lon. Cast. Rau-Rolff.* Sumach sive Rhus Obsoniorum & Coriariorum, *Park.* Rhus seu Rhoe Culinaria, vel Sutoria, Rhus sive Rhos Erythros vel tergorarius, Rhus Byrso-depsicum, fructex Coriarius, Vera Rhus Antiquorum, *Nonnull.* vulgo *le Sumach ordinaire, le Roux ou Roure des Correyeurs.*

Radix longa, serpens, lignosa arbusculam propellit humanam quandoque staturam superantem, quandoque vero ad arboream accedentem. Folia oblonga sunt, nonnihil lata, acuminata, hirsuta, alata, ambitu denticulato, sub-rubra, foliis Sorbi satis æqualia. Folia inter summis ramis flores enascuntur racematim dispositi, albo-lutescentes, Sambuci floribus similes, quorum quisque pluribus rosaceis foliis conflatur, calyceque quinquifido sustinetur, hisce præsto sunt capsulæ planæ, fere ovales, membranaceæ, subvirides, semen rotundum ad modum parvæ Lentis, ac subrubrum occludentes.

Hi autem fructus saporem habent acidum, satisque adstringentem. In solo sicco, & saxoso, in collibus, agroque Monspelliensi Rhus frequens occurrit.

rit, copiosissime etiam, teste Clusio, in Hispania in agro Salmaticensi, quo loco pro eo colendo, non minor quam in excolendis Vitibus diligentia impendi solet, eo quia plurimum emolumenti incolis suppeditat. Surculi ad radicem usque singulis annis amputantur, quibus exsiccatis, ac in subtilissimum pulverem redactis coria parantur. Johannes Bauhinus cum Theophrasto, Dioscoride, ac Plinio nos edocet, a Veteribus eumdem in usum surculos hosce fuisse usurpatos. Prædicti fructus quandoque etiam in culinis aut soli loco salis, aut cum sale, & Allio mixti, ad carnes tam elixatas, quam assas condiendas in usum revocabantur, qui mos apud Turcas adhuc viget, ac Belon Sylvius observat, Galliæ Narbonensis accolas, Rhus succum adinstar Omphacii sua ætate usurpavisse: hisce vero diebus a nostris culinis omnino exploditur, solis Coriariis, ac Tinctoribus, florum, fructuum, foliorumque Rhus usu relicto. A diversa vero munerum ratione diversas quoque Rhus ipsum nanciscitur denominationes, nam juxta Rajum, celebrioresque Botanicos Rhus culinarii nomine, fructus; Rhus coriarii, folia & rami; Rhus rubri Galeni, ejusdemmet arbusculæ semen venit.

Rhus Virginianum, *Offic.* C. B. P. *App.* 517. *Inst.* R. H. 611. *Raii Hist.* 1591. Sumach sive Rhus Virginiana, *Park.* Rhus sativum vel majus, *Nonnull.* vulgo *le Sumach des jardins.*

Radix admodum serpens, hac illac surculis fœta arbusculam præcedenti majorem emittit, cujus rami adeo Cervi cornua recenter e cranio prodeuntia æmulantur, ut quisque facile decipi possit, nisi propius villositas conspiciatur, figura enim coloreque prædictis cornubus similes omnino sunt. Rami excisi pallidam ac lactescentem materiem extillant, quæ statim adinstar Gummi condensatur. Folia pari ordine enascuntur, unico tantum folio in unaquaque costa desinente, majora vero, oblongiora, magisque Rhus vulgaris acuminata sunt, ac ambitu eleganter denticulato. Summis ramis spicæ villosæ, crassæ, ac atræ enascuntur, conflanturque magno florum multipetalorum, rosaceorum, ac subrubrorum numero, quibus succedunt fructus satis rubri, rotundi, plani, semen occludentes lenticulare, subnigrum, duriusculum, saporis austeriusculi. Hæc Rhus species nobis ex America allata fuit, in hortis facile colitur, præcociores flores edit, fructusque præcedenti citius maturatur, hinc Rhus Virginianum prædicto sæpe substituitur, quinimo Rhus vulgari anteponitur.

Saporem habet acidum adstringentem, & gratum, plurimumque salis essentialis, oleique continet, in re tamen culinaria nullum hisce diebus usum habet, foliis, fructibusque pro decoctis ad ventris fluxus, dysenterias, hæmorrhagias, hæmorrhoidalesque fluxus reservatis. Fructus præterea refrigerantes sunt, eorumque racemo in ℔ ij. frigidæ macerato, aqua deinde repetitis vicibus in omnibus hæmorrhagiæ speciebus in usum revocatur. A Boerhaavio quoque hoc idem infusum adversus hernias commendatur, convenientibus jam externe appositis remediis: utile quoque est in scorbuto, ac uvulæ inflammatione, aut interne, aut ad abstergendas gingivas, aut Gargarismatis forma exhibitum. Substitui etiam potest ejusdem folior. Man. j. in aquæ ℔ ij. infusum, efficacior tamen fructuum ℥ ß. recensetur. Horumce fructuum, sive racemorum Extractum aqua communi elicitum, ʒ ij. aut ℥ ß. propinatum, majorem cæterarum hujusce arbusculæ præparationum, juxta D. Chomelium, vim habere deprehenditur. A Boerhaavio vero in febribus he-

cticis sudore conjunctis, Ptisana recentibus Rhus surculis, aut racemis nondum maturis confecta magnis laudibus celebratur.

Quoad exteriorem usum Rhus Gummi, dentis infecti foramini applicatum, dolorem sedat, ejusque folia tusa Panaritio applicata, putredini ressistendi, gangrænamque impediendi vim habent.

*Syrupus Magistralis adstringens.*

℞. Fructuum Rhus ℥ ij. Rhabarbari rud. contus. ℥ j. ß. Cinnamomi ʒ ß. Santali Citrini ʒ j. Rosar. rubrar. exsicc. & Balaust. ana. ℥ ß. Macerentur per diei dimidium, super cinerarium calidum in Aquar. Plantag. ac Rosar. ℔ ij. Adde colaturæ Succi baccar. Berberis, ac Uvæ spineæ ana. ℥ jv. Mellis despumati ℔ ß. Sacchar. s. p. ℔ j. ß. Coque s. a. ad syrupi consistentiam. Dosis ab ℥ j. ad ℥ ij. in Ptisanæ adstringentis ℥ jv. aut ℥ vj.

## ROSA.

ROSA præ cæteris floribus ubique notissima, jure a Plinio *Capite III. Historiæ Naturalis* appellatur Regina florum, hortorum ornamentum, ac innumerorum morborum Panacea. Et revera præter floris elegantiam, odoremque gratissimum, ac fragrantissimum, plura nobis remedia suppeditat, non solum ex variis partibus eam componentibus, verum etiam e diversis Rosarum speciebus hoc capite enucleandis. Quare, ne confusioni locus sit, hic de singulis ejus speciebus, proprietatibus, diversisque usibus verba faciemus.

In primis itaque Rosæ in duas generales species, Sativam unam, Sylvestrem alteram dividuntur; usitatiores vero in arte Medica sunt; 1. Rosa pallida; 2. Rosa moschata; 3. Rosa alba vulgaris; 4. Rosa rubra, de quibus primum sermo instituetur, deinde vero Rosa sylvestris nostrarum sepium.

Rosa pallida sive incarnata, *Offic.* Rosa rubra pallidior, C. B. P. 481. *Inst.* R. H. 637. Rosa rubello flore majore multiplicato, sive pleno, incarnata vulgo, J. B. 2. 36. Rosa sativa Iva *Dod. Pempt.* 187. Rosa holoserica, *Lob. icon.* 207. Rosa holoserica simplex, & multiplex, *Park. Raii Hist.* 1469. Rosa sativa pallide Rubens, Rosa ex purpureo albicans folio multiplici, Rosa flore incarnato, Rosa leviter, seu dilute purpurascens, Rosa hortensis vel domestica carnis colorem referens, Rosa purpurea seu carnei coloris, *Quorumd.* vulgo *la Rose pale ou incarnate.*

E radice longa, dura, lignosa, plures emergunt caules, arbusculæque in morem in ramos divisi firmos, longos, cortice tectos, atro viridi, nonnullisque spinis robustis, & aculeatis. Folia pari ordine plerumque septenario numero, uno tantum in costa desinente enascuntur atro-viridia, rotunda, ambitu denticulato, tactu aspera. Flos quandoque simplex, quinque solum latis petalis, pluribus apicibus luteis in centro locatis conflatur, quandoque duplex foliis exterioribus, internis, latioribus, coloris rubri, aut læte incarnati, odoris suavissimi, quamvis debilioris, deciduo deinde flore calyx, quo fulciebatur, in fructum abit ovalem, aut olivarem, tunica nonnihil carnosa obtectum, cellula unica donatum, pluribus seminibus angulosis, villosis,

losis, ac subalbidis repleta. Arbuscula vero hæc in hortis culta Majo, Junioque florescit.

Plurimum olei exaltati, salisque volatilis, aut essentialis continet, floresque communiter pro aqua novem Infusionum, *Eau des neuf infusions*, conficienda usurpantur; præscribitur autem aqua hæc in potionibus catharticis, ℥ ij. Aqua pariter Rosarum stillatitia, hujusce speciei floribus, aut Rosis albis simplicibus parari solet; dicaturque oculorum morbis; in collyriis vero adversus harumce partium inflammationes una cum aqua Plantaginis miscetur; vim quoque habet ventris fluxus, sputum sanguineum, aliasque hæmorrhagias sistendi, ab ℥ j. ad ℥ vj. in injectionibus quoque ad gonorrhæas sistendas usurpatur. A Nonnullis vero Pharmacopolis pro aqua prædicta conficienda florum calyces floribus ipsis anteponuntur, qua quidem ratione longe præstantior in morbis oculorum deprehendi solet, majori enim detergendi, constringendique vi pollet. Spiritus quoque ardens in Officinis e Rosis elicitur a ʒ ß. ad ʒ ij. ex aqua Rosar. in syncope, cordisque palpitationibus a viris sumendus, mulieribus enim hystericas affectiones incutere solet, ideoque iis interdicendus. Syrupus quoque solutivus e Rosis pallidis conficitur tam Simplex, quam Compositus; Simplex earum depurato succo, æqualique Sacchari portione conflatur, ac ℥ j. potionibus laxantibus copulatur; composito vero Agaricum, Senna, ac quandoque etiam Rhabarbarum sociatur, ut plurimum solus præscribi solet ab ℥ j. ß. ad ℥ ij. Specie hac præterea componuntur Conserva laxativa, & Electuarium, in quo Scammonium ingreditur, ejusque dosis ℥ ß. definitur.

Præter purgandi vim in hisce Rosis locatam, cephalica quoque ac cordiali ob particulas salino-sulphureas, odoratasque insigniuntur; nonnihil etiam adstringentis habent a terrestribus particulis oriundum. Hinc, ut supra innuimus, in ventris simplicioribus fluxibus, diarrhæisque conveniunt, majorique emolumento, si in hisce morbis pulmenta, ℥ ij. aquæ Rosar. ovi vitello, Lactisque ℥ viij. parata exhibeantur.

Quamvis autem in Rosis dotes apprime utiles deprehendantur, quidam tamen Authores pravas qualitates in iis delitescere jure suspicantur. D. Lemeryus in suo *Cours de Chimie page 631. Edit. X.* asserit, quibusdam Rosarum odorem pituitæ profluvium excitasse, qua, stomacho redundante; vomitus, vel per nares, aut abundanti expectoratione, exonerata; rheumaticæ affectiones pertinaces obortæ sunt. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria* 2. *Anno* 2. Ledelii observatio reperitur, qua se hominem melancholici temperamenti sanissimum agnovisse ait, qui coactus erat domi permanere, quo potissimum tempore Rosæ efflorescerent, aliter enim Rosarum odore ad ejus nares perducto, certissimum sibi periculum imminebat, pruritum in oculis inflammatione, lacrimarumque involuntario profluvio conjunctum, perpetiendi. Monachus odore Rosæ in syncopem prolapsus ab Amato Lusitano in medium adducitur, observationesque extant, nonnullos, mortiferis eodem odore deliquiis fuisse vexatos. Quicumque ergo vaporibus dediti diligenter odorem hunce vitabunt: experientia enim jam constat, fragrantes odores hisce ut plurimum nocere, quum vero genus nervosum in iis irritationem facile suscipiat, quaque de causa accidentia quandoque funesta originem ducere facillime possunt.

Rosæ pallidæ in Electuariis Diaphœnico, & Diapruno; ac Ungento Rosato;

earum vero ſuccus in Emplaſtro *Abbatis de Grace Pharm. Pariſien.* Syrupus Roſar. ſimplex in Pilulis Agarici, & Imperialibus; Compoſitus vero in Pilulis Angelicis; Aqua ſtillatitia, ſpirituſque ardens in Aqua Milleflorum *ejuſdem Pharm.* uſurpantur.

℞. Sennæ mund. ℨ ij. Cremor. Tartar. ℨ j. Fiat infuſio per noctem ſuper cinerarium calidum in cyatho ferventis aquæ. Solvantur craſtina die Mannæ ℥ ij. fiat inde colatura per linteolum, cui adde Syrupi Roſar. Solutivi ℥ j. pro doſi Purgantis communis in Catharris, Rheumaticiſque affectionibus convenientiſſimi. Vel:

℞. Decoctionis Folior. Cichorii amar. ℥ vj. Rotular. Diacarthami ℨ iij. Syrupi Roſar. ſolutivi ℥ j. M. pro potione purgante. Vel:

℞. Foliculor. Sennæ ℨ ij. Pulpæ Caſſiæ r. e. ℥ j. Fiat infuſio per noctem in cinerario calido ℥ viij. decoctionis Cichorii ſylveſtris, ſolve deinde in colatura ℥ j. Syrupi Roſar. ſolutivi ſimplicis pro potione laxativa in inflammationum exitu exhibenda.

℞. Terebenthinæ Venetæ lotæ, & concoctæ in aquis Plantag. & Roſar. ℨ ij. Rhabarbari torrefacti ℨ ß. M. pro bolis adſtringentibus, tribus doſibus dividendis, duarum horarum intervallo, in mictu ſanguineo, pertinacique diarrhæa ab ægris, ſumendis.

*Collyrium temperans.*

℞. Aquar. Plantag. & Roſar. ana. ℥ iij. Trochiſcor. *Albi Raſis* ℨ j. M. pro Collyrio in oculorum inflammationibus aptiſſimo.

*Collyrium diſſecans, detergens, & cicatricem inducens in Corneæ exulcerationibus.*

℞. Aquar. Roſar. & Plantag. ana ℥ j. Tuthiæ pp. ℨ j. M. pro Collyrio, quo tepente pluries oculi foveantur.

*Collyrium adverſus Palpebrarum pruritum.*

℞. Ovum recentiſſimum, Vitrioli albi gr. xx. Aquæ Roſar. ℥ jv. Ovo obdurato, vitelloque ejus rejecto, albumen in mortario marmoreo una cum vitriolo contunde. Adde inde prædictam aquam Roſar., fiat colatura linteolo albo, ſerveturque pro uſu: goſſipii parum in hac aqua immergetur, eoque bis, terve de die palpebræ humectentur.

Roſa moſchata, *Offic.* Roſa moſchata ſimplici flore, C. B. P. 482. *Inſt.* R. H. 637. *Ger.* Roſa moſchata minor flore ſimplici, J. B. 2. 45. *Raii Hiſt.* 1474. Roſa muſcata alba, *Tabern. Icon.* 1086. Roſa moſchata ſimplex, *Park.* Roſa damaſcena quam Coroneolam vocant, *Lugd. Hiſt.* 125. Nerſin Nerſrim vel Nefrim Serapionis, *Anguill.* Roſæ hetruſcorum damaſcenæ, Moſchette vulgo dictæ, *Matth.* Roſa muſcatula vel muſcatella, Roſa moſchum redolens, Roſa alba Alexandrina, Roſa ſera ſive Autumnalis, *Quorumd.* vulgo la *Roſe muſquèe ou de damas.*

Radix firma ac lignoſa, uti in Roſa pallida, emittit caules altos, pedes decem, vel duodecim, craſſos, erectos, ſpinis ſub-rubris, conſiſtentibus, minorique

norique copia, quam in Rosa pallida, stipatos. Folia quoque latiora sunt, minus rugosa, acutiora, lævia, ac viridia interne, externe vero subalbida, ambitu denticulato, septem plerumque, ac quandoque etiam novem invicem opposita, sive pari ordine, in costa, unico tantum desinente, basi spinis valde uncinatis armata. Flores mediocrem habent magnitudinem, simplices, sunt albi, quinque unguiformibus conflati foliis, odoris suavissimi, moschum redolentis, saporis amari, ac nonnihil adstringentis fauces aliquali acrimonia afficientis. In hortis colitur Rosa hæc, Autumnoque floret, nec adeo facile est definire, unde potissimum originem ducat: quum autem certum sit, magno frigore plurimum lædi, hinc e regione aliqua calida nobis eamdem allatam fuisse facile suspicari potest. Rosa moschata flore duplici non diversam speciem, sed præcedentis varietatem tantum effingit.

Rosæ moschatæ plurimum olei exaltati salisque volatilis occludunt. Eosdem fere ac præcedentes effectus edunt, fortius tamen purgare solent, nonnullos enim, earum pug. ij. in jusculo Vitulino infusis, eoque mane hausto, optime purgant. Alii vero eas comedunt, uti de floribus Mali Persicæ usuvenire solet. In Provincia, calidisque regionibus, in quibus odoratiores sunt, ex iis tres aut quatuor tantum in infuso, aut conserva, violentam adeo quandoque catharsim movent, ut vomitus, ac superpurgationes excitentur, qua de re consulendus est Amatus Lusitanus in historia cujusdam Romanæ Matronæ. Quapropter robustioribus tantum earumce usum concedimus, delicatulis temperamentis, purgantes mitiores solummodo, ministrantes, ut mala omnia diligenter vitentur, quæ a nimia irritatione progigni possunt.

Aqua stillatitia horumce florum prostat in Officinis, quæ majorem in Culinis, ad saporis fragrantiam, quam in re Medica usum habet, tamen ℥ viij. catharsim excitat, raro autem hac ratione in usu revocatur.

Usurpatur vero in Pilulis Angelicis; & Aqua Milleflorum *Pharmacopææ Parisiensis*.

*Jusculum purgans.*

℞. Carnis Vitullinæ ℔. ß. Coque in q. s. aquæ fontis ad jusculum conficiendum. Adde ultimo semihorio Fol. Cichorii albi, ac Betæ Man. j. Fiat colatura levi expressione, ac infunde in colatura calida pug. ij. Rosar. moschatar. Denuo fiat colatura pro Jusculo laxante mane jejuno stomacho propinando.

Rosa alba, *Offic.* Rosa alba vulgaris major, C.B.P. 482. *Inst.* R. H. 637. Rosa candida plena & semiplena, J. B. 2. 44. Rosa alba, *Tabern. Icon.* 1083. *Ger. Raii Hist.* 1473. Rosa Anglica alba, *Park.* Rosæ albæ *Matth.* Rosa candida simplex & plena, *Camer. Hort.* Rosa sativa alba, *Brunf.* Rosa candida, *Cæsalp.* Rosa flore albo pleno & simplici, *Eyst.* Rosæ albæ hortenses, Rosæ vilissimæ albicantes, Rosæ domesticæ albæ, Rosa parva quinque foliis constans candidis vel multiplex, *Nonnull.* vulgo *la Rose blanche commune.*

Radix præcedenti omnino similis caules extollit quandoque ad octo, vel decem pedum altitudinem, crassos, lignosos, spinis armatos acutis, hispidis, raris, cortice lævi, ac expolito contectos, foliis quinque aut septem in costa locatis, oblongis, lævibus, crenatis, basi, quandoque spina, armata. Summis caulibus, ramisque flores enascuntur magni, albi, odori, quinque con-

conflati petalis albis, pluribus staminibus, apicibus luteis centrum occupantibus; hi tandem in fructus abeunt rotundos, maturationis tempore subrubros, plura semina oblonga, dura, & villosa occludentes. In hortis colitur, in quibus quandoque celerius, quandoque serius, juxta locorum diversitate flores edit, plerumque vero Majo & Junio; numero autem foliorum flos variat, nec simplex, aut duplex specie differunt, nihilque aliud sunt, nisi ejusdem met plantæ varietates, sique aliæ occurrant discrepantiæ, accidentia sunt a solo, regione, ac cultra prodeuntia. Rajus vero ne Rosam quidem pallidam sejunctam ab hac specie existimat, colore enim ac magnitudine florum unice differt.

Rosæ albæ, plurimum habent phlegmatis, olei exaltati, ac nonnihil salis essentialis. Adstringentes ab omnibus recensentur, & ab Etmullero remediis, fluoribus albis sistendis, dicatis adstipulantur. Earum aqua stillatitia tantum, in usum revocatur in Collyriis adversus oculorum inflammationem. Constantinus, & Lemeryus asserunt, eadem fere ac Rosæ pallidæ purgandi vi præditas esse, contrarium tamen major Medicorum numerus sancivit, nisi forte de Rosis albis moschatis a laudatis viris sermo fuerit institutus.

Rosa rubra seu Provincialis, *Offic.* Rosa rubra multiplex, C. B. P. 481. *Inst.* R. H. 637. Rosa rubra flore valde pleno & semi-pleno, J. B. 2. 34. Rosa Provincialis major, *Tabern. Icon.* 1084. Rosa Provincialis rubra, *Park. Raii Hist.* 1469. Rosæ rubræ seu Provinciales, Rosæ rubentes vel saturatæ purpuræ, *Nonnull.* vulgo *la Rose rouge ou de Provins.*

Radix serpens, fortis, ac lignosa plures extollit caules speciebus præcedentibus humiliores, viridiori cortice contectos, spinis armatos, foliis ejusdem magnitudinis, pari ordine locatis, uno tantum, in costa, desinente, ambitu denticulato, lævibus, superne viridibus, inferne subalbidis, floribus satis venustis, saturate rubris, expolitissimis, odoris gratissimi, debiliorisque. In hortis colitur, floresque promit Junio, Julioque; e Provincia Gallica regione nomen mutuatur, ibi enim vel sponte crescens, vel aliunde delata elegantior, exquisitiorque esse solet; folliculis clausis, ac expansioni proximis, Rosæ colliguntur, ut facilius earum color virtusque servetur, libero enim aere omnino adapertæ alterationem subire possent. Rajus hac in re veluti memoratu dignum demonstrat, quod quamvis Rosæ collectæ citissime exsiccentur, odoremque suavissimum exhalent, tamen in arbuscula adhuc permanentes certa distantia nullum odorem emittunt, quemadmodum in Caprifolio, Caryophyllisque nonnullis evenire solet, si enim in Rosario, rosis adapertis confertissimo, oculis clausis aliquis constiterit, nullo ad ejus nares odore perducto, Rosarium adesse omnino ignorabit, a quo evincitur Rosarum odorem in aquoso vapore consistere, qui facillime dissipatur.

Plurimum olei, salisque essentialis præbere solent, interne sumptæ adstringentes sunt, detergentes, ad stomachum roborandum, vomitus, ventris fluxus, hæmorrhagiasque sistendas aptissimæ. Flos tantum plerumque in usum revocatur, eligendusque est, recens, eleganti colore atro-rubro, ac fragrantissimus: curandumque est, ut clausus, pressusque in vase vitreo, locoque sicco conservetur, ne color, odor, virtusque dissipentur. Colligendus præterea est summo mane, antequam radiis solaribus torqueatur, tunc enim essentialis ejus substantia noctis frigiditate quodammodo centrum tenet, accedente vero Sole omnino perit.

Prædictis Rosis magnus Medicinalium Compositionum numerus efformatur, quarum præcipuæ, interne usurpandæ sunt, Tinctura, Syrupus, Conserva tam sicca, quam liquida; externe vero, Mel, Oleum, Acetum, ac Unguentum rosatum. Tinctura ptisanæ species est, conficiturque infundendo rosas siccas in ebullienti aqua, addendo vitrioli spiritum, saccharumque; magnis cyathis tepida præscribitur in omnibus violentis hæmorrhagiis, ac plerumque, aliis adstringentibus incassum adhibitis desperatis in casibus magnum affert emolumentum. Syrupus e Rosis siccis conflatur, floribus, calyce, staminibusque destitutis, portioneque alba ungula nuncupata mundatis ut venustiorem colorem habeat; ℥ j. in quacumque hæmorrhagia ministratur, efficaciorque elegantiorque esse solet, additis nonnullis guttulis spiritus sulphuris aut vitrioli, dummodo hæmorrhagia e thorace ortum non habeat; acidi enim spiritus pectus lædunt. Conserva autem quæ a ʒ ij. ad ℥ ß. exhiberi solet, iisdem ac syrupus & tinctura qualitatibus potitur, vimque habet prætera tussim, rheumaticos affectus, phthisimque sanandi. Infinitus fere extat casuum numerus, *Ephemeridesque Germanicæ*, *Decuria II. anno IV.* eodem articulo, tres observationes D. Crugerii nobis suppeditant, quibus ab eo asseritur, desperatos Phthsicos sanatos fuisse Lactis Vaccini, & Conservæ Rosar. repetito adeo usu, ut ab uno ex iis ægris duorum mensium spatio triginta & ultra ejusdem Conservæ libræ, ab alio vero viginti & ultra consumptæ fuerint. Riverius asserit, Pharmacopolam Phthisicum agnovisse, continua Sacchari Rosati comestione sanatum. Rosæ rubræ nomen quoque largiuntur Pulveribus, Aromatico Rosato, & Rosarum recentium. Præparationes vero hæ stomachicæ sunt, ac adstringentes, usumque habent familiarissimum in ventris fluxibus, vomitibusque.

Quoad exteriorem Rosarum usum Cataplasmatis forma, & in Fomentis adstringentibus, ac resolventibus usurpantur; aptæ sunt ad nervosas partes, luxationibus, pedum ac manuum distorsionibus, ac contusionibus, afflictatas roborandas, fluxus sanguineos sistendos, uterique ligamenta firmanda. Qua de causa leviter in Vino rubro optimo decoquuntur, calidumque magma infimo, ventri applicatur. Hoc idem fomentum capiti admotum post percussiones, aut contusiones, abscessum in parte, minitantes, ad hoc evitandum sæpe juvit, nec non ad pertinaces Hemicranias sedandas. Supra innuimus, hisce quoque Rosis Mel, Oleum, Acetum, ac Unguentum parari. Mel familiarissime Gargarismatis forma, in injectionibus detergentibus, & consolidantibus, nec non ad oris, aurium, aliarumque corporis partium ulcera sananda, in clysteribus demum detergentibus, & refrigerantibus usurpari solet, Oleum, Acetum, Unguentumque rosatum eosdem fere usus habent, inflammationes videlicet externas temperandi, dolorem sedandi, tumoresque supurationem minitantes blande resolvendi; quum autem remedia hæc aliquam repellendi vim habeant incipiente tantum inflammatione adhibenda sunt.

Unguentum Rosatum pari Unguenti Populei portione conjunctum fronti, temporibusque admotum somnum provocat. De staminibus, apicibusque *Antheris* in Officinis nuncupatis haudquaquam verba faciemus, quemadmodum de calyce, fructu, ac semine, quibus ab Authoribus dubiæ admodum facultates tributæ fuerunt: certissimum est, adstringentia esse, raro tamen usurpantur, exceptis Dentrificis, quibus ad gingivas roborandas, fluxionesque avertendas admiscentur.

Rosæ

Rosæ rubræ in Theriaca, *Diascordio*, Confectione Hyacinthina, Pulvere *Diarrhodon*, Trochiscis de Camphora, pluribusque aliis *Pharmacopææ Parisiensis* præparationibus ingrediuntur.

℞. Rosar. rubrar. esicc. ℥ j. ß. Fiat infusum in aquæ bullient. ℔ jv. M. deinde Spiritus Vitrioli ʒ j. Adde colaturæ Sacchari s. p. ℥ iij. ad gratiam. M. pro Ptisana, aut Tinctura Rosarum, quæ tepida in fluxibus sanguineis, aliisque hæmorhagiis pro potu ordinario ministrabitur.

℞. Rosar. exsicc. p. ʒ ij. Aquæ Plantag. ℥ jv. Syrupi Rosar. ℥ ß. M. pro potione bis de die repetenda in Dysenteria inveterata.

℞. Conservæ liquid. Rosar. rubrar. & Cynorrhodon ana ʒ j. Confectionis Alkermes ʒ ß. Extracti Opii gr. j. ß. M. f. b. pro duabus dosibus in vomitibus, aut superpurgationibus.

℞. Conservæ Rosar. esicc. ℥. j. Fund. in Lactis Vacc. ℔ j. lento igne absque ebullitione. Repetatur jusculum hocce calidum mane, ac vesperi mensis spatio in Rheumaticis pertinacioribus affectionibus Phthisique pulmonari.

℞. Decoctionis Hord. integr. ℔ j. Mellis rosat. ℥ j. M. pro Injectione detergente in aurium ulceribus, aut Gargarismate in oris, farciumque Aphtis.

℞. Terebenthinæ Venetæ ℥ ij. & Vitellum ovi. M. s. q. Olei rosati, pro Unguento digestivo communi.

℞. Olei rosat. & Laurini ana. ℥ ij. M. & adde q. s. Spiritus Vini pro Linimento, quo partes dolorificæ ter de die fovebuntur, eas charta bibula & quadruplicata compressa cooperiendo. Linimentum hocce mira præstat adversus Contusiones, doloresque internos, fortuito, aut a percussionibus obortos.

℞. Folior. Solani, Lactucæ, & Plantaginis ana. Man. j. Sedi maj. aut Lenticulæ palust. Man. ß. Coque in q. s. Aceti Rosat. & adde Farinæ Fœnugræci ℥ iij. Olei rosat. ℥ ij. M. pro Cataplasmate repercutiente, in inflammationibus incipientibus, aptissimo.

℞. Rad. Lilior. albor. & Althææ ana. ℥ j. Flor. Melilot, & Chamomill. ana. pug. ij. Coque in s. q. aquæ com. usque dum ad molliusculam consistentiam reducantur. Colentur inde per cribrum setaceum, & adde Pulpæ collectæ, Quatuor Farinar. emollientium ana ℥ jv. Coque iterum parumper s. q. Oxycrati: adde inde Rosar. Provincialium esicc. & p. ℥ ß. Croci ℈ j. Olei Amygd. dulc. ℥ ij. M. pro Cataplasmate emolliente, ac resolvente.

Cynorrhodes seu Cynosbatos, *Offic.* Rosa sylvestris vulgaris, flore odorato incarnato, C. B. P. 483. *Inst.* R. H. 638. Rosa sylvestris alba cum rubore, folio glabro, J. B. 2. 43. Rosa Canina vulgo dicta, *Dod. Pempt.* 187. Rosa sylvestris, *Tabern. Icon.* 1088. Sentis Canis & Cynosbatos, *Brunf.* Rosa sylvestris inodora sive Canina, *Park. Raii Hist.* 1470. Rosa canina inodora, *Ger.* Rosa caule aculeato, petiolis inermibus, calycibus semipennatis, *Linn. Flor. Svec.* 147. Rosa sylvestris Cynosbati vel Cynorrhodi nomine veteribus dicta, *Gesn. Hort.* Rosa sylvestris altior & spinosior, *Cæsalp.* Rosa sylvestris odorata incarnato flore, *Eyst.* Rosa Eglenteria, Eglantina sive Eglentina, Canirubus vel Rubus Caninus, *Quorumd.* vulgo *la Rose sauvage*, *la Rose de Chien*, *l'Eglantier ou Gratecul.*

Radix longa, serpens, dura, lignosa, plures effert caules crassos, satis altos,

tos, magnis ſpinis armatos, foliis grandioribus, oblongis, lævibus, foliis Roſæ domeſticæ ſimilibus; floribus Roſas ſimplices æmulantibus, quinquepetalis, albis cum rubore, odoris, facile flaceſcentibus, minimo auræ impulſu deciduis; abeuntibus tandem in fructus ovales aut oblongos, glandiformes, primum virides, adinſtar Coralli in maturatione rubros, cortice carnoſo, medulla inſtructo, ſapore dulci, grata aciditate permixto, plurimaque ſemina in cavitate occludentes oblonga, anguloſa, alba, dura, compacta lanugine obducta, quæ facile ſegregatur, ac ſi digiti, aliiſque partibus adhæreſcat, cutim penetrat, excruciānteſque pruritus excitat, hinc hi fructus Gallice *Grateculs* nuncupantur. Arbuſcula hæc fere ubique occurrit in ſepibus, dumetiſque in quibus ſponte creſcit. In truncis vero, ramiſque Roſarum ſylveſtrium ſpongiæ villoſæ ſpecies quædam enaſcitur, craſſitiemque habet parvi Pomi, aut nucis craſſioris, levis eſt, coloris rubri, vocaturque Gallice *Eponge d' Eglantier*, in Officinis vero *Bedeguar;* quæ ſpongia nihil aliud eſt, niſi tumor a Culicis punctura obortus, qua via ova deponit, quæ adaperta ſpongia in totidem vermiculos ſuis cellulis abditos immutata apparent, ac deinde vermiculi in totidem pariter culices commutantur.

Roſæ ſylveſtres nonnihil olei ſemi-exaltati, ſaliſque eſſentialis, ac plurimum phlegmatis continent. Earum vero fructus, ſal acidum plurimo oleo irretitum. Purgantes ſunt, uti cæteræ Roſarum ſpecies: Syrupus autem ex iis paratus adſtringendi vi pollet, reliquiſque omnibus purgantibus anteponitur, quum in mulierum fluoribus tam ſanguineis, quam albis purgandum eſt. Conſerva Cynorrhodon, fructibus ſpeciei hujuſce, confecta, maxime in fluxibus ventris celebratur ad bilis ardorem, urinæque acrimoniam compeſcendam, nec non in dyſuria, ſtomachi debilitate, difficilique ciborium concoctione. A ʒ ij. ad ℥ ß. exhiberi ſolet. Semina vero a fructuum pulpa, qua ut innuimus Conſerva paratur, ſejuncta aperientia ſunt; hinc conveniunt calculoſis, aut emulſione ʒ ij. in ℔ j. convenientis aquæ, aut ʒ j. pulveris forma in Vini albi cyatho. Hagerdon, a quo opus *de Roſis ſylveſtribus* fuit exaratum, teſtatur, a ſe hydropicos duos deſperatos, longo uſu ptiſanæ, integris Cynorrhodon fructibus, paratæ, ſanatos fuiſſe; idem quoque pluribus Medicorum obſervationibus confirmatur. Neutiquam ergo negligendum eſt remedium hocce. Spongia quoque prædicta a Medicis in uſum revocatur; iiſdemque ac fructus donatur facultatibus, pulveris aut infuſionis forma propinata a ʒ ij. ad ℥ ß. in decocto autem detergit magis, quam adſtringat, & Gargariſmate etiam in uſum revocari poteſt adverſus oris, fauciumque ulcera. Ejus vero cinis, una cum ſpongiæ communis cinere aptiſſima eſt juxta plurimorum Authorum ſententiam ad ſtrumas reſolvendas. Adnotatu dignum quoque eſt, hujuſce met plantæ radicem a maximo Medicorum numero tanquam ſpecificum adverſus Hydrophobiam prædicari. Mirabile prorſus Cataplaſma contra morbum hunce ſuis in ſcriptis reliquit celebris Eques Digby a nobis in ſequentibus in medium adductum, ac tanquam remedium purgans reputatum, quod ſcilicet tempeſtive applicatum veneni progreſſui, impedimento eſſe poteſt, inutile omnino, ſi rabies ſeſe jam manifeſtaverit; uſque adhuc enim remedium revera ſpecificum adverſus horribile prædictum morbum, ignotum eſt.

Conſerva Cynorrhodon in Pilulis de Aquileja *PharmacopϾæ Pariſienſis* uſurpatur.

℞. Fru-

℞. Fructuum Cynorrhodon nondum matur. M. jv. Coque, uſque dum emolliantur cum optimo Vino rubro in pultario, igne claro, & moderato. Fiat colatura linteolo ſatis denſo, forti expreſſione. Liquor cum ſ. q. Sacchari p. denuo igni committatur ad Syrupi conſiſtentiam pro uſu, doſis, trium vel quatuor cochlearium de die in uteri Hæmorrhagiis.

℞. Spongiæ Cynorrhodon q. l. Calcinetur, f. p. ſubtiliſſimus, cujus ʒ j. noctis ſpatio infunde in optimi Vini albi ℥ vj. Fiat colatura pro doſi ſingulis menſibus in Lunæ decreſcentia repetenda.

*Potio, & Cataplaſma adverſus canis rabidi morſum.*

℞. Folior. Rutæ, Salviæ, & Bellidis ana. pug. j. Rad. Cynorrhodon, & Scorzoneræ ana. ℥ ß. Bulb. Allii N. vj. Salis com. pug. ij. Radices diligenter lotas, taleolatimque inciſas, una cum Salvia in mortario marmoreo, pauloque poſt reliqua omnia cum prædictis tere pro Cataplaſmate novem diebus demorſæ parti, prima ſaltem vice, antea ſcarificatæ, & aqua cum Vino, ſaleque mixta, ablutæ, ac mundatæ, mane applicando.

Priuſquam vero Cataplaſma apponatur:

℞. Materiæ prædictæ Ovo gallinaceo parem quantitatem. M. ac agita convenienti temporis ſpatio in mortario cum cyatho Vini albi. Fiat colatura ab ægro totidem diebus haurienda.

*Remedium alterum adverſus Rabiem anno* 1748. *a quodam liberali viro poſt varia experimenta publici juris factum.*

℞. Rad. Cynorrhodon prope S. Joannis feſtum, ac Orientem verſus evulſæ, primaque tunica deſtitutæ, & eraſæ, digitalia tria plena pro unoquoque ægro.

℞. Deinde ova gallinacea N. iij. e quibus germina diligenter auferantur, ac unum extremitate adaperta, oleo nucis abſque igne extracto, una vice cumulate adimple, deinde radice eraſa, oleoque prædicto, ovorum placenta, ſartagine ferrea igne rubefacta, ſine ſale paretur. A demorſis jejuno ventriculo placenta prædicta ſumenda eſt, perſeverando trium horarum ſpatio abſque ullo cibo vel potu. Vulnus vero, ſi adſit, probe eſt ſcarificandum, Vinoque calido detergendum, portioneque alterius activioris placentæ prædicta ratione paratæ, tæniaque obducendum, novemque dierum exacto ſpatio detegendum, tunc enim, ſi animal, qui morſum intulit revera rabidus fuit, rubicundum vulnus invenietur, ſin minus, quaſi ſaliva obductum apparebit, quo exacto tempore Theriaca parvæ nucis æquali quantitate ægris propinabitur.

Doſis prædicta pro animalibus quoque, canibus nempe, felibus, porcis &c. inſervire poteſt, quibus placenta eadem devoranda exhibebitur.

Pro animalibus autem, ad eam ingurgitandam neutiquam aptis, nempe equis, bovibus, vaccis &c. ℔ j. ſive ſextarium Olei nucis juxta animalis magnitudinem recipitur, duobuſque Manipulis radicis Cynorrhodes prædicto in oleo, xij. horarum ſpatio, infuſis; doſis jejunio ventriculo animalibus, mane propi-

propinatur, cibo, & potu tribus subsequentibus horis interdictis, curando, ut duobus vel tribus proximis diebus animalia prædicta natent.

Apta Testarum Ostrearum calcinatarum quantitas prædicto remedio addenda est, proque animalibus augenda.

Testæ autem ostreæ maris anteponendæ sunt, quæ interna parte marginem versus quodam veluti filo nigro distinguuntur.

℞. Cort. Simaroubæ p. Corall. rubr. pp. & Gall. Alep. ana gr. X. Pilular. de Cynoglossa gr. j. M. f. q. Conservæ Cynorrhodon f. b. anti-dysentericus, & adstrigens.

## ROSMARINUS.

ROSMARINUS sive Anthos, *Offic.* Rosmarinus hortensis angustiore folio, C. B. P. 217. *Inst.* R. H. 195. Rosmarinus coronarius fruticosus, sive nobilior, angustiore folio, J. B. 2. 25. *Raii hist.* 515. Rosmarinum coronarium, *Dod. Pempt.* 272. *Matth. Anguill. Lob. Camer. Eyst. Lugd. Hist.* Rosmarinus coronarius, *Ger.* Libanotis coronaria, sive Rosmarinum vulgare, *Park.* Rosmarinus, *Brunf. Trag. Fusch. Turn. Lonic.* Libanotis coronaria, *Cord. Gesn. Hort.* Cassia nigra Theophrasti, *Dalech.* Rosmarinus sativus minor, seu tenuifolius, Libanaria, Hyssopus Hebræorum, Arbor sanctæ Mariæ, *Quorumd.* vulgo *Romarin*, *Encensier*.

Tenuis, ac fibrosa radix caulem arbusculæ in morem propellit ad trium vel quatuor pedum altitudinem pluribus divisum ramulis longis, gracilibus, refertis foliis integris, arctioribus, duris, rigidis, superne atro-viridibus, inferne vero albis, succo fere destitutis, odoris admodum aromatici, grati, fragrantis, saporis acris. Flores tubulosi sunt, parvi, floribusque Salviæ minores, ingenti numero, media inter folia dispersi: efformantur autem tubulo superne in duo labia diviso, dilute-cæruleo, aut albidiusculo, odoris mitioris, minusque foliis penetrantis. Hisce præsto sunt semina quatuor plerumque minuta, ovalia, capsula occlusa, quæ veluti floris calycem efformabat. Arbuscula hæc in hortis colitur Aprili, Majo, Junioque flores emittit: sponte autem, abundeque crescit in calidis, siccisque regionibus, Hispania potissimum, Italia, Occitania, Provincia; camphoram, aut thus quodammodo redolet; satis utilis ab antiquis usque temporibus reputata fuit, in quibus ea coronæ vel florum pilei efformabantur; taleis quocumque in loco facile progignitur, solumque optimum tantum exposcit quamlibet directionem, ac formam receptura. Magno frigore omnino perit, si autem sæpius ejus ramorum summitates scindantur, admonente J. Bauhino, non solum citius excrescet, verum etiam ligno sese magis indurante, facilius etiam frigori ressistet: addit inde, fimo admoto omnino perire. Rosmarinus quandoque variare solet foliis diversis coloribus depictis, lutescentibus scilicet, aut albescentibus, Hyeme non decidentibus. *Anthos* ejus flos nuncupatur, veluti *flos per excellantiam* indigitandus sit, quamvis odor a calyce tantum emanet. Foliis floribusque ars Medica utitur, anteponenda vero sunt ex Provincia, & Occitania allata, aptiora enim, & activiora Meridionalium regionum calore redduntur. Sapor acris, amarus, & nonnihil adstringens, grato odore conjungitur.

Rosmarinus plurimum olei exaltati, salisque essentialis, aut volatilis continet.

tinet, interne, ac externe usurpatur. Interne cerebrum roborat, Epilepsiam, Paralysim, vaporesque hystericos dissipat, ac hepatis, splenis, uterique obstructiones, a crassis humoribus horumce viscerum functiones impedientibus, ortas resserat: quum autem planta hæc salino-sulphureo-aromaticis particulis prædita sit, prædictos humores incidit ac attenuat, fibrarum nervearum oscillationes excitat, earumque tonum relaxatum restituit. Aqua, in qua noctis spatio folia, floresque Rorismarini infusa fuerint adversus icterum, fluoresque albos optima recensetur; quin etiam memoriam, oculorumque aciem roborat. In Vino autem infusa, ac repetitis vicibus in usum revocata, Paralysim, aliasque nervosas affectiones a viscosis humoribus progenitas sanant, ac ab Authoribus quamplurimis in sterilitate, fluoribusque albis ab eadem met causa provenientibus commendantur; sæpe sæpius diarrhæas inveteras, & Leucophlegmatias, sive tumores universales profligarunt. Flore, calyceque hujusce plantæ in S. V. digestis, distillationis ope celebris aqua Reginæ Hungariæ elicitur, activiorque efficitur foliolis primum erumpentibus additis. Omnes vero norunt, aquam hance in animi deliquiis, stuporibus, vertigine, vaporibusque hystericis, & hypochondriacis usurpari: interne autem ʒ ij. vel ʒ iij. parvo scilicet cochleari in aquæ cyatho exhibetur. In Officinis Conserva florum Rorismarini stomachica, cordialis, ac cephalica reperitur, dosis a ʒ j. ad ʒ jv. Foliis quoque *Mel Anthosatum* paratur ab ℥ j. ad ℥ iij. in vaporibus, colicisque flatulentis exhibendum; cum autem percommode interne usurpari possit, frequentius tamen clysteribus sociatur. Chymica elaboratione Oleum essentiale Rorismarini paratur, mira autem præstat in vaporibus hystericis, cerebrique affectibus, Boerhaavius *in Historia Plantarum horti Lugduno-Batavi*, remedium hocce, tamquam selectissimum depredicat adversus Eplipesiam, nec non ad menses, & lochia cienda, quum potissimum partium laxitudine & atonia, suppressa sint: in omnibus vero prædictis casibus guttæ aliquot optimo Vino infusæ hauriuntur. Tertianas febres in Xenodochio Charitatis Lutetiæ Parisiorum hoc eodem Oleo gut. v. aut vj. liquore appropriato exhibito sanatas vidit S. Paulli, quod remedii genus a celeberrimo illus ævi Medico *D. de S. Jacques* usurpabatur.

Ejus folia in Vino decocta externe usurpantur ad nervos, articulationesque roborandas. Vinum autem aromaticum, quo tam utiliter Chirurghi utuntur componitur foliis Rorismarini, Thymi, Salviæ. &c. Aqua præterea Reginæ Hungariæ superius laudata externum in usum quoque revocatur, ad nervosas musculosasque partes debilitatas, aut doloribus rheumaticis afflictatas fovendas. D. Hannein *in Ephemeridibus Germanicis Decuria* 2. *anno VIII. pag.*121. observationem attulit, qua narrat hominem, dolore rheumatico in musculis coccygæis diu stabulante, linimento Oleo essentiali Rorismarini terque, quaterque repetito liberatum fuisse. Ejus quin etiam foliorum infusio in os immissa, dentium dolorem sedat: a Nonnullis quoque guttæ aliquot eorum succi in dentis infirmi foramen intrusæ anteponuntur; prædicta quoque infusio optimum est Gargarisma adversus Uvulæ relaxationem. Folia etiam, floresque præstantissimi sunt pro suffimentis ad aerem pravis exhalationibus, aut miasmate contagioso corruptum corrigendum, uti in Xenodochiis una cum Baccis Juniperi quotidie experitur: pulvis quoque pyrius parva dosi in ignem injectus simili facultate potitur, & a Demerbroeckio in *Tract. de Peste* suffumigiis omnibus tunc temporis usitatis anteponitur.

Flores

Flores Rorismarini in Syrupis *de Stœchadæ*, *de Erysimo* composito, & Balsamo Oppodeldoc *Pharm. Paris.* usurpantur. Summitates vero in Orvietano &c. Conserva deinde in Opiata Salomonis *ejusdem Pharm.*

℞. Fol. Rorismarini Man. j. Coque in sextariis tribus Vini rubri, usquedum ad duos haustus reducantur, tepide, mane, jejuno ventriculo duarum horarum intervallo propinandos, curando ut ægri optime cooperto lectulo detineantur. Decoctio hæc plerumque juvit in Leucophlegmatia.

℞. Conservæ Flor. Rorismarini, & Salviæ ana ℥ j. Conservæ Cort. Aurant. ʒ. vj. Zingiberis condit & Nucis moschatæ ana ℥ ß. Theriacæ Andromaci antiquæ ʒ ij. Pulver. *Diambræ* & *Diamoschi* ana ʒ j. M. s. q. Syrupi Malor. Citreor. conditor. F. Opiata, adversus Apoplexiam, Paralysim, aliasque nervorum relaxationes, quæ nucis moschatæ magnitudine mane, & vesperi ægris propinabitur, qui statim poculum unum, vel duo infusionis Gallii lutei haurient.

℞. Summit. florid. Rorismarini, Salviæ, Lavendulæ, Origani, Thymi, & Fol. Lauri ana ℥ ß. Salis Ammoniaci ʒ ij. Optimi Vini rubri ℔. jv. Fiat infusio super cinerarium calidum in vase clauso, pro Vino aromatico componendo, ad musculos, nervosque roborandos, tumoresque a contusionibus ortos resolvendos aptissimo. Linteola Vino hoc calido madefacta parti affectæ apponentur, exsiccata dein innovando.

## ROS SOLIS.

Ros Solis, *Offic.* Ros Solis folio rotundo C. B. P. 357. J. B. 3. 753. *Inst.* R. H. 245. *Ger. Park. Raii Hist.* 1100. Rorida, sive Ros Solis major, *Lob. Icon.* 811. Solfirora, sive Sponsa Solis, *Thal.* Rovella minor, 1. *Tabern. Icon.* 816. Rorella, sive Ros Solis, *Eyst.* Solaria major, *Camer. Host.* Rorella vulgaris & Officinarum, *Rupp. Jen.* 102. Drosera Scapis radicatis, foliis orbiculatis, *Linn. Flor. Lapp.* 109. Ros Solis foliis circinate rotunditatis, Rorella rotundi-folia, Polytricum Apuleii album seu floribus albis, Drosion, Rosa Solis vulgo, *Nonnull.* vulgo, *Rosèe du Soleil*, *Herbe de la Rosèe ou de la Goute*.

Radix fibrosa, adinstar capillorum tenuis, plures emittit longas graciles, ac externe hirsutas caudas, quibus adhærent foliola fere rotunda, adinstar auriscalpii concava, dilute-viridia, margine pilis subrubris, & fistulosis ornato, e quibus aliquot liquoris guttulæ in foliorum cavitatem adeo exsudant, ut folia, pilique, specie quadam roris, sicciore quoque tempestate, maximoque Solis ardore, madida semper sint. Hæc inter bini, tresve, fere semipedales eriguntur caules graciles, rotundi, sub-rubri, teneri, foliis destituti, in quorum apicibus parvi locantur flores multipetali rosacei, sub-albidi, eadem in costa pendentes, calycibus conicis, denticulatisque suffulti, brevibusque appensi pedunculis. Parvi fructus segetis granum plerumque æmulantes, plurimaque semina comprehendentes, flores subsequuntur. Junio, Julioque planta floret, delectaturque locis desertis, rudibus, sylvestribus, sabulosis, humidis, ac paludosis, ut plurimum vero inter Muscum aquaticum albo-subrubrum enascitur. Prædictis etiam in locis alia quoque Roris Solis species reperitur, quæ a præcedenti oblongis foliis tantum differt. In utrisque

glutinosum quidpiam, tactuque viscidum ad modum fere Pinguiculæ, cum qua facultatibus conveniunt, conspici solet: colligi vero potissimum debent, quum florem emittunt, majorique vigore præditæ sunt, tempestate scilicet sicca & serena. Juxta J. Bauhinum mirabile prorsus est in hisce plantis, liquoris exsudantis guttulas apice digitorum tactas, ad modum glutinis, filamenta quædam veluti serica sub-albida, & consistentia statim emittere.

Ros Solis plurimum habet olei, phlegmatis, salisque essentialis, pectorali facultate pollet adversus Asthma, Tussim inveteratam, & pulmonum Ulcus; in infuso ad ℨ ij. usque; pulveratum vero ad ℨ j. præscribi solet. Syrupus Simplex, ac Compositus ex eo in Officinis asservantur iisdem usibus inservientes, ℥ j. aut soli, aut Apozematibus, Potionibusque Bechicis commixi. Laudatæ virtutes a Boerhaavio latius expanduntur, commendat enim foliorum infusionem in hemicrania, epilepsia, morbisque oculorum. A quibusdam præterea internus hujusce Plantæ tamquam causticæ usus criminatur; cutem enim externe exulcerat: experientia tamen in re Medica rationis conatus omnes eludit, & analogia plerumque decipimur. Et de facto nonnulla extant remedia partibus quibusdam æqua, quibusdam vero aliis iniqua: Oleum Amygdalarum dulcium exempli causa viscera interna demulcet, oculos vero urenti doloris sensu excruciare solet: Vinum Emeticum e contra, a quo stomachus subvertitur, oculorum amicissimum est, & incollyriis roborantibus usurpatur. Sola itaque experientia duce ratiocinatio perficitur, nec ex eo, quod e planta peculiari ratione adhibita, peculiares emanent effectus, id semper ab ea produci, diversimode præsertim usurpata, neutiquam est statuendum.

Ros Solis verveces veneno inficere solet, eorumque jecur, pulmonesque lædit, tussimque in iis excitat, qua sensim pereunt.

Quondam celebris aqua, juxta D. James, hac planta, nonnullisque aromatibus componebatur, nuncupabaturque *Rosa Solis* hisce diebus obsoleta.

## R U B E O L A.

RUbia Cynanchica, *Offic.* C. B. P. 333. J. B. 3. 723. *Raii Hist.* 485. RUBEOLA vulgaris quadrifolia, lævis, floribus purpurascentibus; *Inst.* R. H. 130. Rubia Synanchica, *Lugd. Hist.* 1125. *Ger.* Asperula repens Gesneri, sive saxifraga altera Cæsalpini, *Park.* Gallium tetraphyllon, montanum cruciatum, *Columm. Part.* 1.297. Asperula foliis quaternis linearibus, floribus trifidis, *Linn. Flor. Svec.* 41. Rubiæ parvum genus, Rubiæ cognata, Rubiæ species sylvestris minor, Squinantica, Crucianella, Aspergula supina, Herba vitæ, *Nonnull.* vulgo *Petite Garance*, *Rubeole ou Herbe a la Squinancie*.

Radicem habet longam, crassam, lignosam, sub-nigram, ramosam, alte in solo repositam, quamplurimis delicatis stipatam fibris. Plures emittit caules graciles, fere semipedales, plerumque in terram stratos, læves, angulosos, foliis suffultos quaternis, e nodis exeuntibus, brevibus, angustis, lucescentibus. Flores summis caulibus ramulisque enascuntur umbellati, parvi, infundibulum referentes, quadripartiti, sub-rubri, quandoque albi, & odori, adinstar Jasmini florum, quibus semina bina simul juncta, oblonga, tactu rudia, per maturitatem sub-lutea, pulpa alba repleta præsto sunt. Delecta-

lectatur vero planta hæc sabulosis, sterilibus, montanisque locis, apricis collibus, cretaceisque; Majo, Junio, Julio, Augusto, & Octobri etiam floret juxta regionum diversitatem.

Rubeola parum salis, oleique continet, haud magnum usum habet in re Medica, adversus Anginam usurpari solet, Ptisanæ, & Gargarismatis forma, nec non externe applicata.

Ejus vero radices in Septentrione, asserente Linnæo, ad instar Rubiæ ad lanas rubro colore inficiendas in usum revocantur.

## RUBIA.

RUBIA *Offic.* Rubia Tinctorum sativa, C. B. P. 333. *Inst.* R. H. 114. Rubia sativa, J. B. 3. 714. Rubia, *Dod. Pempt.* 352. *Anguill. Cæsalp. Cord.* Rubia major, *Lob. Icon.* 768. *Clus. Hist.* Rubia domestica, *Matth.* Rubia Tinctorum, *Ger. Raii Hist.* 480. Rubia major sativa, sive hortensis, *Park.* Erythrodanum, *Theophrast. & Dioscor.* Rubia foliis senis, *Linn. Hort. Cliff.* 35. Rubia vera, Erythrodanum vulgare, Radix rubra, *Nonnull.* vulgo *Garance ordinaire ou cultivèe, Garance des Teinturiers.*

Radicem habet longam, serpentem, succulentam, in plures ramos divisam, adinstar calami scriptorii crassam, lignosam, extus, intusque rubram, vivacem, dulcem, amariusculam, adstringentem, inodoram. Caules propellit longos, sarmentosos, quadratos, nodosos, tactu rudes, ab unoquoque nodo quina, aut sena oblonga emittentes folia satis lata, ad modum stellæ, aut rosæ caulem ambientia, Aparinæ in morem, nonnihil tamen majora, pilisque aspera, circum exiguis stipata denticulis transeuntium vestibus tenaciter adhærentibus. Flores prope summos exeunt ramos, pedunculis suffulti, campaniformes, in quatuor, quinque, vel sex divisii segmenta, stellæ ritu, luteo-virides, qui deinde abeunt in fructum gemellis globulis constantem, maturationis tempore nigris, succoque refertis, semine fœtis satis umbilicato, tenui tunica obvoluto. In solo pingui, fertili, pluribusque Europæ regionibus colitur, ejusque radix Majo, Junioque elicitur, exsiccaturque, eaque ad varias provincias a Batavis magno emolumento transmittitur. Tinctoribus vero rubrum colorem suppeditat, hinc denominationem traxit. E Seelandia advecta melior recensetur, floret autem Julio, & Augusto.

Radix sola in usum venit, plurimoque oleo, ac sale constare videtur. Inter quinque aperientes minores enumeratur. Hæ vero sunt Anonidis, Capparis, Rubiæ, Graminis. & Eryngii radices. Reipsa Rubiæ radix inspissatos humores potenter resolvit, & contumacibus hepatis, lienis, uterique obstructionibus apprime conducit; sanguinem quoque coagulatum disjungendi facultas huic tribuitur, fortasse eo quod rubrum colorem urinis concilat, maximumque habet usum apud Batavos in vino, aqua, aut cerevisia decocta ac interne sumpta adversus insigniores contusiones. A Boerhaavio autem *in Historia Plantarum Horti Lugduno-Batavi* plurimum commendatur, ad mucum spissum, glareasque renibus, aut vesicæ inhærentes resolvendas, & foras amandandas, atque simul arenulas, & calculos nonnunquam pellendos. Recens in jusculis, & apozematibus aperientibu ℥ ß. aut ℥ j. vel sicca ʒ j. aut ʒ ij. usurpari solet. Velut præstantissimum habetur sequens remedium

apud D. Chomelium in hydrope incipiente, ictero, & Infimi ventris obstructionibus.

℞. Rad. Rubiæ p. ʒ j. Croci Martis aper. gr. xii. Aloes succotrini ℈ ij. M. f. b. cum syrupo de quinque radicibus aperientibus.

Non obstante vulgatissima opinione a nonnullis Authoribus, ac præ cæteris a Dodonæo inter adstringentes Planta hæc recensetur; hi tamen aperte decipiuntur, experientia enim duce duo particularum diversa genera in ea perspiciuntur, aliæ namque subtiliores, ac penetrantes, obstructiones reserant, aliæ terrestres ac adstringentes debilitatarum, relaxatarumque fibrarum tonum roborant, atque omnes ita simul junctæ sunt, ut subtiliores effectum suum edant absque ullo impedimento terrestrium, quæ postmodum adstringunt, uti in Rhabarbaro, aliisque plantis facultatibus primo aspectu contrariis insignitis observatur. Aptissima quoque est ad menses ciendos, pro quibus ab omnibus fere Medicis in usum revocatur. Ossa animalium hac planta sæpius saturatorum, rubro colore imbui a D. Duhamelio celeberrimo Regiæ Scientiarum Academiæ socio refertur *in Commentariis anno* 1739. A Tinctoribus quoque, ut innuimus, ad res rubro colore inficiendas adhibetur, ab iis vero, vulgo vocatur, *rouge de Garance*, Boerhaavius vero asserit indusiis ejus colore infectis arthriticos plurimum solari. Folia, caulesque ad vasa stannea expolienda inservire solent, quibus elegantissimum nitorem conciliant.

℞. Rad. Rubiæ & Anonidis lotar. & incisar. ana ℥ ß. Fol. Marrubii, Matricariæ, & Rorismarini Man. j. Sem. Petroselini pug. j. Croci Orient. ℈ j. Coque in s. q. aquæ fontis, & in colaturæ ℥ viij. dissolve Syrupi Marrubii ℥ j. Tartari Martialis salub. ʒ ß. pro Apozemate depurando, cui adde aquæ Cinnamomi ʒ j. Propinabitur vero per triduum mane, jejuno ventriculo in ictero, mensiumque suppressione, nec febri, nec inflammatione conjuncta.

℞. Rad. Rubiæ, & Asparagi lotar., & incisar. ana ℥ ß. Coque cum s. q. carnis Vervecinæ omni pinguedine destitutæ in aquæ ℔ ij. Fiat jusculum, cui adde ultimo semihorio Folior. Agrimoniæ, Pimpinellæ, Cetrach, & Cichorii amari Man. j. Croci ℈ ß. Fiat colatura levi expressione, & adde Tartari Martialis solub. gr. xx. pro jusculo aperiente novem subsequentibus diebus, mane, jejuno stomacho in mensium suppressione sumendo.

*Boli Aperientes.*

℞. Boracis gr. viij. Croci Martis aper. gr. x. Millepedum pp. gr. xii. Tartari vitriolati gr. xv. Rad. Rubiæ, & Eringii exsicc. & p. ana. ʒ ß. Syrupi de quinque radicibus q. s. f. b. pro binis dosibus. Addi potest ℈ j. Gummi Ammoniaci.

## RUBUS.

Duæ Rubi species a Medicis usurpatæ a nobis describentur, Rubus scilicet vulgaris, & Rubus idæus.

Rubus, *Offic.* Rubus vulgaris, sive Rubus fructu nigro, C. B. P. 479. *Inst.* R. H.

R. H. 614. Rubus major fructu nigro, J. B. 2. 57. *Raii Hist.* 1639. Rubus *Dod. Pempt.* 742. *Brunf. Fuchs. Matth. Camer. Cæsalp.* Morus, sive Rubus, *Anguill.* Rubus vulgaris major, *Park.* Rubus Batis, *Lob. Adv.* 446. Rubus arvensis, *Tabern. Cord.* Rubus caule aculeato, foliis ternatis, ac quinatis, *Linn. Hort. Cliff.* 192. Morus sylvestris, Rubus grandis, seu vulgatissimus, Rubus sentis, Morum Batinum, Mora Bati seu Mora Bassi, Mora Baticana, Mora sylvestria, Ibidis sanguis, sentes, & vepres, *Quorumd.* vulgo *Ronce ordinaire, la Meure de Renard ou de buisson, la Meure sauvage.*

E radice gracili, serpenti, nodosa, vivaci, plures emergunt rami longi, debiles, flexibiles, e viridi rubescentes, angulosi, medulla referti, acutissimis, uncinatisque armati spinis, transeuntium vestibus adhærescentibus, gressumque retardantibus, sese deinde solum versus recurvantes, novisque radicibus immergentes. Folia oblonga sunt, acuminata, ambitu denticulato, tactu aspera, superne atro-viridia, inferne vero subalbida, eadem in cauda ternata, aut quinata, saporis adstringentis, Hyeme accedente statim decidentia, exceptis aliis eorum in locum excrescentibus. Summis ramis flores erumpunt quinquepetali, subrubri, rosacei, brevibus appensi pedunculis, calyceque quinquifido suffulti, in cujus centro pistillum locatur numerosis cinctum staminibus: abeunt inde in fructus sphæricos aut ovales, Moris æquales, pluribus conflatos globulis, succi plenis, proxime junctis, primum rubris, maturescendo autem nigris, saporis dulcis, gratissimi, quandoque variantis, semine oblongo donatis. Arbuscula hæc ubique crescit in sepibus, dumetis, secus vias, in nemoribus, vinetisque; Junio, Julio, & Augusto flores emittit, fructusque Autumno maturescit. Omnes fere ejus partes usum Medicum habent.

Rubi folia styptica sunt, saporisque terrei; chartam cæruleam saturate rubro colore inficiunt; fructus vero staturatiori, eodem fere pacto ac Alumen, qui fructus vinosus est, ac fragrantissimus plerumque; quandoque autem alio in trunco insipidus, & ingratus. Verisimilius itaque est, sal acidum terræ connaturalem, quod in foliis vix apparet, aliis sejunctum principiis, in fructibus omnino exsolvi, ac una cum terrestribus particulis sal alumini valde proximum progignere: Hinc adstringens, detergens, ac absorbens Rubus censeri debet. Sæpe numero ejus rami, flores, fructus, ac radices variis in morbis a Veteribus usurpabantur. Dioscorides testatur, ramorum decoctionem, fluxum ventris, albosque fluores sistere; folia mansa oris, gingivarumque ulcera detergere, dentesque firmare: folia hæc eadem tusa impetigines, hæmorrhoidesque externe applicata sanant, succus tamen teneriorum ramusculorum Soli condensatus efficacius agit. Prædicta folia adversus vulnera, fructus adversus sanguinis sputum, radix vero adversus calculos a Galeno in usum revocabantur. Plinius, qui Dioscoridem *Capite de Rubo* exscripsit, hisce facultatibus diureticam vim addit. Hisce vero diebus Planta hæc tam interne, quam externe recipitur ad detergendum, & resserandum. Syrupus fructuum feliciter in faucium morbis, & angina ad inflammationem sedandam exhibetur. Referente Rajo, Needhamus Medicus Anglus syrupum hunce in urinæ ardoribus magni faciebat. Syrupus quoque alter præterea conficitur magis detergens, ac adstringens fructibus immaturis, & rubicundis. *Diamorum* præterea Simplex, & Compositum pro faucium morbis componuntur; Simplex duabus succi Morarum portionibus, ac una Mellis, Rob con-

consistentia concoquitur; propinaturque vel solum cochleatim, vel decoctionibus refrigerantibus, aut detersivis, juxta Medici scopum, conjunctum; Compositum vero Moris quoque, Melli, Omphacio, Myrrhæ, & Croco junctum est; magis præcedenti detergit, ac incidit condensatos bronchiorum humores, a ʒ j. ad ℥ ß. Boerhaavius *in Historia Plantarum Horti Lugduno-Batavi*, testatur, radices Rubi Februario, Martiove elicitas, Melleque coctas, aperientes admodum esse, & adversus hydropem aptissimas: ab eo quoque una cum Veteribus fructus Vino rubro concocti, ad roborandum, omniaque fluxuum genera sistenda commendantur. Tabernæmontanus autem ad hæmorrhoidales fluxus sistendos in ano penicillum imponi jubet horumce fructuum succo saturatum. Folia trita repetitis vicibus externe applicata, impetiginem, ac ulcera antiqua profligant, remediumque est pauperibus fumigeratissimum. Ab Etmullero autem in omnibus hisce casibus eorum decoctio potius laudatur, ea frequenter ulcera abluendo, penicilloque hac ipsa madido superimposito.

Rubi fructus probe maturi, ac nigri refrigerant, sitimque excutiunt, Morisque hortensibus substitui possunt. A quibusdam tamen, tamquam satis frigidi, a Galeno vero tamquam dolorem capitis progignentes reprobantur. In Anglia præterea, testante Rajo, pueris interdicuntur, ab iis enim scabiem, ac porriginem, ortum quandoque duxisse ait: quæ omnia quotidiana experientia omnino refelluntur.

Rubi Summitates in Unguento *Populeo* usurpari solent.

℞. Fructuum Rubi matur. ℥ ij. Coque in Vini rubri Sextario cum semisse ad tertiæ partis consumptionem. Fiat colatura, pro gargarismate tepido pluries repetendo in oris, gingivarumque exulcerationibus, ac ad dentes firmandos.

℞. Hordei integri ℥ j. Fol. Agrimoniæ ac Summit. Rubi ana Man. j. Sem. Lini ʒ ij. Coque in aquæ ℔ ij. ad medias. Fiat colatura ac dissolve Mellis rosat. ℥ j. Crystalli mont. ʒ ß. M. pro Gargarismate detergente.

℞. Folior. Rubi, Plantaginis, & Agrimoniæ ana. Man. ß. Balust. & Rosar. rubr. exsiccat. ana. ʒ j. ß. Coque in aquæ ℔ j. ß. ad medias, adde colaturæ Aluminis Rupei ʒ j. Syrupi Rosar. exsiccat. ℥ j. Fiat Gargarisma, quo ægri os sæpe diluetur in uvulæ relaxatione.

Rubus idæus, *Offic.* Rubus idæus spinosus, C. B. P. 479. *Inst.* R. H. 614. Rubus idæus spinosus fructu rubro & albo, J. B. 2. 59. *Raii Hist.* 1640. Rubus idæus, *Dod. Pempt.* 743. *Ger. Park.* Rubus idæus vulgaris rubro & albo fructu, *Clus. Hist.* 117. Rubus idæus Erythrocarpos, & leucarpos, Rubus idæus fructu rubente sive albicante odoratissimo, Cervirubus seu Rubus Cervinus, Framboesia, *Quorumd.* vulgo, *le Framboisier*, *la Ronce du Mont-Ida*.

E radice lenga, serpente, multifariam divisa, unus, vel plures, arbusculæ forma, ad humanam proceritatem, exsurgunt caules, vel rami teneri, virides, medullosi, rotundi, erecti, exiguis, nec satis acutis suffulti spinis, foliis Rubi vulgaris similibus, mollioribus tamen, atro-viridibus superne, subalbidis vero inferne, ac quodammodo farinosis, saporis adstringentis, floribus quinquepetalis, rosaceis, albis, calyceque innixis quinquifido; abeuntibus in fructum Fraga crassiorem, rotundum, nonnihil villosum, congestis pluribus conflatum globulis, ut plurimum rubris, odoris fragrantis, gratissimique, succo refertis dulci, ac vinoso, semenque occludentibus. Rubi species

cies hæc aliquando in Monte Ida, agroque vicino frequentiſſima occurrebat, hinc denominationem ſumpſit; ſponte vero in nemoribus humidis, ac umbroſis, rupibuſque, aquis, perviis excreſcit, in hortis quoque, pomariiſque excolitur, floreſque Majo, Junioque emittit; fructus vero Julio matureſcunt, facile flaceſcunt, vermibuſque infeſtantur.

Rubi Idæi fructus colore tantum differunt, alii enim rubri, alii albi ſunt, facultatibus iiſdem omnino præditi, plurimumque Fragis proximi. Craſſiores, ſucculentiores, ſapidiores, odoratioreſque ſunt eligendi, humectantes, refrigerantes, ac cordiales reputantur; ſtomachum roborant, fragrantiam, gratiamque ori conciliant, & ſanguinem depurant; aperientes quoque, & anti-ſcorbutici exiſtimantur: mediocrem olei exaltati, maximam ſalis eſſentialis, ac phlegmatis portionem continent: Bilioſis, humoribus acrioribus, agitatiſque, refertis conveniunt, dummodo moderate uſurpentur, facile enim in ventriculo diu immorantes putreſcunt.

Saccharo, fructibus prædictis, & aqua communi potio non minus, quam aqua Fragorem gratiſſima, iiſdemque ditata facultatibus paratur, nuncupaturque Gallice: *Eau des Frambiſes*; uſitatiſſima eſt æſtuante calore, ſitim enim compeſcit, ſtomachi fervorem deprimit, urinaſque ciet. Gelatina quoque, & Syrupus eorum ſucco, ſaccharoque componuntur, ad febriles ardores a bile nimis exaltata exortos cohibendos, & in diarrhæis, coliciſque bilioſis aptiſſimus. Hiſce fructibus infuſis, Vino, ſapor, odorque gratiſſimus conciliatur, idemque Vinum cordiale, ac ſtomachicum eſt, valetque adverſus vomitus, a ventriculi debilitate, & atonia productos. A Trago vero iiſdem in morbis, & Cataplaſma, foliis tuſis, regionique affectæ applicatis, proponitur.

Folia præterea, ſummitateſque dætergentes, adſtringenteſque ſunt, ac percommode foliis Rubi in Gargariſmate adverſus faucium, gingivarumque morbos ſubſtituuntur. Florum vero infuſio in aqua Hordei adverſus Eryſipelata, oculorumque inflammationes utiliſſima eſt, ſi ea tepida, pars affecta ſæpius foveatur.

℞. Fol. Aquilejæ Man. ij. Cortic. inter. Ulmi ℥ j. Fungor. Samb., Glycyrrhizæ, Albi græci p. ana ℥ ß. Coque in ſ. q. aquæ, reducaturque ad ℔ ij. Fi.t colatura, ac diſſolve Salis Ammoniac. ʒ ij. Syrupi Rubi Idæi, & Mellis roſat. ana. ℥ ij. M. pro Gargariſmate adverſus Anginam.

## RUSCUS.

INter plures RUSCI, *Ruſc*, ſpecies uſitatiores tantum in arte Medica a nobis proponentur, binæ ſcilicet, Laurus Alexandrina una, Bruſcus altera.

Laurus Alexandrina, *Offic.* Laurus Alexandrina fructu folio inſidente, C. B. P. 305. Laurus Alexandrina J. B. 1. 574. *Raii Hiſt.* 663. *Lob. Adv.* Ruſcus latifolius fructu folio innaſcente, *Inſt.* R. H. 79. Laurus Alexandrina Chamædaphne, *Columm. part.* 1. 165. Laurus Alexandrina vera, *Lugd. Hiſt. Cluſ. Hiſt.* Laurus Alexandrina genuina, *Park.* Daphne Alexandrina ſive idæa, Laurus Carpophyllos ſive Epiphyllocarpos, Uvularia, Victoriola, *Quorumd.* vulgo *le Laurier d'Alexandrie ou Alexandrin.*

E radice longa, alba, dura, nodoſa, fibroſa, plures exeunt bipedales caules minuti, flexibiles, virides, rotundi, foliis ſatis denſis onuſti, latis, rotun-

rotundis, nervosis, flexibilibus, læte viridibus, Lauro vulgari similibus, & angustioribus. E crassiore horumce foliorum portione flores emergunt globulares, pedunculo destituti, luteo virides, aut pallescentes, exiles adeo, ut vix conspici possint, immutanturque in baccas rotundas, minutas, maturitatis tempore rubras, unum aut duo semina dura adinstar cornu occludentes.

Locis delectatur montanis, in hortis quoque colitur, Æstate floret, fructusque Autumno maturescit. Plurimum olei, salisque essentialis suppeditat. Ejus radices aperiendi vim habent, ad urinas, mensesque ciendos, & contra hystericos vapores optime conveniunt; ptisanæ forma in aqua, aut decoctione ex Vino ℥ j. pro liquoris ℔ ij. usurpantur. In foliis vero vis vulneraria adstringens locatur, hinc ulcera nimium humida emundant, & exsiccant. Pulveris etiam forma radices, ac folia in usum revocari possunt a ʒ j. ad ʒ ij. Foliorum ac radicum harumce Cataplasma in Vino generoso ebullitum pro herniis jam refusis plurimum æstimatur; eorum quinetiam pulvere, si cochlearis manubrio uvula relaxata attingatur, in statum naturalem facile deducetur.

Bruscus, *Offic.* Ruscus, C. B. P. 470. J. B. 1. 579. *Park. Raii Hist.* 664. Ruscum, *Dod. Pempt.* 744. Ruscus sive Bruscus, *Ger.* Ruscus myrtifolius aculeatus, *Inst.* R. H. 79. Myrtacantha, Murina spina, sive Myrtus sylvestris, *Lob. icon.* 637. Oxymyrsine, *Anguill.* Centromyrsine, *Theoph.* Ruscus foliis supine floriferis nudis mas & fœmina, *Linn. Hort. Cliff.* 465. Myrtus agrestis seu sponte nascens, Chamœmyrsine seu Chamœmyrtus, Myrtus acuta seu spinosa, Myacantha seu spina muris. Scopa regia, Buxus pungens, *Nonnll.* vulgo *le Petit Houx*, *Houx frelon*, *Housson*, *Fragon*, *Myrte Sauvage ou epineux*, *Brusc*, *Bovis piquant*.

Radice est crassa, tortuosa, inæquali, dura, serpenti, alba, fibris crassis, albis, oblongisque Asparagorum fibris simillimis stipata, saporis acris, & amariusculi: plures expellit caules bipedales flexibiles, fractu difficiles, striatos, pluribus distinctos ramis, foliis myrtiformibus, rigidioribus tamen, asperioribusque, aculeatis, nervosis, inodoris, cauda destitutis, transversim locatis, semper virentibus, saporis amari, & adstringentis. Mediis foliis flores insident senis divisi portionibus, brevissimo appensi pedunculo, parvi, sublutei, quorum stamina simul juncta globulum efformant, calyceque destituti abeunt tandem in baccas rotundas, pisa similantes, molliusculas, maturationis tempore rubras, saporis subdulcis, semina adinstar cornu dura, binaque occludentes. Delectatur rudibus, saxosisque locis, sylvis, nemoribus, ac sepibus, Aprili, ac Majo floret. E radice Veris tempore quidam exeunt surculi tenerrimi, viridesque, ad esum asparagorum more percommodi, qui surculi si forte excrescant foliis onerantur, lignosi, flexibilesque fiunt, iisque scopæ conficiuntur. Iis quoque a rusticis carnes, aliæque res servandæ conteguntur ne a muribus, absque molestissimis puncturis, penetrentur.

Bruscus Analyseos Chymicæ ope plurimum olei, salisque essentialis suppeditat, ejusque partes universæ a Medicis usurpantur ad humores condensatos attenuandos, & viscerum impuritates, per urinæ vias, eliminandas. Radix inter quinque aperientes majores recensetur, cum Apio, Fæniculo, Petroselino, & Asparago, præscribiturque in ptisanis, apozematibus, jusculis-

que

que aperientibus ab ℥ ß. ad ℥ j. in ictero, hydrope, chlorosi, renumque sabulosis obstructionibus. Harumce radicum decoctione desperatos hydropicos sanatos vidisse asserit Jo: Bauhinus; Riverius autem *Centuria tertia Observatione* 52. in medium adducit Hydropicum pauperem, probæ mulierculæ consilio decoctione Brusci quotidiano, mensis spatio, potu utentem, ac duabus potionibus purgantibus sola Senna conflatis postea receptis, perfecte sanatum; præterquamquod Boerhaavius adversus Nephriticas affectiones, Hydropemque, decoctionem ejusdem foliorum ex Vino albo cyathi unius dosi mane, jejuno ventriculo, stato temporis spatio repetita, tamquam præstantissimum remedium commendat.

Ejus vero baccarum Conserva ab ℥ ß. ad ℥ j. urinæ ardoribus, ac gonorrhœæ mederi solet; mane jejuno stomacho sumitur, repetiturque usquedum opus sit. Adversus vero strumosos tumores pluribus vicibus Vini Albi ℔ ß. præscribitur, in quo infusa fuerit ʒ j. Radicis Bruschi p. cum pari Radicum Scrophulariæ, ac Filipendulæ portione.

Brusci radices usurpantur in Syrupo de Quinque Radicibus aperientibus, & semina in Benedicta laxativa *Pharmacopææ Parisiensis*.

℞. Rad. Brusci, & Fœniculi lotar. & contusar. ana ℥ j. Coque in aquæ ℔ iij. ad tertiæ partis consumptionem. Fiat colatura, serveturque pro usu. Mensis spatio, singulo mane magnus cyathus tepidus jejuno ventriculo, ex hac ptisana Hydropicis propinabitur, jejunium tribus subsequentibus horis custodiendo.

℞. Rad. Brusci, & Asparagi ana. ℥ j. Coque cum juguli Vervecini ℔ ß. in aquæ ℔ iij. pro duabus dosibus. Adde ultimo semihorio Fol. Cichorii sylvestris, Agrimoniæ, Pimpinellæ, & Capill. Ven. ana. Man. ß. Flor. Calthæ pug. iij. Fiat colatura levi expressione, ac divide in doses duas, mane jejuno stomacho, ac vesperi sumendas in Ictero, Chlorosi, ac Hydrope. Matutinæ dosi addi possunt Tartari Mart. solub. gr. xx.

## R U T A.

Binas Rutæ species præsertim a Medicis usitatas agnoscimus; Rutam scilicet hortensem, ac Rutam sylvestrem majorem.

Ruta, *Offic.* Ruta hortensis latifolia, C. B. P. 336. *Inst.* R. H. 257. Ruta sativa vel hortensis, J. B. 3. 197. *Raii Hist.* 874. Ruta graveolens vel Hortensis, *Dod. Pempt.* 119. Ruta Domestica, *Trag.* 68. Ruta latifolia, *Tabern. Icon.* 133. Ruta hortensis, *Ger.* Ruta Hortensis major, *Park.* Ruta vulgaris major, Ruta sativa latioribus foliis, Ruta vera, Peganon veterum, *Quorumd.* vulgo *la Rue des Jardins, la Rue domestique ou cultivèe.*

Radix lignosa, lutea, fibrisque numerosis stipata caules Arbusculæ in morem propellit ad altitudinem quandoque quinque vel sex pedum, digitum crassos, lignosos in plures ramos divisos, subalbido cortice contectos. Folia pluribus segmentis distincta sunt, parva, oblonga, carnosa, nonnihil crassa, lævia, dilute-viridia, pari ordine in costa locata, uno tantum, in apice, desinente. Summis ramis parvi flores enascuntur quadripetali, fere ovales, lutescentes, abeuntque in fructus fere semper quadricapsulares, pluribusque seminibus refertos angulosis, aut reniformibus. Odorem habet graveolentem, saporem acrem, & amarum, ubique in hortis crescit, in locis

præ-

præcipue ſiccis, Solique expoſitis; Junio flores edit, totaque Hyeme vireſcit, uſquedum Vere recentia folia, veſtutarum ſubeunt locum.

Ruta ſylveſtris, *Offic.* Ruta ſylveſtris major. C. B. P. *336.* J. B. 3. 199. *Inſt.* R. H. 257. *Raii Hiſt.* 874. *Partk.* Ruta ſylveſtris graveoleus, *Dod. Pempt.* 119. Ruta montana, *Ger.* Ruta ſylveſtris, *Matth. Trag. Brunſ.* Ruta ſylveſtris majoribus foliis, *Geſn. Hort.* Ruta ſylvatica ſive agreſtis, Peganium veterum, *Quorumd.* vulgo *la grande Rue ſauvage*.

Rutæ Hortenſi fere in omnibus ſimilatur; exilior tamen eſt, foliiſque longioribus anguſtioribuſque ſegmentis diviſis, atro-viridibus, odore penetrantiori, ſaporeque acriori. Meridionalibus regionibus, lociſque ſaxoſis, montanis, ac præcipue agro Monſpeſſulano, & Neamauſino delectatur.

Prædictæ duæ Rutæ ſpecies plurimum olei exaltati, ſaliſque volatilis & eſſentialis continent; iiſdem omnino gaudent facultatibus, ac una pro altera commode ſubſtitui poteſt; pro uſu tamen Medico hortenſis ſylveſtri anteponi ſolet.

Tamquam inciſiva, attenuans, ac diſcutiens reputatur ad menſes ciendos, & vapores diſſipandos aptiſſima, nec non adverſus colicas affectiones flatulentas, ac humorales, vermes, canis rabidi, & ſerpentum morſus.

Foliis, ſeminibuſque infuſis, atque decoctis, doſi minima aliarum plantarum reſpectu, cauſa graveolentiæ, utimur. Pug. j. aut ij. Fol. recent. in cyatho Vini albi infuſa, aut ℥ j. eorumd. exſiccat. ad menſes eliminandos, vaporeſque hyſtericos compeſcendos ſufficiunt. Mizauld vero Rutam cum Hyſſopo in Vino decoctam præſcribit, cyathi unius doſi pluries jejuno ſtomacho repetita eoſdem contra morbos. Ruta apta nata eſt adverſus ſtrumas, tribus, vel quatuor ejus foliis matutino tempore jejuniis puerulis prædicto morbo affectis exhibendo, quæ etiam una cum pane ingerere poſſunt, remediumque profecto eſt neutiquam ſpernendum, dummodo diutius repetatur: ſi autem folia reſpuantur, Succi Rutæ defœcati ℥ ij. ſubſtitui poſſunt.

Contagioſis vero in morbis, ac ad pravas aeris exhalationes coercendas, cochlearia duo ſucci Rutæ cum pari Vini optimi quantitate, utiliſſimum remedium doſis augeri etiam poteſt ad cyathos uſque duos, uno ſcilicet mane, jejuno ventriculo, altero veſperi. Conſerva Rutæ ac Acetum Rutæ de quibus infra verba faciemus vim maximam pariter habent peſtis tempore. Zacutus magnis laudibus Rutam extollit contra Epilepſiam, & Valeriola in eodem morbo ℥ j. ejus ſucci cum ℥ ß. Mellis ſcillitici præſcribit. Quum itaque Rutæ facultates tam late ſpatientur, diverſæ ex ea præparationes in Artem invectæ fuerunt; Aqua nempe ſtillatia, Olea infuſionis & diſtillationis ope, Conſerva, & Acetum.

Aqua ſtillatitia conficitur, recipiendo ſummitates Rutæ floridas, & pro unaquaque Plantæ libra, aquæ ebullientis ℔. jv. ſuperaffuſis, diſtillationi omnia ſ. a. committendo pro ℔. una aquæ elicienda ab ℥ j. ad ℥ jv. exhibenda in Potionibus ac Julapiis Anti-Hyſtericis, Anti-Epilepticis, & Vermifugis.

Recipiendo autem Fol. Rutæ taleolatim inciſar. ℥ jv. & in ℔. j. Optimi Olei Olivar. ea infundendo, ac omnia ſpatio XV. dierum Soli expoſita, aut loco calido, vaſe probe clauſo linquendo, colaturæ dein novis additis foliis, idem tertio repetendo; omnia demum B. M. coquendo, oleumque pro uſu ſegregando, & aſſervando, laudatum Rutæ Oleum infuſionis ope componitur.

tur. Adversus vermes in usum revocari solet, qua de causa gossipium nonnullis hujusce Olei guttulis saturatum Infantum umbilico apponitur: aptissimum præterea est adversus colicas affectiones, tam humorales, quam flatulentas cochleari uno interne, ac ℥ ij. clysteris forma propinatum. Stillatitium Oleum iisdem potitur facultatibus, iisdemque in morbis præscribitur quarumdam guttullarum dosi.

Conserva quoque paratur, recipiendo Summitatum Rutæ mundat. ℥ j. & Sacchari albi p. ℥ iij. iisque mortario marmoreo tusis, ac in pastam redactis, paulatim saccharum addendo, omnia semper diligenter confundendo, usque dum probe permixta sint. Conserva hæc adversus indigestiones ʒ j. vel ʒ ij. usurpatur; in Peste vero, morbisque contagiosis ℥ ß. matutino tempore, jejuno ventriculo, in morbis præterea omnibus superius recensitis.

Acetum denique Rutæ conficitur, infundendo ejus folia in aceto fortissimo, addendoque Pimpinellam, Betonicam, nonnullos Alii bulbos, Baccas Juniperi, & Camphoræ parum. Dosis, cochlearis unius, ut peste grassante infectio arceatur. Diamerbroeck, Sylvius de le Boe, & P. Kirker miserrimo eo tempore acetum prædictum plurimi faciunt.

D. Boylæus cum Rajo Syrupum succo foliorum Rutæ, saccharoque confectum adversus capitis morbos, ac nervosi generis affectiones magnis encomiis extollit.

Ruta quoque externum usum amplissimum habet, ejus enim foliorum decoctio præstans Gargarisma est pro scorbuticorum gingivis, variolisque affectis, ea enim pustulæ fauces infestantes resolvuntur, ea præterea oculorum bulbos illinire possumus. Garidelius autem *in Historia Plantarum agri Aquisextiensis* asserit, corneæ albugines, suffusionesque, in quibus aqueus humor potissimum afficitur, ut plurimum sanari, dummodo Rutæ odor ab adolescente sano antea esitatæ in oculos suffletur. Decotionis quoque vapore, inverso infundibulo ad oculum ægrum excepto prædictus Medicus utebatur. Foliorum quoque infusio ad modum Theæ prædictis addenda est. A Nonnullis quoque in uteri suffocationibus Cataplasma Rutæ foliis, ovisque in sartigine placentæ more coctis, uterique regioni applicatum in usum revocatur: priusquam vero admoveatur rite ægrotantis temperamentum est pernoscendum, quamvis enim remedium ut plurimum juvare dicatur, mulieres hystericæ adinveniuntur, quæ Rutæ odorem perferre nequeunt, hinc in hisce morbus augmentum eo excipiet.

Folia Rutæ usurpantur in aquis Prophylactica, & Hysterica, in Electuariis de Baccis Lauri, Diaphænico, & Orvietano, in Pulvere adversus Rabiem, in Trochiscis de Myrrha, & in Unguento *Martiato Pharmacopææ Parisiensis*.

Summitates ejus vero in Aqua Theriacali, & Balsamo Tranquillo, semen in Syrupis *Stæchcados*, & Artemisiæ, in Pulvere Chalybis, & in Pilulis fœtidis. Succus vero in Trochiscis Hystericis *ejusdem Pharm.*

℞. Succi defœcati Fol. Rutæ ℥ ij. Optimi Vini rubri ℥ jv. M. pro potione vermifuga per triduum mane jejuno ventriculo repetenda, magma super umbilicum imponendo Cataplasmatis forma.

Pro infantibus autem ad dimidium dosis reducetur, pro gravidis vero remedium prædictam omnino proscribetur.

℞. Fol. Rutæ, Salviæ, Verbenæ & Euphrasiæ ana Man. ß. Millepedum viventium

ventium num. CC. Seminum Fœniculi dulcis ℥ ß. Succi Racemorum Uvæ filtrati ℥ jv. Omnia in ſacculum infunde, ac ſuper cadum ſuſpende, in quo jam ℔. x. Vini albi, ac totidem Aquæ repoſitæ fuerint, pro potu ordinario ad oculorum aciem roborandam.

℞. Rad. Angelicæ & Zedoariæ ana ℥ j. Baccar. Juniperi ℥ ij. Fol. Rutæ Man. iij. Aceti fortiſſimi ℔. iij. Fiat maceratio per triduum, coleturque liquor tam pro Gargariſmate, quam pro Suffumigio Peſte graſſante, uſurpando.

℞. Aquar. Rutæ, Fœniculi, & Vini Emetici ana ℥ ij. Croci gr. jv. Vitrioli albi gr. x. Camphoræ gr. vj. Sacchar. cand. ℈ j. M. pro Collyrio reſſolvente.

*Decotio pro Canis rabidi morſu.*

℞. Fol. Rutæ ℥ vj. Allii ac Theriacæ ana ℥ jv. Scobis Stanni ℥ jv. Coque in ℔ jv. Cereviſiæ antiquæ, non lupulatæ ad medias. Fiat maceratio, & colatura; cujus ægris cochlearia vj. bis de die per novendium propinentur, ac magma demorſæ parti admoveatur.

## S A B I N A.

Binæ tantum Sabinæ ſpecies notæ ſunt, ambæ in uſum Medicum venientes, Sabina nempe mas Tamariſci folio, & Sabina fœmina folio Cupreſſi.

Sabina mas, *Offic.* Sabina folio Tamariſci Dioſcoridis, C. B. P. 487. Sabina baccifera & ſterilis, J. B. 1. 288. Sabina mas, *Taber. Icon.* 945. Sabina vulgaris, *Park. Raii Hiſt.* 1415. Sabina ſterilis, *Ger.* Sabina vulgatior *Adv: Lob.* Sabina Myricæ folio, *Cord.* Sabina, *Brunſ. Fuchſ. Dod.* Sabina minor. *Geſn. Hort.* Sabina Tamariſci ſimilis, *Lugd. Hiſt.* Brathy ſeu Brathys, *Græcor.* Sevinia vel Savinera prima, *Quorumd.* vulgo *la Sabine ou le Sabinier a feville de Tamariſc.*

Radix robuſta, & lignoſa exiguum emittit truncum ſive arbuſculam, magis in latum, quam in longum ſeſe dilatantem, ſemperque virentem, foliis Tamariſci Germanici æmulis, durioribus, ac nonnihil aculeatis, odoris fortis, & ingrati, ſaporis acris, & urentis. Individuum hocce mas, aut ſterile nuncupatum ſummis ramis parvos effert flores tribus ſtaminibus inferne ſtipatos, petalo deſtitutos, quibus plerumque nullus ſuccedit fructus; quum enim arbuſcula veteraſcit, aut quocumque in loco diutiſſime immorarit inter folia exiguiirideſcentes flores eriguntur, quibus parvæ ac planæ baccæ præſto ſunt, baccis Juniperi exiliores, pariter per maturitatem atro-cæruleum colorem acquirentes. In hortis colitur: noſtris vero in regionibus raro fructus edit, hinc pene ſterilis reputata fuit.

Sabina fœmina, *Offic.* Sabina folio Cupreſſi, C. B. P. 487. Savina fœmina, *Tabern, Icon.* 946. Sabina baccifera, *Matth. Camer. Rauvvolff.* Sabina major, *Genſ.* Sabina vera, *Cæſalp.* Sabina fructifera, *Caſt.* Sabina altera, *Dod.* Sabina genuina baccifera, atro-cærulea, *Lob.* Savina Cupreſſo ſimilis, *Lugd. Hiſt.* Cupreſſus Cretia; Savina, Savinera vel Savinaria ſecunda ſeu Cypariſſias, *Quorund.* vulgo *la Sabine ou le Sabinier a feville de Cyprès.*

Radix

Radix vivax, firma, & lignosa ut in præcedenti, truncum emittit magis quam in prima specie elevatum, externe plurimum Cyparisso similantem, arboremque quodammodo ramis crassioribus repræsentantem, cujus lignum sub-rubrum interne est, corticeque contectum pariter sub-rubro, mediocriter denso. Folia Cyparissi foliis proxima sunt, compactiora tamen, odoris fortis, penetrantisque, saporis amari aromatico-resinosi. Flores tribus constantur petalis firmis, acutis, permanentibus, quemadmodum & calyx in tres partes divisus, coloris herboso-lutei. Baccæ carnosæ sunt, rotundæ, inferna sui parte tribus oppositis distinctæ tuberculis, umbilico tribus denticulis armato, tria officula oblonga occludentes, ex una parte convexa, ex alia vero angulosa. Arbuscula hæc in montibus, sylvis, aliisque incultis locis excrescit. In hortis quoque colitur. Folia semper virentia præcipue in usum Medicum veniunt.

E Sabinorum regione, in qua abunde apparebat nomen mutuata est Sabina; frigore vero neutiquam læditur, tarde autem elevatur hinc a Græcis *Brathys* sive *Bradis* nuncupatur.

Superius recensitæ Sabinæ species plurimum Olei, Salisque continent. Prima vero frequentius a Medicis usurpatur tam interne, quam externe, ac inter incidentes, penetrantes, ac aperientes enumeratur. Interne menses ciet, partum, ac secundinas accelerat. In infuso ad ℥ ß. in substantia vero, aut in pulvere ad ʒj. in cyatho Vini albi folia usurpantur. Cortex, lignumque pariter præscribuntur. Menses ciet, ut innuimus, planta hæc, adeo vero violenter, ut eam in calceamentis tantum immitere ad scopum eumdem quandoque sufficiat; fœtus quoque e matrice exitum sollicitat. Verum enim vero mulieres, aut puellæ satis infelices recenseri possunt, si ad hocce remedium abortus gratia confugiant, hæmorrhagia enim quandoque hanc ob causam mater, & fœtus una pereunt, ut pluribus exemplis comprobari potest. Probe deinde anima advertendum est, ut in mensium suppressione, partuque difficili tunc solum planta hæc in usum revocetur, quum potissimum a relaxatione, atoniaque partium & suppressio prædicta, & difficilis partus originem ducant, sin autem ab earumdem partium inflatione, ardore, & eretismo proveniant, ut frequentius accidit, tunc remedium inflammationem auget, & ad sanguinis missionem e brachio, ad fomenta anodyna, clysteresque emollientes potius est confugiendum, a quibus fœminæ afflictæ plus solatii, quam a roborantibus remediis recipere semper solent. Quod optime comprobatur a D. Valthero *in Ephemeridibus Germanicis Centuria III. & IV. pag.* 230. refert enim, imperitam obstetricem Sabinæ decoctione ad difficiles partus adjuvandos abutentem, tribus a se ipso cognitis mulieribus, fœtibusque interitum intulisse.

Magna hæc Sabinæ efficacia a nonnullis Authoribus in dubium revocari videtur, eo quod præcipue a pluribus ad menses, abortumque procurandum incassum adhibita fuit. Qua de re legi potest Observatio satis longa D. Bernardi Valentini *in Ephemeridibus Germanicis anno* 1730; peculiares tamen quædam exceptiones adversus jam comprobatam Plantæ facultatem juxta sententiam nostram nihil facere possunt. Temperamenta existunt certa quadam ratione ita disposita, ut quorumdam remediorum vim omnino eludant, quam in aliis efficacius exerunt, ac non obstantibus nonnullis observationibus communi omnium Authorum consensu Sabina hæmenagogum potentissimum, ac periculosissimum reputatur.

Tam-

Tamquam excellens remedium adversus vermes succus foliorum Sabinæ cum Lacte mixtus, saccharoque edulcoratus, cochleari uno identidem infantibus propinatus a Rayo commendatur.

Aqua quoque, ac Oleum stillatitium ex hac planta elicitur. Aqua ab ℥ ß. ad ℥ ij. in potionibus hæmenagogis ac vermifugis præscribitur. A Nonnullis quoque adversus Vertigines celebratur, ac tamquam detergens ad faciei maculas ablegandas, colorisque nitorem conciliandum.

Quoad vero Oleum stillatitium, ejus guttulæ aliquot super sacchari frustulum imponuntur, admiscenturque potionibus, julapiisque ad menses ciendos, vermesque enecandos dicatis.

Externe tamquam detergens, ac resolvens, aceto ebullita cancris crurum feliciter applicatur. A Boerhaavio autem in *Historia Plantarum Horti Lugduno-Batavi* Cataplasma foliis Sabinæ cum Sale tusis, Oleoque olivarum commixtis adversus ancylosim, infantumque capitis impetiginem præscribitur. Hoc idem Cataplasma optimum est ad equorum, oviumque tumores resolvendos. Adversus quoque vermes prædicta folia una cum Melle tusa umbilico apponuntur. Sabinæ vero pulvis ad carnes insumendas, ulceraque detergenda usurpatur.

Sabinæ folia in aqua hysterica, trochiscis, syrupo Artemissiæ & Unguento *Matiato Pharm. Paris.* recipiuntur. Summitates vero in syrupo calybis; oleum denique distillatum in Balsamo hysterico, & Essentia Anti-hysterica *ejusdem Pharmacopææ.*

*Fomentum adversuum Contusiones.*

℞. Rad. Bryoniæ albæ ℥ ij. Aristolochiæ rot. ℥ j. Fol. recent. Rutæ, ac Sabinæ ana Man. j. Flor. Tanaceti Chamomill. & Matricariæ ana ℥ j. Cepar. recent. ℥ vj. Digere per horæ dimidium in vase clauso aquæ ebull. ℔. vj. adimpleto. Coque parumper, succumque per satis densum linteolum vi exprime. M. cum ℥ xv. hujusce succi, Farinæ Lini ℥ ß. Iterum parumper decoquatur, refrigereturque decotio, cui adde Sp Vini Theriacal. ℥ ij. Salis Ammoniaci ℥ j. Panni lanei frustulo hac decoctione infecto pars affecta foveatur, splenia duplicia, eadem, madida superapponendo.

*Fomentum aliud adversus Scirrhum.*

℞. Flor. Althææ, Chamomill. Melilot. & Sambuci ana Man. j. Centaur. min. Man. ß. Fol. Absinthii, Marrubii albi, Rutæ, & Sabinæ ana Man. j. Rad. Bryoniæ albæ ℥ jv. Angelicæ ℥ j. Digere horæ, spatio, cooperto vase cum aquæ ℔. vj. Fiat expressio fortis, ac ℔. jv. singulis adde Sp. Vini Theriac. ℥ jv. Super cutem panni lanei frustulum prædicto liquore madidum applicetur, ac super pannum externe, vesica suilla dilatata, pauco oleo, antea illita pariter apponetur.

℞. Millepedum pp. ℈ j. Sabinæ p. gr. jv. Divide in partes duas æquales, quarum una mane jejuno stomacho duobus Vini albi cochlearibus sumetur, altera vero pari modo tribus a pastu horis adversus cancros.

## SALICARIA.

LYſimachia purpurea, *Offic.* Lyſimachia ſpicata purpurea, forte Plinii, C. B. P. 246. Lyſimachia purpurea, quibuſdam ſpicata, J. B. 2. 902. Pſeudo-Lyſimachium purpureum, alterum, *Dod. Pempt.* 86. SALICARIA vulgaris purpurea, foliis oblongis, *Inſt.* R. H. 253. Lyſimachia purpurea ſpicata, *Ger. Park. Raii Hiſt.* 1036. Lyſimachia altera flore ſpicato, *Matth.* Lyſimachia flore purpureo, *Anguill. Cæſalp.* Lyſimachia purpurea, forte Pliniana, *Lob.* Lyſimachia altera, *Lac. Camer. Hort. Lugd. Hiſt.* Lythrum foliis oppoſitis, *Linn. Hort. Cliff.* 178. Lyſimachium purpureum cognominatum, Lyſimachium ſecundum ſive alterum, Blattaria Spuria ſpicata rubra, *Nonnull.* vulgo *Salicaire commune, ou Lyſimachie rouge.*

Radicem habet digitum craſſam, lignoſam, albam, vivacem, caules ad humanam proceritatem quandoque excreſcentes, rigidos, anguloſos, ramoſos, ſubrubros, foliis integris, oblongis, acutis, Lyſimachiæ æmulis, nonnihil tamen anguſtioribus, ac viridioribus, ab unoquoque caulium nodo, binis, quandoque tribus, raro quatuor invicem oppoſitis exeuntibus, caulemque ſimul, ſtatis intervallis, ambientibus, ſaporis ſicci, adſtringentiſque. Flores exigui ſunt, ac verticillati medios inter ramos, ſpicati, læte purpurei, ſenis conflati petalis roſaceis, duodecim ſtaminibus, apicibus ſimplicibus, & erectis ejuſdem coloris in centro locatis, abeuntes dein in capſulas oblongas, acutas, binis cellulis ſeminibus minutis refertis, diſtinctas. Locis humidis, paludoſiſque delectatur, ſecus aquas fluvios, rivuloſque occurrit, Æſtate floret, ac plerumque Junio, Julioque.

A D. Tournefortio primum *Salicaria*, *Salicaire* fuit nuncupata, eo quod ut plurimum in ſalicetis enaſcatur, vel potius juxta Nonnullos, quia ejus folia foliis Salicis plurimum ſimilantur.

Tanquam detergens, adſtringens, vulneraria, ac refrigerans reputatur, tamen raro uſurpatur. Quidam veluti optimum remedium in Dyſenteriis, fluxibuſque ſanguineis mulieribus eam proponunt. Rajus vero teſtatur, a Parkiſono aquam ejuſdem diſtillatam adverſus inflammationem, contuſionemque oculorum magnopere æſtimatam fuiſſe.

## SALIX.

ETſi omnes SALICIS ſpecies indiſcriminatim a Medicis uſurpari poſſent, nihilominus duæ ſequentes uſitatiores deprehenduntur.

Salix alba ſeu major, *Offic.* Salix vulgaris alba arboreſcens, C. B. P. 473. *Inſt.* R. H. 590. Salix maxima, fragilis, alba, hirſuta, J. B. 1. 212. *Raii Hiſt.* 1419. Salix prima vel major, *Dod.* Salix, *Ger.* Salix arborea anguſtifolia alba vulgaris, *Matth. Lugd. Hiſt.* Salix alba prior arboreſcens vulgaris, & perticalis, *Theophr.* & *Plin.* Salix Dioſcoridis, *Lob. Icon.* 136. Salix foliis Lineari lanceolatis, acuminatis, ſerratis utrinque pubeſcentibus, infimis ſerratis, glanduloſis, *Linn. Hort. Cliff.* 454. Salix Riparia ſive albida, *Nonnull.* vulgo, *Saule ou Saulx, le gran Saule ou le Saule vulgaire blanc.*

Radix longa, lignoſa, alba, arborem producit magnam, mediocriter craſſam, ramis ſuffultam, ſatis copioſis, fortibus, longis, ac viridibus, compacto,

pacto,

pacto, tactu lævi, flexibili, in ramis purpureo, aut albo cortice contectam, ligno albo, flexibili, fractuque difficili. Folia integra sunt, alterna, longa, angusta, hirsuta, alba, præsertim inferne, mollia, ambitu modo magis, modo minus denticulato, facile a ventis abrasa. Flores, fructusque segregatis individuis enascuntur. Salix namque mas, seu sterilis spicas tantum effert longas, squammosas, petalo destitutas, binis staminibus centrum occupantibus: Salix autem fœmina spicas effert præcedenti similes, ovali tamen, acuminato, squammisque calycis longiore pistillo distinctas, in capsulam deinde abeuntes ejusdem figuræ, bivalvem, exiguis seminibus ovalibus, & cristatis repletam: quæ omnia constantissime eveniunt; fabula enim est, qua narratur, Salices sexu variare, ac singulis annis flores mares, floresque fœminas alternatim progignere. Arbor hæc ubique crescit in locis humidis, & paludosis, secus rivulos, amnes fossasque aqua redundantes, in pratis.

Salix Caprea, seu minor, *Offic.* Salix folio ex rotunditate acuminato, C. B. P. 474. *Inst.* R. H. 591. Salix Latifolia inferne hirsuta, J. B. I. 215. *Raii Hist.* 1422. Salix Caprea, Latifolia, *Tabern. Icon.* 1038. Salix Latifolia rotunda, & Latifolia oblongior, *Park.* Salix Caprea rotundifolia, & Caprea Latifolia, *Ger.* Salix Platyphyllos Leucophlæos, *Lugd. Hist.* Salix foliis serratis, glabris subovatis sessilibus appendiculatis, *Linn. Flor. Lappon.* 285. Salix sylvestris latifolia, Salix altera folio rotundiore, *Nonnull.* vulgo *le petit Saule, ou le Saule Marceau*.

Radicem habet præcedenti æqualem, arbusculamque promit satis crassam, cortice albo, ac amariusculo contectam. Folia rotunda sunt, lata, nervosa, superne saturate viridia, inferne vero albida, & hirsuta, pedunculo, ut plurimum dum primo apparent, duobus foliolis auriculatis, saporis adstringentis, haudquaquam pungentis, aut amari, ornato. Separatis pariter individuis pro floribus, & seminibus spicæ ejus enascuntur. Hæc Salicis species foliorum figura plurimum variare solet, in nemoribus humidis, ac secus rivulos, fossasque excrescit, frequens quoque in sepibus occurrit, ac quandoque ab aquis distat; quamvis enim locis humidis delectetur, tamen præ cæteris Salicis speciebus solum siccum suffere solet. Martio, ac Aprili florescit, floresque juxta Camerarium optimum odorem exhalant. Etsi autem ejus lignum Salice albo fragilior sit, pluribus tamen inservit, ac præcipue ad dolia vincienda.

*Salix a saliendo* sic vocatur, celerrime enim adeo crescit, ut saltare penitus videatur. Statim Salices velociter augentur, plurimosque ejciunt ramos; haudquaquam vero diutius perdurant, facile namque excavantur, ac evertuntur: non modo autem taleis innovantur, verum etiam jam adultæ transferi possunt; absque ulla cura augmentum capiunt, ac quarto quoque anno amputantur. Uno verbo Salices magnum proventum afferunt.

Plurimum phlegmatis, parumque salis e Salice elicitur. Ejus cortex, folia, & spicæ refrigerantes, adstringentesque sunt. In decocto utiliter usurpantur contra dysenteriam, sputum sanguineum, aliasque hæmorrhagias. Præcipua autem ejus virtus valere dicitur, ad phantasmata Venerea reprimenda, adeo ut a Dioscoride asseratur, steriles fœminas devenire, si ejusdem decocto mane jejunæ utantur. Semicupia, ac pediluvia foliorum decoctione parantur, ad impetus febribus ardentibus supervenientes pacandos, nec non ad insomnia, morbosque a nimia sanguinis agitatione obortos. Hac

ipsa

ipſa de cauſa folia eadem, in febricitantium cubiculo, frigida, macerata, magnis patinis expoſita, evaporatione refrigerium, ſomnum, ac poſt deliria, tranquillitatem iis conciliare ſolent. Etmullerus autem adverſus Phthiſim, excreſcentiam fungoſam extremis Salicis caudicibus frequenter adinventam commendat. In hujuſce remedii elogium Obſervationes duas *in Ephemeridibus Germanicis Decuria II. anno I.* D. Georgius Sertorius attulit; Quibus colligitur, laudatum virum a duobus deſperatis Phthiſicis evocatum, febri ſcilicet hectica, puris ſputo cum ſtomachi reſolutione, totali conſumptione capillorum decidentia, demum facie hippocratica vexatos (eadem autem Authoris verba ſunt) eos perfecte, menſis ſpatio ſanaſſe, ſolis ℥ ij. Fungoſæ excreſcentiæ prædictæ cum pari Sacchari candi quantitate exhibitis, præſcripto quoque Lacte caprili, pro quotidiano alimento, cremore Oryzæ, & Hordei ſociato, ac Emulſione ſero hora ſomni.

Corticis ejus cinis cum aceto mixtus optimam, juxta Dioſcoridem nobis paſtam miniſtrat ad calloſas digitorum pedum excreſcentias, verrucaſque exſiccandas. S. Paulli quoque teſtatur prædictis in morbis efficacius remedium reddi, ſi una cum laudato cinere fimum ovillum admiſceatur, ac Unguenti ſpecies veluti quædam conficiatur cum reſiduo in Alambico poſt aceti diſtillationem adinvento. Laudatus deinde Medicus ad ſanguinem ſiſtendum, Salicis ſpicarum lanuginem commendat. Author autem *Hiſtoriæ Plantarum Lugdunenſium* aſſerit, carbones ligni Salicis optimos eſſe poſſe ad pulverem pyrium componendum, facile enim ignem concipiunt, a pictoribus quoque ad imagines adumbrandas uſurpantur. A nemine porro ignoratur maximus hujuſce ligni uſus in re ruſtica ad perticas, ſcalaſque conficiendas, nec non pro tornatoribus, vimenariiſque artificibus, ad varia elaboranda: fortaſſe tamen facultas ejus cultra acuendi, ac expolliendi eodem fere pacto, quo petræ ſolent, omnino latet.

## S A L V I A.

PLurimæ SALVIÆ ſpecies notæ ſunt iiſdem fere facultatibus præditæ: uſitatiores tamen ſunt ſequentes tres a nobis recenſendæ.

Savia, major, *Offic.* Salvia major, an Sphacelus Theophraſti? C. B. P. 237. *Inſt.* R. H. 180. Salvia Latifolia, J. B. 3. 304. *Raii Hiſt.* 509. Salvia major, *Dod. Pempt.* 290. *Matth. Caſt. Tabern. Ger.* Salvia, *Anguill. Cord.* Salvia major vulgaris, *Park.* Salvia Hortenſis ſive Hortulana, Salvia Domeſtica, Eleliſphacon ſive Eleliſphacos, Phagnon, Corſalvium, Herba ſacra, ſeu Nobilis, *Quorumd.* vulgo *Saulge ou Sauge, la grande Sauge, la Sauge franche ou ordinaire.*

Radicem habet vivacem, lignoſam, duram, fibroſam, cauleſque emittit lignoſos, ramoſos, hirſutos, dilute-virides, plerumque quadratos, fultos foliis invicem oppoſitis, oblongis, latis, obtuſis, rugoſis, rudibus, ſubalbidis, aut ad purpureum accedentibus, aut vario-coloratis, craſſis, lanugiuoſis, fere ſucco deſtitutis, ambitu crenato, ſpongioſis, longiuſculis caudis appenſis, odoris penetrantis, & grati, ſaporis aromatici, amari, acriuſculi, oſque calefacientis. Flores ſpicati quodammodo, verticillati, tubulares, bifariam ſuperne inciſi, binis ſtaminibus, quorum divaricationes, Os Hyoideum mentiuntur, ſummis ramis innaſcuntur; vix odori ſunt, cæruleo-purpurei, raro albi, amplo calyce corniformi, quinquifido, odoris Terebinthini, ſuffulti, in

quatuor deinde abeunt semina rotunda, nigricantia, capsula, a calyce oriunda, conclusa. In hortis colitur planta hæc in quibus una cum sequentibus flores edit Junio, Julioque, ac quandoque citius, ejus vero summitates quodam humore glutinoso, & aromatico humectantur; flores, ac folia præ aliis partibus in usum Medicum cadunt.

Salvia minor, *Offic.* Salvia minor, Aurita, & non Aurita, C. B. P. 237. *Inst.* R. H. 181. Salvia minor, Auriculata, J. B. 3. 305. Salvia minor, *Dod. Pempt.* 290. *Cæsalp. Ger. Raii Hist.* 510. Salvia minor sive Pinnata, *Park.* Salvia Nobilis, *Brunf. Gesn. Hort.* Sphacelus verus Theophrasti, *Lugd. Hist.* 880. Salvia Angustifolia, & minor, *Trag.* Salvia hortensis minor, Salvia acuta, *Nonnull.* vulgo *la petite Sauge, ou la Sauge de Provence.*

Radicem habet Salviæ majori similem, plures ejicit caules lignosos, subalbidos, lanuginosos, ramosos, ad præcedentis modum longos; folia autem angustiora sunt, ac exiliora, albidiora, rugosa, aspera, vix succulenta, duobus stipata foliolis ut plurimum, parvarum auricularum, aut pinnularum instar, quibus sarissæ ferrum æmulantur, odoris, ac saporis fortioris, penetrantioris, magisque aromatici. Flores vero, ac semina Salviæ vulgaris floribus, ac seminibus omnino æquales sunt, eademque tempestate apparent. Species hæc diligentissime in hortis colitur, plurimum enim existimatur, usurpaturque, nec adeo facile alterius more multiplicatur: Matthiolus tamen observavit, adeo abunde in quibusdam Galliæ, & Italiæ locis excrescere, ac præsertim in solo sicco, ac rudi, ut incolæ ea furnos calefaciant.

Salvia Hispanica, *Offic.* Salvia folio tenuiore, C. B. P. 237. *Inst.* R. H. 181. *Raii Hist.* 510. Salvia Indica, *Ger.* Salvia minor aurita, odoratissima, Hispaca, *Park.* Salvia Hispanica odoratissima, *Camer.* Salvia Hispanica, flore albo, *Eyst.* Salvia Catalauniensis seu Catalaunica, *Nonnull.* vulgo *la Sauge de Catalogne ou d'Espagne a fleur blanche.*

Tertia hæc Salviæ species externa facie adeo præcedenti similatur, ut nisi attentius observetur facile pro ea sumi possit; differt nihilominus aliquantisper figura ut plurimum exiliori, foliisque pariter exilioribus, viridioribus, minus albis, floribus plerumque albis, odore suaviori, demum mollitie, tenerior enim est, nec adeo frigoris patiens: rarior ergo minusque cæteris duabus usitatior est. Æstate pariter in curiosorum hortis florescit.

Omnes Salviæ species argillaceis terris delectantur, usitatissimæque sunt tam in re culinaria, quam officinali.

*Salvia a salvando* vocatur, quasi quis diceret *Planta sana, ac salutaris.* Si diu ejus odor, ac præcipue jejuno ventriculo excipiatur, ebrietatem, vertiginesque progignit; aliud præterea ex ea incommodum recipimus, namque serpentes, & rubetas, sive bufones suorum foliorum umbra abdit, quibus ablegandis optimum est, Rutam proxime serere, ejus enim odorem sufferre haudquaquam possunt.

Tres Salviæ species usque adhuc descriptæ in hortis coluntur, ac præcipue primæ duæ; Analyseos ope plurimum olei exaltati, salisque volatilis, & fixi, ac parum phlegmatis largiuntur. Salvia minor præ aliis existimatur, huic tamen binæ reliquæ commode substitui possunt. Interne, ac externe usurpantur; ac jure, meritoque tamquam cephalicæ, & Apoplexiæ, Epilepsiæ, Paralysi, membrorumque Tremoribus adversantes reputantur; Antihistericæ quoque sunt, Diureticæ, & hæmenagogæ, qua de re gravidis sunt inter-

interdicendæ. Rulandus asserit, mulierem Epilepticam usu Vini sanasse, in quo Salvia infusa fuerit, quo etiam plurimum juvantur tumoribus vexati; Chesneau vero, partes æquales Salviæ, Sarsæparillæ, ac Balaust. adversus albos fluores præscribit. Foliorum ejus infusio interne sumitur adversus vertigines, soporosos affectus, aliasque cerebri affectiones, Apoplexiam, Paralysim &c. minitantes. Quibus de causis Salvia major seligi solet, cui tamen, si possibile est Provincialis aut Catalaunica Salvia est anteponenda, a prædictis enim regionibus, utpote calidioribus, majorem vim acquirit. Salviæ minoris usus ad modum Theæ familiarissimus est; pug. j. octo aut decem foliis constans in aquæ bullientis ℔ ß. immititur, Sacchari parum addendo. Potio hæc per dies plures, mane, jejuno stomacho repetita non solum cerebri morbis opitulatur, humorum motum, circulationemque excitando, verum etiam utilissima deprehenditur in mensium, & urinarum suppressione, in indigestionibus, ventriculique imbecillitate, in flatulenta, & colica affectione, ad vermes enecandos, pulmonesque Asthmaticorum expediendos, præsertim si ejus foliorum fumus, adinstar Nicotianæ, tubulo exsugatur; uno verbo planta hæc tot virtutibus ditatur, ut a pluribus veluti Panacea universalis reputetur, hinc cecinit *Schola Salernitana*,

*Cur moriatur homo, cui Salvia crescit in horto?*

Quasi homo ille, cui in horto Salvia excrescit, extremum diem numquam obire debeat: facile itaque hoc altero versiculo responderi potest.

*Contra vim mortis nullum est medicamen in hortis,*

quum de facto in hortis nullum adversus necem remedium existat. A Sinensibus vero adeo Salvia in deliciis habetur, ut obstupuerint, Europeos eorum regionis Theæ adeo sollicitos esse, quum præ manibus adeo excellentem plantam habeant, revera Theæ præferendam. Veslingius Medicus sapientissimus Aetii, remedii antiquissimi usum innovavit adversus sputum cruentum, matutini scilicet haustus duorum, succi Salviæ, una cum Melle juncti, cyathorum.

Floribus vero Salviæ Conserva, & Aqua distillata paratur; integra autem planta, Oleum distillatum, ac Oleum infusionis, & cocturæ ope; foliis denique, ac floribus, Acetum.

Aqua distillata ab ℥ ij. ad ℥ jv. in potionibus, & julapiis cordialibus, cephalicis, & anti-paralyticis propinatur. Conserva in primis commendatur in ventriculi imbecillitate a ʒ ß. ad ʒ j. post prandium, aut Opiatis stomachicis, & roborantibus ab ℥ ß. ad ℥ j admisceri solet. Olea; stillatitium, ac ope cocturæ confectum cum omnibus aliis aromaticis oleis communes virtutes habent: In nervorum, ac tendinum relaxatione, in paralysi, rheumaticisque affectionibus, vel interne gut. ij. iij. aut vj. cum Vino, aut aliqua cordiali, aut cephalica aqua, mixta, vel partes affectas, iis una cum Spiritu Vini, Oleis, aut aliquo appropriato Unguento permixtis illiniendo, in usum revocantur.

Extrinsecus plantæ hujusce folia, ac flores semper utiliter adhibentur in decoctionibus, fomentisque aromaticis ad nervos roborandos, musculos

consolidandos, tumores emolliendos, vulnerumque inflationes evanescendas. S. Paulli Gargarisma infusione Fol. Salviæ ex Vino, præsertim si Nicotianæ ℨ ij. addantur, adversus dentium morbos præscribit. Hæc eadem infusio, Nicotiana tamen relicta, optima est juxta ejusdem Authoris sententiam adversus manuum tremorem, dummodo ea sæpius abluantur. Ab Ettmullero quoque, & a D. Hulse Gargarismatis forma commendatur adversus OEsophagi paralysim, statis intervallis, nonnihil spiritus Vini, in quo Thymum infusum fuerit, in ore detinendo. A Lindano vero optimum remedium esse dicitur in Scorbuto, gingivas æquali portione jusculi Salviæ, ac Succi Cochleariæ sæpius emundare. Unguentum pari portione foliorum Salviæ, & Tanaceti, ac pinguedine suilla paratum excellens est adversus tumores tendinum vulneribus supervenientes. Folia tusa ac Gangrænæ applicata, ejusdem progressum impediunt, hinc *sphacelus* quoque planta hæc vocata fuit: demum *Ephemerides Germanicæ* nos edocent, hæc eadem folia Vesparum puncturis applicata, dolorem ac inflammationem ipso facto sedare.

Cæterum juxta plures Medicos, satis cautos nos esse opportet in Salviæ usu. Matthiolus, Mejerus, Paræus, aliique, nisi prius probe lota fuerit, eam usurpare non sinunt, Rubetæ enim sive Bufones, ajunt ii, sub hac planta frequenter sese abdunt, eamque halitibus, ac saliva inquinare solent. Paræus deinde, ac Mejerus hoc idem funestissimis historiis confirmant apud eos consulendis. *In Ephemeridibus* quoque *Germanicis, Decuria II. anno VI. pag. 66. in Appendice* refertur, fœminæ, nonnulla Salviæ folia absque abstersione esitata, paulo post, colicos affectus adeo violentos excitasse, ut post paucos languorum dies, occubuerit, visosque fuisse bufones binos viventes (res plane mira) ex ano defunctæ exeuntes. P. vero Kirker Microscopii examini, Salviæ folia subjecit, minimaque insecta in eorum rugis abdita deprehendit, quæ parva quadam tela araneæ persimili contecta sibi videbantur, hisque potissimum, veneficam vim Salviæ tribuit: quæ omnia aliorum observationibus, nostrisque peculiaribus refutantur, nihil enim aliud in Salviæ foliis adinvenire potuimus, præter longos pilos albos, papillulasque: enim vero perspicuum est, D. Tournefortium, narrare, a se ipso in Oriente pulcras admodum Salviæ species visas fuisse, in quibus a pusillorum Insectorum puncturis tumores progeniti fuerant, parva poma æmulantes, IX. aut X. linearum diametri, saporis dulcissimi, gratissimique; vocantur autem *Salviæ Poma*, quæ illic publice venditantur: hoc autem nihil facit pro Kirkero, venefica enim nullo modo Insecta hæc esse possunt, quum eorum productiones utiliter esitentur: quoquomodo vero res sese habeat, Itali, inquit Rajus, quum probe noscant, Salviam bufonibus infestari, ad eos depellendos Rutam proxime reponunt, ejus enim odorem, uti diximus, Reptilia hæc omnino fastidiunt. Quoad nos, non negamus, Insecta in Salvia abdita venenum huic impertiri non posse, quod tamen si verum est, sane raro accidere solet, infinitus enim personarum numerus Salvia, absque ulla lotione quotidie utuntur, nullum nihilominus incommodum persentiunt; a rusticis vero in Provincia, ubi planta hæc vulgatissima est, plerumque recens comeditur absque ullo periculo. Inutilis itaque prorsus eam abluendi diligentia a nobis reputatur, præsertim quia lotione, sua efficacia destituitur: pernecessarium tamen est, folia abstergere, antequam usurpentur.

Salviæ folia in Orvietano, & pulvere adversus rabiem adhibentur; ejus

vero summitates floridæ in aqua Theriacali, in Balsamo tranquillo, Unguento *Martiato*, Unguento contra adustiones; flores denique in aqua Imperiali, syrupo de stœchade, Balsamo Oppodeltoch, ac in aliis cordialibus compositis, nervinis, ac cephalicis *Pharm. Paris.*

℞. Fol. Salviæ exsicc. Sarsæparillæ & Balaust. ana ℥ j. M. exactissime f. p. mane jejuno ventriculo per novendium exhibenda in jusculo adversus fluores albos appropriato.

℞. Salviæ maj. Man. j. Nicotianæ Virginianæ ℥ ij. Coque in ℔. ij. optimi Vini rubri ad medias. Fiat colatura pro Gargarismate adversus contumaces dentium morbos.

℞. Summit. Lavendulæ, Origani, Salviæ, Menthæ, Rorismarini, Hyssopi, Thymi, Absinthii, Majoranæ ana Man. ß. Coque in aquæ com. ℔. iij. ad quartæ partis consumptionem. Fiat colatura forti expressione pro fomento in nervorum, tendinumque debilitate, ac in rheumaticis affectionibus œdematosis.

℞. Fol. Salviæ & Betonicæ ana Man. j. Fiat infusio xij. horarum spatio in optimi Vini rubri ℔. vj. Colatura in prandio usurpetur adversus vertigines, stupores, & ad roborandum ventriculum.

*Unguentum pro Membris paralyticis.*

℞. Anserem marem, deplumatum, & exenteratum. Ablue S. V. camphorato, ejusque deinde partes internæ Salvia, ac Roremarino p. inspergantur, adimpleanturque Thuris masculi, Myrrhæ, & Mastichis ruditer tusor. ana ℥ j. Adde medullæ Cervinæ, ac Unguenti Martiati ana ℥ j. ß. Consuantur deinde exacte ventris tegumenta. Assetur anser, colligaturque liquor, cui adde Lumbricor. terrestrium p. ℥ j. Membra paralytica Spiritu Vini camphorato fricentur, ac deinde hujusce Unguenti s. q. illinientur, cooperienturque charta bibula, linteolisque calidis. Unctio vero antequam æger recumbat sero ministretur.

℞. Conservæ Flor. Salviæ, Melissæ, Rorismarini, ac Betonicæ ana ℥ j. Opiatæ Salomonis, ac pulv. Viper. ana ℥ ß. Rad. Valerianæ maj. p. ʒ ij. Salis Ammoniac. defœcati ʒ. j. Olei Caryophyllor. aromat. gut. xx. M. una cum æquis portionibus Balsami Commendatoris de Perne, & Syrupi Hyssopi pro Opiata cephalica, & anti-paralytica, cujus dosis ʒ ij. mane jejunis ægris, bolis nebula obvolutis, propinanda.

℞. Conservæ Salviæ, ac Enulæ Campanæ, Cort. Malor. Citreor. & Aurantior. condit. Radicis Angelicæ cond. ana ℥ ß. Opiatæ Solomonis, ac Extracti Juniperi ana ʒ vj. Specier. trium Santal. ʒ ij. Cinnamomi p. & Salis Absinthii ana ʒ j. M. cum Syrupo de Mentha, pro Opiata cephalica, & stomachica, dosis fere ʒ ij. post prandium propinanda.

## S A M B U C U S.

De Sambuco humili sub Ebuli nomine cogniti jam alio in loco verba facta sunt, modo restat de Sambuco arboreo semonem instituere.

Sambucus, *Offic.* Sambucus fructu in umbella nigro, C. B. P. 456. *Inst. R. H.* 606. Sambucus vulgaris, J. B. 1. 544. *Park. Raii Hist.* 1609. Sambu-

 cus

cus, *Dod. Pempt.* 845. *Ger. Matth. Fusch. Gens. Hort.* Sambucus domestica, *Cast.* Sambucus umbellifera, *Anguill.* Sambucus Campestris sive vulgaris, *Camer. Hort.* Sambucus caule arboreo ramoso, floribus umbellatis, *Van-Roy. Flor. Leyd. Prodr.* 243. Sambucus caule perenni ramoso, *Linn. Hort. Cliffort.* 109. Acte, *Græcor.* Sambucus arborescens, Sambucus vulgatior sive vulgatissima, Arbor Ursi, vel Ursæ, *Nonnull.* vulgo, *Sureau ou Suzeau, Gran Sureau, ou Sureau commun.*

Ex radice lignosa, vivaci, longa, albescente modo arbor mediocris altitudinis late ramis sese expandens, erigitur modo arbuscula ramis longis, rotundis, magna medullæ albæ portione repletis, lingno compactiore, initio viridi, deinde ad cinereum colorem accedente, trunco, cortice, obtecto, rudi, rimis hiante, cinereo, sub quo alter quoque interior viridis, ac in usum medicum veniens cortex invenitur: lignum solidissimum est, subluteum, facile tamen scinditur, rami vero nodos habent per intervalla locatos. Folia quina, vel sena juxta costam, ut in Nuce apparent, nonnihil tamen exiliora, ambitu serrata, odore graviore, imparique extremo folio, cæteris latiore, claudente. Flores summis ramis umbellati, ampli, & lati enascuntur, rosacei sunt, quadripartiti albis, satis odorati, quinque staminibus apicibus rotundis. Floribus deciduis præsto sunt baccæ Juniperi baccis æquales, rotundæ, initio virides, per maturitatem nigræ, succo refertæ saturate rubro, ut plurimum unica in cellula tria semina occludentes minuta, ex uno latere convexa, altero vero angulosa, *Grana Actes* in Officinis nuncupata. Arbor hæc fere ubique crescit in sepibus, urbiumque fossis, & vallibus, in locis umbrosis, humidisque; frondes citissime emittit, & Majo, Juniove floret. Si forte in hortis colatur diutissime vivit, arboremque satis conspicuam, erectamque efformat. Rarius in Italia, regionibusque calidis occurrit, solo enim pingui delectatur. Frigidis pluviis, ac pruinis facile flores labuntur, hinc malum præsagium a vulgo deducitur, timetur enim hoc idem Vitibus contingere posse. Usque ab Hippocratis ætate Sambucus a Medicis magnis laudibus extollebatur. Ejus medius cortex, folia, flores, baccæ, uno verbo omnes fere partes usitatæ sunt. Martinus Blockvvitzius librum integrum de ejusdem facultatibus exaravit sub titulo, *Anatomes Sambuci.*

Sambuci folia primum herbæ salitæ saporem habere videntur, quem deinde amarities quędam subsequitur. Fructus subdulcis est, ac rubro colore chartam cæruleam elegantissime depingit. Folia autem Analyseos ope præter plures acidos, alkalicosque liquores, salem volatilem concretum, plurimum olei, ac terræ largiuntur. Hinc facile conijci potest, plantæ hujusce vim sitam esse in sale ammonicali, acido præ aliis saturatiori, plurimo oleo fœtido, ac terræ conjuncto.

Omnes ejus partes, tam interna, quam extrinseca optima remedia nobis suppeditant. A Veteribus veluti cathartica, & aperiens generaliter planta hæc censebatur; foliorum, surculorumque decotio ab Hippocrate & Dioscoride ad alvum subducendam & urinas hydropicorum ciendas usurpabatur: Vinum quoque, in quo radices ebullierint ab iis præscribebatur. D. vero Chomelius *in Tractatu Plantarum usitatiorum*, ad serositates evacuandas sequentia duo commendat.

℞. Cortic. Medii Sambuc. ℥ j. Fiat infusio per noctem in cinerario calido cum aquæ bull. ℥ vj. Sal. Absinthii gr. xv. ac Cinnamomi ℈ j. Mane fiat

ne ;fiat colatura forti expressione pro dosi jejunis ægris exhibenda. Vel:

℞. Sem. Sambuc. p. ʒ j. Sal. Tartar. gr. xx. Mercur. dulc. gr. xv. M. f. b. cum s. q. Syrupi Cichorii pro dosi.

Fol. recentium, aut propaginum Man. j. una cum acetario lenissime purgat. Delicatulis tamen ea in usum revocare non permittimus, quia quandoque vomitus, superpurgationesque violentæ ex horumce esu ortum ducunt, generatim enim Sambucus turbat, ventriculumque subvertit. Flores recentissimi cum ovis frixi, aut sero lactis infusi laxandi vim habent, quam exsiccati omnino amittunt, diaphoreticamque ab iis acquiri dicitur: infusio autem prædicta magnum præbere solatium solet Erysipelate, vel alio cutaneo morbo affectis. Cyathus unus mane, vesperique ingurgitetur, faciem mandefaciendo, portionibus duabus aquæ Flor. Sambuc. altera vero Sp. Vini: eorumdem quoque Flor. infusio in aqua, aut lacte nutricibus majorem lactis copiam ingerere solet. Acetum Samb. præterea nuncupatur, quod ejusdem florum infusione majorem vim, odoremque acquisiverit, quodque etiam aceto communi magis ventriculo accomodatur, magisque sanum reputatur: Demum iisdem hisce floribus Syrupus, ac Conserva paratur, leviterque cum Melle, ac Aceto decocta in clysteribus usurpatur. Succus corticis medii viridis, aut infusum ejusdem contusi ex lacte, aqua, aut vino a Trago & Dodonæo exhibebatur ad bilem, ac serositates eliminandas, quæ profecto remedii ratio satis optima est, superne ac inferne lenissime evacuans, uti feliciter nos quoque experti sumus in quibusdam inflationibus hydropem minitantibus. Ad sudorem peste correptis conciliandum hic idem cortex una cum Theriaca a Gesnero præscribebatur; a Nonnullis vero syrupus Diacodii additur. Camerarius autem ad menses excitandos propaginibus Sambuci una cum pauco Croco utebatur; ab aliis autem in pulverem rediguntur, qui ad alvum apertam servandam, sanguinemque depurandum inservit.

Rotulæ, succo Baccarum Sambuci cum Secale farina permixto, conficiuntur, furnoque decoquuntur, nuncupantur autem *Tragea Granorum Actes*; ægris Dysenteria vexatis sic propinandæ, vel pulveratæ boli forma, aut liquore appropriato exsolutæ, a ʒ j. ad ℥ ß. Iisdem præterea baccis parantur Rob, Extractum, Spiritus, Vinum, Oleumque Sambuci.

Si lento igne ℔. j. Succi Baccar. Sambuci cum Sacchari ℔. ß. condensetur Rob jam confectum habebimus, præscribeturque a ʒ j. ad ℥ ß. in Dysenteria; urinas quoque expellit, ac tamquam lene sudorificum reputatur.

Extractum vero juxta Quercetanum sequenti ratione paratur. Baccæ ad umbram exsiccatæ recipienti committuntur, optimum Sp. Vini superaffundendo, qui quatuor aut quinque digitis supernatet, digeruntur que quinque aut sex dierum spatio. Tinctura filtratur in passionibus Hystericis optima a cochlear. ß. ad cochlear. j. Distillationis deinde ope ab hac, Tinctura Sp. Vini elicitur, ac in Cucurbitæ fundo Extractum remanet a ℈ j. ad ʒ j. præscribendum prædicto in morbo, alvique fluxu.

Spiritus ardens Baccar. Sambuci satis sudorificus est, quemadmodum & Baccarum earumdem succus, facile autem servatur, transversum Olei digitum in vase superimponendo, vel cum eo tertiam Sp. Vini optimi partem admiscendo. Vinum Sambuci nuncupatur Vinum hoc idem anni spatio conserva-

ſervatum. A Nonnullis cum Saccharo excoquitur ad Syrupi conſiſtentiam. Eorumdem fructuum nuclei calida macerati, forti dein expreſſione colati Oleum miniſtrant aquæ innatans, quod externe applicatum arthriticos dolores ſedat, optimeque tremores reſolvit: prædictis etiam in caſibus in uſum revocatur altera olei ſpecies, quod foliorum exolutione paratur, eorum enim coſtis tuſis, in cacabo e ſilice reponuntur profunde humato, anteaque probe gypſo oblinito, anni exacto ſpatio, in cacabi fundo olei ſatis temperantis ſpecies quædam reperitur. Sambuci Nuclei purgandi vim habent, dummodo ʒ iij. aut ℥ ß. pulverati aut emulſionis forma ℥ j. exhibeantur. Fere nullam evacuandi habent efficaciam ſi in Vino albo macerentur.

Fungi ſpecies quædam in Sambuco excreſcit, quæ a C. Bauhino nuncupatur *Fungus membranaceus*, *Auricula Judæ*, *ſive Sambucinus*, aceti ex eo infuſum adverſus faucium inflammationes, & anginam juxta Authores plurimos excellit, aut Gargariſmate, aut extrinſecus applicatum. S. Pauli autem Infuſum ejuſdem ex Vino hydropicorum aquas expellere affirmat. Martinus Blockovvitzius Germanus Medicus, a quo, ut innuimus, ſpeciatim de Sambuco fuit pertractatum, aſſerit, ramorum medullam diureticam eſſe, aptiſſimumque remedium ad ſabuloſas concretiones, glareas, ac Hydropicorum aquas eliminandas.

Extrinſecus Sambuci folia igne macerata plurimum reſolvunt; inflationibus enim applicantur, quæ cito evaneſcunt. Ex iis quoque in Vino ebullitis balneum vaporoſum, ac repetita fomenta parantur ad crura inflata & hydropicorum madefacienda, magmate Cataplaſmatis forma appoſito, ſique folia, floreſque Tanaceti cum iis conjungantur efficacius agent. Sambuci flores reſolventes ſunt, anodyni, temperantes, ac diaphoretici, Eryſipetali, aliiſque cutaneis morbis fomenti more apponuntur: fermentatione ex iis ſpiritus elicitur, eumdem tribus vicibus ſuper eoſdem fermentatos flores cohobando. Inter excellentiora artis Medicæ remedia ad Eriſiplata ſananda merito recenſetur; applicaturque parti affectæ linteolum calidum hac materia imbutum, curando ut mane, ac veſperi renovetur. Cortice medio viridi Sambuci dolorificis partibus appoſito, S. Paulli arthriticos dolores ſanaſſe teſtatur. Hic idem cortex quoque excellit adverſus aduſtiones, tutiſſimuſque merito ac infallibilis vocari poteſt. Plura ex eo Unguenta componuntur, inter quæ a Matthiolo præſcriptum præſtantius reputatur, quod ebullitione paratur, Corticis medii Sambuci ℔. j. cum Olei olivar. pluries in aqua florum Sambuci loti ℔. ij. Meliori quoque ſucceſſu res procedet, ſi Oleum Sambuci, infuſione florum reiterata conficiatur, linteoloque trajecto, quum cortex niger ac concoctus apparet, ceræ recentis ℥ jv. addantur, cum æquali ſucci ſurculorum ejuſdem plantæ portione, quibus omnibus uſque ad hujuſce ſucci conſumptionem ebullitis, vaſe deinde ab igne deducto, ac Terebinthinæ ℥ ij. Thuris maſculi ℥ jv. biniſque vitellis ovorum induratis additis in vaſe e ſilice Unguentum pro uſu ſervari debet.

Adverſus Arthritidem, inflammationes, hæmorrhoides, & aduſtiones ſufficere etiam poteſt corticem medium Sambuci in Oleo olivar. aut Nucum decoquere, eique unguenti conſiſtentia ſ.q. ceræ recentis, ac vitellis ovorum conciliata, in vaſe Faentino Unguentum frigida ſervare. Nihil uſpiam vero magis utile, pulvere pyrio ambuſtis, eſſe deprehenditur, præter immediatam Mel-

lis

lis vulgaris, Oleique Nucis, in quo Sambucus ebullierit impositionem; ulcera vero post ambustionem apparentia decoctione corticum Fraxini, ac Sambuci abluuntur. Zuvelpher quoque descriptionem optimi Unguenti adversus ambustiones tradidit. Butyri recentis ℔. ij. Olei Sambuc. ℔. j. Baccar Juniperi virid. tus. pariter ℔. j. Fol. recent. Sambuci ℥ vj. Rosar. pallid. ℥ jv. simul macerentur, deinde leviter ebulliant, & vitellis ovor. indurator. num. v. malaxentur; pluma hoc Unguento saturata ambustiones illiniuntur, chartaque bibula cooperiuntur.

Sambuci flores in decoctione aromatica, aqua Generali, Balsamo tranquillo, folia vero in unguento *Martiato*, baccæ denique in aqua hysterica *Pharmac. Paris.* usurpantur.

℞. Nucleor. Sambuc. tus. ʒ ij. Sem. Fœniculi ʒ ß. Infunde noctis spatio in Vini albi cyatho. Mane fiat colatura forti expressione pro potione purganti in ictero, cachexia, ac inflationibus propinanda.

℞. Baccar. Sambuc. exacte maturar. ℔. j. Exprimatur succus absque Nuclei contusione. Hoc succo offulæ panis albi recentissimi imbuantur, quod quinquies repetatur, panem quaque vice in furno exsiccando, hujusce buccellati ʒ j. pulverata, admiscetur cochleari Jusculi. Æger mixturam hanc mane, jejuno ventriculo bis, aut ter juxta exigentiam sumet in dysenteria.

℞. Cort. interni Sambuc. Man. j. Coque in aquæ ℔. j. ac Lactis Vaccini æ. q. ad medias. Fiat colatura per linteum forti expressione, dividaturque in doses n. iij. exhibeanturque tepidæ singulis horis, mane, jejuno stomacho in cachexia, inflationibus, ac hydrope ascite.

℞. Aquæ stillat. Flor. Sambuc. ℥ viij. Rob Samb. ℥ j. Nitri depurat. ʒ ß. M. exhibeaturque mixturæ hujusce singulis horis ℥ j. cum aderit indicatio sudores ciendi.

℞. Flor. Samb. Man. j. Semin. Fœnicul. tus. ʒ ij. Fiat infusio in Lactis ferventis ℔. ij. Semel cremor decerpatur, ac divide in doses jv. quæ tepidæ in decoctione appropriata ad lac nutricibus augendum exhibebuntur.

℞. Flor. Samb. Man. ij. Infundantur horæ spatio in aquæ bull. ℔. ij. pro fomento in Erysipelate.

℞. Fol. Samb. Man. ij. Charta madida, obvoluta, ac cinerario calido macerata contunde, ac Sp. Vini consperge pro Cataplasmate adversus œdemata, crurumque inflationes.

℞. Fol. Sambuc. Verbasci, Millefolii, ac Plantag. ana Man. j. Cortic. Malor. Punicar. ʒ ij. Coque in aquæ ℔. j. cum æ. q. Vini rubri veter. ad tertiæ partis consumptionem. Fiat colatura, exolvaturque Aluminis ʒ j. Sacchar. Saturni ʒ ß. M. pro fomento adversus fluxus hæmorrhoidales excedentes.

℞. Spermat. Cæti ℥ j. Ceræ albæ ℥ ij. Galbani aceto p.p. ℥ ij. Olei Sambuci q. s. M. pro Emplastro adversus mammarum Scirrhosos, strumosos, aut lacte concreto obortos tumores utillimo.

*Vapor adversus Anginam.*

℞. Aceti Sambuc. Rosar. & Calthæ ana ℥ j. Aquæ distill. Sambuci ℥ vj. M. Vapor calidus in fauces infundibuli inversi ope introducetur.

## SAMOLUS.

ANagallis aquatica, *Offic.* Anagallis aquatica folio rotundo, non crenato, C. B. P. 252. SAMOLUS Valeradi, J. B. 3. 791. *Inst.* R. H. 143. Anagallis aquatica 3. *Lob. Icon.* 467. Anagallis aquatica rotundifolia, *Ger. Raii Hist.* 1001. Anagallis folio subrotundo, non crenato, *Park.* Alsine aquatica perennis folio Becabungæ, *Mor. Hist. Oxon.* 2. 324. Anagallis aquatica altera Lobellii, *Lugd. Hist.* Samolus, *Linn. Hort. Cliff.* 51. Samolus Plinii, *Quorumd.* vulgo *Mouron d'eau.*

Radicem habet minutis fibris capillaribus stipatam, albam, vivacem. Caules emittit fere pedales, graciles, rotundos, erectos, foliis onustos brevioribus, rotundioribusque in basi positis, alternis, caudis, destitutis: caules autem in vertice plures in ramulos dirimuntur. Folia inferna oblonga sunt, primum angusta, sensim ad extremitatem usque rotundam sese expandentia, densa, non crenata, glabra, dilute-viridia. Summis caulibus, ramulisque flores enascuntur poculum referentes, adinstar parvæ rosæ incisi, albi, staminibus quinis, in capsulas ovales dein abeuntes, unica cellula plura semina ejusdem figuræ, minuta, ac per maturitatem subrubra condentes. Sapore amaro donatur, locisque aquaticis, paludosisque delectatur, Junio floret, quandoque autem serius, semina vero Septembri maturescunt. In acetariis esitari potest, folia enim primum apparentia, eamdem fere dulcedinem, ac folia Valerianellæ sortiuntur, atque in agro Parisiensi occurrit.

Samolus nuncupatur ab *insula Samos* in qua frequentissime crescit.

Vulneraria, aperiens, detergens, & antiscorbutica dicitur; vix ullum tamen in re Medica usum habet.

## SANICULA.

DUæ SANICULÆ species in Officinis distinguuntur, ac genus diversum constituunt, scilicet Sanicula mas, sive vulgaris, & Sanicula fœmina.

Sanicula, *Offic.* Sanicula Officinarum, C. B. P. 319. *Inst.* R. H. 326. Sanicula mas Fuchsii, sive Diapensia, J. B. 3. 639. Sanicula, *Dod. Pempt.* 140. *Brunf. Trag. Anguill. Lac. Lon. Cæsalp. Camer. Thal. Tabern. Gesn. Hort. Matth. Eyst.* Sanicula sive Diapensia, *Ger. Raii Hist.* 475. Sanicula vulgaris, sive Diapensia, *Park.* Sanicula & Diapensia, *Lob. Icon.* 663. Sanicula foliis radicalibus simplicibus, flosculis omnibus sessibilibus, *Linn. Flor. Svec.* 78. Sanicula nigra, Ferraria major, Sideritis 3. Dioscoridis, Consolida quinquefolia, *Nonnull.* vulgo *Sanicle commune ou male.*

Radix superne satis crassa, inferne fibrosa, externe nigricans, interne alba, vivax, saporis amari, plura expellit folia lata, semirotunda, duriuscula, quinquifida, ambitu crenato, lævia, plerumque e viridi lucescentia, permanentia, longis appensa caudis. Ea inter caules fere pedales extolluntur læves, nodisque liberi, inferne radicem versus subrubri, summitatibus parvos sustinentes flores umbellatos, quinquepetalos, albos, vel rubros, rosaceos, staminibus quinis, apicibus rotundis, quibus teretes, aut ovales fructus præsto sunt binis seminibus constantes ex uno latere gibbis, ex altero planis, aculeatis, ac transeuntium vestibus adhærentibus. Eodem individuo,

eodemque fasciculo flores mares, sive steriles, floresque fœminas sive fœcundos effert planta hæc, in nemoribus, umbrosis locis, soloque pingui, & humido excrescens; Junio floret, tuncque colligi solet, viridisque toto anni curriculo conservatur.

Sanicula a *sanando* sic vocata fuit, inter excellentiora enim vulneraria connumeratur, pluresque morbos de facto sanat.

Præter plures liquores acidos, spiritum urinosum, & sal volatile concretum, plurimum olei, terræque Sanicula, Analysi largitur. Continet autem sal ammoniacum, sulphur, particulasque terrestres. Adstringens, detergens, vulneraria, & consolidans est, ac semper tam efficax vis vulneraria præsertim, huic tributa fuit, ut hinc versicula hæc duo Gallica ortum duxerint:

*Qui a le Bugle & la Sanicule,*
*Fait aux Chirurgiens la nique.*

Ejus folia in Ptisanis, Apozematibus, & Potionibus adversus hæmorrhagias, sputumque sanguineum, dysenteriam, fluores albos, fluxusque sanguineos muliebres usurpantur, succusque eorum ℥ ij. vel iij. præscriptus iisdem potitur facultatibus. Utiliter in morbis faucium, oris ulceribus, cancrisque, parum Mellis rosati addendo, in profundis quoque vulneribus ex eo, injectiones instituuntur. Ad Theæ modum ejus folia quoque in usum revocari possunt, eorum pug. j. in aquæ ℔ ß. infuso per horæ quadrantis semisse; colatur deinde liquor, parum Sacchari addito. Infusio hæc optima est adversus fluxus, ac ulcera interna, febri lenta, comitata.

Aqua Saniculæ distillata in Officinis prostat, iisdem ac planta gaudet facultatibus, nonnihil tamen debilior reputatur, ab ℥ jv. ad ℥ vj. in Julapiis, ac potionibus vulnerariis adhibetur.

Cataplasma ex Sanicula in Vino ebullita umbilicalem herniam primo apparentem resolvit, juxta Nonnullos. Rajusque asserit, prope infinitum puerorum numerum prædicta ratione, aptaque fascia, sanos vidisse, in lumbis quoque contra regionem umbilicalem Cataplasma aliud ex radicibus Consolidæ maj. tusis est apponendum. Folia vero ejusdemmet Plantæ tusa, recentibusque vulneribus applicita, absque ulla suppuratione, ea sanat.

Usurpatur Sanicula in Aqua vulneraria, ejus folia in Balsamis, Vulnerario & Oppodeltoch, succus autem in Emplastro Oppodeltoch *Pharmacopææ Parisiensis*.

℞. Fol. Saniculæ ad umbram exsiccat. Man. ij. Infunde in aquæ bullientis ℔ j. semihoræ spatio vase clauso: inclinatione deinde fundatur, & adde Syrupi Rosar. exsiccat. ℥ ß. pro infuso vulnerario, in fluoribrus rubris, aut albis, ulceribusque internis aptissimo.

℞. Aquæ distillatæ Saniculæ, & Aquæ vulnerariæ ana. ℥ ij. Spermat. Cæti aqua Cinnamomi hordeat. soluti ʒ j. Theriacæ ʒ ß. Antimonii diaphoret. ℈ j. Syrupi Violar. ℥ j. M. pro potione cordiali, & vulneraria, in quatuor doses dividenda, ac de die sumenda.

℞. Fol. Bugulæ, Saniculæ, Hyssopi, Pervincæ, Hederæ terrestr. & Veronicæ ana. Man. ß. superaffunde aquæ ferventis ℔ jv. vaseque clauso per semihoræ spatium infusa relinquantur. Fiat colatura per inclinationem, & adde Syrupi Hederæ terrestr. ℥ ij. pro Ptisana vulneraria, e qua cyathi

thi quatuor tepidi de die ægris exhibebuntur in contusionibus, vulneribus, ulceribusque internis.

Sanicula fœmina, *Offic.* Helleborus niger, Saniculæ folio, major, C. B. P. 186. Sanicula fœmina quibusdam, aliis Helleborus niger, J. B. 3. 638. Veratrum nigrum Dioscoridis, *Dod. Pempt.* 387. Astrantia major, corona floris purpurascente, *Inst.* R. H. 314. Astrantia nigra, *Lob. Raii Hist.* 475. *Gesn. Hort.* Astrantia nigra, sive Veratrum nigrum, *Ger.* Imperatoria nigra, *Tabern.* Sanicula 2. sive fœmina adulterina, *Trag.* Sanicula fœmina Fuchsii, *Lugd. Hist.* Sanicula altera, Osteritium montanum, *Quorumd.* vulgo *la Sanicle femelle, ou de montagne.*

Ex radice satis fibrosa, nigra, vivaci nascuntur folia Saniculæ, aut Imperatoriæ proxima, atro-viridia superne, & sublutea inferne, nonnihil rugosa, tactuque aspera, longis appensa caudis. Hæc inter bini aut tres caules cubitales eriguntur, rotundi, striati, sapore ad Imperatoriam accedente, nonnullis ornati foliis; in eorum summitatibus umbellati locantur flores albo purpurascentes, foliorum coronis suffulti, quinquepetali, rosacei, foliis ut plurimum deductis, ac reduplicatis versus floris centrum, totidem staminibus. Fructus hisce succedit binis capsulis conflatus membranaceis, oblongis, striatis, & crispatis, semen occludentibus oblongum, angustum, cinereum. In hac quoque, uti in præcedenti, duæ florum species, eodem in fasciculo, alii mares seu steriles, alii fœminæ sive fertiles adinveniuntur. In sylvis umbrosis, montibusque crescit planta hæc, in hortis etiam colitur, in quibus Junio, Julioque flores edit, toto anno virescit, nec frigore læditur.

Alia quoque reperitur *Astrantiæ* species, quæ nisi exilitate sua a prædicta distat.

Radices plurimum salis, modicumque olei continent. Quamvis autem ejus facultates præcedenti omnino oppositæ sint, nihilo minus mirum prorsus videtur, quomodo hæc quoque *Sanicula* vocitetur.

Dodonæus cum Gesnero suspicatur, ejusdemmet plantæ radicem Helleborum nigrum Dioscoridis esse, leniter enim purgat humores biliosos, melancholicosque, ut a bene multis Germanis Medicis fuit observatum: hoc autem incertum admodum est: violentam enim Helleborus Antiquorum catharsim excitabat, nisi forte dicatur, quod mutata regione, energiam quoque amiserit, quod rationi neutiquam adversatur, uti a nobis de nonnullis aliis quoque plantis superius adnotatum fuit. In Apozematibus autem a Fabritio Hildano Sanicula fœmina usurpabatur, adversus Lienis Scirrhos, utrum ventrem laxarit nec ne, omnino ab eo prætermittitur. Cæterum raro a Medicis in usum revocatur.

## SAPONARIA.

SAPONARIA, *Offic.* Saponaria major Lævis, C. B. P. 206. Saponaria vulgaris, J. B. 3. 346. *Park.* Saponaria, *Dod. Pempt.* 179. *Trag. Lac. Ger. Raii Hist.* 999. Lychnis Sylvestris, quæ Saponaria vulgo, *Inst.* R. H. 336. Saponaria vulgi foliis Plantaginis aut Gentianæ, flore Ocymoidis, *Lob. Adv.* Saponaria foliis ovato-Lanceolatis, Calicibus Cylindraceis, *Linn. Hort. Cliff.* 165. Lychnis Saponaria dicta, Lychnis fullonia, Herba fullonum, Struthium, Lanaria, Saponalis, *Quorumd.* vulgo *Savoniere, Saponiere ou Saponaire.*

Radice

Radice nititur longa, subrubra, nodosa, serpenti, fibrosa, vivaci; plures promit caules pedem cum dimidio, aut pedes duos altos, rotundos, glabros ut plurimum, nodosos, subrubros, medullosos, vix sese fulcientes, foliis latis, nervosis, Gentianæ cruciatæ, aut Plantaginis æmulis, nonnihil tamen arctioribus, glabris, ex adverso locatis, brevissimis caudis appensis, floribus umbellatis, summis in caulibus sitis; quinquepetalis, caryophyllatis, læte ut plurimum purpureis, quandoque dilute-rubris, quandoque albis, odoris, decem albis staminibus, apicibus in centro oblongis, in fructum abeuntibus conicum, seminibus minutis, semirotundis, ac sub-rubris repletum. Planta hæc Lychnis species, prope fluvios, stagnantes aquas, torrentes, rivulos, in nemoribus, pratis humidis, locisque sabulosis occurrit; in hortis quoque colitur, diutissime perdurat hortulanis invisa propter serpendi modum; Majo vel Junio floret, floremque ad Septembrim usque conservat, qui non modo colore variare solet, verum etiam quandoque duplicatur, ad coronas autem efformandas tam propter ejus elegantiam, quam propter optimum odorem adhibetur.

Saponaria amarissima est, ac vix chartam cæruleam rubore afficit, hinc elicitur, salem amarissimum terræ connaturalem in ea absque ulla fere mutatione deferri, plurimoque sulphure uniri. Qua de re Analysi Chymica plurimum salis essentialis, olei, ac phlegmatis elargitur. Omnes conveniunt, detergentem admodum esse, vestiumque maculas saponis more obliterare, unde sic fuit nuncupata. Celebrior ejus facultas in Medicina est, impetiginem, scabiemque sanandi, aut foliorum decoctione interne sumpta, aut partes affectas madefaciendo. Schorderus asserit, ejus radicem aperientem, ac resolventem esse, optimamuqe ad Venereos morbos compescendos, Asthma avertendum, mensesque ciendos. Ab Etmullero autem in omnibus prædictis casibus folia anteponuntur, quæ tamquam specificum in morbo Venereo supradicto deprædicat: a Mercurio vero omnia prædicta remedia longe superantur, quæ profecto vel ad morbum obtegendum vel ad leviora symptomata sananda tantum valere possunt. Saponariæ folia macerata, ac in naribus immissa sternutationem concitant. Experientia vero duce a Petro Borello *Observatione* 118. *Centuria I.* asseritur, ejusdem semen ʒ j. quacumque Lunæ phasi incipiente, exhibitum, sensibiliter Epilepsiæ violentiam, ac paroxismorum numerum, minuere.

Usurpatur autem in Oleo Euphorbii *Pharmac. Lond.*

℞. Rad. Scillæ & Bardanæ ana ℥ ß. Sarsæparillæ ʒ vj. Rasur. Ligni Sancti ℥ ß. Croci ʒ ij. Saponariæ Man. j. Sennæ mund. ℥ j ß. Crystall. Tartari ʒ iij. Taleolatim incisis superaffundantur aquæ bull. ℔. vj. Infusum super cinerarium calidum horis xxiv. relinquendo in vase clauso. Liquoris deinde frigidi fiat colatura, vasisque vitreis probe conclusis loco frigido asservetur, pro ptisana, dosi cyath. ij. tepidor. in morbis Venereis, Rheumaticis, cutaneisque affectibus, a spissitudine, & acrimonia lymphæ productis convenientissima.

℞. Rad. Lapathi sylvestris ℥ j. Enulæ Campanæ, & Aristolochiæ rotundæ ana ℥ ß. Saponariæ Man. ß. Nicotianæ pug. j. Coque in urina hominis sani pro decotione detergenti adversus Porriginem, & Scabiem puerorum, quum vero pustulæ siccæ apparent Oleo ovor. aut ceræ illinientur.

## SATUREJA.

PLures plantarum ſpecies, quamvis genus diverſum habeant, SATUREJÆ nomine indigitantur. Duæ uſitatiores hic tantum a nobis proponentur, nempe Satureja vulgaris, & Satureja S. Juliani.

Satureja, *Offic.* Satureja hortenſis ſive Cunila ſativa Plinij, C. B. P. 218. Satureja ſativa, J. B. 3. 272. *Inſt.* R.H. 197. Satureja, *Dod. Pempt.* 289. Satureja hortenſis, *Park. Rai Hiſt.* 518. *Lob. Icon.* 426. Satureja æſtiva hortenſis, *Ger.* Satureja domeſtica, *Eyſt.* Hyſſopus agreſtis, *Brunſ.* Thymbra vera, *Genſ. Hort.* Satureja, ſive Thymbra ſativa, *Cord. Hiſt.* Satureja vulgaris hortenſis Matthioli, *Lugd. Hiſt.* 898. Satureja herbula, *Cæſal.* Satureja annua ſive vulgatiſſima, Tymbra hortenſis, *Quorumd.* vulgo *la Sarriette, Sadrèe ou Savourèe commune & annuelle des Jardins.*

Radix exigua, ſimplex, ac lignoſa caules ad pedis aut pedis cum dimidio altitudinem promit rotundos, ſub-rubros, aliquantiſper hirſutos, & nodoſos. Folia exigua ſunt, oblonga, Hyſſopi foliis ſimilia, nonnihil hirſuta, pluribus foraminulis percita, nec iis tamen perforata, odore ad Thymum accedente, demiſſiori tamen, ſaporis acriuſculi, penetrantis, ſatisque grati. Flores quoque perexigui ſunt, labiati, Thymi floribus perſimiles, hac, illac tamen in foliorum alis diſperſi, albo-purpuraſcentes, quaternis ſtaminibus ſericeis, in quatuor ſemina plerumque ſecedentes minuta, rotunda, obſcura, parvis capſulis a calyce productis concluſa. In omnibus fere hortis Olitoriis planta hæc coli ſolet, frequentiſſime enim in condimentis, præſertim cum leguminibus uſurpatur; ſingulis annis ſeritur, ſponte etiam in arvis agri præſertim Monſpeſſulani excreſcit, ac Æſtate floret.

Satureja, ut innuimus, ſapore donatur penetranti, ac grato, odoreque fragranti, & aromatico, Analyſi vero plurimum ſalis volatilis aromatici, oleique largitur, unde aperiens, incidens, roboranſque eſt. Vulgatiſſime etiam in culinis ad carnium ſaporem augendum, ad malas quorundam alimentorum qualitates corrigendas, & in arte Medica ad ægrotantium bonum in uſum revocatur. De facto frigidis, inertibuſque ſtomachis, victuque craſſo ac viſcido utentibus utilis adeo deprehenditur, ut a Trago *pauperum Condimentum* nuncupetur. A Germanis Braſſicæ capitatæ admiſcetur, quam ſale, & aceto conditam diutiſſime ſervant: cavendum vero eſt, ne nimium ea utamur; maxime enim ſanguinem, humoreſque exagitat, ac quandoque imprudenter ad menſes urinaſque ciendas uſurpata, ſputum, mictumque ſanguineum produxit. Ejuſdem infuſio viſcidorum, lentorumque humorum, pulmonum bronchia infarcientium expectorationem juvat, ac feliciter in Aſthmatis humidi paroxiſmis, ac infantum Tuſſi adhibetur.

Extrinſecus quoque Saturejæ decotio in aures injecta in ſoporoſis affectibus utiliſſima eſt ad ægros a ſopore excitandos. Gargariſmatis quoque more in uvulæ relaxatione, amygdalarumque inflammatione, a lymphatico œdematoſa materia, eas infarciente, oborta in uſum revocatur. Ejuſdem met decoctionis vapor imbuti ope in aures exceptus, earum tinnitus, fremituſque ſedat. Eſſentia vero, ſive ejus oleum excellit ad dentium dolorem a carie prodeuntem compeſcendum, dummodo goſſipii parum eo imbutum in dentis vitiati foramen immittatur.

Satu-

Saturajæ folia usurpantur in aqua Generali, ejusque summitates in aqua Imperiali *Pharm. Paris.*

℞ Flor. Sulphur. ʒ vj. Spermat. Ceti ʒ ij. Saturejæ p. & Iridis Florentinæ p. ana ʒ j. Flor. Benzoini ʒ ß. M. cum s. q. Mellis albi pro Opiata anti-asthmatica, quæ nucis moschatæ magnitudine, nebula obvoluta, mane, jejuno ventriculo, ægris propinabitur.

℞. Saturejæ p. ʒ j. Rad. Bistortæ ac Tormentillæ ana ℈ j. Piperis longi gr. xij. M. f. p. adstringens adversus Uvulæ relaxationem.

Satureja seu Thymbra vera, *Offic.* Satureja spicata, C. B. P. 218. Satureja foliis tenuibus, sive tenuifolia S. Juliani, *Quorumdam*, J. B. 3. 273. Thymbra S. Juliani sive Satureja vera, *Lob. Icon.* 425. *Inst.* R. H. 198. Satureja S. Juliani, *Ger. Raii. Hist.* 518. Satureja spicata S. Juliani, *Park.* Thymbra genuina Penæ, *Lugd. Hist.* 897. Clinopodium Montis S. Juliani, *Cæsalp.* Thymbron seu Thymbræ montana, Hyssopus montanus, *Nonnull.* vulgo *la Sarriette vivace, ou l'Herbe de Saint Julien.*

Radice est dura, lignosa, vivaci, plures emittit caules semipedales, firmos, lignosos, foliis in basi copiosissimis, Thymo majori, aut Thymo Cretensi similibus, angustioribus tamen, oblongis, odoris, acribus. Flores, ac semina Thymi floribus, seminibusque æquari possunt, flores autem ex eo distant, quod nempe verticillati sint media inter folia, summis vero caulibus quodammodo spicati, ex albido-purpurascentes. Satis elegantem formam habet planta hæc; ac in curiosorum hortis diligenter colitur; Æstate floret, solumque siccum ac saxosum exposcit; sponte ac abunde in monte Hetruriæ S. Juliani, apparet, nec non in ipsis Florentiæ muris, ac in Sicilia, alibique, regionibus præsertim calidis.

Plurimum Olei èxaltati, salisque essentialis, & volatilis continet. Saporem habet gratissimum inter Saturejam, Thymumque, affinem, proprietates vero cum hac postrema communes. Cephalica enim, carminativa, aperiens, & hysterica reputatur. Oleum ejus essentiale plurimi æstimatur, gut. vij. aut viij. in appropriati liquoris ℥ iij. vel ℥ jv. præscribitur ad affectus colicos flatulentos, & hystericos sedandos, stomachum roborandum, mensesque, urinasque compellendas. Universa præterea planta pulverata, ac Melle in Looch speciem redacta, a materia viscida pulmones liberat, asthmaticosque plurimum solatur.

## SAXIFRAGIA.

PLantis pluribus, genere, toto cælo diversis SAXIFRAGIÆ, *Perce-Pierre*, nomen tributum fuit; eas autem omnes, quidam Veteres facultate præditas frangendi, ac dissolvendi calculum in renibus, & vesica, prædicabant, quod falso quidem supposito laborare, experientia comprobavit, nec aliunde hæc opinio in eorumce Medicorum mentibus emanavit, nisi ex eo, quod plerumque plantas hasce e saxosis locis, rimisque murorum erumpentes, earumque quamplurimarum radices, adinstar parvorum calculorum, nucleorumque cerasorum rotundas, conspicerent. Verum enim vero quum sabulum una cum urinis expellant, aliqualemque prædictis in morbis opem affere soleant, de speciebus senis in Officinis usitatioribus (vix ullo enim familiari usu cæteræ donantur) verba in sequentibus faciemus, & primo quidem de

Saxi-

Saxifragia alba, 2. de Saxifraga humiliori rubra; quæ duæ tantum, veris caracteribus Saxifragiæ proprie dictæ, insigniuntur; 3. de Saxifragia aurea; 4. de Saxifragia Anglorum; 5. & *6.* de Pimpinellis Saxifragis, Magna, & Parva.

Saxifragia alba, *Offic.* Saxifraga rotundi folia alba, C. B. P. *309. Inst.* R. H. 252. Saxifraga alba radice granulosa, J. B. *3.706.* Saxifraga alba, *Dod. Pempt. 316. Ger. Raii Hist.* 1048. Saxifraga alba vulgaris, *Park.* Saxifraga alba Chelidonides, *Lob. Icon. 612.* Saxifraga alba tuberosa radice, *Clus. Hist.* Saxifraga major, *Brunf.* Saxifraga foliis reniformibus Lobatis, Caule ramoso, radice granulosa, *Linn. Hort. Cliff.* 167. Saxifraga granata, Calcifragà, Sampetra, Empetron, Rumpisaxum vulgàre, *Nonnull.* vulgo *la Casse-pierre, Rompt-pierre ou Saxifrage blanche.*

Radix pluribus adinstar seminum Coriandri granulosis fibris partim purpureis, partim albis, saporis amariusculi, vulgo, *Grains ou Semances de Saxifrage*, nuncupatis, folia propellit fere rotunda, ambitu crenato, Hederæ terrestris foliis satis similia, magis tamen pinguiscula, & albidiora, caudis appensa longiusculis, & hirsutis. Hæc inter exigui eriguntur caules fere pedales, rotundi, hirsuti, purpurei, ramosi, summisque ramusculis flores extolluntur quinquepetali, rosacei, læte albi, staminibus denis, apicibus rotundis. Deciduis floribus fructus præsto sunt fere ovales, binis rostris distincti, plura semina minuta, oblonga, ac subrubra, unica cellula, occludentes, Herbosis incultisque locis crescit planta hæc in montibus, collibus, vallibus, nemoribusque, Majo floret, tuncque nonnihil viscosi habere solet; juxta regionis diversitatem varia est, folia enim quandoque majora sunt, caulesque elatiores, ut plurimum vero exilia in montano, sterilique solo. Folia ejus, caulesque, paulo post florem, exsiccati deprehenduntur, granulatis tuberculis circum radicem remanentibus: quum vero hæc quoque facile disperiant, prompte, ac diligenter sunt colligenda. In agro Parisiensi non raro occurrit.

Saxifragiæ species hæc olei plurimum, salisque essentialis habet. Ejus radicis infusio ex Vino albo, aut decoctio, aperientia sunt: Man. j. in aquæ ℔. ij. decoquitur, aut ℥ ß. noctis spatio in Vini albi semi-sextario infunditur, facta per linteum colatura; jejuno stomacho ex his alterutra, mane propinatur. Menses ciere, pulmonesque a lympha viscida eorum vesiculas in Asthmate humido obducente liberare, Fuchsius testatur. Sal vero ejus fixum calcinationis ope elicitum, tanquam optimum diureticum a Rajo commendatur.

Radix Saxifragiæ albæ usurpatur in aqua Generali, Planta vero universa in syrupo Althææ *Pharm. Paris.*

Paronychia, *Offic.* Sedum tridactylites tectorum, C. B. P. 285. *Raii Hist.* 1043. Sedum tridactylites tectorum flore albo, J. B. *3.* 762. Paronychia altera, *Dod. Pempt.* 112. Saxifraga verna annua humilior, *Inst.* R. H. 252. Paronychia rutaceo folio, *Ger.* Paronychia foliis incisis, *Park.* Alsine petræarubra, *Tabern.* Dactylobotanum alterum Tragi, *Thal.* Saxifraga alba Petræa, *Pon. 339.* Saxifraga foliis Cuneiformibus trifidis alternis, caule erecto ramoso, *Linn. Flor. Svec.* 129. Alsine tridactylites albicans, sedum foliis Laciniatis, Paronychia laciniata, *Nonnull.* vulgo *la petite Saxifrage rouge.*

E simplici, & delicatula radice, plerumque unicus emergit caulis minutus, debilis, rotundus, ramosus, sub-ruber, palmaris, foliis simplicibus, oblon-

longis, ſucculentis, villoſis, tactu viſcidis, dilute-viridibus, ternis, aut quinis ſegmentis adinſtar apertæ manus, ſecus caulem alterne locatis. Summo, caule, ramuliſque exigui extant flores, quinque petalis rotundis, integriſque, conflati, longis elati pedunculis, quandoque albiſſimi, ut plurimum autem dilute-purpurei, tandem in capſulas ſeminales abeuntes bifurcatas, rotundas, ad Meſpili fructum accedentes. Planta univerſa viſcoſa eſt, abunde ſuper tecta, muroſque veteres, & in locis deſertis, ac ſiccis luxuriat. Majo floret, ſemenque ejus breviſſime ad maturitatem perducitur; dein radicitus exſiccatur, ac remanente anni curriculo omnino evaneſcit: juxta variam loci conditionem, & ipſa quoque variare ſolet, in tectis enim, & grandior, & ramoſior, ea, eſſe ſolet, quæ in ſiccis, ſabuloſiſque locis progignitur: rubro etiam colore magis, minuſve afficitur, quo magis, minuſve Solaribus, ſubeſt radiis. In acetariis ad modum Portulacæ eſitari, ejuſdemque proprietatibus potiri, a Trago aſſeritur.

Tamquam ſpecificum adverſus Icterum hujuſce Plantæ infuſum ex Cereviſia a Boylæo, *in Tractatu de Philoſophiæ experimentalis utilitate*, proponitur; & a Rajo, tamquam ſpecificum adverſus ſtrumas, quoquomodo ſeſe habeant, commendatur: dolorem enim compeſcit: eaſque reſolvit, quum reſolvi revera poſſunt, aut adaperta ulcera exſiccat. Si quis vero remedium hocce in uſum revocare cupiet, Vinum album, Cereviſiæ, ſubſtituere poteſt.

Saxifraga ſive Hepatica aurea, Saxifraga rotundifolia aurea, C. B. P. 309. Saxifraga aurea Dodonæi, J. B. 3. 707. Saxifraga aurea, *Dod. Pempt.* 316. *Ger. Park. Raii Hiſt.* 207. Chryſoſplenium, *Tabern.* Chryſoſplenium foliis amplioribus auriculatis, *Inſt.* R. H. 146. Hepatica paluſtris, *Eyſt.* Saxifraga aurea Lichenis facie, & natalitiis, *Lob. Icon.* 612. Chryſoſplenium foliis alternis, *Linn. Flor. Svec.* 115. Saxifraga Romana, Alpina vel Sabauda, *Quorumd.* vulgo *la Saxifrage dorèe, ou l'Hepatique.*

Radice eſt longa, quandoque ſatis craſſa, nodoſa, ſerpenti, alba, fractu facili, delicatulis, ac minutis capillaribus fibris fulta, parvis caulibus ſpithamæis, quadratis, villoſis, teneris, debilibus, in duos, treſve ramulos plerumque diviſis; foliis oppoſitis, Hederæ terreſtris, foliis fere æqualibus, exilioribus tamen, ambitu denticulato, pauliſper villoſis, ſucculentis, ſaporis auſteriuſculi, & amari. Summis caulibus, ramuliſque, parvi flores roſacei, quadriparti, læte aurei, octo ſtaminibus breviſſimis, apicibus ſimplicioribus implantantur, abeuntque in capſulas bifurcatas, bivalves ſemina minuta, & atro-rubra concludentes. In paludibus, ſecus rivulos, lociſque humidis, umbroſis, muſcoſiſque creſcit, Aprili floret, citiſſimeque ſemen maturum edit.

Chryſoſplenium vocatur, ſic autem indigitatur *Planta flore aureo, morbiſque Splenis dicata.*

Plurimum habet phlegmatis, parum olei, ſaliſque eſſentialis, tamquam vulneraria, & aperiens ad Hepatis, Lieniſque, aliorumque viſcerum obſtructiones reſerandas aptiſſima, in juſculis aperientibus Man. j. uſurpatur; cæterum quum ſaporem, vimque habeat Hepaticæ vulgaris, quæ ſuperius de eadem dicta ſunt pro ſimilibus indicationibus adimplendis ſatis, ſuperque ſufficiunt.

Seſeli pratenſe, *Offic.* Seſeli pratenſe, Silaus forte Plinio, C. B. P. 162. Silaum quibuſdam flore luteolo, J. B. 3. 170. Siler alterum pratenſe, *Dod. Pempt.* 310. Ange-

Angelica pratensis, Apii folio, *Inst.* R. H. 313. Seseli pratense Monspeliensium, *Lob. Icon.* 738. *Ger. Park. Raii Hist.* 453. Saxifraga umbellifera Anglorum, *Lugd. Hist.* Peucedanum foliolis pinnatim divisis, Laciniis oppositis, *Linn. Hort. Cliff.* 94. Seseli Monspeliense, fœniculum erraticum, Hippomarathrum Anglicanum, Saxifragia Anglica, sive Anglicana, *Quorumd.* vulgo *la Saxifrage des Anglois ou des Près.*

Radice est vivaci, longa, digitum crassa, rugosa, extus nigricante, intus alba, superne capillari, sapore aromatico, ac nonnihil acri, caulibus pedem cum dimidio, aut duos pedes altis, satis crassis, rotundis striatis, lævibus, medullosis, inferne subrubris, ramosis. Folia vero lævia sunt, saturate-viridia, segmentis distincta, longiuscula, angusta, acuminata, rigida, sapore acri. Summis caulibus, ramulisque florum umbellæ, non satis expansæ extolluntur; quinquepetali vero flores sunt, rosacei, parvi, albo-lutescentes, abeuntque in fructum binis constantem, brevibus seminibus, striatis, ex una parte gibbis, ex altera planis, per maturitatem subrubris, odoris penetrantis, gratique, saporis aromatici, & vinosi. In omnibus fere locis excrescit, ac in pratis præcipue, pascuisque.

Adversus calculos familiarissimum in Anglia usum habet planta hæc; hinc denominationem mutuatur. Radix potenter urinas movet. Planta universa decocta, aut ejus succus expressus ℥ iij. vel jv. usurpatur; ejus aqua stillatitia eadem vi pollet, quemadmodum & semen pulveratum ʒ j. in Vini albi cyatho; in colica præterea flatulenta, tamquam carminativa in usum revocatur.

Seseli pratensis semen locum habet in Benedicta Laxativa *Pharm. Paris.*

Saxifraga magna, *Offic.* Pimpinella Saxifraga major, umbella candida, C. B. P. 159. Saxifraga hircina major, J. B. 3. 109. Saxifraga magna, *Dod. Pempt.* 315. Tragoselinum majus, Pimpinella major, *Tabern. Icon.* 88. Tragoselinum majus, umbella candida, *Inst.* R. H. 309. Pimpinella Saxifraga, *Ger. Raii Hist.* 445. Pimpinella Saxifraga Hircina major, *Park.* Saxifraga Hircina major Pimpinellæ similis, Pimpinella Germanorum, Saxifragia Hircina vulgo, Selinum sive Apium Hircinum, Pimpinella alba, Pimpinella major splendens sive umbellifera, *Nonnull.* vulgo *la grande-Pimpinelle-Saxifrage, la grande Bouquetine ou Boucage, le gran Persil de Bouc.*

Radice est longa, ampla, minimum digitum crassa, alba, nonnullis fibris stipata, sapore urenti, sputumque excitante; caulibus fere bipedalibus, rotundis, striatis, glabris, nodosis, cavis, ramosis; foliis oblongis, pluribus juxta costam simul appensis, alatis, marginibus denticulatis, ac quandoque profundius incisis, ex una parte hirsutis, ex altera lævibus, atro-viridibus, splendentibusque, saporis, radicis sapore, minus penetrantis. Summis caulibus, ramusculisque umbellæ locantur, parvis onustæ floribus quinquepetalis, emarginatis, Lliorum æmulis, in semina bina simul juncta, minutissima, brevia, ex uno latere gibba, & striata, ex altero vero plana, saporis acris, tandem abeuntibus: Locis incultis, sabulosis, apricis, pinguiusculis, & humidis apparet; Julio, & Augusto florescit. Radix ejus præcipue usurpatur, raro folia, ac semen. Sylvestris majori acrimonia præ Sativa pollet, quum autem colitur satis negotii hortulanis facescit, radix enim serpit, magnumque soli spatium occupare solet.

Saxifraga parva, *Offic.* Pimpinella Saxifraga minor, C. B. P. 160. *Raii Hist.* 445.

445. Saxifraga hircina minor foliis ſanguiſorbæ, J. B. 3. 111. Saxifraga parva, *Dod. Pempt.* 315. Tragoſelinum minus, *Inſt.* R. H. 309. Pimpinella Saxifraga hircina minor, *Park.* Bipinella ſive Saxifraga minor, *Ger. emac.* Saxifraga Pimpinella Germanica minor, *Cluſ. Hiſt.* Daucus Selinoides, *Cord. Hiſt.* Tragium Dioſcoridis, *Columm.* Pimpinella foliolis ſubrotundis, *Linn. Flor. Suec.* 86. Saxifraga minor foliis Pimpinellæ rotundioribus, Pimpinella criſpa, ſive Petræa vel ſaxatilis, Tragoſelinum petræum, Petrifindula, Pimpinella noſtra ſeu communis minor, Piper Germanorum, *Nonnull.* vulgo *la petite Pimpinelle-Saxifrage.*

Radice eſt ſimplici, profunda, rugoſa, alba, parum fibroſa, ſapore urenti; unum, vel plures habet caules pedem cum ſemiſſe altos, breviſſima, ac ſatis denſa lanugine obtectos, ſtriatos, cavos, ramoſos; foliis, ſatis anguſtis ſegmentis, inciſis, marginibus denticulatis, pari ordine ſecus coſtam, unico tantum deſinente, locatis, Pimpinellæ vulgaris ſimilibus, obſcure-viridibus ſuperne, dilute-viridibus inferne, venis, aut nervis ſaturate-viridibus, ac quandoque purpureis, circumfuſis. Summi caules, ramuſculique umbellas efferunt ſatis amplas, floribus onuſtas exiguis, albis, quinquepetalis Liliis proximis, quibus duo ſemina præſto ſunt oblonga, ſtriata, ex uno latere gibba, ex altero vero plana, ſapore acri, ac penetranti. In paſcuis ſiccis, ſolo ſabuloſo præſertim occurrit planta hæc, floreſque edit Auguſto, foliis ſummopere, ac ſtatura juxta locorum diverſitatem variare ſolet. Ejus vero radix, aſſerente Tabernæ Montano, adeo in vetuſtorum murorum rimis, ac inter ſaxa immergitur, ut nunquam integra evelli poſſit.

Plures adſunt Pimpinellæ-Saxifragæ ſpecies, magnitudine tantum, foliorum inciſione, aut florum colore albo, ſive rubro diſtantes.

Omnes cæteroquin eadem vi præditæ, binæ tamen uſque adhuc a nobis deſcriptæ vulgatiores ſunt: plurimum habent olei, ſaliſque eſſentialis. Radices, folia, ac ſemina a Medicis uſurpantur aut infuſo, aut decocto, aut pulvere. Diuretica, diaphoretica, ac vulnerario-detergentia reputantur, urinas, menſeſque cient, renes denſa mucilagine, glareiſque quandoque infarctos mundant, malignoſque humores corrigunt. A Nonnullis quoque radix ac ſemen iiſdem Petroſelini vulgaris partibus æquiparantur; ab aliis ſemen, Petroſelini Macedonici ſemini ſubſtituitur.

Radicis exſiccatæ pulvis pro uſu intrinſeco, Piperi noſtro vulgari a Rajo anteponitur, tamquam temperatior, minuſque calefaciens: Paſtillos quoque ex eadem radice, ſaccharoque conflatos commendat, pro debilibus, inertibuſque ſtomachis glareis ortum præbentibus, nec non colicis inteſtinalibus, a mala concoctione oriundis: Profecto paſtilli prædicti glareas fundunt, ejiciuntque, ventriculique fermentum excitant.

Aqua ſtillatitia foliorum, florumque inſigne eſt coſmeticum; faciei enim colorem, ac elegantiam conciliat, maculas abſtergit, cutemque externis aeris impreſſionibus magis reſiſtentem reddit. Ad ſputum præterea concitandum radicis fruſtulum, tamquam optimum Maſticatorium, mandi ſolet in dentium morbis, linguæque Paralyſi.

Quibuſdam in regionibus, radicibus Pimpinellæ-Saxifragæ majoris, baccæ rubræ adnexæ inveniuntur, quæ *Cochinillæ ſylveſtris* nomine, indigitantur; A Tinctoribus vero pro purpura in uſum revocantur.

Radix Pimpinellæ-Saxifragæ adhibetur in Aqua Generali, & pulvere *Ari* com-

composito. Folia in syrupis Consolidæ maj. & Althææ. Summitates in pulvere Chalybis *Pharmac. Paris.*

℞. Rad. exsicc. Pimpinellæ-Saxifragæ p. ℥ ß. Mellis Narb. ℥ vj. Adde s. q. Syrupi Althææ pro Opiata singulis diebus, mane, jejuno ventriculo propinanda, adversus glareas in renibus, & vesica stabulantes, Asthma humidum, stomachumque relaxatum.

## S C A B I O S A.

E Satis numerosa Scabiosarum familia, duas tantum familiarius in Arte Medica usurpatas ejus species describemus, Scabiosam nempe, vulgarem, & Sylvestrem.

Scabiosa, *Offic.* Scabiosa pratensis hirsuta, quæ Officinarum, C. B. P. 269. *Inst.* R. H. 464. Scabiosa major communior, hirsuta, folio laciniato, J. B. 3. 2. *Raii Hist.* 374. Scabiosa vulgaris major, *Dod. Pempt.* 122. *Ger.* Scabiosa vulgaris pratensis, *Park.* Scabiosa arvensis seu segetalis, *Tabern. Icon.* 159. Scabiosa vulgatior inter segetes nascens, *Clus. Hist.* Scabiosa scisso folio, *Cæsalp.* Scabiosa major satorum vulgatior, *Lob. Icon.* 53. Scabiosa Corollulis quadrifidis, Corollis radiatis, caule Hispido, *Linn. Hort. Cliff.* 31. Scabiosa campestris seu communis, Scabiosa scabra sive hirsutior, Psora, Herba Apostematica, *Quorumd.* vulgo *la Scabieuse ordinaire des Prez & des Champs.*

Radice est rigida, longa, vivaci, caulibus bipedalibus, seu tripedalibus, rotundis, villosis, cavis, foliis binis oppositis, in basi locatis, similibus, & angustioribus, per intervalla suffultis. Folia vero e radice emanantia oblonga sunt, lanuginosa, Valerianæ maj. foliis accedentia, profunde disecta, sapore acriusculo. Summis caulibus florum rotundi fasciculi implantantur flosculis inæqualibus, cæruleis, aut purpureis conflati. Capita veluti quædam subviridia, squammosa, basi foliis adinstar radiorum ornata, capsulisque constantia semen occludentibus oblongum, corolla decoratum, deciduis floribus præsto sunt. Ubique fere crescit, inter segetes, in arvis, pratisque: Junio, Julioque florescit; plurimumque scissuris variare solet.

Scabiosa amara est, eaque charta cærula rubore nonnihil perfunditur; unde evincitur salem ad Ammoniaci naturam accedentem, magna olei, terræque portione commixtum in ea contineri; Analysi enim Chymica præter plures liquores acidos, ex ea plurimum sulphuris ac terræ, parum spiritus urinosi, salisque volatilis concreti elicitur. Alexiteria, sudorifica, aperiens, detergens, & vulneraria recensetur, ac internum in usum revocatur. Ejusdem foliis, floribusque aqua Scabiosæ distillata paratur ut plurimum cum aqua Cardui Benedicti præscripta, pari dosi, ab ℥ iij. ad ℥ jv. in Potionibus diaphoreticis & cordialibus, adversus variollas, morbillos, febresque malignas; cieri vero sudor potest Theriacæ ʒ j. *Laudani* gr. j. & ℥ vj. Aquæ Scabiosæ, quæ etiam cochleatim exhibita vapores compescit, succo quoque ejusdem plantæ ab ℥ iij. ad ℥ vj. Theriacæ ʒ j. & Camphoræ gr. x. ad sudorem eliminandum iisdem in morbis utimur: succus pariter prædictus, aut plantæ decoctio epota, optima sunt, si urinæ purulentæ appareant, aut ulcera internis in partibus delitescant. In Pleuritide, Tussique pertinaci si forte usurpetur, expectoratio plurimum juvatur, sputus materia abunde exeunte, Pulmones liberantur. Syrupus quoque eodem succo componitur adversus cuta-

neos

neos morbos aptiſſimus, dummodo externæ partes plantæ decoctione ſimul foveantur; pro ſingulis hujuſce plantæ decotionis ℔. ij. cochelaria tria Sp. Vini Camphor. admiſcentur, omnia deinde linteo percolantut, ad Camphoræ in liquoris ſuperficie innatantis ſeparationem: Decotio hæc adverſus impetiginem optima recenſetur, ſi menſis ſpatio illiniatur, ſyrupo etiam in uſum revocato; vulnera quoque ea abſterguntur. Maculas albas plerunque in Cornea apparentes ſucco ſcabioſæ, parum Boracis, & Camphoræ addito, deleri Tabernæ Montanus aſſerit. Fallopius autem & Valeriola teſtantur, plantam hance adverſus Carbunculos plurimum valere, a quibus ſequens Mixtura magno juvamine uſurpabatur.

℞. Succi Scabioſæ, Chamomill. & Calendulæ ſylv. ana ℥ j. Theriacæ antiquæ ℈ jv. Salis vulgar. ʒ j. Vitell. Ovor. num. ij. M. pro Unguenti ſpecie quadam Carbunculis poſt eorum ſcarificationem applicanda.

Juxta Valeriolæ aſſertum, Garidelius propria experientia remedium hocce optimum comprobavit.

Scabioſæ folia uſurpantur in ſyrupo Conſolidæ maj. & in Aqua Lactis alexiteria *Pharm. Pariſ.* ejus aqua diſtill. in Althææ rotulis, ejuſque ſuccus in Unguento adverſus ſcabiem *ejuſdem Pharm.*

Morſus Diaboli, vel ſucciſa, *Offic.* Succiſa hirſuta, C. B. P. *269.* Succiſa ſive morſus Diaboli, *Dod. Pempt.* 124. *Trag.* 246. *Ger.* Morſus Diaboli vulgaris flore purpureo, *Park.* Scabioſa folio integro, *Cæſalp.* 541. Scabioſa folio integro hirſuto, *Inſt.* R. H. 466. Succiſa, *Fuchſ. & Caſt.* Pycnocomon, *Columm.* Scabioſa corollulis quadrifidis, caule ſimplici, ramis approximatis, foliis lanceolato-ovatis, *Linn. Hort. Cliff.* 30. Succiſa flore Cæruleo, *Quorumd.* vulgo *la Scabieuſe des bois ou Succiſe; le Mors ou Remors du Diable.*

Radice eſt vivaci, minimum digitum craſſa, brevi, quodammodo in centro demorſa, aut roſa, longiſque fibris circumfuſa, foliis oblongis, acuminatis Scabioſæ vulgaris ſimilibus, integris autem, non ſucciſis, exceptis ſupremam caulis partem occupantibus, nonnihil crenato ambitu, ſuperna facie, inferna, viridiori, rudibus, adeo brevi lanugine tectis, ut glabra, ac lævia videantur, longis caudis, appenſis. Hæc inter tempeſtate declinante plures eriguntur caules fere bipedales, rotundi, firmi, ſubrubri, ramoſi, binis pro unoquoque nodo ornati foliolis, in quorum apicibus flores, Scabioſæ floribus perſimiles apparrent, magis tamen ſimul congeſti, cærulei, quandoque purperei aut albi, pluribus ſeminibus ſtriatis. In locis incultis, pratis, paſcuis, nemoribuſque ſabuloſis, humidiſque occurrit, ſero, Autumnoque accedente floreſcit. Folia ejus præ aliis partibus in uſum veniunt.

*Succiſa*, ſive *Morſus Diaboli* planta hæc fuit nuncupata, ob ejus radicem veluti eroſam, aut demorſam; ſuperſtitioſe autem id eveniſſe Boerhaavius aſſerit, tamquam Diabolus plantæ radicem adeo hominibus utilem, inviſam haberet, dentibuſque demorderet: ſic de ea Germani, Galli, Anglique pronunciarunt, ſicque ab iis proprio idiomate vocitatur.

Hujuſce plantæ folia amara ſunt, plurimoque rubore chartam cæruleam imbuunt; radix vero amara, ac ſtyptica ſaturatiori. Plurimum olei, ſaliſque eſſentialis ex ea Analyſeos ope recipitur. Ab omnibus veluti alexiteria, & vulneraria reputatur, ac præcedentis deffectu iiſdem virtutibus ditata dicitur, uſurpaturque. Ejus decoctio adverſus faucium inflammationes pro Gargariſmate excellit teſtante Dodonæo. S. Paulli, Author optimæ fidei aſſerit,

 iiſdem

iisdem cum successu usum fuisse non solum in Angina, verum etiam contra ulcera aphodrisiaca, os, faucesque infestantia. Si Cæsalpino fidendum est, ejus radix præstans est Antidotum adversus omnes veneni species; cor enim roborat, sanguinemque internis in partibus coagulatum resolvit. A S. Paulli autem una cum Bontio, adversus Hydropem, Hepatisque abscessus commendatur; Diamerbroekius denique *in Tractatu de Peste* plantæ universæ succum magni facit interne sumptum, adversum ulcera maligna, bubones carbunculosque pestilentiales.

℞. Aquæ Succisæ ℥ vj. Theriacæ ʒ j. Laudani solidi. gr. j. M. pro potione in Febribus malignis, Morbillis, Variolisque propinanda, quum potissimum eruptio, cordis contractione defficiente, non perficitur.

℞. Aq. distill. Scabiosæ, seu Succisæ, & Cardui benedict. ana ℥ ij. Confectionis Hyacinthinæ & Theriacæ ana ʒ ß. Antimonii Diaphoret. ℈ j. Syrup. Papaver. rubri, & Diacodii ana ℥ ß. M. pro potione diaphoretica anodyna cochleatim sumenda in morbis acutis, in quibus sudor primum apparet, aut blande ciendus est ad ægroti utilitatem.

℞. Aq. distillat. Scabiosæ sive Succisæ, & Cardui benedicti ana ℥ ij. Confectionis Hyacinthinæ & Alkermes ana ʒ ß. Aq. Cinnamomi hordeat. & Flor. Aurantior. ana ʒ ij. Syrupi Caryophylli ℥ ß. M. pro potione cordiali cochleatim exhibenda in lassitudinibus, syncope, partu longo, atque difficili, ac in omnibus animi deffectionibus.

℞. Fol. Cardui bened. Succisæ, Chamædryos, & Borraginis ana Man. ß. Flor. Papaver. rubri, & Calendulæ sylvestris ana pug. ij. Sem Millii nodulo occlusor. ʒ ij. Coque per horæ quadrantem in aquæ com. ℔. iij. Fiat colatura, cui adde Syrupi Papaver. rubri ℥ j. ß. pro Decoctione sudurifica cyathis tepidis identidem propinanda.

℞. Rad. Succisæ Man. j. Contunde in mortario marmoreo, & fiat infusio xij. horarum spatio super cinerarium calidum in Vini albi Sextario detrahatur deinde radix ac Pipere s. p. inspergatur. Cataplasmatis forma omnia calida in Angina apponentur.

℞. Fol. Succicæ Man. j. Coque in aquæ com. Sextariis iij. ad medietatem. Fiat deinde colatura in duas doses dividenda, quadraginta dierum spatio sumendas, mane, jejuno stomacho, & hora somni, adversus impetiginem, aliosque cutaneos morbos.

## SCANDIX.

PEcten Veneris, *Offic.* SCANDIX semine rostrato vulgaris, C. B. P. 152. *Inst.* R. H. 326. Pecten Veneris, J. B. 3. 71. *Raii Hist.* 428. Scandix ſ Pecten Veneris, *Dod. Pempt.* 701. Pecten Veneris sive Scandix, *Ger.* Scandix vulgaris, sive Pectem Veneris, *Park.* Pecten Veneris vulgi, sive Scandix sylvestris, *Clus. Hist.* Scandix seminibus rostro longissimo extensis, *Linn. Hort. Cliff.* 101. Scandix arvensis, Herba Scanaria, acus Pastoris, Acula campestris, *Quorumd.* vulgo *Aiguille ou Pegine de Venus.*

Radix simplex, alba, fibrosa, annua, sapore dulci, ad acrem accedente plures emittit caules fere pedales, graciles, ramosos, hirsutos, supernis viridibus, infernis sub-rubris, parumper striatis. Folia habet minutim incisa, Coriandri foliis fere æqualia, caudis satis longis appensa, saporis subdulcis, nonnihil

nihil acris. Summis caulibus, ramulisque umbellæ sustinentur exiguis conflatæ floribus quinquepetalis, cordatis, ac Liliaceis, totidem capillaribus staminibus, apicibus rotundis; hisce succedunt fructus binis oblongis constantes seminibus, acum æmulantibus, ex uno latere convexis, sulcatisque, ex altero vero planis. Abunde, ac ubique fere crescit planta hæc inter segetes in arvis, vinetisque, floresque Majo, Junioque edit.

Pecten Veneris plurimum salis essentialis ministrat, ac tamquam aperiens vulnerarius, ac resolvens reputatur: hisce vero diebus fere nusquam in arte Medica usurpari solet.

A Dioscoride, & Galeno ad calculum Renum, & Vesicæ exsolvendum hæc planta commendatur, Matthiolus vero testatur, in Vino, ac Butyro decoctam una cum Petroselini foliis, calidamque regioni pubis admotam, urinas abunde infantum ciere: quod pariter Petroselino tribui potest, a quo solo idem pluries etiam præstatur absque ulla Pectinis Veneris miscella. Rajus vero post plurium Authorum testimonia refert, hujusce plantæ radicem cum Malva tusam, & Cataplasmatis forma applicatam extranea corpora attrahere in membris introducta. A Nonnullis autem adhuc tenera cruda una cum acetariis, aut cum oleo, butyrove cocta esitatur.

## S C I L L A.

TRes SCILLÆ species in Officinis notæ reperiuntur, duæ scilicet majores, Rubra, atque Alba ad *Ornithogalum* a Tournefortio relatæ, altera vero Minor ab eodem Authore Narcissis sociata.

Scilla, seu Squilla, *Offic.* Scilla vulgaris radice rubra, C. B. P. 73. Scilla rufa, magna, vulgaris, J. B. 2. 615. *Raii Hist.* 1164. Pancratium, *Dod. Pempt.* 691. *Ger. Clus.* Squilla, *Trag.* 908. *Brunf.* Scilla rubra, sive Pancratium verum, *Park.* Ornithogalum maritimum, seu Scilla radice rubra, R. H. 381. Scilla rubentibus radicis tunicis, *Lob. Icon.* 152. Scilla major, *Cast.* Scilla fœmina, *Plin.* Bulbus littoralis, forte Theophrasti, *Belon.* Cepa Maris, sive Marina, Scilla rubra vulgatior, *Nonnull.* vulgo *la grande Scille rouge, Charpentaire, Scipoule, ou Oignon Marin.*

Radicem habet Cepæ persimilem, bulbosam, infantis caput crassitiæ æquantem, densis contextam tunicis, subrubris, succulentis viscosis, invicem superfusis, pendentibus ab imo pluribus crassis fibris. Folia emittit pedis, & ultra longitudinem, manus latitudinem fere æquantia, carnosa, satis viridia, succo referta viscoso, & amaro. Hæc inter caulis extollitur pedem cum semisse altus, ad Asphodeli caulem accedens, erectus, apice flores emittens senis constantes albis foliis, calyce destitutis, satis rotundis, successive sese aperientibus, totidem staminibus, apicibus oblongis. Hisce fructus semirotundi præsto sunt triangulares, interne tribus distincti cellulis, plura semina rotunda, ac nigra occludentes. Radix tantum in usum revocatur. A pluribus Scilla alba huic anteponitur: rarior tamen esse solet.

Scilla alba, *Offic.* Scilla radice alba, C. B. P. 73. *Raii Hist.* 1164. Scillæ magnæ albæ, J. B. 618. Scilla *Dod. Pempt.* 690. Silla alba, *Park.* Scilla Hispanica, *Clus. Hist.* Scilla Hispanica vulgaris, *Ger. Emac.* Ornithogalum maritimum, seu Scilla radice alba, *Inst.* R. H. 381. Scilla mascula, *Plin.* Squilla, *Brunf. Trag. Matth. Fuchs.* Scilla, sive Cepa marina Hispanica, Scilla sive

Squilla major altera, *Nonnull.* vulgo *la grande Scille ou Squille blanche ou male*.

Radicem habet ſatis craſſam, præcedenti tamen minorem, pluribus conflatam tunicis albis, viſcoſo humore turgidis, pendulis ab imo pluribus craſſiſſimis fibris. Caulem propellit ad cubiti altitudinem, erectum, nudum, foliiſque deſtitutum, ſummitate pluribus ornata floribus ad ſtellæ modum conflatis, qui Aſphodeli floribus ſimilantur; nonnihil tamen exiliores ſunt, Scillæque rubræ floribus perſimiles, ac inferne ſeſe explicare incipientes, iiſdem fructibus, ſeminibuſque, in ſpecie præcedenti deſcriptis, ſubſequentibus. Demum poſt florum, folia, uti in Croco, præcedentium eruptionem, e radice exeunt quina, aut ſena folia denſa, carnoſa, lata, in terram ſtrata, ſaturatiſſime viridia. Planta hæc, quemadmodum & ſuperius deſcripta, in locis ſabuloſis, mari propioribus in Hiſpania, Luſitania, & Sicilia luxuriat, Auguſto, ac Septembri floret, ſemina autem Octobri, & Novembri matureſcunt. Binas haſce deſcriptiones exarare ſupervacaneum fortaſſis erat, quia juxta J. Bauhini obſervationem Scilla alba, a rubra niſi colore differt. Nobis diverſe magnitudinis afferri ſolent; recentes, mediocris craſſitiei, ſanæ, bene nutritæ, menſe Junio collectæ, ponderoſæ, firmæ, ſucco viſcido fœtæ, amaræ, & acres ſunt eligendæ.

Indiſcriminatim duabus recenſitis Scillæ ſpeciebus Medici utuntur. In utriſque autem plurimum ſalis eſſentialis, olei, ac phlegmatis, ac parum terræ locatur, hinc incidentes, attenuantes, detergentes, ac aperientes cenſentur; qua de cauſa a Dioſcoride, Plinio, & Galeno ad urinas, menſeſque excitandos, & adverſum Hepatis, aliorumque infimi ventris viſcerum infarctus commendantur. Plures Scillæ præparationes in Officinis reperiuntur, quarum præcipuæ ſunt Pulvis, Trochiſci, Acetum, & Oxymel ſcilliticum, earumque componendi ratio in Pharmacopæis commode inveniri poteſt. Pulvis a gr. viij. ad gr. xij. propinatur; Acetum ab ℥ j. ad ℥. iij. Trochiſci a ℈ j. ad ℈ ij. Oxymel a ʒ j. ad ℥ ß. in potionibus, & Looch appropriatis. Horumce remediorum frequentior uſus eſſe ſolet in pulmonum morbis a plegmate viſcido, ac glutinoſo bronchia infarciente, expectorationemque impediente obortis. Quapropter mira præſtant in Aſthmatis humidi paroxiſmo, catarrhis ſuffocativis, & Hydrope incipiente. De aliqua hujuſce plantæ malignitate fortaſſe timeri poteſt ex *Ephemeridibus Germanicis Decuriæ 2. Anno 8. pag. 298. Obſervatione 138.* qua narratur, a Gallina Indica paſtam, qua Scillæ Cepæ obvolutæ ac in furno concoctæ fuerant, devoratam fuiſſe, quæ poſt horam, vertigine, & convulſionibus adeo correpta fuit, ut nec ſe ſuſtinere uſquam poſſe, riſumque amiſiſſe videretur; deinde puſtulis duris in ejus pedibus obortis, morbus, & ſymptomata, hac cryſeos ſpecie quadam, exitum habuerunt.

Scillæ ſuccus uſurpatur in Diachylon magno; Trochiſci in Theriaca, & Acetum ſciliticum in Emplaſtro Cicutæ.

℞. Aloes Hepaticæ ℥ j. Gummi Ammoniaci ℥ ß. Diſſolve in aceto ſcilitico omnia in paſtæ ſolidæ conſiſtentiam reducendo. Deinde adde Tartari vitriolati ʒ j. ß. Gummi-Guttæ p. ʒ j. M. f. Maſſa Pilularum; doſis a gr. xij. ad ℈ j. ſero hora ſomni duarum horarum a cena intervallo popinanda, ac per plures dies repetenda. Inter meliora adverſus Aſthma humidum remedia pilulæ prædictæ enumerantur. Si autem duabus,

bus, prima vice sumptis, solatium ægri non persenserint, die crastina, quatuor iis sunt exhibendæ, ad binas deinde, unius diei intervallo, redeundo.

℞. Syrupi Erysimi, & Hederæ terrestris, Oxymellis scillitici ana ℥ j. Spermat. Ceti in s. q. Olei Amygd. dulc. soluti ʒ j. Ireos Florent. p. & Fol. Hyssopi exsicc. ana ℈ j. M. pro Eclegmate cochleatim sumendo in Asthmatis humidi paroxismo. Vel:

℞. Aquæ Cinnamomi spirituosioris, & Oxymellis Scillitici ana ℥ j. Tincturæ Myrrhæ, & *Enulæ Campanæ* ana ʒ j. M. pro potione cochleatim sumenda.

℞. Pulv. pp. Scillæ gr. x. Confectionis Hyacinthinæ gr. xij. M. cum s. q. Syrupi Althææ pro bolo, octo dierum spatio repetendo, mane, jejuno ventriculo in Asthmate humido, magnisque Thoracis oppressionibus Hydropem minitantibus.

℞. Pulv. pp. Scillæ gr. viij. Nitri defæcati gr. xvj. Aquæ Parietariæ ℥ ij. M. pro potione pluries repetenda jejuno stomacho in Hydrope ascite, & Nephritica affectione.

Scilla parva, *Offic.* Narcissus maritimus, C. B. P. 54. *Raii Hist.* 1140. *Inst.* R. H. 357. Pancratium Monspessulanum, multis Scilla alba parva, J. B. 2. 611. Narcissus marinus, *Dod. Pempt.* 229. *Clus. Hist.* Pseudo narcissus marinus albus, Pancratium vulgo, *Park.* Pancratium marinum, *Ger.* Pancratium verum, *Gesn. Hort.* Scilla minor seu pusilla, Pancration Monspeliacum, Pancratium flore Lilii, Lilium marinum, Bulbus marinus, Hemerocallis. *Quorumd.* vulgo *la petite Scille.*

Radicem habet bulbosam, satis crassam, binis tamen anteactis exiliorem, oblongam, externis nigricantibus, internis albis, tunicis constantem densis, translucidis, nonnihil striatis, humore viscoso, & amaro, refertis absque ulla acrimonia, crassis fibris e basi exeuntibus. Septem aut octo emittit folia satis longa, vix lata, Porri foliis similia, dilute-viridia, vertice obtuso. Ea inter caulis fere bipedalis apparret Asphodeli caulem crassitie æquans, tenerior, nudus, lævis, nodisque destitutus, in cujus summitate quinque aut sex locantur flores magni, oblongi, albi, stamina sex apicibus luteis gestantes. Capsulæ triangulares, tribus loculis divisæ, semina continentes lata, plana, & nigra, florum locum occupant. Secus mare infra agrum Monspessulanum Planta hæc frequens occurrit; Junio floret, semenque Julio, ac Augusto maturitatem acquirit; si autem solum mutet, raro admodum flores edere solet.

Iisdem facultatibus, ac Scilla vulgaris, prædita creditur; quamvis autem binis præcedentibus substitui posset, non æquis tamen viribus pollet: hinc raro a Medicis usurpatur nisi Scillæ veræ deffectu.

## S C L A R E A.

ORvala sylvestris, *Offic.* Horminum pratense foliis serratis, C. B. P. 238. *Raii Hist.* 544. Gallitrichum sylvestris vulgo, sive sylvestris SCLAREA flore purpureo cæruleove magno, J. B. 3. 311. Orvala sylvestris 4. *Dod. Pempt.* 293. Sclarea pratensis, foliis serratis, flore cæruleo, *Inst.* R. H. 179. Horminum sylvestre, *Fuchs. Ger.* Horminum sylvestre vulgare, *Park.* Centrum

Gal-

Gallinæ aut Galli Centrum, *Ruell.* Horminum ſylveſtre majus flore cæruleo & rubicundo *Thal.* Mati-ſalvia *Tabern.* Salvia agreſtis, *Brunf.* Salvia foliis ovatis inciſo-crenatis, verticillis ſubnudis, *Linn. Hort. Cliff.* 12. Gallitrichum ſylveſtre flore majore, Callitrichon agreſte, Salvia tranſmarina ſeu Turcica Tota bona ſylveſtris, *Quorumd.* vulgo *Sclarée*, *Orvale ou Toute-bonne des Prez ou ſauvrage.*

Radicem habet ſimplicem, lignoſam, fibroſam, odoram, vivacem, quæ caulem unum, aut plures expellit fere bipedales, ſatis craſſos, quadratos, erectos, hirſutos, cavos, in alas ſive ramos invicem oppoſitos diviſos. Folia promit magna, lata, rugoſa, rudia, nonnihil ſinuoſa, marginibuſque crenatis, longis appenſa caudis, Salviæ foliis proxima, odore penetranti, ſapore aromatico. Flores verticillati, in ſpicam longam quodammodo procedentes, magni, labiati, cærulei, purpureive, raro albi, calyce ſuffulti glutinoſo, quinque cuſpidibus diſtincto, ſummis caulibus, ramuſculiſque locantur, eorumque locum ſubeunt ſemina ſatis craſſa, ſemirotunda, lævia, expolita, ſub-nigra, capſulis florum calyces efformantibus, concluſa. Secus vias, in arvorum limitibus, collibus herboſis, pratiſque tam elatis quam imis planta hæc apparet, ejuſque flores Junio, Julioque.

Alto ſilentio ab Auctoribus Sclarea prætermittitur, excepto Garidelio, qui in *Hiſtoria Plantarum agri Aquiſextienſis*, ei ſatis memorandam facultatem tribuit. Aſſerit enim, utiliſſimam eſſe adverſus crurum ulcera, remediumque eſſe in Provincia familiariſſimum: qua de re folium ejuſdem exſiccatum recipitur, parumper Vino calido maceratur, ac ſtatim apponitur. Frequenter omnibus aliis incaſſum adhibitis Remedium hocce palmam arripuit. Folia quoque recentia in uſum revocari, vulneribuſque recentibus aptari poſſunt, ea enim cito conſolidat.

## SCORDIUM.

INter diverſas Chamædrys ſpecies, binæ extant communiter SCORDIUM vocatæ, allium enim redolent, Verum ſcilicet, & Adulterinum.

Scordium, *Offic.* C. B. P. 247. J. B. 3. 292. *Dod. Pempt.* 126. *Ger. Raii. Hiſt.* 576. *Cord. Trag. Lob. Fuchſ. Anguill. Cæſalp. Taber. Lugd. Hiſt.* Chamædrys paluſtris Caneſcens, ſeu Scordium Officinarum, *Inſt.* R. H. 205. Scordium verum, *Genſ. Hort.* Scordium Legitimum, *Park.* Chamædrys paluſtris allium redolens, *Mor. Hiſt. Oxon.* Teucrium foliis ovato-lanceolatis ſerrulatis, ſeſſilibus, floribus ſæpius binatis, *Linn. Hort. Cliff.* 302. Scordion, allium paluſtre ſive aquaticum, Trixago paluſtris, *Quorumd.* vulgo *le vrai Scordium ou Chamarras la Germandrée d'eau, ou aquatique.*

Radicem habet fibroſam, ſerpentem, vivacem, plures eijcientem caules manum æquantes, ac quandoque pedales, quadratos, hirſutos, cavos, ramoſos, ſolum verſus proclives, ſerpentes, foliis appoſitis, oblongis, Chamedrys vulgaris foliis majoribus, rugoſis, ambitu denticulato, molliuſculis, hirſutis, ſubalbidis, Allii non ingratum odorem reddentibus, ſapore amaro. Juxta caules, ramuloſque ex foliorum alis flores emergunt exigui, labiati, vertice expanſo, quinquifidi, ſub-rubri, quibus quatuor ſemina minuta rotunda, capſula calycem floris efformante, concluſa ſuccedunt. In locis humidis, ac paludoſis, ſecus foſſas aquis redundantes, enaſcitur, Junio, Julioque floret;

ret; non raro in agro quoque Parisiensi occurrit. Juxta C. Bauhinum magnitudine varia est, ac in hortis translata facile perit. A J. autem Bauhino, & Tournefortio juxta Lobellii auctoritatem Scordii fere deperditi inventio Guilelmo Pellissierio Episcopo Monspessulano tributa fuit, quod etiam a Rondeletio confirmatur.

Scordium amarum est, aromaticum, chartam cærulam rubro colore inficit. Ejus folia digitis compressa, odorem, saporemque Allii manifeste reddunt. Constare autem Scordium videtur sale volatili oleoso, & sale ammoniacali non omnimode exsoluto, sed plurimo sulphure, irretito: tamquam resolvens, aperiens, diaphoreticum, & vulnerario-detergens reputatur. Intus, extrinsecusque usurpatur. Folia, floresque in decocto; ex iis Man. parvus, pro singulis aquæ ℔. ij. recipitur, exhibeturque cum successu in febribus malignis, variolis, morbillis, morbisque cutaneis, ad appetitum revocandum, arthritidem avertendam, vermes enecandos, sanguinem insensibili perspiratione depurandum, urinas ciendas; in omnibus quoque prædictis casibus Scordium ad modum Theæ in usum revocatur, pugillo uno in liquoris ℔. ß. immisso, aut in jusculo omni pinguedine destituto per horæ semisse infuso. Ejus usitatiores præparationes in Officinis sunt Aqua stillatitia, Tinctura, Extractum, Conserva, & Syrupus.

Distillata aqua ab ℥ iij. ad ℥ vj. præscribitur, Tinctura vero a ʒ ß. ad ʒ ij. in Julapiis, Potionibusque cordialibus, diaphoreticis, & vermifugis. Extractum ℥ ß. & Conserva ℥ j. ad sudorem eliciendum. Conserva hæc eadem usitatissima est adversum sputum purulentum, icterum, mensiumque suppressionem. Vinum, quoque, ac Acetum parantur Scordii infusione, ab ℥ jv. ad ℥ vj. exhibendum, ad sudorem eliminandum, pro quo quandoque urinæ profluvium suboriri solet; hinc hydropicis quoque perutilis reputatur. Syrupus denique ad ℥ j. in omnibus prædictis morbis usurpatur. Planta hæc extrinsecus, ut innuimus, detergens est, ac vulneraria; in Lotionibus una cum Absinthio, & Centaurea minoribus in usum revocatur, nec non in fomentis, & Cataplasmatis forma, membris imminente Gangrænæ periculo laborantibus. Si vero Gangræna jam irrepserit, carnes sphacelum minitantes probe prius sunt mundandæ aqua Sublimati corrosivi, & Arsenici, aut butyro Antimonii; absque enim hisce adminiculis vulnerariæ, plantæ nihil valere possunt. Juxta Rajum Scordii pulvis bono cum successu adhibetur, ad bubones pestilentiales, & ulcera maligna curanda.

Scordium usurpatur in Aceto Theriacali, Theriaca, Mithridato, Orvietano, Antidoto Matthioli, ac in magno Confectionum Alexiteriarum numero; in Pulvere vermifugo, in Oleo Scorpionum, & Unguento mundificativo de Apio dicto *Pharm. Paris.* Ex hac planta quoque *Diascordium* tam Fracastorii, quam Sylvii denominatur, confectiones nempe illæ duæ adeo celebres cordiales, ac anodynæ, quibus præcipue somnus conciliatur, colici dolores sedantur, stomachique resolutiones impediuntur.

℞. Aq. Cardui benedicti, & Scordii ana. ℥ jv. Aquæ theriacalis ℥ ij. Syrupi Caryophylli ℥ j. M. pro Julapio in febribus malignis, ac pestilentialibus sumendo.

℞. Aq. Scordii, Tanaceti, & Portulacæ ana. ℥ ij. Corallinæ & Sem. contra ana. ℈ j. Theriacæ ac Extracti Juniperi ana. ʒ ß. Syrupi Scordii ℥ j. M. pro potione vermifuga semel propinanda.

℞. Aq.

℞. Aq. diſtill. Scordii, Hederæ terreſtr. & Aquæ Vulnerariæ ana. ℥ ij. Spermat. Ceti, aqua Cinnamomi hord. ſoluti ʒ j. Antimonii diaphoret. ℈ j. Syrupi Caryophilli ℥ j. M. pro potione vulneraria, & cordiali cochleatim exhibenda.

℞. Diaſcordii ʒ j. Corall. rub. pp. & C. C. ph. p. ana. gr. v. Syrupi Cydonior. q. ſ. pro bolis conficiendis ab ægro bis de die ſumendis, mane, ac veſperi in dyſenteria, & colicis affectionibus, ſtomachi reſolutione conjunctis. Si guttæ v. aut vi. Laudani liquidi addantur anodyna quoque addetur vis.

*Cataplaſma ad Gangrænæ carnes emolliendas.*

℞. Fol. Scordii Man. ij. Malvæ Man. j. Flor. Althææ, & Lavendulæ ana ℥ j. Coque in aceto pro Cataplaſmate, addendo farinæ Sem. Lini ℥ iij. Olei Sem. Lini ℥ j. Salis Ammoniaci ʒ j.

Scrodonia, *Offic.* Scordium alterum, ſive Salvia agreſtis, C. B. P. 247. Scordotis, ſive Scordium folio Salviæ, J. B. 3. 293. Salvia agreſtis, ſive Sphacelus, *Dod. Pempt.* 291. Chamædrys fruticoſa ſylveſtris Meliſſæ folio, *Inſt.* R. H. 205. Scordonia, ſive Salvia agreſtis, *Ger. Raii Hiſt.* 576. Scordonia ſive Scordium alterum quibuſdam, & Salvia agreſtis, *Park.* Salvia ſylveſtris, *Trag.* Chamædrys elatior Salviæ folio flore Ochroleuco, *Mor. Hiſt. Oxon.* Teucrium foliis cordatis crenatis petiolatis, ſpicis laxis ſecundis, *Linn. Hort. Cliff.* 301. Scordium montanum, Salvia boſci, ſeu nemorenſis, Scordotis ſylveſtris, Scordium ſecundum, *Nonnull.* vulgo *le Faux Scordium ou Chamarras, la Sauge des bois ou Sauvage.*

Radice eſt lignoſa, flexibili, ſerpenti, fibroſa, vivaci, quæ plures emittit caules bipedales, vel tripedales, quadratos, villoſos, ſubnigros, aut purpuraſcentes, ramoſos, medulla alba repletos, foliis Salviæ minoris quoquomodo ſimilibus, latioribus tamen, mollioribuſque, ad Meliſſam accedentibus, rugoſis, villoſis, obſcure viridibus, ſalitiſque, ambitu denticulato, contrariis, ſaporis amari. Summis caulibus, ramuliſque florum labiatorum ſpicæ extolluntur, qui ſcilicet, æqua, ac in Scordio vero, ratione diſponuntur, eamdem figuram habent, & colorem herbidum, aut ex albo palleſcentem, quaternis ſtaminibus purpureis; pluribus ſubſequentibus ſeminibus exiguis, fere rotundis, ſubnigris, capſula concluſis quondam, floris calycem efformante. In nemoribus montanis, ſylviſque creſcit planta hæc, in ſepibus, aliiſque incultis, rudibus, ſabuloſis, nonnihil tamen humidis locis, flores Æſtate edit, diuque detinet, ac variare ſolet foliis variegatis.

Scrodonia odorem habet aromaticum Allio proximum. A Nonnullis, ejus decoctio, tamquam optime ſudorifica in morbis Venereis præſcribi ſolet: ejus quoque Man. j. in Vini albi ℔ ij. infunditur, & ex eo quarta quaque hora cyathus unus parvus Hydropicis exhibetur, a quo quandoque ſublevantur. Stomachum roborat, vermes enecat, urinas movet, ac in ictero, tertianiſque febribus convenit. Cum autem ejus virtus plurimum ad Scordii veri vim accedat, huic quandoque ſubſtitui poteſt. A Geſnero, prædicto præferri ſolet; a Fabritio Hildano ad ulcera gangrænoſa curanda commendatur, pro quibus doſi Scordii communis duplicata ab eo uſurpatur.

## SCORSONERA.

SCorzonera: *Offic.* Scorzonera latifolia ſinuata, C. B. P. 275. *Inſt.* R. H. 476. Tragopogon Hiſpanicus, ſive Eſcorzonera, aut Scorzonera, J. B. 2. 1060. Scorzonera major Hiſpanica, 1. *Cluſ. Hiſt.* 137. Viperaria, ſive Scorzonera Hiſpanica, *Ger.* Scorzonera Hiſpanica major, *Park. Raii Hiſt* 248. Tragopogon peregrinus vel Hiſpanicus, *Geſn. Hort.* Scorzonera floribus ſimplicibus, & plenis, *Camer. Hort.* Scorzonera Hiſpanica, ſeu Bohemica, *Matth.* Scorzonera Hiſpanica & Germanica, *Tabern.* Scorzonera latifolia lutea, Serpentaria Hiſpanica, *Quorumd.* vulgo *Scorſonere, Cercifi ou Sa'cifi noir ou d'Eſpagne.*

Radice eſt pedem longa, ſimplici, pollicem craſſa, externe nigra, intus alba, tenera, fractuque facili, vivaci, carnoſa, ſucco fœta lactiginoſo, dulciſſimo, quæ ſi coquatur optimum cibum miniſtrat, ideoque Quadrageſimali præſertim tempore in culinis uſitatiſſima. Caulem effert bipedalem, rotundum, ſtriatum, cavum, pluribus ramis diſtinctum longis, ac lanugine quadam tunicæ more circumfuſis. Folia longa ſunt, ſatis lata, Tragopogon foliis ſimilia, lævia, baſi caulem amplectentia, quandoque aliquantiſper ſinuoſa, ac ambitu criſpato, firma, nervoſa, anguſta, oblonga, cuſpide deſinentia, obſcure viridia. Summo caule, ramuliſque flores progignuntur ampli, lutei, quibuſdam ſcilicet efformati faſciculis, calyceque ſuffulti longiuſculo, gracili, ſquammoſis foliis conſtante; floribus præſto ſunt ſemina longa, delicata, alba, criſtata. In omnibus fere Olitoriis hortis planta hæc colitur, floretque a Majo, & Junio ad Autumnum uſque, Hiſpaniæ incola eſt, ubi ſponte naſcitur in humidis locis, ſylviſque montanis.

Scorzonera nuncupatur, a Catalaunica denominatione *Eſcorſo* qua *Vipera* indigitatur, adverſus enim Viperarum morſus ab incolis uſurpatur.

Ejus radix familiariſſimum uſum habet, & pro alimentis, & pro re Medica. Plurimum habet ſalis eſſentialis, mediocrem olei portionem; eligenda vero eſt tenera, carnoſa, ſucculenta, ſaporis dulcis, gratique. Tragopogono hortenſi ſaporem habet penetrantiorem, urinas ciet, ventriculum roborat, & ſudores, menſeſque propellit; aptiſſima quoque reputatur in variolis, ac peſte, adverſus venena, ac Viperæ, aliorumque veneficorum animalium morſum. Ejus radix probe cocta alimentum eſt ſaluberrimum quocumque tempore, quacumque ætate, & temperamento aptiſſimum, quum autem nonnihil calefaciat, moderate eſt uſurpanda. Pro re autem Medica in Ptiſanis adverſus omnes malignos morbos præſcribitur.

Boerhaavius *in Hiſtoria Plantarum Horti Lugduno-Batavi* magnopere radicis Scorzoneræ ſuccum diutius ſumptum commendat ℥ iij. mane, jejuno ſtomacho iis propinatum, in quibus veneni ſuſpicio locum habet; magnis quoque eam laudibus extollit adverſus Hypochondriacas affectiones, viſcerumque obſtructiones, dummodo ea tantum tuſa, decoctio Hordei ſuperaffundatur, coctura enim omnem efficaciam ex hac ſecedere, tradit. S. quoque Paulli Boerhaavii ſententiæ favet, teſtaturque propria experientia, non Hepatis obſtructiones hocce remedio ſolum ſanaſſe, verum etiam antiquos Icteros, Hydropeſque primum apparentes.

Foliis, floribuſque Scorzoneræ aqua diſtillata elicitur, ab ℥ jv. ad ℥ vj. præſcribenda in Julapiis, & Potionibus cordialibus, & diaphoreticis.

Nico-

Nicolaus Monardus Hiſpanus Medicus integrum *de Scorzonera* Tractatum evulgavit, in quo mira profecto, nec tamen experientia adhuc comprobata in medium adducit. Nos vero, cum experimentis tantum innixi ſimus, ex hiſce omnibus proprietatibus, vulgatiores tantum, ac obvias confirmamus.

Aqua Scorzoneræ diſtillata uſurpatur in Aqua Divina *Pharm. Pariſ.*

℞. Rad. Scorzoneræ lotar. ac taleolatim inciſar. ℥ j. Coque in aquæ ℔ iij. ad tertiæ partis diminutionem; Adde Glycyrrhizæ in fila evulſæ ʒ ij. Infunde per horæ dimidium, fiat deinde colatura pro Ptiſana convenienti in Variolis, Morbillis, ac Febribus malignis.

℞. Rad. Lapathi ſylveſtris ℥ j. Aquilejæ, Scorzoneræ, & Bardanæ ana. ℥ ß. Fol. Fumariæ, Scabioſæ, Agrimoniæ, & Cardui benedicti ana Man. ß. Antimonii p., noduloque infuſi ℥ j. Coque in aquæ ℔ vj. ad tertiæ partis conſumptionem. Fiat deinde colatura leviter exprimenda, & adde Syrupi Fumar. ℥ jv. pro Apozemate, binis cyathis calidis, de die, propinando, novem dierum ſpatio, adverſus Scabiem, Impetiginem, Porriginem, alioſque cutaneos morbos.

℞. Aq. Scorzoneræ, Borraginis, & Cichorii ana. ℥ ij. Aquæ Cinnamomi hordeat. & Aquæ Theriacalis ana. ʒ j. Sp. Nitri dulcif. gut. xx. Syrup. Limon. & Caryophylli ana. ℥ ß. M. pro potione cordiali una vice, aut chocleatim ſumenda.

*Potio cordialis efficacior.*

℞. Aq. Scorzoneræ, & Scabioſæ ana. ℥ ij. Aquæ Cinnamomi hord. ℥ ß. Theriacæ ℈ ij. Pul. Viper. ℈ j. Sp. volatilis C. C. gut. xx. Syrupi Caryophylli ℥ j. M. pro potione cochleatim exhibenda.

℞. Rad. Scorzoneræ mund. ℥ j. ß. Contunde in mortario marmoreo, paulatim ℔ j. decoctionis Hordei affundendo. Fiat colatura linteolo expreſſa, & adde Syrupi de quinque radic. aper. ℥ ß. pro decoctione, menſis ſpatio, mane, jejuno ventriculo repetenda, in Hepatis, Lieniſque obſtructionibus, Ictero, ac Hydrope enaſcente.

## S C R O P H U L A R I A.

INter omnes SCROPHULARIÆ ſpecies, ſequentes duæ tantum in uſum Medicum venire ſolent.

Scrophularia, *Offic.* Scrophularia nodoſa fœtida, C. B. P. 235. *Inſt.* R. H. 166. Scrophylaria vulgaris & major, J. B. 3. 421. Scrophularia, *Dod. Pempt.* 50. Scrophularia major, *Brunſ. Lob. Ger.* Raii *Hiſt.* 764. Scrophularia major vulgaris, *Park.* Clymenum mas, *Geſ, Hort.* Galeopſis, *Fuchſ.* Ocymaſtrum alterum; *Trag.* 135. Scrophularia major recentiorum Medicorum, *Cæſalp.* Scrophularia foliis cordatis, oppoſitis racemo terminatrici, *Linn. Hort. Cliff.* 322. Scrophularia vulgatior, Millemorbia, Ficaria, Ferraria, Caſtragula, *Quorumd.* vulgo *la grande Scrophulaire commune, ou des bois.*

Radice eſt craſſa, longa, ſerpenti, alba, nodoſa, inæquali, vivaci, quæ plures emittit caules bipedales, & ultra, erectos, firmos, quadratos, interne cavos, purpureo-nigricantes, in alatos ramos diviſos. Folia habet ob-

longa,

longa, lata, acuminata, ambitu crenato, Urticæ majoris similia, majora tamen, obscuriora, ac neutiquam vellicantia, invicem in unoquoque caulium nodo opposita. Summis caulibus, ramulisque flores implantantur labiati, atro, purpurei, calyce suffulti monopetalo, quinqnifido, quaternis staminibus, apicibus luteis. Fructus hisce rotundi succedunt acuti, duobus distincti cellulis, pluribus seminibus nigricantibus, refertis. Sambuci odore admodum ingrato scatet universa planta, saporeque amaro; in locis umbrosis, sepibus, nemoribus, sylvisque cæduis frequens occurrit, floresque ministrat Junio, Julio, & Augusto. Radix, Folia, ac Semen in usum Medicum veniunt, præcipue vero radix.

Scrophulariæ maj. folia amarissima sunt, male olent, satisque modico rubro colore chartam cærulam tingunt, quod saturatius a radice præstatur, unde conjici potest, salem ammoniacum, nativo terræ sale contentum, in hacce planta prædominari, ac in ea, magna olei fœtidi quantitate consociari. Analyseos Chymicæ ope plurimum Salis volatilis concreti, plurimumque olei ex hac recipitur, unde vis resolvendi, emolliendi, ac temperandi derivare solet. Hæc enim revera principia essentialia requiruntur in remediis, tam ad tumores contumaciores inflammatione sociatos, quam frigidos dictos emolliendos, aptis. Oleum fœtidum fibras relaxando, earum tensionem minuit, ac temperat, sal namque ammoniacum attenuat, dividit, materiamque infarcientem eliminat. Fere omnia plantarum genera Sambuci, & Stramonii odore scatentia, iisdem fere facultatibus ditantur adversus inflammationes, tumoresque: aptissima præterea sunt pro tendineis partibus.

Tum intus, cum extrinsecus universæ Scropulariæ maj. partes, radix nempe, folia, & semina in usum revocantur. Radix p. ℥ j. mane, jejuno Ventriculo, appropriata Conserva, commixta, præscribitur, aut Vini cyathus in quo radix hæc per noctem infusa fuerit, Hæmorrhoidibus internis dolentibus, ægri propinatur, quibus remediis brevi solantur. Tragus vero asserit Scrophulariæ radicem tusam, ac ℥ j. in Vino exhibitam ad vermes enecandos valere: aqua autem, in qua per noctem plantæ radices maceratæ fuerint, pariter pro morbis superius indicatis Ptisanæ forma convenientissima recensetur.

Externe præterea adversum strumas exsiccatas macerata folia, Cataplasmatis forma, singulis diebus, renovata commendantur, quæ hoc simplici remedio hebdomadis senis sanantur: plantæ etiam succus ad ulcera acriora & carcinomatosa etiam sananda usurpatur, ab aliis vero radicibus contra scrophulosos tumores, hæmorrhoides, scabiemque Unguentum paratur: pulvere etiam ejusdem radicis affectæ partes consperguntur.

Ad Scrophulariæ Unguentum conficiendum opportet juxta Tragum, Majo universæ plantæ succum elicere, eumque per annum in vase vitreo probe concluso servare; miscetur inde p. æ. Olei, Ceræque recentis. Idem Author asserit, omnes scabiei, impetiginisque species, ad Elephantiasim quoque accedentes eo sanatas vidisse: plurimum etiam commendat aquam distillatam hujusce plantæ in papulis, rubentibusque faciei pustulis. Author vero *Historiæ Plantarum Lugdunensium* Unguenti Scrophulariæ conficiendi rationem tradit modo sequenti. Autumno hujusce radices recipiantur, una cum recenti Butyro tusæ, quindecim dierum spatio in vase e silice probe clauso in Cavea

repo-

reponantur, postea igne liquatis, Unguentum prius linteo colatum servetur. Si Tragi methodus sequatur, Oleo succus Scrophulariæ est perfundendus, ne fracescat, aut loco Olei, sexta pars Sp. Vini defæcatissimi addenda est. Si vero Unguentum juxta *Historiæ Plantarum Lugdunensium* descriptionem conficiatur, potius quam in Cavea radices cum Butyro tusas servare, facilius erit, eas digestioni B. M. per triduum tantum committere in Cucurbita vitrea Capitello cooperta: linteo deinde post fusionem colentur. Unguenta prædicta in Cutaneis morbis, hæmorrhoidibus, ac impetigine exulcerata excellunt, radicis pulvere, aut ejus in Vino infuso ægris interim, uti supra innuimus, propinato.

Scrophulariæ maj. radix usurpatur in aqua Generali, Unguento mundificativo de Apio, radix, & folia in Aqua vulneraria, & Emplastro *Diabotano Pharm. Paris.*

℞. Axungiæ Suillæ ℔ j. Liquetur igne moderato, deinde adde Fol. incisor. Scrophulariæ, Cynoglossi, Lamii, & Digitalis ana p. æ. Leniter coque, usquedum Unguentum saturate viridescat, tunc colaturæ admisce Ceræ ac Resinæ p. æ. Therebenthinæ ℥ ij. Viridis Æris ℥ j. M. denuo ad consistentiam Unguenti solidiusculi. Unguentum celeberrimum est adversus strumas exulceratas.

Betonica aquatica *Offic.* Scrophularia aquatica major, C. B. P. 235. *Inst.* R. H. 166. *Ger. Raii Hist.* 764. Scrophularia maxima radice fibrosa, J. B. 3. 421. Betonica aquatilis, *Dod. Pempt.* 50. Ocymastrum majus, *Trag.* 185. Clymenum fœmina, *Gens. Hort.* Betonica aquatica, *Ger. Lob.* Betonica aquatica major, *Park.* Scrophularia foliis cordatis, pediculorum alis in caulem decurentibus, *Guett. Observ.* 201. Yquetaya Brasiliensium seu Brasiliensis, *Gul. Homberg. J. Marchand.* Scrophularia fœmina, Scrophularia palustris non fœtida, radicibus fibrosis, Scrophularia aquatica sive altera, Betonicæ folio, *Nonnull.* vulgo *la Scrophulaire aquatique*, *l'Herbe du siège*, *la Betoine d'Eau*.

Radice est satis crassa, fibris longis, albisque stipata, vivaci, plures caules emittente, binos, tresve pedes altos, minimum digitum crassos, quadratos, quibusdam in locis sub-rubros, in aliis vero virides, intus cavos, satis teneros, succo refertos, leves, ramosos, foliis Scrophulariæ comm. similibus, non adeo tamen acuta extremitate, propiusque ad Betonicam vulg. accedentibus, ea vero duplo, aut triplo majoribus, longis, latis, carnosis, marginibus crenatis, nervosis, invicem contrariis, crassâ cauda, & cava appensis, dilute-viridibus, odore, saporeque ingrato. Flores præcedentis floribus similantur, majores tamen aliquatenus sunt, & ferrugineo-rufescentes. Hisce fructus succedunt rotundi, acuti, in duas cellulas divisi, semina minutissima, & obscura occludentes. Aquaticis in locis, secus amnes, rivulosque, fossasque aqua refertas excrescit, Julio, Augustoque floret.

Scrophulariæ species hæc *Herbe du siège* fuit nuncupata, eo quod præcedentis more Hæmorrhoidibus, aliisque ani morbis medetur, aut juxta D. Chomelii sententiam, quia, *obsidione* Rupellæ diutissime perdurante, demum planta hæc tantum, pro omnibus vulnerum speciebus, omnimode præparata in usum fuit revocata.

Et de facto vulnerariam vim habet, maximam, & consolidantem. D. Tochneri hac in re extat Observatio *in Ephemeridibus Germanicis Centuria VII. & VIII.* in qua hujusce plantæ elogium reperitur, ac præcedenti anteponitur:

tur: Iisdem tamen principiis scatere videtur; odorem ingratum pariter habet, ac fere nullo colore rubro cæruleam chartam inficit, unde evinci potest, sal ammoniacum cum oleo fœtido ac terra in ea contineri: merito igitur primæ substituitur. Æque adversus Strumas, Hæmorrhoidesque pollet, tam interne, quam extrinsecus usurpatur. D. Marchand celebris Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Botanicus *in Commentario*, *Academiæ Actis anno* 1701. *pag.* 209. insito, asserit, folia ejusdem malum Sennæ saporem corrigere, si in ejus infusioni p. æ. admisceantur, quod profecto maximum commodum afferre potest, quandoque enim propter ingratum saporem Senna non præscribitur, nec præscripta sumitur, etsi purgans sit tutissimum. Tragus vero ad oculorum fluxiones arcendas Cataplasma foliis prædictis maceratis, Melle admixtis, frontique applicatis proponit.

## S E C A L E.

SEcale, *Offic.* Secale hybernum vel majus, C. B. P. 23. *Inst.* R. H. 513. Secale, J. B. 2. 416. *Ger. Rai Hist.* 1241. Rogga sive Secale Plinii, *Dod. Pempt.* 499. Siligo, *Brunf. Ruell. Lon.* Olyra. *Cord.* Tipha Cerealis, & Tiphæ Theophrasti, *Port.* Secale, vulgatius, *Park.* Farrago, *Fuchs. Lob. Tabern.* Briza, seu Triticum secundum; *Quorumd.* vulgo *Seigle ou Sègale.*

Radice est annua, delicatulis fibris ornata, plures emittit culmos humanam staturam æquantes, ac quandoque superantes, erectos, firmos, Triticeis graciliores, quaternis, aut quinis intersitis nodis, exiguo foliorum numero, quæ scilicet longa sunt, angusta, ac subrubra dum primum e solo erumpunt. Summis culmis flores fasciculatim enascuntur, pluribusque capillaribus staminibus luteis conflantur, apicibus oblongis, spicatis, abeuntque in grana oblonga, fere cylindracea, gracilia, nuda, externe fusca, interne alba, ac farinacea. Secale autem spicæ, longiores, compressioresque sunt Triticeis spicis. Ubique fere planta hæc coli solet, præcipue vero in solo sterili, levi, sabuloso; Hyeme ineunte, aut Autumno seritur, aut sola, aut cum Tritico fere p. æ. permixta; quæ frugum mixtura *Meteil* nuncupatur, plerumque Majo flores edit; per mensem spica Triticum præcedit, hinc communis invaluit sententia, Aprilem absque Secale spica, Majum autem absque Tritici spica transigi non posse. Absque dubio inter segetes post Triticum primum locum habet Secale, ac frequentius alimenti, quam medicamenti forma usurpatur.

J. Bauhinus, aliique post ipsum Botanici binas Secale species distinxerunt, Secale nempe Majus, sive hybernum, alterum vero Minus, aut vernum, quum autem primum Autumno Tritici more seratur; postremum Vere tantum, uti Hordeum, seritur: in alio autem binæ hæ species inter se differre non videntur, nisi sationis tempore, & accidentibus ab ea oriundis.

Plurimum olei, salisque essentialis Secale continet, segetisque species est, qua Montanæ gentes, ac Septemptrionales ut plurimum pro pane conficiendo utuntur: eumdem quoque in usum apud nos revocatur, non tamen frequenter adeo, uti Triticum; quandoque etiam huic admiscetur, ad peculiarem quibusdam non ingratum saporem in pane excitandum, eumque diutius recentem servandum: non adeo tamen uti Triticeus nutrit, ac solum robustis, valentioribusque ventriculis convenit; stomachum enim gravare solet, diffici-

difficilusque concoquitur, tam si sola farina, quam si furfure minus crasso permixta conficiatur: interne turbat, & flatus, ac tormina quandoque progenerat: hinc delicatulis, nec stomacho satis valentibus nullo pacto convenit. Robustis vero, quibus alvus non admodum laxa est, utilissimus esse potest, emollit enim, ac reserat. Hæmorrhoidibus quoque Hemi micraniæ, cordisque palpitationibus obnoxiis utilis dicitur.

A Nonnullis Secale ad modum Caffe torretur, ac pulveratum, pari ratione usurpatur; hæc autem sorbitio certe minus calefacit; qualitates, tamen gratiamque Caffe habere non potest.

Secale furfur emolliens est: ejus decotio, cum qua Sacchari parum admiscetur, aptissima est ad Pectoris acrimonias temperandas: frequentius tamen pro clysteribus adhibetur.

Extrinsecus farina Secale quatuor resolventibus farinis substitui solet, iisdemque fere ac farina Hordei viribus gaudet. Cataplama e Secale farina, Melle, ac Ovi vitello, temperans est resolvens, tumorumque suppurationem promovet; frequentissime mammis lacte infarctis applicatur. Farina hæc eadem p. æ. Farinæ Triticeæ commixta, linteo conclusa, ac fronti apposita, capitis dolorem, deliriumque sedat, præsertim si prædictis farinis Absinthii summitates addantur, Erysipelata quoque sanat. Aqua distillata Secale, juxta S. Paulli, optima est adversus surditatem, ac panis Secale crusta torrefacta, optima est ad dentes expolliendos.

Tempestate pluvia, ac humida in Secale spicis grana quædam cæteris longiora, extus nigra, intus subalbida, nebulis fere corrupta, ac veluti degenerantia progignuntur, nullum tamen pravum saporem habent, *Ergot* in agro Soloniensi nuncupata; *Soloniæ* autem denominatio, a Nonnullis *Secaloniæ* affinis dicitur, propter Secale ea in regione redundantiam; aliis in locis *Seges cornuta* propter figuram vocitatur; a Botonacis vero *Orga Secale luxurians*, *Secalis mater*, *Clavis Siliginis*. Orga vero si forte seratur, neutiquam crescit, quod naturæ consonum est, ac utilissimum. In solo Secale, Orga reperitur, speciesque quædam est deformis, ac admodum infesta. Si forte enim cum pane certa quadam quantitate admixta fuerit, quicumque eo vescitur terribili morbo *S. Antonii* nuncupato corripitur, universum corpus specie quadam gangrænæ siccæ infestante, extremitatibus primo affectis, ac præcipue pedibus, gradatim cæteris membris sese corrumpentibus, quæ nigra, livida, fœtidissimaque evasa, omnino ab articulationibus separantur, quasi arboris ramus amputaretur, atque sic unis post alios decisis dentibus, quandoque solo, extremitatibus deperditis, trunco, exiguo intervallo, superstite. Funestissimi hujusce morbi eruptio, nec internis nec externis remediis debellari haudquaquam potest, nisi citissime occurratur: intitio autem sanguinis missiones, ac purgationes, cordialia remedia, ac optima victus ratio ægros plerumque liberant, vel ii saltem a morbo sola alicujus manuum, pedumve digiti deperditione sanescunt. Prædictos omnes pravos effectus ex Orga progignitos tantummodo, conspiciemus, si post messem statim panis conficiatur, nihil autem timoris inerit Hyeme præterlapsa, post scilicet grani prædicti evaporationem, quod profecto verisimillium est, & Observatione D. Bautzmanni *in Ephemeridibus Germanicis*, *Decuria III. anno VII. & VIII. pag.* 52. confirmatur. Ab eo enim asseritur, plures degenerantis hujusce Secale pane ex recenti messe saturatos, statim vertigine, dolore capi-

capitis, faciei inflatione, vomendique conatibus correptos fuisse, quæ omnia merito Secale huic, Orga permixto, relata fuere; nondum enim probe exsiccato, ejus prava qualitas in sanguinem invecta fuit. Mirum erit profecto, si post hosce omnes perniciosos effectus ab Orga progenitos, ea tamen energia aliqua Medica prædicta sit: verum enim vero a Gasp. Bauhino tamquam optimum remedium ad excedentem mensium fluxum compescendum commendatur.

℞. Furfuris Secale loti Man. j. Fol. Malvæ æ. q. Coque in s. q. aquæ ad ℔. j. Adde colaturæ Mellis violat. ℥ ij. pro clystere emollienti.

℞. Furfuris Secale loti Man. j. Fol. Bardanæ Man. ß. Urinæ hominis sani ℔. j. Coque ad Cataplasmatis consistentiam, quod strumis, bronchocele præsertim applicetur, & mane ac vespere innovabitur.

℞. Far. Secale ℔. ß. Vitella ovor. num. vj. M. s. q. Mellis com. pro Cataplasmate adversus mammarum fiscuras.

## S E D U M.

QUamvis omnes Sedi species in Medicum usum revocari possent, tres tamen sequentes tantum de quibus verba facturi sumus in Officinis plerumque usurpantur.

Sempervivum seu Jovis Barba, *Offic.* SEDUM majus vulgare, C. B. P. 283. J. B. 3. 687. *Inst.* R. H. 262. *Park. Raii Hist.* 687. Sempervivum majus, *Ger.* Sedum vulgare, *Clus. Hist.* 63. *Eyst.* Sedum majus, *Fuchs. Matth. Card. Tabern. Gens. Columm.* Aizoon magnum, *Dioscor.* Aizoon sive sempervivum majus, *Lob. Camer. Hort. Thal. Lugd. Hist.* Sempervivum tectorum majus, *Rupp. Jan.* 132. Sempervivum foliis radicalibus carnosis Caulinis imbricatis membranaceis, Corymbo racemoso reflexo, *Linn. Hort. Cliff.* 179. Aizoon majus legitimum, Sedum primum sive magnum, Sempervivum majus crenatum myrtifolium. Aithales, seu Sempervirens, Jovis Caulis, Pamphanes, Chrysospermum, Aichryson, Holocryson, Chrystis, Protogonon, *Quorumd.* vulgo *la grande Joubarbe.*

E radice parva & fibrosa plura exeunt folia oblonga, crassa, acuminata, carnosa, succo fœta, circum solum radici appensa; perpetuo viridia, circulatim disposita, ac veluti rosacea, externe convexa, interne plana, quæ inter caulis ad pedis & ultra altitudinem surgit erectus, satis crassus, subruber, medollosus, foliis, infernis similibus circumfusus, nonnihil tamen arctioribus, magisque turbinatis, a quibus squammosus quodammodo efficitur: caulis prædictus apice suo in nonnullos reflexos dividitur ramos, floribus stipatos quinque petalis rosaceis, aut stellatis, purpureis, staminibus decem, apicibus rotundis, quibus præsto sunt fructus, pluribus granulis ad capitis modum conglobatis, constantes, seminibusque minutissimis repleti. Antiquis in muris, tectis, tuguriisque crescit planta hæc, post Æstatis solstitium flores edit, caulisque Autumno, semine maturo exsiccatur.

Sempervivum majus Analysi Chymica plurimum acidi, ac terræ, exiguamque salis volatilis concreti portionem elargitur. Verosimile est, salem in eo ad Alumen accedentem pauco sale ammoniacocommixtum contineri; hujusce enim plantæ succus evaporatus urinosum odorem exhalat, a quo salis ammoniaci existentia procul dubio indicatur; refrigerans est planta hæc

detergens, adſtringens, reſolvens, ac repercutiens. Intus uſurpatur ejus ſuccus ℥ jv. in febribus intermittentibus, nullo frigore diſtinctis, & in febribus lentis, hecticiſque juſculo Cancrorum, ac Teſtudinum admixtus. Boerhaavius *in Hiſtoria Plantarum Horti Lugduno-Batavi*, ejus folia tunica mundata, & aqua macerata plurimum commendat in febribus ardentibus, inflammationibus gangrænam minitantibus, ſtomachi ac inteſtinorum ſuppurationibus, in caſibus denique omnibus, in quibus immoderatus prævalet calor. In Africæ locis quibuſdam dyſenteria ſanatur, ℥ x. hujuſce plantæ ſucci exhibitis, quod ſatis ſuperque probabile eſt, cum enim inter incraſſantia, & refrigerantia remedium hocce locum habeat, bilis, acriumque liquorum, in tubo inteſtinali, erumpentium, eumque interne corrodentium cauſticitatem demulcet, ac temperat, in omnibus pariter prædictis morbis ejus aqua diſtillata ab ℥ jv. ad ℥ vj. commode in uſum revocari poteſt.

Extrinſecus ejus folia plerumque hæmorrhoidalibus inflammationibus apponuntur. Unguentum etiam ex butyro recenti paratur, in quo ad certam conſiſtentiam ebullierint: eademque folia, tunica deſtituta, calloſis in digitis pedum concretionibus, & arthritide affectis partibus applicantur, debita tamen circumſpectione, quum enim repercuſſiva vi gaudeant, ſtatim ad ea confugere, quum potiſſimum magna adſit inflammatio, periculoſum eſt. In Angina autem Gargariſma ex ejuſdem aqua ſtillatitia utiliter uſurpatur, Cancris fluviatilibus una cum ejus foliis contuſis externe admotis. Gargariſma etiam ſucco Cancrorum, & Barbæ Jovis ſimul contuſorum in uſum revocatur, qui ſuccus quoque aliquando injectionis forma in uteri prolapſu, ac profundis, cavernoſiſque ulceribus convenit. Eorumdem præterea foliorum ſuccus oleo Nucis commixtus, ac quaſſatus excellit adveſum ambuſtiones, & eryſipelata, quarta parte Sp. Vini addita. Planta univerſa tuſa, & Cataplaſmatis forma fronti appoſita capitis dolores, ac delira febres ardentes comitantia compeſcit. Dmeum D.Ludovici Apini *in Ephemeridibus Germanicis Decuria III. anno V. & VI.* extat Obſervatio, qua narratur, virum ulcere, purulentam, ichoroſamque materiam, expurgante, in crure per annum & ultra laborantem, pluribuſque incaſſum adhibitis remediis, tandem pulvere floliorum Barbæ Jovis maj. exſiccatorum ſuper ulcus inſperſo, xxjv. horarum ſpatio, ab eo nunquam digne ſatis remedii adeo ſimplicis magnam efficaciam admirante, ſanatum omnino fuiſſe.

In crurum equorum fluxionibus nihil, ℔ j. hujuſce plantæ ſucco ab iis ingurgitando, efficacius eſſe, a D. Tournefortio aſſeritur.

Ejus folia uſurpantur in Unguentis, Mundificativo de Apio dicto, & *Populeo Pharm. Pariſ.*

℞. Succi Sempervivi maj. & Aquæ Roſar. ana ℥ iij. Sacchari Saturni ʒ ſ. Syrupi Roſar. exſiccat. ℥ j. M. pro Gargariſmate in Angina repetendo.

℞. Fol. Solani, Lactucæ, & Plantaginis ana Man. j. Fol. Sempervivi maj. Man. ß. Coque cum ſ. q. Oxycrati, adde deinde Far. Fœnu græci ʒ iij. Olei roſat. ℥ ij. Pro Cataplaſmate repercutiente.

℞. Aquar. Lactucæ, & Sempervivi maj. ana ℥ ij. Aquæ ſpermat. Ranar. & Syrupi Nymphææ ana ℥ j. M. pro Julapio refrigerante.

℞. Aquar. Plantag. & Spermat. Ranar. ana ℥ j. ß. Succi Sempervivi maj. ℥ ij. Olei Amygd. dulcium ℥ j. Syrupi Diacodij ʒ vj. M. pro Julapio anody-

anodyno in dysenteria, & in ventriculi, tubique intestinalis erosionibus aptissimo.

℞. Succi Sempervivi maj. ℥ jv. Lithargyri ℥ j. Vitel. ovor. num. ij. Agitentur diutius in mortario plumbeo, ejusdem materiæ pistillo. Fiat colatura pro injectione adversus urethræ, uterique ulcera.

℞. Succi Sempervivi maj. ℥ jv. Olei Nucis ℥ ij. Quassentur in mortario marmoreo. Adde Sp. Vini ℥ j. Splenium mixtura hacce infectum Erysipelati, aut adustionibus applicetur, ac continuo, dum exsiccatur, innovetur.

Vermicularis, seu Crassula minor, *Offic.* Sedum minus teretifolium album, C. B. P. 283. *Inst.* R. H. 262. *Raii Hist.* 1040. Sedum minus, folio longiusculo tereti, flore candido, J. B. 3. 690. Vermicularis, crassula minor Officinarum, *Ger.* Vermicularis flore albo, *Park.* Sempervivum minus album, *Brunf.* Sempervivum fœmina, Camer. *Hort.* Aizoon minus Matthioli, *Lugd. Hist.* 1129. Aizoon minus fœmina *Fuchs.* Sedum minus vulgare album, *Gesn. Hort.* Semperviva minor. dicta vermicularis, *Anguill.* Sedum foliis oblongis obtusis teretiusculis sessilibus patentibus, panicula ramosa, *Linn. Hort. Cliff.* 177. Sedum minus teres, Aizoon minus flore albo, sempervivum minus alterum floribus candidis, Sempervivum secundum vermicularis foliis, vermicularis fœmina, cauda muris vulgo, *Quorumd.* vulgo *la petite Joubarbe, la Trique-Madame ou Tripe-Madame.*

Radice est minuta ac fibrosa, quæ plures propellit caules, manum fere, longitudine, æquantes, duros, lignosos, subrubros, foliis longiusculis, rotundis, carnosis, succulentis, vermicularibus, vermibus scilicet in caseo putrescenti stabulantibus proximis, juxta caules alternatim dispositis, in quorum apicibus umbellati locantur flores, albi, quinquepetali, rosacei, pluribus staminibus, apicibus purpureis, qui tandem abeunt, in satis exiguos fructus, constantes pluribus vaginis ad modum capitis conglobatis, confertisque seminibus minutissimis. In muris, tectis, locisque soli expositis crescit planta hæc, quæ Æstate floret.

Plurimo phlegmate, oleo, paucoque sale Vermicularis constituitur: saporem habet styptico-salinum, maximeque rubro colore chartam cæruleam inficit, unde sal ad Alumen accedens, nec tamen exigui salis ammoniaci, copiosi sulphuris, ac phlegmatis mixturam respuens indicatur. Quibus sane principiis adstringendi, ac refrigerandi vi donatur, stomachi quoque ardorem temperat, hinc haud raro pro acetario usurpatur: quamvis autem a nonnullis Medicis ejus internus usus reprobetur, pravos ullos effectus nunquam tamen produxit; quum vero suis facultatibus cum Sempervivo maj. convenire penitus videatur, huic substitui commode posse judicamus.

Radices, folia, ac succus Vermicularis usurpantur in Emplastro *Diabotano*; folia vero in Unguento *Populeo Pharm. Paris.*

℞. Succi Vermicularis ℥ viij. Divide in doses iiij. Sexta quoque hora propinandas, aqua, vino, aut jusculo permixtas, in deliro ac Phrenitide, pluribusque diebus, repetendas.

Illecebra minor, *Offic.* Sempervivum minus vermiculatum acre, C. B. P. 283. Sedum parvum acre, flore luteo, J. B. 3. 694. *Inst.* R. H. 263. *Raii Hist.* 1041. Vermicularis, sive illecebra min. acris, *Ger.* Illecebra minor, sive sedum ter-

tium Dioſcoridis, *Park.* Illecebra, ſive Sempervivum tertium, *Dod.* Sempervivum minimum, ſive illecebra, *Lob.* Aizoon acre, *Cord.* Aizoon minimum repens tertium Dioſcoridis, *Lugd. Hiſt.* 1130. Sedum minus Cauſticum, *Cluſ. Hiſt.* 61. *Eyſt.* Sedum foliis ſubovatis adnato ſeſſilibus gibbi erectiuſculis, Vermiculata acuta, Aizoon minus fervidi guſtus, ſedum minimum acre, ſedum parvum urens, ſedi tertium genus non ſempervirens, Uva juadica vel felium uva, Piper murorum ſeu murale, *Quorumd.* vulgo *la Vermiculaire acre ou brulante, le pain d'Oiſeau.*

Radice eſt exigua ac fibroſa, plures caules emittente demiſſos, breves, graciles, foliis exiguis, denſiuſculis, pinguibus, acuminatis, triangularibus, ſucculentis. Summis vero caulibus parvi, lutei flores ſtelliformes ac quinquepetali locantur, pluribus ſtaminibus in centro locatis, apicibus pariter luteis, qui tandem exiguos in fructus commutantur, hi autem vaginis conſtant ad modum capitis coagmentatis, ſeminibuſque minutiſſimis refertis. Ubique fere germinat planta hæc radicibus ſuſpenſa, antiquis in muris, in tectis demiſſioribus, ruſticis tuguriis, aut aliis in locis ſtrata ſaxoſis, aridis, muſcoſiſque, Junio autem flores edit. Saporem habet penetrantem, ac urentem, hinc Gallice vulgo *Poivre de Murailles* nuncupatur. Semine autem ad maturitatem accedente, planta exſiccatur, ac Hyeme perit.

Illecebra minor ſaporem utique habet acerrimum, ac fervidiſſimum, videturque in ejus textura e ſale acido terræ connaturali, ſalem rodentem ad Nitri Spiritum accedens ſulphure implicatum, ac edulcoratum originem ducere, juxta placitum Tournefortii *in Hiſtoria Plantarum Agri Pariſienſis*. Præ cæteris ſimplicioribus anti-ſcorbuticis planta hæc ab Etmullero commendatur: ſal autem acre, quo abundat egregie Scorbuticorum exulceratas gingivas detergit. Adnotat præterea idem Author, ejuſce ſucco adeo ſtomachum vellicari, ut vomitus excitetur, hinc, inquit ille, a pluribus Medicis in febribus intermittentibus, & continuis chronicis, a materie prava in primis viis ſtabulante, ut plurimum, ortum, aut fomitem habentibus præſcribitur, qua ſalutari vomitu evacuata, morbus quoque tollitur; advertendum tamen eſt, ne remedium hocce in uſum revocetur, quum præſertim ſummus adſit calor, aut ſaburræ in ventriculo latentis certa haudquaquam extent ſigna. Boerhaavius vero *in Hiſtoria Plantarum Horti Lugduno-Batavi* aſſerit, agnoviſſe agyrtam ℥ ij. ſucci hujuſce plantæ cum lacte, aut cereviſia exhibentem, ad quartanam febrim, hydropem, alioſque chronicos morbos ſanandos, eique rem ſemper feliciter ceſſiſſe, vomitu copioſe excitato, dummodo abeſſet calor, quo præſente morbus augebatur; ab expertioribus itaque Medicis tantum, in uſum prudenter revocetur remedium hocce, quod omnium expertiſſimus Boerhaavius ob magnam acrimoniam nunquam interne præſcribere audebat; Scorbuto tamen excepto, in quem mira præſtat, quemadmodum obſervatione D. Bernardi Belovv comprobatur, *in Ephemeridibus Germanicis Decuria prima anno VI. & VII. pag.* 33. In ea autem methodus exponitur, qua plures milites ſcorbutici, hujuſce plantæ ope, ſanati fuerunt: ejus Man. viij. in Cereviſiæ ℔ viij. cooperto vaſe ad medias decoquebantur: hujuſce decocti tepidi ℥ iij. vel jv. quotidie mane, aut tertia quaque die, juxta ægri vires, propinabantur, hinc copioſus vomitus ſequebatur, iique primum ſanitati reſtituebantur, qui magis, faciluſque vomebant.

Gingivis præterea exulceratis, dentiumque tremoribus Gargariſma ejuſdem

dem decoctionis tepidum, pluriesque repetitum præscribebatur, additis Alumine crudo, ac Melle rosato, variata dosi, juxta variam casuum exigentiam. Crurum ulcera præter internum decoctionis prædictæ usum, planta bis in Cerevisia decocta fovebantur, iisque Cataplasmatis forma magma apponebatur.

Testatur demum laudatus Author quinquaginta, & ultra nervorum, ac tendinum contractione adeo laborantes, ut talus usque ad poplitem, absque ulla distensionis spe, pertingeret, sola prædicta decoctione pluries repetita, frequentibusque lotionibus, & Cataplasmate ex tota planta decocta, ac expressa, ad sanationem usque, super affectos tendines in usum revocato, perfecte consilio suo convaluisse.

Peculiaribus ergo hisce exprimentis, ac in maximo ægrorum numero institutis, utiliter usurpari posse videtur planta hæc in scorbuticis affectionibus, e quibus tamen magnus æstus, sanguinisque fusio sejuncta omnino sit, sique nutritio præcesserit, quæ facile in acrimoniam converti possit; contrariis autem in casibus morbus augebitur potius, sanguinis exolutionem accelerando, in hisce ergo tutius erit sese ea penitus abdicare.

## SENECIO.

SENECIO, *Offic.* Senecio minor vulgaris, sive Erigeron, J. B. 2. 1041. Senecio, sive Erigeron, *Lob. Icon.* 225. Senecio vulgaris, *Park. Raii Hist.* 290. Erigeron, *Ger.* Verbena fœmina, *Brunf.* Senecio, sive Herbulum, *Trag.* 285. Senecio foliis pinnato-sinuatis amplexicaulibus, floribus nudis sparsis, Van-Roy, *Flor. Leyd. Prodr.* 165. Senicio Soliis pinnatifidis denticulatis, laciniis æqualibus patentissimis, rachi lineari, *Linn. Hort. Cliff.* 406. Erigerum minus, Acanthis, Carduncellus qui omnium mensium flos vulgo, herba petrella, Senecium, Pappus vel herba Pappa, *Nonnull.* vulgo *Seneçon ou Senesson.*

Radicem habet exiguam, fibrosam, albescentem, unum, aut plures propellit caules fere pedales, rotundos, striatos, intus cavos, quandoque subrubros, ramosos, quibusdam in locis Soli præcipue obnoxiis, villosos, foliis oblongis, incisis, denticulatis, alternatim locatis, basi latissima appensis, cauda destitutis, obtusa cuspide terminantibus, obscure-viridibus. Summo caule, ramisque fasciculatim flores implantantur, pluribusque luteis flosculis conflantur stelliformibus, calyce suffulti monopetalo, quinis staminibus apicibus cylindraceis in centro sitis; hisce præsto sunt plura ovalia semina, longis cristis præcincta, caput album junctim efformantibus. Planta hæc nullo patenti odore prædita ubique crescit in arvis, secus vias, in vineis, in hortis, locisque sabulosis, & apricis; continuo iterum producitur, totoque anno virescit: quacumque tempestate flores edit, nec Hyeme quidem excepta, ac Vere adventante jam senescit, hinc *Erigeron* vocata fuit.

Senecio saporem habet acidiusculum, ac chartam cæruleam in saturate-rubrum colorem immutat. Analysieos vero Chymicæ ope, præter plures acidos liquores plurimum olei, ac terræ largitur, nihil salis volatilis concreti, parum autem spiritus urinosi; hinc conjectare possumus, hujusce plantæ salem ad Coralli salem accedere, plurimo tamen sulphure, exiguique salis ammoniaci mixtura irretiri. Senecio emolliendi, temperandi, ac resolvendi energiam habet, interne, ac externe usurpatur. Ejus succum, ℥ ij.

exhibitum, vermes enecare, a D. Tournefortio testatur *in Historia Plantarum Agri Parisiensis*, quod a Rajo confirmatur, consuetudine præsertim Anglorum Veterinariorum, qui eodem succo equos vermibus laborantes sanare consuescunt: Tragus nihilominus internum hujusce plantæ usum reprehendit, quibus autem rationibus ejus fulciatur opinio penitus ignoratur: Plures Medici e contra asserunt, eumdem succum Cerevisia conjunctum, aut plantæ prædictæ decoctioni, Melli, Passulisque Chorintiacis sociatam, vi lenissima per superiora purgandi pollere, remediumque esse utilissimum in ictero, hepatis morbis, fluoribus albis, nec non in vomitu ac sputo sanguineo. Aqua ejus præterea stillatitia albos fluores compescit. A Boerhaavio autem ejusdem succus Oxycrato mixtus commendatur adversus faucium inflammationes. Omnium denique frequentissime planta hæc adhibetur in decoctione pro clysteribus emollientibus.

Externe quoque Cataplasmatis forma ad tumorum suppurationem promovendam, adversus arthritidem, & hæmorrhoides, ac ad lac in mammis stagnans excutiendum in lacte cocta, aut butyro recenti frixa usurpatur.

Senec. folia in decoctione emollienti pro clysteribus *Pharmacopœæ Parisiensis* recipitur.

℞. Fol. Senec. Malvæ, & Verbasci ana. Man. j. Coque in lactis ℔ ij. cum æ. q. aquæ com. ad quartæ partis diminutionem. Immergatur deinde panni lanei frustulum, fortiterque exprimatur, partique dolenti, ac inflammationem minitanti applicetur.

℞. Fol. Malvæ, Mercurialis, Parietariæ, & Sanec. ana. Man. ß. Coque in aquæ com. ℔ ij. ad medias. Fiat colatura pro clystere emollienti.

## SERPYLLUM.

OMnes Serpyli species iisdem fere proprietatibus insigniuntur, hinc una, vel altera aliis commode substitui potest: de binis tamen sequentibus vulgatioribus nempe, verba tantum faciemus.

Serpyllum Citratum, *Offic. Ger. Park. Raii Hist.* 522. *Tabern. icon.* 360. Serpyllum foliis Citri odore, C. B. P. 220. *Inst.* R. H. 197. Serpyllum Citri odore, J. B. 3. 270. Thymum latifolium, *Ger.* Serpyllum Panonicum primum, & Serpyllum Citri odore, *Clus. Hist.* Serpyllum foliis citratis, *Quorumd.* vulgo, *le Serpolet ou Pillolet Citronnè.*

Radice est delicatula, ac fibrosa, plures expellit caules quadratos, manum longitudine æquantes, duros, lignosos, in terram stratos, foliis exilibus, crassiusculis, e viridi nigricantibus, Citri aut Melissæ hortensis odore. Summis caulibus, parvi flores quodammodo capitati enascuntur utplurimum purpurei, tubulares, vertice bilabiato, calyceque corniformi fulciuntur, staminibus quatuor curvis in centro locatis. Deciduis floribus quatuor exigua ac rotunda semina succedunt calycis basi conclusa. Montanis in locis crescit planta hæc Serpyllo vulgari quandoque confusa, floresque cum eo simul Junio, Julio, & Augusto emittens.

Serpyllum, *Offic.* Serpyllum vulgare minus, C. B. P. 220. *Inst.* R. H. 197. *Park.* Serpyllum vulgare, J. B. 3. 269. *Dod. Pempt.* 277. *Ger. Raii Hist.* 521. Serpyllum, *Brunf. Trag. Fuchs. Anguill.* Serpyllum minus flore albo, & flore purpureo, *Tabern.* Serpyllum vulgare repens, *Clus. Hist.* Thymus floribus capitatis,

pitatis, caulibus repentibus, foliis planis obtusis basi ciliatis, *Linn. Flor. Svec.* 173. Serpyllum vulgatissimum, *Nonnull.* vulgo *le petite Serpolet*, *le Thym sauvage ordinaire*.

Radice est minuta, lignosa, vivaci, atra, capillitio stipata; plures emittit caules quadratos, duros, lignosos, subrubros, demissos, nonnihil villosos, quorum alii ad manus altitudiuem eriguntur, alii vero serpendo fibris delicatulis hac, illac terræ superficiem amplectuntur, hinc ejus tam Græca, quam Latina denominatio emanavit. Folia vero habet exigua, viridia, Thymi foliis latiora, rotunda, nervosa, sapore acri, & aromatico. Flores summis exilioribus caulibus enascuntur capitati, plerumque purpurei, quandoque albi, fistulosi, vertice bilabiato, calyceque corniculato suffulti; immutantur autem in parva semina semirotunda capsula, conclusa, floris calycem antea efformante. Planta hæc odore scatet gratissimo, incultis crescit in locis, montanis, siccis, sabulosis, saxosis, in arvis, pascuisque, uno verbo, fere ubique, Æstate flores emittit, quos diutissime servat. A Parkinsoni autem Serpyllo foliorum colore tantum differt. Non modo autem juxta locorum climatumque diversitatem odore variat, verum etiam ejus summitates in sub-albida, ac villosa parva sæpe capita descifcunt florum locum occupantia, vermiculisque nidum præbentia, quas profecto excrescentias a quorumdam insectorum ictibus proficisci, verosimile est.

Singulæ Serpyllorum species indiscriminatim usurpantur, ac præsertim binæ usque adhuc delineatæ. Amariusculum est, acre, stypticum, odorum, chartamque cæruleam saturate-rubro colore imbuit. Videtur autem in eo sal volatile oleosum prædominari, acido salis Ammoniaci terræ, nonnihil infectum; dum e contra in sale volatili aromatico oleoso artificiali, acida salis Ammoniaci portio, sale Tartari aut ejus cineribus irretitur. Hinc Serpyllum cephalica, ac stomachica vi donatur, vaporibus mirifice adversatur, irritantes materias convulsivis motibus ansam præbentes exterminat, spirituosas particulas sanguini suppeditat, primarum viarum functionibus vigorem conciliat, & obstructiones reserat. Tam interne, quam externe usurpatur. Noctis spatio in Vino rosato Serpylli Man. j. infunditur, colatura vero septem aut octo dierum spatio, jejuno stomacho chloroticis præscribitur, addendo unicuique dosi gut. jv. aut v. Olei essentialis Sassafras. S. Paulli autem testatur, in Dania Erysipelate affectos juvari Serpylli decoctione, quæ sanguinem depurat, ac sudores, & urinas ciet. Serpylli spiritus, ejusque aqua distillata aptissima est adversus soporosos, ac rheumaticos cerebri affectus. Spiritum hunce mutis loquellam conciliare dictitatur, eo quod utilissimus in linguæ paralysi deprehenditur. Adversum Epilepsiam hujusce plantæ oleum essentiale, aut aqua e floribus in sp. vini maceratis, distillationis ope elicita plurimum commendatur.

In rheumaticis affectionibus, tussi inveterata, infantum fluxionibus Serpylli Man. j. in ℔ ij. ebull. aquæ injicitur, qua vix denuo ebullita, vaseque ab igne retracto, ac cooperto Mellis albi coch. ij. in infuso exsolvuntur, aut cyathus ejusdem infusi ebullientis cum pari quantitate lactis vaccini sociatur, ægrisque hora somni calide propinatur. Urinas ejiciendi vim habet Serpylli p. ℥ j. Conserva autem florum ac summitatum ejusdem plantæ hemicrania, vertigine, morboque comitiali affectos plurimum solatur.

Quoad ejus extrinsecum usum, Serpyllum ad umbram exsiccatum, ac

cum aliis quamplurimis aromaticis herbis pulveratum, cephalicum pulverem componit, vimque habet cerebrum exonerandi, magnam ſeri copiam e naribus eliciendo, ſi præcipue mane iis admoveatur. Prædictus pulvis a Nonnullis Nicotiano quoque anteponitur, utpote nulla irritandi ac ſtimulandi facultate prædius. In pediluviis denique Serpylli decoctio uſurpatur ad menſtrua revocanda.

Serpylli folia in uſum revocari conſueſcunt in Aqua Generali, ejuſque ſummitates in Oleo Catellorum, *Pharm. Pariſ.*

℞. Rad. Angelicæ ℥ j. Fol. Majoranæ, & Salviæ, Fol. ac Flor. Roris marini, & Summit. Serpylli ana Man. ß. Sem. Nigellæ Romanæ ʒ iij. Caryophyllor. Maſtich. ac Styracis calamit. ana. ʒ j. M. f. p. craſſiuſculus, poſtea ſuper goſſipium inſpergetur, panno lineo, ac ſericeo obvolvendum pro cucupha efformanda, ad pulverem detinendum acu pingenda. Cucupha hæc apta eſt ad cerebrum roborandum, & Catarrhis, Paralyſi, ac Apoplexiæ ſeroſæ adverſatur.

℞. Aquæ Meliſſæ comp. ℥ ß. Spir. Serpylli ʒ iij. Spiritus volatilis ſalis Ammoniaci ʒ j. ß. M. pro ſpirituoſa mixtura naribus indentidem admovenda, ac temporibus obliniendis aptiſſima in Apoplexia, & Syncope.

## SERRATULA.

SERRATULA, *Offic.* C. B. P. 235. J. B. 3. 23. *Dod. Pempt.* 42. *Raii Hiſt.* 331. *Lob. icon.* 534. *Matth. Camer. Hort. Cluſ. Hiſt.* Jacea nemorenſis, quæ Serratula vulgo, *Inſt.* R. H. 444. Serratula purpurea, *Ger.* Serratula vulgaris flore purpureo, *Park.* Serratula tinctoria, *Tabern.* Ceretta ſive Seretta, *Cæſalp.* Raponticoides nemoroſa, Serratula dicta, *Vaill. Act. Ac. R. Sc.* 1718. *pag.* 227. Carduus inermis foliis glabris, imis ovatis, ſuperioribus ad baſim pinnatis, *Hall. Helv.* 678. Serratula foliis pinnatifidis, lacinia terminatrice maxima, *Linn. Hort. Cliff.* 391. Centauroides, ſeu Centaurium majus ſylveſtre Germanicum, *Thal.* Jacea rubra major laciniosa, *Lugd. Hiſt.* 1068. Serratula Tinctoris, *Eyſt.* Jacea Aromatica vel Caryophyllata, herba lanaria, *Quorumd.* vulgo *Sarrette ou Serrette.*

Radice eſt fibroſa, vivaci, amariuſcula, interdum unicum, ſæpe plures promit caules ad duorum vel trium pedum altitudinem, erectos, firmos, ſtriatos, glabros, ſub-rubros, extremitate plures in ramos diviſa, foliis onuſtos Scabioſæ vulgaris æmulis, longe diverſis, imis foliis, quæ oblonga ſunt, lata, Betonicæ foliis majora, integra, ambitu crenato, lævia, atro-viridia. Summis ramis exiguorum, oblongorum ac ſquammoſorum more capitum flores enaſcuntur, ſingulique faſciculum floſculorum plerumque purpuraſcentium, ac quandoque alborum efformant, verticem habent ſatis expanſum, habenarum more, ut in aliis Jaceæ ſpeciebus inciſi ſunt, quinque ſtaminibus capillaribus, breviſſimiſque, apicibus cylindraceis. Floſculis marceſcentibus ſemina præſto ſunt pene ovalia, & barbata. Frequens in ſylvis, pratis, humidis, deſertiſque locis naſcitur, Junio floret, ac tunc potiſſimum pro Tinctorum uſu colligitur.

*Serratulæ* nomen ei inditum fuit, eo quod ejus folia *ſerræ* in modum denticulata ſint.

Plurimum olei, ſaliſque habet eſſentialis, vulnerariis, & conſolidantibus adſcri-

adſcribitur, hinc pro contuſionibus, præcipitibuſque ictibus aptiſſima eſt; coagulatum ſanguinem diſſolvit, ac in priſtinum circulum reſtituit. Qua de cauſa Infuſum ex ejus foliis Man. ß. in Vini albi ſextario ſemis propinatur. Idemque præſtat ℥ j. ejus radicis p. in Vini cyatho infuſa. Plantæ decoctione ulcera lota mundantur, ac cito cicatricem recipiunt. Contuſa vero, ac extrinſecus applicata hæmorrhoidum dolores compeſcit, eademque ratione juxta Matthiolum valet adverſus hernias.

## S I C I L I A N A.

SICILIANA, *Offic.* Androſæmum maximum fruteſcens, C. B. P. 280. *Inſt.* R. H. 251. Siciliana, aliis Ciciliana, vel Androſæmon, J. B. 3. 384. Androſæmum, *Dod. Pempt.* 78. Androſæmum vulgare, *Park. Raii Hiſt.* 1020. Clymenum Italorum, *Ger.* Herba Siciliana, *Tabern.* Androſæmon majus, *Camer. Hort.* Androſæmon veterum, *Fuchſ. Column.* Centeria, *Theophr.* Hypericum floribus trigynis, fructu baccato, foliis ovatis pedunculo longioribus, *Linn. Hort. Cliff.* 380. Tota-Sana, *Quorumd.* vulgo *Toute-Saine*.

Radice nititur craſſa, lignoſa, vivaci, ſubrubra, longo capillitio ſtipata, ſapore reſinoſo, plures ex ea aſſurgunt caules bipedales, vel tripedales, ſubrubri, rotundi, lignoſi, firmi, læves, foliis oblongis, oppoſitis, Hyperici foliis æmulis, quadruplo tamen majoribus, Æſtate ineunte, atro-viridibus, Autumnum, verſus, atro-rubris, innumeris quodammodo foraminulis, pertuſis; ſi autem propius inſpiciantur hæc apparentia foraminula nihil aliud ſunt, quam veſiculæ, claro, ac balſamico ſucco, repletæ. Flores in extremis ramis, copioſi, roſacei, e quinque petalis aureis conflati, Hyperici floribus proximi, calyceque pentaphyllo ſuffulti locantur, abeuntque in capſulas per maturitatem nigricantes, ac exigua ſemina obſcura occludentes. Planta hæc tanquam ſub-arbuſcula ramoſa, in inſulis, nemoribus, umbroſiſque locis naſcitur; in hortis quoque colitur, in quibus frigori reſiſtit, ac Æſtate floret; capſulæ vero Autumno matureſcunt. Folia, floreſque præcipue in uſum veniunt.

Plurimum olei, mediocremque ſalis, ac phlegmatis portionem habet. *Tota-ſana* nuncupatur, eo quod ad omnes morbos valere dicitur; tamen minus uſitatis in arte Medica adſcribi ſolet. A Boerhaavio *in Hiſtoria Plantarum Horti Lugduno-Batavi*, iiſdem, cum Hyperico, cum quo magnam habet affinitatem, facultatibus prædita recenſetur, qua de cauſa Hyperico potius vulgatiſſimo, probatiſſimæque efficaciæ, non ſine Sicilianæ injuria, uti conſuevimus.

## S I D E R I T I S.

SIDERITIS, *Offic.* Sideritis hirſuta procumbens, C. B. P. 235. *Inſt.* R. H. 191. *Raii Hiſt.* 564. Sideritis vulgaris hirſuta, J. B. 3. 425. Tetrahit Herbariorum, *Lob. icon.* 523. Sideritis vulgaris, *Ger.* Sideritis prima, Herba Judaica, *Park.* Sideritis foliis ovato-prælongis, ſuperne crenatis, *Guett. Obſerv.* 235. Sideritis hirſutie candicans, & caulibus procunbentibus, Sideritis ſupina hirſutior, Sideritis vulgatior, Ferruminatrix, Heraclea, Herba vulneraria, *Quorumd.* vulgo *Crapaudine*.

Radice

Radice est dura, lignosa, vivaci; caulibus pedem cum semisse, aut duos pedes longis, quadratis, albo-lutescentibus ut plurimum in terram stratis; foliis secus ramos invicem oppositis, oblongis, villosis, ambitu crenato, rugosis, Salviæ foliis satis proximis, odoris neutiquam ingrati, saporisque adstringentis, acriusculi. Flores labiati sunt, juxta caules verticillati, albo-lutescentes, maculisque rubris conspersi. Quæcumque florum series binis foliis semi-rotundis, plerumque in galli cristæ modum incisis, infernisque foliis, diversis fulcitur; quicumque autem flos tubulus est vertice bilabiato, calyceque corniculato suffultus, abitque in quatuor semina oblonga, subnigra, capsula quondam floris calycem efformante, conclusa. Frequens occurrit planta hæc in locis aridis, rudibus, petrosis, montanis, sabulosis, ac in arvis sterilibus, & incultis, Junio, Julioque florescit, ac quandoque Autumno.

Salis essentialis, oleique habet plurimum Sideritis. Vulneraria est, adstringens; ac detergens, ad hernias, cataplasmatis forma, & ad fluores albos sistendos, decoctionis forma, aptissima. Decoctio hæc eadem juxta Clusium crurum Erisipelata solatur, dummodo ea, ejusque vapore sæpius foveantur. A Germanis vero ut plurimum usurpatur pro balneis ad cutis poros reserandos dicatis, quum detergenti facultate admodum polleat, sordes perspirabilis materiæ exitum impedientes depellit, excretionemque adeo sanitati perutilem promovet. Observatur etiam, aquam balnei, ejus decoctione parati, personis e balneo jam discessis, turbari admodum, ac in gelatinam concrescere.

## SILIQUASTRUM.

SILIQUASTRUM, *Offic.* Siliqua sylvestris rotundifolia, C. B. P. 402. Judaica Arbor, J. B. 1. 433. Arbor Judæ, *Dod. Pempt.* 786. *Lob. Ger. Park. Raii Hist.* 1717. Siliquastrum, *Cast. Dur.* 415. *Inst.* R. H. 647. Arbor, quæ Græcis vulgo Coucouchias, *Bellon.* Fabago, sive Ceratia agrestis, *Gesn. Hort.* Cercis Theophrasti, *Aldrov.* Ceratia sylvestris, siliqua fatua, Arbor vaginalis, Arbor Lentis, Arbor Amoris, Colytea, *Nonnull.* vulgo *Guainier*, *Arbre de Judas ou de Judée.*

Radicem habet crassam, duram, lignosam, vivacem, truncum propellit, cultura, progressuque temporis in arborem fatiscentem mediæ altitudinis, ac crassitiei, in ramos divisam invicem dissitos, cortice tectos purpureo-nigricanti, quos prope, folia, Vere primum ineunte, præcedunt flores leguminosi, venusti, grati, purpurei, plures una congesti, brevibus nigris pedunculis appensi, quinque petalis compositi, quorum superiores magnitudine a binis inferioribus superantur; quod aliarum plantarum leguminosis floribus omnino contrarium deprehenditur, saporem vero habent dulcem, ac nonnihil acriusculum. Statim folia solitaria, ac alterna juxta ramos enascuntur adinstar Assari rotunda, longe tamen majora, minus carnosa, nervosa, superne viridia, inferne subalbida. Marcescentibus floribus succedunt siliquæ fere semipedales, satis planæ, membranaceæ, ac quodammodo translucidæ, purpureæ, in cultri vaginæ modum pene conflatæ, occluduntque plura semina fere ovalia, Lentem crassitie æmulantia, dura, subrubra. Arbor hæc in regionibus calidis excrescit juxta fluvios, rivulosque in montibus vallibus, sepibusque; in hortis quoque ob elegantiam colitur; Aprili, ac Majo floret.

A Ca-

A Castellanis proprio idiomate *Amoris Arbor* nuncupatur. Flore albo quandoque variare solet. Jonston vero in sua *Dendrogaphia* asserit, ob flores adeo Arborem Judaicam a Turcis existimari, ut in omnibus Constantinopolitanis cæmeteriis exculta inveniatur.

Fere nullum in arte Medica usum habet Siliquastrum, adstringentes ejus siliquæ reputantur, semina vero morbis oculorum dicantur. In Occitania, ac Provincia ejus flores in acetariis comeduntur; hunc in usum de facto optime conveniunt, dummodo aceto adinstar Capparum, nondum adaperti condiantur.

## SINAPI.

ETsi plures SINAPI species adinveniantur, quum iisdem fere facultatibus omnes ditentur, de binis sequentibus tanquam usitatioribus solummodo sermonem instituemus.

Sinapi, *Offic.* Sinapi Rapi folio, C.B.P. 99. *Inst.* R.H. 227. Sinapi Siliqua latiuscula glabra, semine rufo, sive vulgare, J. B. 2. 855. Sinapi sativum prius, *Dod. Pempt.* 706. Sinapi sativum, *Ger. Raii Hist.* 803. Sinapi sativum Rapi folio, *Park.* Sinapi primum, *Matth. Cæsalp.* Sinapi hortense, *Cor.* Sinapi hortense majus & vulgatius, *Lugd. Hist.* Sinapis siliquis glabris tetragonis *Linn. Hort. Cliff.* 338. Sinapi commune Neotericis, Sinapi sativum luteum, Sinapi domesticum, sive vulgatissimum, *Nonnull.* vulgo *la grande Moutarde cultivèe ou la Senevè ordinaire.*

Radice est alba, lignosa, fragili, fibris stipata, annua. Caulem ad quatuor, aut quinque pedum altitudinem propellit, medullosum, inferne hirsutum, in plures ramos divisum, foliis latis Rapi vulgaris folio satis similibus, exilioribus tamen, rudioribusque. Summo caule, ramisque parvi lutei flores locantur quadripetali, cruciformes. Marcescentibus floribus Siliquæ læves succedunt, glabræ satis breves, angulosæ, acuminatæ, seminibus refertæ semi-rotundis, rubris, aut nigricantibus, saporis acris, pungentisque. Frequens occurrit in fossarum marginibus, inter saxa, ac in solo recenter obvoluto; in arvis, hortisque colitur, Junioque flores edit. Ejus semen præcipue in usum tam culinarium, quam medicum revocatur.

Sinapi album, *Offic.* Sinapi Apii folio, C. B. P. 99. Sinapi Siliqua hirsuta, semine albo vel rufo, J. B. 2. 856. *Inst.* R. H. 227. *Raii Hist.* 802. Sinapi sativum alterum, *Dod. Pempt.* 707. Sinapi album *Ger. Camer. Hort. Eyst.* Sinapi agreste Apii aut potius laveris folio, *Lob. Icon.* 203. Sinapi Apii folio siliqua hirsuta, semine albo aut rufo, *Boerh. Ind. Alt.* 13. Sinapi hortense seu secundum semine albo, Sinapi semine albicante, & minus acri; Sinapi Erucæ folio, floribus luteis, siliquis in latera inclinatis, seminibus ex flavo candicantibus, Sinapi minus, *Nonnull.* vulgo *la Moutarde blanche.*

Radice est simplici, manum longitudine æquante, digitum crassa, lignosa, alba, longis fibris suffulta; caule pedem cum semisse, vel pedes duos alto, ramoso, hirsuto. Folia Rapi folio similantur, incisa sunt, ac præcipue in basi locata, rigidis pilis, ac pungentibus tam inferne, quam superne stipata. Flores exigui sunt, lutei, cruciformes, floribus præcedentis speciei similes, pedunculis tamen longioribus elati, odoris gratissimi. Hisce silique præsto sunt hirsutæ, longa ac cava cuspide desinentes, ac quatuor, aut quinque semina

mina fere rotunda albeſcentia, aut ruſeſcentia, acria, ac quodammodo articulata, aut nodoſa occludentes. Inter ſegetes ſponte enaſcitur, ac quandoque etiam colitur; Majo, Juniove floret, ſemenque Julio, Auguſtove maturitatem acquirit.

Binæ Sinapis ſpecies uſque adhuc enucleatæ iiſdem inſigniuntur proprietatibus ac in arte Medica invicem ſubſtitui poſſunt; prima tamen anteponitur, utpote ſemine prædita ſaporis magis acris, ac pungentis. Analyſeos Chymicæ ope in Sinapis ſemine ſal acre potius, quam ſal acidum adeſſe ſuſpicari poſſumus, ex eo vero elicitur maxima olei quantitas, parum ſalis fixi ſimpliciter ſalini, plurimum terræ, parum ſpiritus urinoſi, nihil denique ſalis volatilis concreti. Vis ſtomachica, diaphoretica, anti-ſcorbutica in prædicto ſemine reperitur, affectionibus hypochondriacis, & ſoporoſis, chloroſi, & cackexiæ opitulatur. Intreſecus vero, extrinſecuſque uſurpatur. Sinapi, ad carnium ſaporem relevandum, ſeminibus ejus tuſis, muſtoque ad mediocrem ſpiſſitudinem permixtis, aut exigua farinæ portione, ac aceto, paratur. Senibus, phlegmatico ut ajunt aut melancholico temperamento præditis aptatur, ſcatet enim ſale acri, & penetranti, ad appetitum relevandum & digeſtionem coadjuvandam convenientiſſimo, alimenta namque dividit, & attenuat, materiaſque viſcidas, quandoque in ventriculo ſtabulantes mirifice rarefacit; quum autem maximum calorem inducat, repetitoque ejus uſu acrimonia, ac ſtimulandi vis in humoribus augeatur, niſi ejus moderatiſſimus uſus eſt permittendus. Semen idem tuſum, vinoque albo commixtum adverſum ſcorbutum excellit, maximamque opem tulit proxime elapſa Rupellæ obſidione, qua perdurante, regionis incolæ fame coacti, peſſimis, ingratiſque alimentis uſi ſunt. Optimum quoque eſſe dicitur contra quartanas febres, ſi in vino calido duabus horis ante paroxiſmum exhibeatur.

Extrinſecus quoque naribus utriuſque ſexus appoſitum vapores ſedat, lethargumque excutit. Sternutatorium præterea eſt potentiſſimum, ac efficaciſſimum maſticatorium: hujuſce ſeminis ruditer tuſi ʒ j. nodulo occluditur, ægriſque, Apoplexiæ, aut Paralyſeos imminenti periculo, manducanda exhibetur, hinc ſputus abunde excitatur, plurimumque ſolantur ii, quibus gravis caput eſt, ac pituita oneratur. Sequens vero Cataplaſma optimum eſt in Arthritide Iſchiatica, Rheumaticis thoracis affectibus, tumoribuſque Scirrhoſis. Paratur autem Porris taleolatim inciſis, aceto decoctis, ſemineque Sinapis p. conſperſis, partique affectæ applicatur. Potenter reſolvit, ac cauſticitatem acquirit, ſi Sinapis doſi plus juſto augeatur. Nullo autem pacto in uſum revocari poteſt, niſi inflammatione declinata, nimiam enim habet irritandi energiam. Aptius fortaſſe erit Cataplaſma prædictum ad impetiginem revocandum, cujus ſuppuratio ſuppreſſâ alicui pectoris aut alterius partis decubito locum præbere poſſet. Oleum quoque e Sinapi exprimitur in Paralyſi, Rheumaticiſque affectibus a cauſa, ut ajunt, frigida, productis, convenientiſſimum.

Sinapis ſemen uſurpatur in Aqua anti-ſcorbutica, Unguento epiſpaſtico, & Emplaſtro epiſpaſtico *Pharm. Pariſ.*

℞. Fol. recent. Sinapis q. l. in mortario marmoreo tuſa exprime. Mane jejuno ventriculo in affectionibus Scorbuticis hujuſce ſucci ℥ jv. exhibeantur.

℞. Sem. Sinapis ℥ iij. Contunde in mortario marmoreo, ac coque in vaſe terreo, ℔. j. urinæ ægrotantis, mixturam agitando uſque dum

Cata-

Cataplasmatis formam acquisiverit; Stupis deinde extendatur, ac calidum apponatur lienis inflationibus, tumoribusque. Cataplasma splenio cooperietur, ac mantili fulcietur, ægerque convenienti temporis spatio in cubiculo deambulabit.

℞. Lactis ℔ ij. cui calefacto, adde Sinapis aceto pp. coch. iij. serum ex eo depuratum eliciatur pro j. dosi. Remedium prædictum excellit adversus Tussim, & Asthma, si calidum hora somni, ac summo mane tribus, vel quatuor diebus sumatur.

℞. Fol. virid. Ruthæ ℥ ij. Radic. recent. Bryoniæ ℥ jv. Fermenti fortissimi, Salis, ac Saponis nigri ana. ℥ j. ß. Sinapis pp. ℥ iij. Aceti q. s. ad Cataplasma conficiendum, plantis pedum in Apoplexia, Lethargo, aliisque saporosis affectibus applicando.

℞. Bulb. Ari recenter e solo extract. ℥ ß. Rad. Raphani Rusticani ℥ j. Fol. Cochleariæ, & Trifolii aquat. ana. Man. j. Sem. Sinapis ℥ ij. Vini albi ℔ vj. F. s. a. Vinum medicatum adversum Scorbutum, ℥. jv. bis de die, convenienti temporis spatio propinandi.

## S I S A R U M.

SISER, *Offic.* Sisarum Germanorum, C. B. P. 155. *Inst.* R. H. 309. Sisarum multis, J. B. 3. 153. Sisarum, *Dod. Pempt.* 681. *Ger. Raii Hist.* 442. Siser vulgare, *Park.* Siser sativum, *Fuchs.* Siser Germanicum, *Cæsalp.* Siser hortense, *Gesn. Coll.* Sisarum majus Matthioli, *Lugd. Hist.* 723. Siser, Sisar, Sisarum, vel Sesarum verum, Servillum aut Chervillum, seu Servilla, *Nonnull.* vulgo *Chervi, ou Gyrole.*

Radicem habet constantem, pluribus Napis longitudine manum æquantibus, digitum crassis, rugosis, teneris, fractu facilibus, collo adinstar capitis appensis, cortice tectis exili, & pallido, pulpa alba, sapore dulci, ac grato, nonnihil aromatico, esu optimis. Unum aut plures producit caules bipedales, aut tripedales, satis crassos, nodosos, striatos, foliis eodem in latere binis invicem oppositis, extremo solitarie desinente, longiori, ac latiori, foliis Pastinacæ vulgaris exilioribus, viridioribus, tactuque lævioribus, ambitu levissime denticulato, extremo acuto. Flores umbellati, & satis exigui summis caulibus enascuntur, constantque quinque petalis albis, rosaceis, odoris, staminibus totidem in centro locatis. Marcescentibus floribus parvi succedunt fructus, binis oblongis conflati seminibus, nonnihil Apii semine majoribus, angustis, dorso striato, obscuris. In hortis olitoriis colitur planta hæc, Junioque florescit. Radices tantum usurpantur, ac frequentius in culinis, quam in officinis occurrunt.

Præ cæteris radicibus Sisari radices dulciores sunt, nosque edocet historiæ naturalis conscriptor Plinius, eas Tiberium pro annuo tributo a Germanis exegisse. Parum habent olei, mediocrem salis essentialis portionem, maximam vero phlegmatis. Teneræ, fractu faciles, saporeque saccharino sunt eligendæ. Aperientes sunt, ac vulnerariæ, semen adaugent, appetitum prostratum excitant, nec a magnatum mensis ob saporis elegantiam explodantur. Cuicumque tempestati, cuicumque ætati, ac temperamento conveniunt, dummodo servetur modus, id enim cum cæteris radicibus, ac leguminibus commune habent, ut flatus quandoque suscitent. A Boerhaavio in *Historia* *Plan-*

*Plantarum Horti Lugduno-Batavi*, radices prædictæ tamquam optimum remedium proponuntur, adversum sputum, mictumque cruentum, ac omnes pectoris morbos Phthsim minitantes. Ab eo commendantur in lacte, in sero lactis, aut in jusculo coctæ, ac omnibus ejusmodi ægrotantium alimentis permixtæ: adversum præterea Stranguriam, Tenesmum, Dysenteriam, aliosque ventris fluxus. Cæsalpinus vero testatur, iisdem radicibus urinas cieri, iis alii tamquam vulnerariis utuntur; generatim tamen pro alimentis frequentius, quam medicamenti forma in usum veniunt.

## SISYMBRIUM.

NAsturtii articulo de Sisymbrio, sub nomine *Nasturtii aquatici* jam cognito verba fecimus: de quinis tamen subsequentibus reliquum est dicere.

Radicula palustris, *Offic.* Raphanus aquaticus, alter, C. B. P. 97. *Park. Raii Hist.* 819. Radicula sylvestris, sive palustris, J. B. 2. 866. Rapistrum aquaticum, *Tabern. icon.* 408. *Ger.* Sisymbrium aquaticum Raphani folio, Siliqua breviori, *Inst.* R. H. 226. Sisymbrium foliis simplicibus dentatis serratis, *Linn. Hort. Cliff.* 336. Raphanus aquaticus Rapistri folio, Radicula palustris vulgaris, *Quorumd.* vulgo *le Cresson a feville de Raiffort le Raiffort d'eau.*

E radice longa, flexibili, fibrosa, saporis acris ad Raphanum accedentis unum, aut plures emittit caules tripedales, ramosos, cavos, striatos, foliis latis, longis, sinuosis, ambitu crenato, in parte præsertim inferna. Flores summis ramis exigui, longis elati pedunculis, quadripetali, lutei, & cruciformes progignuntur, quibus parva brevisque siliqua succedit, interne in duas distincta cellulas, semina occludentes minuta, ac fere rotunda. In paludibus, rivulis, fluviis, ac fossis aqua refertis luxuriat, Æstate floret, maxime multiplicatur, foliisque mirifice, juxta locorum diversitatem, variat. Quandoque etiam cristatis foliis apparet.

Raphanus aquaticus, *Offic.* Raphanus aquaticus foliis in profundas lacinias divisis, C. B. P. 97. Raphanus aquaticus Tabernæ Montani, J. B 2. 867. Sisymbrium aquaticum, foliis in profundas lacinias divisis, siliqua breviori, *Inst.* R. H. 226. Raphanus aquaticus, *Ger. Park. Raii Hist.* 818. Sisymbrium sylvestre, *Cæsalp.* Raphanus sylvestris cum siliquis curtis, Radicula sylvestris foliis profunde laciniatis, *Quorumd.* vulgo *le Raifort d'eau a fevilles laciniées.*

E radice oblonga, minimum digitum crassa, alba, acri, pungenti caules emergunt tripedales, & ultra, hirsuti, cavi, ac quandoque subrubri, foliis oblongis, acuminatis, profunde laciniatis, ambitu denticulato, alternatim secus caulem dispositis. Flores extremis caulibus, ramisque prodeunt satis exigui, respectu plantæ, longis, & gracilibus, suffulti pedunculis, quadripetali, lutei, cruciformes, staminibus senis. Marcescentibus floribus præsto sunt exiguæ siliquæ breves, interne, binis cellulis distinctæ semina occludentes exilia, ac semirotunda. In fossis aqua redundantibus, rivulis, paludosisque locis crescit, Junio, Julioque flores emittit.

Harumce duarum specierum radices optimum Vere alimentum suppeditant; ac a Nonnullis Raphani loco, utpote iisdem prædictæ facultatibus, usurpantur. Planta universa plurimo sale essentiali, phlegmate, ac oleo scatet. Ambæ aperientes admodum sunt, ac detergentes, ad urinas promovendas,

vendas, renum ac vesicæ calculos attenuandos, atque eliminandos, ad nephriticum affectum, scorbutum, & hydropem interne sumptæ conveniunt: raro tamen tam pro alimentis, quam pro re Medica usurpari consuescunt.

Eruca palustris, *Offic.* Eruca palustris & Nasturtii folio, siliqua oblonga, C. B. P. 98. Eruca quibusdam sylvestris, repens, flosculo luteo, J. B. 2. 866. Eruca palustris minor, *Tabern. Icon.* 447. Sisymbrium palustre repens, Nasturtii folio, *Inst.* R. H. 226. Eruca aquatica, *Ger. Park. Raii Hist.* 808. Sium alterum aquaticum luteum, vel Cardamine tenuifolia montana, *Columm.* Nasturtium palustre floribus luteis, *Gens. Hort.* Iberis Nasturtii folio altera floribus luteis, *Thal.* Sisymbrium foliis pinnatis, foliolis lanceolatis erratis, *Lin. Hort. Cliff.* 336. Eruca sylvestris minor luteo parvoque flore, Sinapi sylvestre seu palustre, *Nonnull.* vulgo *le petit Cresson sauvage a fleur jaune.*

E radice admodum repenti, delicata, subalbida, saporis acris, Raphano tamen demissioris, plures exigui exsurgunt caules, longitudine manum æquantes, striati, leviter perforati, quandoque subrubri, foliis onusti, foliis Nasturtii communis, aut Erucæ, similibus, laciniis infernis latioribus, profunde dissectis, atro-viridibus, saporis leguminosi. Extremis caulibus ramisque exigui emergunt flores quadripetali, flavi, saporis acris, quibus præsto sunt exiles cylindraceæ siliquæ, Erucæ siliquis brevioes, binis tamen superioribus speciebus longiores, binis cellulis medio intersepto divisis, plura minuta semina occludentibus. Occurrit autem secus fluvios in fossis humidis, stratisque saxosorum torrentium, in locis etiam, e rivulis, fluminibusque dissitis, in quibus tamen Hyemis tempore aqua permanserit; floribus vero Junio, Juliove ornatur.

Magnam cum binis jam recensitis speciebus affinitatem habet, hinc pari vi anti-scorbutica valere dicitur; adeo raro tamen usurpatur, ut omnino fere in Officinis ignota sit.

Barbarea, *Offic.* Eruca lutea latifolia, sive Barbarea, C. B. P. 98. Barbarea, J. B. 2. 868. *Dod. Pempt.* 712. *Lob. Ger. Raii Hist.* 809. Barbarea flore simplici, *Park.* Nasturtium hybernum, *Thal.* Nasturtium palustre, *Gens. Hort.* Sisymbrium Erucæ folio glabro, flore luteo, *Inst.* R. H. 226. Scopa regia, sive Sideritis latissima, *Fuchs. Anguill.* Herba Sanctæ Barbaræ & Sinapi agreste quintum, *Trag.* Erisymum foliis basi pennato-dentatis, apice, subrotundis, *Linn. Flor. Lappon.* 264. Herba Carpentariorum, Carpentaria Gallis vulgo dicta, Pseudo-bunias, Nasturtium, sive Cardamum Hyemale, *Quorumd.* vulgo *l'herbe de Sainte Barbe, ou l'herbe aux Charpentieres.*

E radice oblonga, mediocriter crassa, alba, vivaci, saporis satis acris plures exeunt caules ad pedis cum semisse altitudinem, striati, firmi, ramosi, medella referti, cavi, foliis, Raphani foliis, angustioribus Nasturtio vero magis accedentibus, saturate-viridibus, ac lucentibus, sapore, longe minus radice, stimulante. Caulium ramorumque summitates longis ornantur spicis, floribus luteis, exiguis, quadripetalis, cruciformibus, quibus præsto sunt siliquæ graciles, longe, cylindraceæ, teneræ, plura rubra, ac minuta semina occludentes. In fossarum marginibus, secus rivulos, aquasque excurrentes aut stagnantes, & quandoque in arvis crescit, in quibusdam etiam Olitoriis hortis pro acetariis colitur, Majo, Junioque flores emittit, tota Hyeme virorem conservat, facillimeque multiplicatur.

Plurimum salis essentialis, & olei continere videtur Barbarea. Detergens,

ac vulneraria est, feliciqque cum successu in Scorbuto, & Hydrope incipiente, aut in jusculis, & ptisanis, aut infusione, Theæ forma, usurpatur. Ejus semen, referente Lobellio, aperiendi vi gaudet, glareasque e renibus depellendi; ʒ j. pulveratum in Vino albo, aut alio aperiente liquore propinatur. Ejus quoque succus ad ulcera antiqua exsiccanda a Rajo commendatur, testaturque D. Chomelius *in Historia Plantarum usitatiorum*, a rusticis universam plantam leviter tusam, ac mensis spatio per Æstatem oleo Olivar. maceratam, tamquam excellens balsamum vulneribus applicari.

℞. Fol. Barbareæ, & Thalictri ana Man. ß. Contusa in Vini albi, aut rubelli frigidi cyatho per noctem infunde; mane, jejuno stomacho exhibe colaturam, congruo temporis spatio, adversus scorbutum.

Sophia, *Offic.* Nasturtium sylvestre tenuissime divisum, C. B. P. 105. Seriphium Germanicum, sive Sophia quibusdam, J. B. 2. 886. Sophia Chirurgorum, *Lob. Icon.* 738. *Dod. Ger. Park. Raii Hist.* 812. Sisymbrium annuum Absinthii minoris folio *Inst.* R. H. 226. Seriphium Absinthium, *Fuchs. Lon.* Accipitrina, *Cæsalp.* 361. Thalictrum, Herba Sophia angustifolia, *Tabern.* Nasturtii genus sylvestre, *Gesn. Hort.* Sysimbrium petalis calyce minoribus, foliis decompositopinnatis, *Linn. Flor. Svec.* 200. Descurea *Guett. Observ.* 164. Erysinum Sophia dictum, Thalictrum verum, Thalietrum seu Thalietron vel Thalictron Antiquorum, Eruta geratina Italorum, Sophia vulneraria, Lumbricorum herba, *Quorumd.* vulgo *le Thalitron ou la Science de Chirurgens*.

E radice alba, longa, lignosa, exiguis stipata fibris, annua, caules ad pedis, cum semisse, aut duorum pedum altitudinem exsurgunt rotundi, duri, nonnihil hirsuti, pluribus ramis distincti, foliis onusti copiosis, minutatim divisis, subalbidis, Absinthii minoris folio satis similibus, exiguis brevibusque pilis, fultis, saporis subdulcis, levi acrimonia, permixti. Extremis caulibus, ramisque flores progignuntur exigui, frequentes, quadripetali, cruciformes, luteo-pallescentes. Siliquæ iis præsto sunt longæ, graciles, seminibus refertæ minutis, rotundis, duris, subrubris. Antiquis in muris, rudibus, incultis, petrosis, sabulosisque locis luxuriat planta hæc, nec non inter ædificiorum rudera, in quibus singulis annis enascitur, facileque semine propagatur; Junio, Julioque flores emittit. Solo fere ejus semine Medicina utitur.

D. Guetardus Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Socius *in Plantarum Observationibus* nuperrime evulgatis, ob petalorum, staminumque differentiam ex hac planta diversum constituit genus, ac *Descurea* ab eo nuncupatur in avunculi sui *D. Descurei* Pharmacopolæ Stampensis recordationem. Harumce Observationum Auctor magna certe perspicacia præditus, Historiæque Naturalis versatissimus videtur, tamen quum nondum nobis occasio sese obtulerit, ejus experimenta de glandulis, vasisque plantarum excretoriis instituendi, expertioribus Europæ methodicis-Botanicis litem dirimendam relinquimus.

Sophia saporem habet nonnihil adstringentem, & acrem ad Sinapi accedentem, vix rubro colore chartam cæruleam depingit: hinc conjicere possumus, salem ammoniacum, plurimo sulphure, terrestribusque particulis permixtum in hac planta prædominari, unde ejus vulnerario-detergens, ac febrifuga virtus emanat. Ejus semen ab Hortulanis *Thalitri* nomine cognitum

tum ʒ j. exhibetur, aut condimenti forma in alimentis, aut in Vino rosato ad ventris fluxus sistendos, remediumque est egenis familiarissimum, & ab omnibus Auctoribus comprobatum. Decotio, aut infusum universæ plantæ ex aqua iisdem pollet facultatibus. Succus præterea, Conserva, & Extractum foliorum, ac florum valent adversum sanguinis sputum, fluores albos, fluxusque immodicos hæmorrhoidum, mensiumque. A Cæsalpinio tamquam vermifugum laudatum semen prædicatur, a Nonnullis tamquam sudorificum, & de facto ejus ʒ j. in Vino albo infusa sudores evocat. A Rajo autem ad renum glareas depellendas commendatur, adduciturque D. Robinsoni auctoritas, qui asserit in agro Eboracensi nephriticis, glareisque vexatis felici cum successu præscribi.

Extrinsecus quoque universa planta contusa, vulneribus, ulceribusque apposita, ea brevi sanat.

## S I S O N.

SISON, *Offic.* Sison, quod Amomum Officinis nostris, C. B. P. 154. Sison, sive Officinarum Amomum, J. B. 3. 107. *Raii Hist.* 443. Sium Aromaticum, Sison Officinarum, *Inst.* R. H. 308. Petroselinum Macedonicum, *Fuchs. Dod. Pempt.* 697. *Ger.* Sison vulgare, sive Amomum Germanicum, *Park.* Amomum Officinar. falsum, *Gens. Hort.* Sison, *Anguill. Lugd. Hist. Tabern. Camer.* Sison hortense, Petroselinum exoticum, Apium nigrum seu saxatile, Ammi parvum, *Nonnull.* vulgo *Sison ou Amome.*

Huic radix est plerumque simplex, alba, lignosa, parum in solo delitescens, sapore Pastinacæ nonnihil aromatico; unum aut plures promit caules fere bipedales, mediocriter crassos, rotundos, medullosos, satis firmos, læves, nodosos, ramosos, foliis ut in Pastinaca alatis, alternatim secus caulem dispositis, cæterum Sisari foliis æqualibus, teneris, oblongis, ambitu crenato, quandoque incisis. Extremis caulibus ramisque, umbellis flores efferuntur quinque petalis albis, cordatis, rosaceisque, constantes, hisque semina bina simul juncta succedunt minuta, rotunda, dorso striato, alterutroque latere plana, atra, saporis nonnihil acris, aromaticique. In locis humidis, juxta sepes, fossasque crescit planta hæc, in hortis quoque colitur, Æstate florescit, ac semina Julio, & Augusto maturitatem acquirunt, facile & ubique multiplicatur; ejus tamen semen usque ab Oriente nobis defertur, odoremque habet *Amomi* veri, cui commode substitui potest.

Sison pseudo-Amomum vocari potest, longe tamen differt ab eo, de quo in superioribus verba facta sunt; semen inter quatuor semina calida minora recensetur, quæ sunt Apii aut Petroselini, Ammeos, Dauci, & Amomi. Semen prædictum oleo essentiali aromatico redundat, hinc carminativa vi pollet, aptum scilicet ad dividendas, dissolvendasque materias viscidas, ac glutinosas, in quibus aer conclusus, ac rarefactus, in stomacho, ac intestinis dolorosas distensiones progignit. Quapropter in colica flatulenta convenit, ejusque infusum ex Sp. Vini usurpari potest, aut alio spirituoso liquore consociari. Ejus vero aqua stillatitia ad ℥ jv. ad ℥ vj. præscribitur cum potionibus carminativis; addendæ autem sunt ejus olei essentialis gut. v. aut vj. ad efficaciam augendam.

## SMILAX.

PLures plantarum species *Smilacis* nomine indigitantur, quamvis diversum habeant genus: tres inter a nobis modo describendas, primam solummodo *Smilacis* genus amplectitur, binis aliis inter *Convolvulos* ablegatis.

SMILAX aspera, *Offic.* Smilax aspera fructu rubente, C. B. P. 269. *Inst.* R. H. 654. Smilax aspera, J. B. 2. 115. *Dod. Ger. Ruell. Matth. Fuchs. Turn. Cord.* Smilax aspera, rutilo fructu, *Clus. Hist.* 112. Smilax aspera fructu rubro, *Park. Raii Hist.* 655. Volubilis aspera, *Lonic.* Smilax aspera vera, *Trag.* Hedera Cilicia, vel Cilissa, *Plin.* Smilax, *Theophr. & Anguill.* Smilax Nicephoro cognominata, *Gaz.* Milax *Galen.* Hedera spinosa, Rubri Viticula, Rubus Cervinus, Smilax Trachæa, volubilis acuta vel pungens, Salsaparilla notha seu spuria, *Quorumd.* vulgo *le Liseron rude, le Liset piquant ou èpineux.*

Ei radix est longa, serpens, minimum digitum fere crassa, nodosa, dura, subalbida, fibris stipata, vivax. Caules sunt plurimi, longi, duri, striati, sarmentosi, ramosi, flexibiles, spinis, capreolisque referti, quibus, arbusculis aliis propinquioribus adnectuntur, ac contorquentur. Folia solitaria sunt per intervalla prodeuntia, ampla, foliis *Tamni* similia, magis tamen densa, firma, nervosa, acuminata, spinis tam ambitu, quam dorso armata, frequentissime albis maculis conspersa. Summis ramis flores racematim prodeunt exigui, albi, odori, senis conflati petalis, stelliformibus, totidem staminibus apicibus oblongis. Hisce fructus succedunt adinstar uvæ rotundi, molliusculi, ac per maturitatem rufi, duo, aut tria semina concludentes rotunda, tactu lævia, externe atro rubea, intus alba, saporis insipidi, ac ingrati. Planta hæc occurrit in locis rudibus, ac incultis, juxta sepes, viasque, in montibus, ac vallibus, in Provincia, & Occitania; in hortis quoque colitur, floresque Vere emittit, fructus autem Julio, & Augusto maturescit. Omnes ejusdem partes in usum Medicum veniunt, præcipue vero radices.

Plurimum continet olei, salisque essentialis. Dissecans ac sudorifica est ejus radix; viscosos, tenacesque humores dividit, ac attenuat, aptissimaque est adversus arthritidem, fluxiones, paralysim, morbos cronicos, & inveteratos, a densis, glutinosisque humoribus obortos: utilissima quoque deprehenditur adversus impetiginem exulceratam, omnesque cutaneos morbos. In morbis etiam venereis Sarseparillæ, quæ nihil aliud est quam Smilacis species nobis e Peruano Regno advecta, commode substitui potest. Cum quondam Fallopio Smilax aspera in agro Pisano occurrisset, felici successu lue venerea affectis ab eo exhibita fuit. Ejus pulvis in substantia a ʒ ß. ad ʒ ij. & in decoctione ad ℥ ß. præscribitur. Reicienda omnino est in febribus, morbisque acutis: tuto tamen in ptisanis sudorificis, & dissiccantibus usurpari potest.

*In Ephemeridibus Germanicis, Decuria III. anno II. pag.* 44. extat Observatio D. Lanzoni, qua testatur, optimum esse topicum adversum Arthritidem, pedes ad suram usque Smilacis foliis obvolvendo, ea singulis diebus innovando: quibus mediantibus leniter, & absque ulla erosione per cutis poros fœtidarum serositatum effluxus efformatur, quo dolor, & paroxismus sedatur, maximaque humoris arthritici pars eliminatur.

℞. Rad.

℞. Rad. Smilacis asperæ taleolatim incisar. ℥ jv. Sarsæ Parillæ ℥ ij. Coque in aquæ font. ℔ xij. ad medias. Fiat colatura, serveturque loco frigido vasis vitreis probe conclusis. Ptisana hæc tribus tepidis cyathis de die usurpetur in fluxionibus, Arthritide, ut ajunt, frigida, & Paralysi.

Convolvulus major, *Offic.* Convolvulus major albus, C. B. P. 294. *Inst.* R. H. 82. *Park.* Convolvulus major, J. B. 2. 154. *Raii Hist.* 725. Smilax lævis major, *Dod. Pempt.* 392. Smilax lævis, sive lenis, major, *Ger.* Volubilis major, *Trag.* 805. *Tabern. icon.* 875. *Lonic. Lob. Thal.* Convolvulus major flore albo, *Eyst.* Convolvulus major, sive Campana alba sylvestris, *Schavvenck.* Malacocissus Damocratis, *Anguill.* Helsine Cissampelos, *Cord.* Convolvulus foliis sagittatis postice truncatis, *Linn. Hort. Cliff.* 66. Volubilis magna, Lactaria, funis Arborum, Campana Candida Germanorum, Scammonium Germanicum, Cymbalaris seu Campanella, Smilax lenis alba major, Volubilis Cissophyllos vel latifolia, Liliastrum, *Nonnull.* vulgo *le grand Liseron ou Liset.*

Radice est longa, minuta, alba, fibris vestita, vivaci, saporis acriusculi, caules emittit longos, graciles, sarmentosos, striatos, sese altius adrependo elevantes, capreolisque arbusculas, arboresque proximiores, amplectentes. Folia cordata sunt, Hederæ foliis majora, molliora, tactuque læviora, sagittata, lenia, viridia, longis appensa pedunculis. Flores campanulam mentiuntur, nivem candore æquant, satisque longo extolluntur pedunculo, ex foliorum alis prodeunte, Calyceque ovali, & quinquifido, staminibus totidem, apicibus planis fulciuntur. Fructus fere rotundi flores subsequuntur, exiguorum cerasorum crassitie, membranacei, calyce obvoluti, duo semina continentes angulosa, atro-rufescentia, seu fuliginis colorem æmulantia. Planta hæc lacte turgida, ut ceteræ ejusdem generis, ubique fere progignitur in sepibus, ac inter nemora, in locis humidis, ac sativis, Æstate flores emittit, semenque ejus Autumno maturitate donatur. Ejus radicem a porcis in delitiis haberi J. Bauhinus testatur, quod mirum sane Rajo videtur, eo quod purgandi vi scatet.

Convolvulus major plurimum habet salis essentialis, phlegmatis, ac mediocrem olei portionem, catharticus est, resolvens, ac vulnerarius. Ob lactiginosum, resinosumque succum, quo fœtus est ad Scammonii efficaciam accedit, parique ratione ad redundantes serositates eliminandas præscribi potest, dosi tamen largiori, scilicet a gr. xx. ad xxx. usque. Johannes Prevostius in sua *Pauperum Medicina* ad bilem exterminandam, decoctionem præscribit, Man. j. aut Man. ij. ejusdem folior. paratam, juxta ægrotantis vires: & Antonius Constantinus in sua *Pharmacopœa Provinciali* Infusum commemorat, ex ejusdem Flor. ac Folior. leviter contusor. ℥ v. paratum, quod a ℥ j. ad ℥ iij. usque præscribit ad serositates leniter per alvum subducendas.

Extrinsecus resolvens est, & anodynus, post levem cocturam pro Cataplasmate tumoribus inflammationem minitantibus apponitur.

Convolvulus minor, *Offic.* Convolvulus minor arvensis, C. B. P. 294. *Inst.* R. H. 83. Helxine cissampelos multis, sive Convolvulus minor, J. B. 2. 157. Smilax lævis minor, *Dod. Pempt.* 393. Volubilis minor, *Trag. Lonic. Thal.* Scammonea parva, *Anguill. Camer. Hort.* Convolvulus minor vulgaris, *Park. Raii Hist.* 725. Smilax lenis, minor, *Ger.* Convolvulus minor, *Gesn. Hort. Cæsalp. Clus. Hist.* Convolvulus foliis sagittatis utrinque acutis, *Linn. Hort. Cliff.* 66. Convolvulus sive volubilis arvensis vel sepiarius minor, Cymbalaria par-

va, Angina seu pestis Hortensium Herbarum, Orobanche Theophrasti, sive Ervanga Gazæ, *Quorumd.* vulgo *le petite Liseron, la Campanette ou Clochette, la Vrillèe commune.*

Radicem habet satis longam, minutam, repentem, nonnullis stipatam fibris, vivacem, plures emittit exiguos caules, graciles, debiles, teneros, serpentes, hac, illac cicum proximas plantas sese contorquentes. Folia cordata sunt ut in Convolvolo majori, exiliora tamen, rudiora, magis nervosa, glabra, denticulisque destituta. Flores campaniformes ex foliorum alis prodeunt exigui, roseo-albescentes, & purpurei, aut variis coloribus depicti, longis elati pedunculis, bini simul plerumque juncti. Rotundi fructus horumce locum occupant satis minuti, semina satis crassa, & angulosa occludentes. Ubique abunde crescit planta hæc in solo exculto, secus vias, in hortis, in quibus opprimit, exterminatque omnes quas obsidet plantas, inter segetes denique, nec non incultis in locis, tempestate præsertim pluvia; Æstate uti modo descripta flores edit.

Anodyna est, detergens, ac vulneraria. Ejus decoctionem colicæ affectioni opitulari, asserit Emmanuel Konig, additque ejus folia in oleo decocta arthriticos dolores sedare, linimenti forma, affectæ parti, admota. Inter meliora vulneraria a Tournefortio recensentur. Rustici binas inter silices, tusis, ut plurimum vulnera sanant. Et Garidelius *in Historia Plantarum Agri Aquisextiensis* asserit, pluries vel propria etiam experientia, vulnere, forte ruri, acquisito, feliciter miros ejus effectus conspexisse.

## S M Y R N I U M.

SMYRNIUM, sive Olusatrum, *Offic.* Hipposelinum, Theophrasti, vel Smyrnium Dioscoridis, C. B. P. 154. Macerone, quibusdam Smyrnium, semine magno, nigro, J. B. 3. 126. Smyrnium, *Matth.* 773. Smyrnium Matthioli, *Inst.* R. H. 316. Hipposelinum, *Ger. Emac. Raii Hist.* 437. Hipposelinum, sive Smyrnium vulgare, *Park.* Petroselinum Alexandrinum, *Trag.* 436. Olusatrum, *Cord. in Dioscor. Gesn. Hort. Cast. Lugd. Hist. Column.* Petroselinum Italicum, Apium grande vel magnum sylvestre, Equapium, Smyrnium vel Smyrnion, Holeraceum, Hipposelinon vulgatum, *Quorumd.* vulgo *Maceron, ou gros Persil de Macèdoine.*

Radicem habet mediocris longitudinis, crassam, albam, succo acri, & amaro fœtam, odoris, saporisque ad Myrrham quodammodo accedentis. Caules ad trium pedum effert altitudinem, ramosos, striatos, sub-rubros. Folia Apii foliis similantur, majora tamen sunt, rotundioribus segmentis incisa, atro-viridia, aromatica, sapore, Petroselino, proximo. Caules, ramique umbellis terminantur, quibus exigui flores sub-albidi, quinque petalis rosaceis, totidemque staminibus in centro locatis constantes fulciuntur, hisque succedunt semina bina simul juncta, crassa, semi-rotunda, dorso striato, sapore amaro. Obscuris, paludosisque in locis, scopulisque crescit planta hæc, in hortis quoque colitur; Vere primum ineunte flores propellit, Julioque semen maturitatem acquirit, bima est, facileque semine propagatur; tota Hyeme virescit; primo autem anno caules neutiquam emittit, altero autem perit, post caulis eruptionem seminumque maturitatem. Ejus radix Autumno elicita, ac per Hyemem in sabulo conservato tenerior fit, aptiorque pro

ace-

acetariis. Quondam legumen erat pluribus in regionibus familiariſſimum, ejuſque turiones ad modum Apii paluſtris comedebantur. Modo Apio prædicto magis delectamur.

Smyrnium plurimum habet olei, ſaliſque eſſentialis; Radix ejus ac ſemen præcipue in uſum veniunt; ea, tamquam radicis Apii paluſtris ſuccedanea convenit in apozemate, ac ſorbitiunculis ad ſanguinem depurandum dicatis; hoc vero magis uſitatum, colicæ flatulentæ, & aſthmati adverſatur, pluribuſque cordialibus, & carminativis confectionibus, uti ſeminis Petroſelini Macedonici ſuccedaneum admiſcetur. Maxima autem hiſce ſimilium ſeminum pars oleo eſſentiali abundat.

Smyrnij ſemen uſurpatur in Electuario Lithontriptico *Nicolai Alexandrini*, ac in pulvere Electuarii *Juſtini*.

## S O D A.

INter diverſas Kali ſpecies, binas ſolummodo ſubſequentes, tamquam Artibus, & Pharmaciæ utiliſſimas enucleabimus.

Kali ſeu Soda, *Offic.* Kali majus, cochleato ſemine, C. B. P. 289. *Inſt.* R. H. 247. *Ger. Raii Hiſt.* 212. *Mor.* Kali vulgare, J. B. 3. 702. Kali, *Dod. Pempt.* 81. *Matth.* Soda, Kali magnum, Sedi medii folio, ſemine Cochleato, *Lob. Icon.* 394. Kali majus Cochleatum, *Park.* Anthyllis altera ſalſa, *Camer.* Salſolæ genus in hortis, Iſgarum vulgo, *Cæſalp.* 170. Herba Kali, *Bellon.* Kali magnum Penæ, *Lugd. Hiſt.* 1377. Anthyllis ſalſoſa appellata, Anthyllis Græcorum, Kali Arabum ſeu Mauritanorum, Herba vitri, ſeu vitraria, ſtercus Paſſerum, *Nonnull.* vulgo *la grande Soude ou Salicote, la Marie vulgaire.*

Radice nititur firma, fibroſa, annua. Caulem ad trium fere pedum altitudinem exculta propellit, ad pedis vero cum ſemiſſe altitudinem, abſque ulla cultura, late ſeſe expandit, ſpiniſque deſtituitur, ramiſque diſcriminatur longis, rectis, ſatis craſſis, ſub-rubris, foliis longis, anguſtis, denſis, carnoſis, acuminatis, ſucco refertis. Secus caules, ramoſque flores progignuntur, calyce conflati quinquepetalo, ſub-luteo, totidem ſtaminibus breviſſimis, quibus fructus fere rotundi, & membranacei ſubſequuntur, occluduntque ſemen longum, nigrum, luceſcens, ſerpens, ſpiræ in modum convolutum, aut limacem referens. In regionibus calidis, marinis in oris creſcit planta hæc; in agro quoque Monſpeſſulano ſtudioſe ſeritur, Æſtate autem exeunte flores edere ſolet.

Kali ſpinoſum, *Offic.* Kali ſpinoſum Cochleatum, C. B. P. 289. *Raii Hiſt.* 212. Tragus ſpinoſus Matthioli, ſive Kali ſpinoſum, J. B. 3. 706. Tragon Matthioli, *Lob. icon.* 797. *Lugd. Hiſt.* 1477. Tragon Matthioli, ſive potius Tragus improbus Matthioli, *Ger.* Tragus ſive Tragum Matthioli, *Park.* Kali ſpinoſum, foliis longioribus & anguſtioribus, *Inſt.* R. H. 247. Salſoſa foliis pungentibus, *Linn. Hort. Cliff.* 86. Drypis, ſive Scorpius Theophraſti, Tragium ſive Tragon ſecundum, puſillus frutex aculeatus, Herba maritima Cochleiformis, *Quorumd.* vulgo *la Soude ou Marie èpineuſe.*

Radix fibroſa, annua, unum aut plures effert caules ad pedis cum ſemiſſe altitudinem, craſſos, ramoſos, ſucculentos, atro-virides, foliis veſtitos oblongis, anguſtis, carnoſis, ſucco fœtis ſalito, acuto vertice. E foliorum alis flores enaſcuntur exigui, quinis conflati ſtaminibus, calyce ſuffulti

quinquepetalo, colore herbido. Hisce membranosi fructus præsto sunt semirotundi, spinosi, semen continentes nigrum, lucescens, Cochleiforme. In calidis regionibus in sabulosis marinis, salsosorumque lacuum oris, ac quandoque in arvis e mari dissitis crescit planta hæc, in hortis vero sata deflectit aliquantulum, minusque spinis horrescit; sera tempestate flores emittit, Autumnoque semen maturum efficitur.

Soda saporem habet salitum, plurimumque sal continet, aperiens est, calculis, glareisque expellendis, obstructionibusque reserandis aptissima. Intus, ac extrinsecus usurpatur. Seritur, coliturque pro Soda petrosa, Gallorum vulgo *Salicote*, *Alumen* vero *Catinum* Latine nuncupata. Paratur autem, plantam prædictam ad perfectam magnitudinem jam deductam metendo, proprioque in solo relictam exsiccando, inde in magnis foveis ob hance caussam in solo factis, talique pacto coopertis, ut aer tantum ad ignem servandum sufficiens ingrediatur, eam calcinando: materia autem non modo in cineres commutatur, verum etiam, quum in maxima sit quantitate, magnam salis contineat portionem, ac diutissime igne reverberante, e planta ipsa accensa, prodeunte calcinetur, ejus partes ita invicem uniuntur, ac conglutinantur, ut lapidis durissimi species quædam efformetur adeo, ut frigefacta nisi malleis, aliisque instrumentis contusa excavari possit. Materia hæc nihil aliud est, præter maximæ salis ac terræ copiæ mixtura, & ex hac potissimum salina massa, ob facultatum similitudinem, non solum omnes fixi sales, ustione e plantis eliciti, salesque animalium volatiles, verum etiam terreæ ac insipidæ materiæ, & generaliter quidquid fermentationem cum acidis concipere potest, Alkali denominatione, donatum fuit. Materia eadem ad Saponem potius, Lixivium, ac Vitium conficiendum, quam Medico usui aptatur: planta tamen, unde elicitur, aperiens, & diuretica est, ut superius indicavimus, urinas, glareasque in vesica stabulantes ciet, hepatisque, aliorumque viscerum obstructiones excutit. Circumspecte admodum tamen est usurpanda, nec, admonente S. Paulli gravidis, aut urinæ ardoribus, vexatis, aut vesicæ inflammationi obnoxiis, propinanda. Sal vero in Soda prædominium habens, tanta acrimonia pollet, ut detergens potius, quam aperiens reputetur.

Externe ad ulcera antiqua, scabiem, aliosque cutaneos valet morbos. Ex Sodæ lapide sal fixum elicitur caustica vi præditum, lapidibusque, pro cauteriis, fabrefaciendis inservit; sal hocce majorem habet acrimoniam, ac vim, quam si sal e plantæ cineribus, more solito extraheretur, a forti enim ac longa calcinatione ignearum particularum maxima majorique quantitate fœtum fuit.

## SOLANUM.

INnumeras inter SOLANI species, de binis sequentibus, una scilicet in re Medica, altera in alimentis, usitatissimis, aliquid in medium adducemus.

Solanum, *Offic.* Solanum Officinarum acinis nigricantibus, C. B. P. 166. *Inst.* R. H. 148. Solanum hortense baccis nigricantibus, *Dod. Pempt.* 453. Solanum nigrum vulgare, *Cord. Hist.* 158. Solanum vulgare, *Park. Raii Hist.* 672. Solanum hortense, *Matth. Fuchs. Anguill. Gesn. Hort. Lob. icon.* 262. *Lugd. Hist.* 527.

Sola-

Solanum caule inermi herbaceo, foliis ovatis angulatis, *Linn. Hort. Cliff.* 60. Solanum vel Strychnon sativum, Solatrum vulgare vel nigrum, Uva Lupina, seu Vulpina, Morella, *Nonnull.* vulgo *la Morelle commune a fruit noir.*

Radix longa, gracilis, fibrosa, capillitio stipata, sub-albescens, annua caulem ad pedis cum semisse fere altitudinem propellit, firmum, angulosum, atro viridem, pluribus ramis distinctum, foliis oblongis, satis latis, mollibus acuminatis, nigricantibus, alternis, angulosis aliis, crenatis aliis integris aliis, lævibus, sub-viridi succo fœtis, sapore herbaceo, ac insipido. Flores e ramis ac fere ex inferna foliorum parte exeunt, exiguasque referunt rosas, plerumque quinis cuspidibus ad stellæ modum distincti, colore albo, quinis pariter exiguis staminibus, apicibus oblongis in centro positis. Fructus Juniperi baccas crassitie æmulantes iis præsto sunt rotundi, initio virides, per maturitatem vero vieti fiunt, nigri, læves, succoque fœti, plurimaque occludunt semina minuta, plana, lutea. Secus vias, prope sepes, domosque crescit planta hæc, Augusto ac Septembri flores ostendit, Autumno vero exeunte baccæ maturitate gaudent, ac pruina primum apparente planta omnino perit. Quandoque fructu rubro, aut luteo variare solet, indiscriminatim nihilominus usurpatur.

Ejus radix insipida quodammodo est; folia herbæ salitæ saporem habent; fructus autem quidpiam continet subacidi ac vinosi, totaque planta odore scatet soporifero. Rubro colore chartam cæruleam folia nullatenus afficiunt, quod staturatissime a maturo fructu efficitur; hinc suspicari possumus, sal Ammoniacum in hacce planta contentum in foliis magna olei fœtidi ac terræ quantitate coerceri; partem vero acidam ejusdem salis in fructu maturo omnino explicari, adeo ut juxta varias indicationes morborum, variandus quoque sit diversarum hujusce plantæ partium usus. Fructus e. g. refrigerantes magis sunt, magisque præ foliis retundentes, quæ temperant, resolvunt, ac præterea absorbendi vim habent. Anayliseos vero Chymicæ ope magnam præbent salis volatilis concreti quantitatem. Quum potissimum inflammatio est mitiganda, fibræ nimis violenter distensæ emolliendæ, ac relaxandæ Solanum in usum revocatur; tamquam suspectum tamen jure ac merito a Nonnullis reprobatur; plures enim testantur Observationes, quosdam, post ejusce fructus comestionem mortalibus convulsionibus correptos fuisse: quapropter, quamvis asserat Cæsalpinus, aquam stillatitiam Solani utilissimam esse in stomachi inflammatione, & urinæ ardore, ac *in Ephemeridibus Germanicis Decuria II. anno III. pag.* 154. adsit observatio, qua ejus in Dysenteria usus commendatur; nihilominus Solanum interne præscriptum omnino reprobamus, quum plura jam alia tutiora remedia, iisdem facultatibus ditata nobis innotescant.

Extrinsecus Solanum tusum hæmorrhoidibus applicatur, aut succo ejus tepido foventur; succus hic etiam convenienti temporis spatio, in mortario plumbeo malaxatur, ad carcinomata illinienda, remedium profecto hocce valde temperans est ac dolorem sedans. Succus idem una cum sexta parte Sp. Vini defæcatissimi mixtus, optimus est adversus erysipelata, impetiginem, herpetes, papulas, omnesque cutaneas prurigines; huic autem Sp. Vini additur, eo quod solitarius nimia frigiditate, ac coercendi vi polleret. In Officinis prostant Aqua Solani distillata, oleum infusionis ope elicitum, oleumque alterum coctura paratum. Aqua distillata eumdem, ac succus, in

usum revocatur, hic vero efficacior deprehenditur. Bina vero olea prædicta in omnibus anodynis cataplasmatibus recipiuntur.

Solani folia usurpantur in Balsamo Tranquillo, & Unguento mundificativo de Apio dicto *Pharm. Paris.* Summitates vero in Unguento *Populeo*, ac succus tam plantæ quam baccarum in Unguento *Diapompholygos* ejusdem *Pharm.*

℞. Succi Sedi maj. & Solani ana ℥ j. Album. Ovi. Agitentur simul, usque dum omnia probe commisceantur. Liquor dein tepidus pluries de die mammarum tumoribus inflammatione non sociatis admoveatur, nec non præputio inflammato, venereorum cancrorum causa.

℞. Aquar. Solani, Plantag. & Spermat. Ranar. ana ℥ ij. Tuthiæ pp. ac p. ʒ ß. Salis Saturni gr. xviij. M. pro Collyrio reffrigerante adversus oculorum ruborem.

℞. Olei Solani infusione eliciti, Unguenti Populei, & Balsami Tranquilli ana p. æ. M. pro linimento ad hæmorrhoides inflammatas ac dolentes.

Solanum tuberosum, seu Papas, *Offic.* Solanum tuberosum exculentum, C. B. P. 167. *Inst.* R. H. 149. *Raii Hist.* 675. Papas Americanum, J. B. 3. 621. Battata Virginiana, *Ger. Park.* Archidua Theophrasti forte, Papas Peruvanorum, *Clus. Hist.* Papas, *Acost.* Papas Hispanorum, Papas seu Pappas Indicum vulgo, *Nonnull.* vulgo *la Truffe rouge*, *la Pomme de terre*, *l'Artichaud des Indes*, *ou la Batate commune des jardins*.

Tuberosa, oblonga, ac inæqualis radix, quandoque pugnum crassitię æquans, atro, aut rubro-nigricanti, cortice tecta, substantia referta compacta, atque alba, esuque optima, caulem propellit ad duorum, vel trium pedum altitudinem, & ultra in regionibus præsertim calidis, pollicem fere crassum, rontundum, villosum, viridem, parvis subrubris punctis circumfusum, cavum, striatum, ramosum, succo fœtum. Folia longitudine manum æquant, pari ordine ad latus disposita, impari extremo folio præ aliis majori, nonnihil latiora, ac hirsuta, superne atro-viridia ac lucescentia, cauda destituta, hac illac aliis rotundis foliolis intersperfa. Flores exiguas æmulantur rosas, quinque cuspidibus discriminatas, calyce suffulti subviridi totidem pariter partibus diviso amplissimis, subalbidis, quinis staminibus, apicibus luteis in centro positis. Hisce rotundi fructus succedunt initio subvirides, atro-virentes dein per maturitatem, succoque referti, pluribusque seminibus minutis, ac rotundis, Solani vulgaris seminibus, æmulis. Planta hæc cujus caulis singulis annis perit e Virginia primum in Angliam, ac ex Anglia ad alias Europæ regiones delata fuit; mirum in modum adeo multiplicatur, ut Autumno exeunte eam extirpando, una cum ejus radicibus quandoque XL. aut L. usque diversæ magnitudinis tuberositates inveniantur: hæ vero semper accurate colliguntur, ne Hyeme perdurante putrescant, ut deinde loco sicco, ac calidjusculo, aut vase terra sicca repleto conserventur, ac Vere denuo terræ committantur; Junio, Julioque flores emittit, ac quandoque Autumno.

Hæc sola Solani species interne absque ullo metu usurpari potest. Indi, referente Acosta, ejus radice tamquam pane utuntur, ab iis quoque decoquitur, diversisque rationibus conditur, cumque diutissime servare eam cupiunt, Sole exsiccant, ac taleolatim incidunt. A nobis, eadem, qua Tubera, ratione usurpatur; radix quoque hæc sub cineribus decoquitur, tunica dein ablata pipere ad majorem gratiam, ac stimulum conditur: optimum suppeditat

ditat, adinſtar Paſtinacæ ac Caſtaneæ alimentum, nonnihil tamen flatulenti habet, ideoque ſtomachis male affectis cohibenda.

## SOLDANELLA.

SOLDANELLA, *Offic.* Soldanella maritima minor, C. B. P. 295. Braſſica marina, ſive Soldanella, J. B. 2. 166. Convolvolus maritimus noſtras rotundifolius, *Mor. Hiſt. Oxon.* 2. 11. *Inſt.* R. H. 83. Soldanella, *Dod. Pempt.* 395. *Lon. Coſt. Genſ. Hort.* Soldanella marina, *Ger. Raii Hiſt.* 726. *Eyſt.* Soldonella vulgaris ſive volubilis marina, *Park.* Soldanella vera, Soldanella, Braſſica ſeu Crambe marina Antiquorum, Campanula maritima ſive marina, volubilis ſeu Convolvolus marinus *Quorumd.* vulgo *Soldanelle*, *Chou de mer.*

Radix minuta ac fibroſa plures effert caules graciles, flexibiles, ſarmentoſos, ſubrubros, ſolo repentes, foliis fere-rotundis, lævibus, lucentibus, Chelidonii min. foliis ſimilibus, denſioribus tamen, ſuccoque lactiginoſo refertis, longiſque pedunculis, elatis; Flores campanas referunt, marginibus inverſis, ut in aliis Convolvuli ſpeciebus, ſatis conſpicuam magnitudinem habent, coloremque purpureum. Eos, fructus pene rotundi ſubſequuntur membranacei, ſemina condentes anguloſa, ac plerumque nigra. Sabuloſis in oris maris creſcit planta hæc, floribuſque Æſtate veſtitur; integra una cum radice exſiccatur, nobiſque advehitur; recens, intacta, aut quam poſſibile eſt, parum fracta eſt ſeligenda.

Plurimum ſalis eſſentialis atque olei, ſaporemque habet amarum, acrem, ac nonnihil ſalitum, ac inter purgantia-hydragoga recenſetur, maximoque emolumento uſurpatur in hydrope, paralyſi, rheumaticiſque affectionibus. Plantæ ejuſdem exſiccatæ pulvis a ℥ ß. ad ʒ j. ac a Nonnullis etiam ad ʒ ij. uſque, in juſculo præſcribitur. Succi vero expreſſi doſis ℥ ß. definitur, ſin vero ſuccus prædictus ad extracti conſiſtentiam inſpiſſatus fuerit, ʒ j. aut ʒ j. ß. tantum ſufficiet. Commode ſatis alvum ducit juſculum ex jugulo vervecino, & Man. j. aut Man. j. ß. Fol. Soldanellæ paratum, dummodo ſ. q. Cinnamomi corrigatur, ut nauſea præcaveatur; Qua de re a Matthiolo cum Rhabarbaro conſociabatur; præſtantior tamen Soldanellam uſurpandi ratio videtur eſſe, ſi prius ejus folia cum cremore Tartari, aut Tartaro vitriolato in aceto macerentur, ac deinde juſculo prædicto adijciantur. Conſerva prætere a foliis prædictis ſaccharo & Cinnamomo paratur.

Folia demum Soldanellæ exſiccata uſurpantur in pulvere Hydragogo *Pharm. Pariſienſis.*

℞. Aſari ℥ ß. Jalapæ & Turbith. ana ʒ vj. Soldanellæ ʒ ij. pulv. Diacarthami ℥ ß. Trium Santal. Croci Martis aperit. & Cinnamomi ana gr. xxx. Scammonii ʒ ij. M. f. p. ſubtiliſſimus, ad ſeroſitates per alvum extrudendas idoneus a ʒ ß. ad ʒ j. juxta variam ægrotantium ætatem ac conſtitutionem; ſumetur autem in cyathi Vini albi ſemiſſe, poſt duarum horarum infuſionem, bis de hebdomada, congruo temporis ſpatio, nullo vel cibo vel potu, binis ante, biniſque poſt ejus ſumptionem horis, in uſum revocato.

# SONCHUS.

INter diverſas SONCHI ſpecies, tres tantum a Medicis uſurpatas in medium afferemus.

Sonchus lævis, *Offic.* Sonchus lævis laciniatus latifolius, C. B. P. 124. *Inſt.* R. H. 474. Sonchus minus laciniosſus, mitior, ſive minus ſpinoſus, J. B. 2. 1014. Sonchus lævis, *Dod. Pempt.* 643. *Ger. Raii Hiſt.* 222. *Matth. Geſn. Hort.* Sonchus lævis vulgaris, *Park.* Lactuca Leporina, *Apul.* Endivia ſylveſtris, *Lonic.* Andryola major Dalemchampii, *Lugd. Hiſt.* Sonchus caule ramoſo diffuſo, foliis ſummis amplexicaulibus, *Van-Roy. Flor. Leyd. Prodr.* 129. Sonchus pedunculis tomentoſis, *Linn. Flor. Svec.* 231. Sonchus lenis ſeu ſine aculeis. Sonchus pinguis foliis non diſſectis, vel minus fiſſis, Sonchus tenerior latifolius, Lactucella, Lactuca Leporaria, Braſſica leporina, Olus leporinum, Palatinum, vel potius Palatum ſeu Sabulum Leporis, Cicerbita, *Nonnull.* vulgo *le Laitron ou Laceron doux, ou Palais de Lievre.*

Parva, alba, ac fibroſa radix caulem emittit ad pedis cum dimidio altitudinem, intus cavum, tenerum, ſtriatum, fere purpureum foliis longis, lævibus, Hedypnoidis foliis latioribus, ac tenerioribus, inciſis, ambitu crenato, ſucco fœtis lactiginoſo, alternatim locatis, aliis, longis caudis, appenſis, aliis vero caudis omnino deſtitutis, baſi, præ aliis folii partibus, caulem amplectentibus. Flores ſummo caule, ramiſque faſciculatim enaſcuntur ſemifloſculis luteis, ac quandoque albis, Hedypnoidis ſimiles, ac exiliores. Hiſce præſto ſunt conici fructus ſemina occludentes parva, oblonga, atro-ſubrubra, criſtata. In omnibus fere locis occurrit planta hæc inter ſegetes, in vinetis, & aggeribus, ſecus vias, ac in arvis præcipue pinguioribus; Majo, Junioque floribus veſtitur, ac folia præſertim in uſum veniunt, quæ dum exſcinduntur lacteum liquorem emittunt; acetariis commode ſociantur, aut alia quaque ratione, adhuc tenera eſitantur, antequam vero caulis emergat a leporibus avide admodum expetuntur.

Sonchus aſper, *Offic.* Sonchus aſper non laciniatus, C. B. P. 123. *Inſt.* R. H. 474. *Raii Hiſt.* 225. Sonchus minus laciniosſus aſperior, ſive ſpinoſior, J. B. 2. 1014. Sonchus aſper, *Ger.* Sonchus aſper major non laciniatus, *Park.* Intybus ſylveſtris ſeu erratica acutis foliis, *Trag.* 270. Sonchus aſperior, *Dod.* Sonchus ſylveſtris ſpinoſior, Sonchus nigrior ac ſpinoſior non laciniatus, Sonchus tenerior aculeis horridiuſculus, Sonchus valde ſpinoſus folio non laciniato, Carduus anſerinus, Carduus, ſuillus cichorium ſeu Roſtrum porcinum, *Quorumd.* vulgo *le Laitron Epineux.*

Radix exigua, alba, ac fibroſa caulem profert ſatis procerum, tenerum, ſubrubrum, cavum, foliis, integris, aut vix laciniatis, Endiviæ foliis proximis, baſi caulem amplectente, ſaturate viridibus, luceſcentibus, longis, duris, acutiſque ſpinis armatis. Flores ac ſemina Sonchum lævem æmulantur; iiſdem præterea in locis cum eo luxuriat planta hæc, eadem tempeſtate floreſcit, ac lactiginoſo, & amaro etiam ſucco turget.

Terracrepola, *Offic.* Sonchus lævis anguſtifolius, C. B. P. 124. *Inſt.* R. H. 475. *Park.* *Raii Hiſt.* 225. Sonchis affinis Terracrepola, J. B. 2. 1018. Sonchus lævis Matthioli, *Lob. icon.* 236. Crepis Dalemchampii, *Lugd. Hiſt.* Terracrepolus, *Cæſalp.* Chondrillis affinis quædam Herba laciniata, Trinciatella forte,

te, Hieracium parvum Dioſcoridis, Olus ſylveſtre, *Nonnull.* vulgo *le petit Laitron dit Terre-Crèpe.*

Radix gracilis, longa, radici Endiviæ ſimillima, alba, fibroſa, plures propellit caules ad pedis cum ſemiſſe altitudinem, binis aut tribus ramis diviſos, foliis Endiviam æmulantibus, magis tamen albis, minuſque laciniatis, ſaporis amari, ac gratiſſimi. Flores habet luteos, ſemifloſculis calyce ſuffultis, in fructum abeuntes, exiguis ſeminibus criſtatis fœtum. Saxoſis in collibus ſponte luxuriat planta hæc, in aggeribus, in ædificiorum ruderibus & in agro Monſpeſſulano, Æſtate flores propellit, in hortis olitoriis quoque colitur pro acetariis.

Tribus hiſce uſque adhuc deſcriptis ſpeciebus indiſcriminatim utimur; ſapore autem Sonchus donatur nonnihil ſalino, ac amaro, chartamque cæruleam, rubro colore inficit, ſaleque ſcatet *Oxyſali Diaphoretico Angeli Salæ* ſatis proximo, maxima tamen phlegmatis portione, ſoluto, plurimoque ſulphure ſociato. Sal vero Ammoniacum modica admodum doſi reſultat, Analyſeos enim Chymicæ ope, parum ſpiritus urinoſi, nihil vero ſalis volatilis concreti ex eo elicitur. Quibus principiis refrigerandi, temperandi, ac blande ſolvendi vi donatur. Radices vero Hyeme e ſolo elicitæ ruſticis alimentum præbere ſolent. Ad infimi ventris æſtum compeſcendum, in ſtomachi, hepatis, ac inteſtinorum inflammationibus foliorum decotio hauritur, quæ in prædictis viſceribus humorum circulum promovet, eorum ſtaſim, ac obſtructiones, detrudit. Optima quoque ad nutricum lac augendum recenſetur. Notiſſimus præterea Sonchi uſus eſt ad vaccas, cuniculos, aliaque indigena animalia veſcenda.

A Nonnullis quoque in ſyrupo Cichorii uſurpatur.

## S O R B U S.

Tribus Sorbi ſpeciebus Medici utuntur; 1. Sorbo ſativa, 2. Sorbo ſylveſtri, 3. Sorbo torminali, ſub Aliſſi nomine cognito, ac diverſum a binis præcedentibus genus efformante.

Sorbus, *Offic.* Sorbus ſativa, C. B. P. 415. *Inſt.* R. H. 633. Sorbus, J. B. 1. 59. *Dod. Pempt.* 803. *Ger. Raii Hiſt.* 1456. Sorbus legitima, *Park. Cluſ. Hiſt.* Sorbus domeſtica, *Matth. Lob. Caſt.* Sorbus eſculenta, *Camer. Hort.* Sorbum ovatum, *Fuchſ. Turn.* Sorbus vulgaris: Sorbus vera, *Quorumd.* vulgo *le Sorbier, ou Cormier domeſtique, ou cultivè.*

Radice eſt longa, dura, craſſa, lignoſa, ex qua arbor extollitur magna, ac brachiata, caudice erecto, cortice, tecto, rudi, nonnihil ſcabro, pallido, ligno duro, compacto, ſubrubro, foliis oblongis, pluribus conjugationibus, adinſtar foliorum Fraxini, ad coſtam annexis, ambitu denticulato, villoſis, mollibus, ſuperne ſub-viridibus, inferne ſubalbidis, ſapore acerbo, ac ſtyptico. Flores exigui ſunt, albi, plures ſimul racematim conjuncti, longis elati pedunculis, e mediis foliis exeuntibus; conſtant autem petalis quinque roſaceis, iiſque deciduis, calyx in fructum abit, exiguum Pyrum, forma, ac craſſitie, æmulantem, durum, carnoſum ex uno latere ſub-viridem, aut palleſcentem, ex alio vero ſubrubrum, ſub-lutea pulpa refertum, ſapore primum acerbiſſimo, ac rudi, *Sorbum* nuncupatum; utplurimum in arbore ad maturitatem non perducitur, Autumnoque colligitur; ſuper paleas col-

locatur, in quibus mollitiem, & dulcem, ac gratum saporem acquirit, ac folliculo membraceo donatur in quo nuclei occluduntur plani, Pyri nucleis similes. Sponte quibusdam in regionibus arbor hæc excrescit, montibus frigidis, soloque saxoso delectatur, atque in hortis, pomariis, ac vinetis etiam colitur, Aprili, ac Majo floret, fructusque Octobri, aut Novembri tantum maturescit. Segniter adeo augmentum acquirit, ut raro admodum a satore fructus colligi possint.

Sorbum plurimum continet olei, salisque essentialis, terrestribus particulis, ac phlegmate sociati, tam pro alimento, quam in re Medica usurpatur. Adstringendi autem vi præditum est, ac ad vomitus, hæmorrhagias, & diarrhæas sistendas valet, nec non animæ gratiam conciliare solet. Eligendum vero est satis crassum, probe maturum, sapidum, ac odorum: Hyeme convenit junioribus biliosis, ac debili stomacho prædictis, dummodo moderate usurpetur; succo enim scatet crasso ac terrestri, quo humores, nimia copia ingestum, coinquinare posset, aut diutius in ventriculo, & intestinis remorans, fermentescens, ac acescens, fibras stimulandi, & tormina, colicasque affectiones suscitandi facultatem adpiscitur.

Sorborum aqua stillaticia in Officinis servatur ab ℥ jv. ad ℥ vj. in Julapiis, & potioribus adstringentibus præscribenda. Eorum vero succus expressus, ac congruo temporis spatio fermentatus, vinosus efficitur, ciceræque persimilis. J. Bauhinus refert iisdem fructibus conditis, stomachum roborari, appetitum excitari, ventrisque fluxus ac vomitus cohiberi. Sequenti vero modo condiuntur.

℞. Sorbor. pene maturor. tunica ac semine mundator. ℔. jv. Coque in aquæ s. q. in qua prius rosæ, ac balaust. ebullierint, usque dum mollitiem acquisiverint, ac postea hujusce pulpæ ℔. iij. adde Sacchari, ac Mellis optimi ana ℔. j, ß. Omnia ad Conservæ liquidæ consistentiam condensentur, cujus dosis a ʒ ij. ad ℥ ß. definitur.

Extrinsecus Sorborum pulvis ad ulcera exsiccanda in usum revocatur.

Sorbus sylvestris sive Aucuparia *Offic.* Sorbus sylvestris, foliis domesticæ similis, C. B. P. 415. *Raii Hist.* 1457. Sorbus aucuparia, J. B. 1. 62. *Inst.* R. H. 634. *Bellon. Gens. Clus. Thal.* Sorbus sylvestris Alpina, *Lob. icon.* 107. Sorbus sylvestris, sive Fraxinus bubula, *Ger.* Ornus, sive Fraxinus sylvestris, *Park.* Sorbus sylvestris, *Tabern.* Sorbus montana aucuparia, *Schvvenckf.* Sorbus foliis pinnatis, *Linn. Hort. Cliff.* 188. Fraxinus humilior montana sive aucuparia, Sorbus aucupalis vel racemosa, Sorbus agrestis seu vulgatior, *Nonnull.* vulgo *le Cormier sauvage.*

Radice crassa, dura, longa, arbor mediocrem magnitudinem habet, truncum erectum, albescentem, cortice tectum atro-subrubro, maculis conspersο, Alno persimili, sub quo & alius apparet luteus, fœtens, & amarus. Folia paribus conjugationibus eadem in costa, impari folio desinente, locantur, ambitu crenato, magis quam in Sorbo sativa, acuminata, compacta, glabra, superne sub viridia, inferne subalbida, saporis amariusculi: cæterum mirum in modum variare solent. Flores exigui sunt, albi, odori, umbellæ more, plures simul appensi, hisque fructus succedunt Opuli baccis persimiles, luteo-rufescentes, saporis acido-ingrati, nonnulla oblonga semina occludentes. Arbor hæc humidis, montanisque in locis crescit, Majo, Junioque floret, fuctusque Septembri maturitatem acquirit. Quum autem lignum

gnum duritie excellat, ex eo virgæ a bubulcis ad boves incitandos parantur, hinc a Burgundis vulgo, *Aiguillon*, arbor hæc nuncupatur.

Rei aucupariæ potius quam Medicæ species hæc inservit, merulæ enim, ac tardi aliæque aves quamplurimæ ejus baccarum adeo avidæ sunt, ut escam ad eas retiis, aut alia ratione saginadas commodissimam præbeat hinc *Aucuparia* fuit nuncupata.

Verum enim vero aliis præterea scitu dignis facultatibus arbor hæc ditatur, D. Needhamius enim ex ejus baccis expressis succum elici posse testatur, serositates purgandi, scorbutumque debellandi vi præditum. Vere quin etiam ejus trunco inciso, acidulus liquor extillat adversum prædictum morbum lienisque obstructiones excellens. D. Ledelii *in Ephemeridibus Germanicis Decuria III. anno IV.* extat observatio, qua in medium adducitur mulier mensium suppressione, hæmorrhoidibusque inflammatis, ac dolentibus vexata, quæ ope Rob, baccis Sorbi sylvestris, parati, binis hisce morbis omnino fuit liberata. In hujusce arboris trunco fungus quoque enascitur levis, subalbidus, ac spongiosus, adversus dysenteriam commendatissimus; si loco sicco servatus pulveris forma usurpetur, a gr. xij. ad ʒ ß. in cyatho temperantis cujusdam potionis, & ter de die ad exitum usque morbi repetatur.

Magnis quoque laudibus extollitur a D. Carisio, a Jonstono *in Dendographia*, articulo de Sorbo sylvestri, citato; asserit enim, ejusce ligni pulvere vulneribus insperso, vi balsamica ejus connaturali, ea perfecte consolidari, eoque etiam ʒ ß. Oleo Olivar. permixto bis aut ter de die exhibito, antiquiores tusses, ac ulcera interna sanari: sale calcinationis ope ex hac arbore elicito, ac gr. iij. vel jv. de die in Althææ decoctione præscripto, non modo Nephriticos solari, verum etiam tartareis particulis morbum progignentibus, in arenaceam mucilaginem redactis, exitum procurari; ejus denique foliis distillationis ope aquam elici posse temperantem, ac blande incidentem, omnibus pulmonum affectibus, utilem, vocis præsertim abolitioni, glareisque in bronchiis quandoque stabulantibus, turberculisque ortum præbentibus; nec non adversum chlorosim, fluoresque albos: exhibetur autem singulis diebus ℥ j. aut ℥ ij. convenienti temporis spatio. Nusquam fortasse ad exitum perduceretur oratio nostra, si singulæ proprietates a laudato viro recensitæ, a nobis quoque enunciarentur, tamquam Panacea enim universalis ab eo, vel propria experientia, constituitur, quibus omnibus, si fides sit præstanda, aliis dijudicandum relinquimus.

Sorbus torminalis, *Offic.* Mespilus Apii folio sylvestris, non spinosa, sive Sorbus torminalis, C. B. P. 454. *Raii Hist.* 1457. Sorbus torminalis & Crategus Theophrasti, J. B. 1. 63. Sorbus torminalis, *Dod. Pempt.* 803. *Ger. Tabern. Lonic. Cæsalp. Gesn. Hort.* Sorbus torminalis sive vulgaris, *Park.* Cratægus folio laciniato, *Inst.* R. H. 633. Sorbus sylvestris sive torminalis Matthioli, *Lugd. Hist.* Sorbus torminalis folio Aceris, vitis aut Populi albæ, *Lob.* Cratægus foliis ovatis inæqualior serratis, *Linn. Hort. Cliff.* 187. Sorbus torminalis Plinii & Herbariorum, vulgo, Hypomelides forte Palladii, *Quorumd.* vulgo *le sorbier torminal, ou Tormigne, l'Alisier, Alignier, Alier, Anier ou Aigretier.*

Radice est crassa, firma, profunda, quæ ad Pyri magnitudinem propellit arborem brachiatam, trunco contecto, cortice subalbido ac lævi, ramis e con-

contra, cortice atro-fubrubro, aut lutefcente, adftringenti ac amariufculo veftitis: lignum album eft ac duriffimum: folia fimplicia funt alterna, Opulum æmulantia, magis tamen acuminata, ac diligentius in ambitu denticulata, ad modum anferini pedis extenfa, pene glabra in utraque facie, Autumno præfertim, longis elata pedunculis, nonnihil hirfutis, faporis leviter adftringentis: flores albo-pallentes funt, quinque fcilicet petalis conftantes rofaceis, plures fimul racematim, five umbellæ in morem congefti, quibus præfto funt rotundi fructus pyri-formes, Spini-albæ fructibus perfimiles, lutefcentes, exiguis albis punctis diftincti, faporis primum aufteri, dein aciduli, fatifque per maturitatem grati, quinis cellulis interne divifi, in quibus fingulis bina femina ut plurimum locantur, Pyri nucleis fimilia, nonnihil tamen exilioria, fere triangularia, rutilo-nigrefcentia, medulla alba. Incultis in locis, & montanis, foloque fertili ac faxofo, in nemoribus, fepibufque crefcit, Majo floret, fructus autem Autumno fuper paleas adinftar Sorbi, maturitatem acquirit, & a puerulis, mulierculifque in deliciis habetur. Lignum quoque ab artificibus admodum expetitur, obfervatque J. Bauhinus, ex eo optimos fufus confici poffe.

Fructus prædictus facultates cum Sorbis communes habet, quibus femper fubftitui poteft. Monente Rajo, majore etiam refrigerandi, æquali tamen adftringendi vi pollet, Sorbis tamen anteponitur, ac tamquam fpecificum in diarrhæis, ac dyfenteriis a nimio fructuum crudorum efu productis recenfetur. Ex eo autem ob hance caufam fuccus exprimitur, ac ad Rob confiftentiam infpiffatur, & in morbis prædictis ℥ ß. propinatur: fi vero majorem gratiam remedio huic concilare cupimus ufque ad Diacynodites confiftentiam coquendum eft, ejus enim acidulus fapor ope facchari moderatur.

*Sorbus Torminalis* ab Auctoribus fuit nuncupatus, eo quod ejus fructibus tormina, dolorefque dyfentericorum fedari dicuntur; Nihilominus eos, colicas affectiones, ac tormina facile incutere poffe ab aliis afferitur, quod profecto de iis, adhuc viridibus, ingeftis, non vero mollibus, ac maturis, intelligendum eft.

## SPHONDYLIUM.

SPHONDYLIUM, *Offic.* Sphondylium vulgare hirfutum, C. B. P. 157. *Inft.* R. H. 320. Sphondylium quibufdam, five Branca Urfina Germanica, J. B. 3. 160. Sphondylium, *Dod. Pempt.* 307. *Ger. Raii Hift.* 408. *Matth. Lac. Lon. Caft. Cæfalp. Tabern. Lob. Gefn. Hort.* Sphondylium vulgare, *Park.* Branca Urfina, *Trag. Brunf. Cord.* Acanthus vulgaris, five Germanica, *Fuchf.* Heracleum foliis, pinnatifidis, *Linn. Hort. Cliff.* 103. Spondylium veterum, Spondylion feu Spondylis, Branca Urfi five Urfina Germanorum, Planta Urfina Pfeudo-Acanthus, Herba rutinalis, Platanella vel Chamæplatanus, *Quorumd.* vulgo *Berce, fauffe Brance-Urfine, Branc-Urfine batarde.*

Huic radix eft fimplex, longa, craffa, rugofa, carnea, alba, vivax, luteo fœta fucco faporis fere acris, ac dulcis, & nonnihil amari; caulem ad trium aut quatuor pedum altitudinem profert erectum, rotundum, nodofum, hirfutum, ftriatum, intus cavum, ramofum, foliis latis, laciniatis, crenatis, utrinque lævi lanugine tectis, fapore fubdulci, caudis longis ac villofis appenfis; hæc inter, quæ præcipue in vertice locantur, bafi latiori,

ac

ac membranacea, prodeuntia, caulem, ramosque amplexantur, generaliter quodammodo foliis Platani, magis vero Pastinacæ foliis similantur. Flores umbellati quinque liliaceis petalis constantes, plerumque albi, raro purpurei, summo caule, ramisque insident, eorumque calyx in fructum abit binis conflatum conspicuis seminibus planis, ovalibus, superne emarginatis, dorso striato, tunicam facillime relinquentibus, latere mutui contactus lineis nigris signato, odoris ingrati, saporis acriusculi. In pratis, locisque humidis, ac paludosis, secus fluvia, ac rivulos abunde crescit planta hæc, floresque Majo, Junio, ac Julio profert.

*Sphondylium* vero appellatur, causa seminis male olentis, adinstar insecti cujusdam, quod *Sphondylis* nuncupatur, & plantarum radices erodit: *Branca Ursina* autem, eo quod ejus folia quamdam cum brancis Ursi affinitatem habent, vel eo quod a Nonnullis, referente Linæo, Brancæ Ursinæ legitimæ substitui posse inepte admodum creditum fuit.

Plurimum olei, salisque essentialis ac fixi habet. Folia tamquam emollientia, ac resolventia reputantur, ex iis vero Cataplasmata ad inflammationes sedandas aptissima parantur. Quum autem plurimam cum foliis Acanthi similitudinem habeant, iis, data occasione, in Germania præsertim substituuntur. Aliis præterea facultatibus radix, ac semina insigniuntur, incidendi nempe, ac aperiendi vi, juxta Dioscoridem, ac Galenum, morbis deinde hepatis, epilepsiæ, uteri suffocationibus, cerebrique affectibus dicata. Linimenti forma, ac Cataplasmatis consistentia ejusdem plantæ semen tusum, oleoque olivarum permixtum applicatur. Tabernæ Montanus vero asserit, foliorum, aut radicis decoctionem laxantem esse, & vapores debellare; radix hæc eadem tusa, callositates dissipare, iis apposita solet.

Rajus vero post Dodonæum asserit, Polonos ac Lituanos, folia, ac semina ejusdem plantæ in aqua decoquere, qua, fermento addito, potionis genus constituunt ab iis *Parst* nuncupatum, pro pauperibus Cerevisiæ locum tenens: addit inde a cuniculis laudatæ plantæ folia in deliciis haberi.

## S T A C H Y S.

STACHYS, *Offic.* Stachys major Germanica, C. B. P. *236. Inst.* R. H. *186.* Stachys Fuchsii, J. B. *3. 319. Dod. Ger. Raii Hist. 554. Cast. Lonic. Tabern.* Stachys Dioscoridis, *Lob. icon.* 530. Salvia sylvestris, *Cæsalp.* Marrubium agreste vel tertium, *Trag.* Sphacelus, aliis Stachys, *Guil.* Pseudo-Stachys Matthioli, *Lugd. Hist. 963.* Stachys foliis oblongo-cordatis, floribus, verticillatis, *Linn. Hort. Cliff. 309.* Marrubium campestre seu montanum, Salvia montana, Navicula, Herba coronata, Spica sylvestris vel agrestis, *Quorumd.* vulgo *Epi fleuri, Sauge molle, Sauge sauvage.*

Radix dura, lignosa, fibrosa, lutescens, vivax, unum aut plures propellit caules fere bipedales, crassos, quadratos, implicatos, hirsutos, albos, villosos, interne medullosos; folia pro unoquoque caulis nodo invicem opposita, Marrubii albi foliis æmula, longiora tamen, & albidiora, villosa, margine denticulato, odore gratissimo, sapore adstringenti, absque ulla acrimonia; flores verticillatos, ac inter folia in caulis vertice spicæ in morem dispositos, externe hirsutos, intus glabros, ut plurimum purpureos, quandoque albos, ad Lamii flores plurimum accedentes, & labiatos, quo-

rum labium superius, seu galea cochlearis instar excavata est, inferius vero trifidum, lateralibus divisionibus, media minoribus. Hisce deciduis præsto sunt quatuor semina fere rotunda, subnigra, capsula conclusa quondam florum calycem efformante. Penetranti odore scatet universa planta, locisque montanis, rudibus, ac incultis crescit, Junio Julioque floret, in hortis præterea colitur.

*Stachys* vero nuncupata fuit, eo quod ejus flores spicæ in modum locati sint.

A Medicis raro admodum usurpatur, plurimum salis, oleique habet exaltati. Dioscorides vero, cujus sententiam Neoterici quoque omnes sequuntur, testatur, ejus decoctionem, urinas, mensesque ciere, ac feliciter ad partus ac secundinarum excretionem adjuvandam, in usum revocari. A Boerhaavio autem, in *Historia Plantarum Horti Lugduno-Batavi* adversum Apoplexiam, Epilepsiam, ac Vapores commendatur.

## STAPHISAGRIA.

STAPHISAGRIA, *Offic.* C. B. P. 324. J. B. 3. 641. *Matth.* 1231. *Dod. Pempt.* 366. *Trag.* 902. *Raii Hist.* 705. *Fuchs. Lob. Lac. Turn. Lugd. Hist. Cæsalp. Cast. Camer. Gesn. Hort. Ger. Park.* Delphinium Platani folio, Staphisagria dictum, *Inst.* R. H. 428. Herba pedicularis, *Cord.* in Dioscor. Aconitum urens Ricini fere foliis, flore cæruleo magno, Staphisagria dictum, *Pluk* Astaphisagria, & Staphis Plinio, vitifolia, Pituitaria, uva taminea, Piper murium, aut glirium Germanorum, Alberas, Arabum, Phithrion, Phirococcon, Phthiroctonon, seu Granum Pedicularium, *Nonnull.* vulgo *Staphisaigre*, *Herbe aux poux*, *ou herbe a la pituite.*

Radix longa, lignosa, annua, ad pedis cum dimidio, aut ad duorum pedum altitudinem emittit caulem erectum, rotundum, hirsutum, ramosum, folia vero magna, lata, profunde pluribus locis incisa, viridia, hirsuta, Ricino, Platano, aut Viti fere similia, longis caudis appensa, flores summo caule, aut ramis, aut ex foliorum alis enascentes, quinque constantes petalis inæqualibus, sphæricis, saturate cæruleis, floribus Consolidæ regali proximis, nonnihil tamen amplioribus, quorum superius postica in parte calcaris in morem elongatur, alteriusque folii calcar excipit. Hisce succedunt fructus tribus, aut quatuor constantes vaginis sub-viridibus, quæ interne longitudinaliter aperiuntur, conduntque plura semina exigui pisi magnitudine, triangularia, rugosa, rudia, firmiter simul juncta, externe subnigra, interne, sub-albida, aut lutescentia, sapore acri, urenti, amaro, ac admodum ingrato. Umbrosis in locis, ac in regionibus calidis, in Provincia, & Occitania crescit planta hæc, ex quibus exsiccatum semen nobis advehitur, quod recens, probe nutritum, ac mundum seligendum est; in hortis quoque colitur ob florum elegantiam, Vere autem seritur, soloque delectatur sativo, ac riguo, Soli meridiano non adeo exposito, Æstate flores propellit, ac vindemiæ tempore semen ad maturitatem deducitur.

Plurimum habet salis, oleique. Ejus tantummodo semen a Medicis externum in usum revocatur, interne namque absque periculo haudquaquam præscribi potest. Violenter enim tam per superiora, quam per inferiora purgat a gr. xij. ad ℈ j, simulque fauces tanta inflammatione obducit, ut suffo-

ſuffocationis metum incutat. Hinc proſcriptum fuit, aliis tutioribus ſolutivis ejus loco adhibitis.

Extrinſecus ſeminis ℨ j. tuſa noduloque occluſa, ac manſa in dentium morbis, pituitæ excreatum promovet, cerebrumque redundantibus ſeroſitatibus exonerat. Ejus quoque decoctio pro Gargariſmate uſurpari commode poteſt, tamquam vulnerario-detergens, ad carnes antiquorum ulcerum fluentium inſummendas, præ aliis vero uſitatiſſimum eſt ſemen prædictum ad pediculos enecandos: eo capilli inſperguntur, aut cum oleo mixto caput illinitur, hinc brevi turpium animalium genus omnino deſtruitur.

## STATICE.

STATICE, *Offic.* Caryophyllus montanus major flore globoſo, C. B. P. 211. *Raii Hiſt.* 1037. Caryophylleus flos amphyllocaulos, vel junceus, major, J. B. 3. 336. Gramen Polyanthemum majus, *Dod. Pempt.* 564. Statice, *Lugd. Hiſt.* 1190. *Inſt.* R. H. 341. Caryophyllus mediterraneus, *Ger.* Gramen marinum mediterraneum majus, Statice quibuſdam, *Park.* Statice caule nudo ſimpliciſſimo capitato, *Linn. Hort. Cliff.* 115. Statice major & vulgatior, Gramen majus Garyophylleum, Caryophyllus ſylveſtris major, Caryophyllus foliis graminis montani ſpicati, Caryophyllus montanus major radice longiſſima, *Quorumd.* vulgo *Statice*, *Gazon d'Olympe ou de Montagne*, *OEillet de Paris*.

E radice longa, ſatis craſſa, rotunda, ſubrubra, lignoſa, vivaci, pluribus quodammodo capitibus diſtincta, plura emergunt folia longa, Graminis more, anguſta, dilute-viridia, latitudine variantia; hæc inter plures eriguntur caules fere pedales, erecti, nodis deſtituti, cavi, ferme nudi, in quorum ſummitatibus exiguorum florum faſciculus ſphæricus locatur, hi autem flores quinque petalis conſtant caryophyllaceis, calyceque adinſtar infundibuli fulciuntur, faſciculuſque univerſus alio pariter ſquammoſo calyce firmatur. Singulis deciduis floribus, ſemen utrinque acuminatum ſuccedit capſula concluſum, quondam floris calycem efformante. Montanis in locis, nonnihil humidis, e mari longinquis creſcit planta hæc, Æſtate flores oſtendit, quum autem hi ſimul non explicentur, ſed alii tantum poſt alios, hinc diutiſſime in planta ipſa ad exitum uſque Autumni, quandoque ſervantur.

Tamquam vulnerario-adſtringens, ad ſanguinem, alioſque fluxus ſtagnandos planta hæc aptiſſima recenſetur, & a Dalemchampio in *Hiſtoria Plantarum Lugdunenſium*, & a Boerhaavio in *Hiſtoria Plantarum Horti Lugduno-Batavi* pro iiſdemmet morbis commendatur. Succus ejus in ſputo ſanguineo, narium fluxione, ac in menſtrua & hæmorrhoidali purgatione nimis copioſa hauritur, nec non in dyſenteriis.

Extrinſecus quoque tam vulnera, quam ulcera maligna ejus pulvere conſperguntur, quæ, facultate vulneraria, omnino ſanat.

## STRAMONIUM.

STRAMONIUM, ſeu Nux Metella, *Offic.* Solanum pomo ſpinoſo rotundo, longo flore, C. B. P. 168. Stramonia multis dicta, ſive Pomum ſpinoſum,

 ſum,

ſum, J. B. 3. 624. Stramonia, *Dod. Pempt.* 460. Stramonium fructu ſpinoſo rotundo, flore albo ſimplici, *Inſt.* R. H. 118. Stramonium majus album, *Park. Raii Hiſt.* 748. Stramonium ſpinoſum, *Ger.* Nux metella, *Matth. Caſt. Acoſt. Camer.* Nux Methel Avicennæ, *Anguill. Fuchſ.* Stramonia, ſive pomum ſpinoſum, *Trag.* Stramonium fructu rotundo, deorſum ſpectante & aſpero, *Column.* Datura Turcarum, *Eyſt.* Datura pericarpiis erectis ovatis, *Linn. Hort. Cliff.* 55. Stramonium minus, ſive Nux Methel, Arabum flore albo, Tatura vel Tatula, Stramonium peregrinum, malum ſpinoſum, Malus Peruviana, Solanum Romanum vel ſpinoſum, Meloſpinus, Corona regia, ſolanum fœtidum, Hippomanes, *Quorumd.* vulgo *Pomme èpineuſe*, *Noix metelle*, *Herbe aux Sorciers*, *Herbe de Magiciens*, *Herbe du Diable*, *Herbe a la Taupe*.

E radice craſſa, alba, fibroſa, lignoſa, annua caulis exſurgit tripedalis, ac quandoque ad humanam uſque proceritatem, digiti craſſitie, rotundus, cavus, pluribus diſtinctus ramis, parumper hirſutus, foliis ampliſſimis, anguloſis, acuminatis, Solani folia æmulantibus, nonnihil majoribus, alternatim locatis, ambitu ſinuoſo, longis, appenſis, caudis, mollibus, pinguibus, ſaturate viridibus, fœtore execrando, caputque tentante, flore campaniformi, albo cyathum quodammodo referente, calyce ſuffulto oblongo, quinis denticulis ſuperne diſtincto, odoris neutiquam ingrati, quinque ſtaminibus, ſummitatibus luteis ac planis in centro locatis. Huic fructus ſuccedit, Nucis vulgaris adhuc primo cortice indutæ, magnitudine, ſemirotundus, brevibus, craſſis, vixque aculeatis ſpinis circum veſtitus, ſeſe maturitatis tempore quadrifariam aperiens, ac interne æqualibus membranaceis ſepimentis diſtinctus, in quibus plura ſemina nigra, nonnihil plana, reniformia, ſapore ingrato appenduntur. In hortis colitur planta hæc, quæ quandoque etiam in arvis occurrit pinguibus prope domos, Julio ac Auguſto flores præſefert, ſemina autem Autumno matureſcunt.

Singularibus profecto Stramonium proprietatibus gaudet, quæ, utinam, aut ignotæ omnino eſſent, aut eas pravi homines malitioſe vafrum in uſum non aptarent. Extant enim, jamque a nobis fuerunt recenſitæ, aliæ plantæ, quæ huic facile ſubſtitui poſſent, adeoque ejuſdem uſus, & abuſus, in iis præſertim, in quibus noxium deprehenditur, omnino interdicendus eſſet.

Plurimum continet olei, phlegmatis, ſaliſque eſſentialis aut volatilis. Folia odore ſcatent fortiſſimo, ac fœtido, caput lædente, flores, ut innuimus, minus ingrati ſunt, ſoporem nihilo minus hi quoque inducunt, nec non univerſa planta Narcotica eſt, ac ſtupefaciens.

Ejus internus uſus abſolute interdicendus eſt, nec clyſmatis quidem forma permittendus, prava enim ſymptomata excitat, vomitus nempe, delirium, lethargum, frigidos ſudores, convulſiones, mortemque ipſam, ni prompte occuratur. Speciem hanc veneni, ſanguinis maſſam coagulantis debellare ſolent Sales volatiles, Theriaca, Orvietanum, vomitoria, fotus externi cum Spiritu Vini, aqua Reginæ Hungariæ, ſpiritu volatili ſalis Ammoniaci &c. *In Ephemeridibus Germanicis* plures extant obſervationes, quibus pravæ hujuſce plantæ internæ ſumptæ qualitates demonſtrantur. Præ cæteris D. Grugerus refert, *Decuria III. anno II. pag.* 84. cuidam Primati Nephritico, pulverem ſeminum Stramonii (ſane moleſto qui pro quo) pro pulvere ſeminum Bardanæ propinatum fuiſſe, qui nonnullarum horarum intervallo, faucium contractione cum ſuffocationis periculo, vertigine, errore ſpiritus, ac extaſi varia

phan-

phantaſmata repræſentante correptus fuit. Gargariſmate a Medicis ex Ficubus, Paſſulis & Glycyrrhiza præſcripto, eoque œſophagi conſtrictione evaneſcente, ad ſudorem eliciendum, Theriacæ ʒ ij. ſtatim propinatæ fuerunt, quibus iterum quandoque repetitis, pulverumque abſorbentium uſu interjecto, brevi dierum ſpatio æger convaluit, aliquando tamen ſuperveniente vertigine, quæ brevi quoque evanuit. Iiſdem *in Ephemeridibus Centuria IX. pag.* 206. in medium adducitur puerulus octo annorum, qui in horto quodam, pomorum Stramonii ſpinoſorum nonnulla ſemina eſitavit, tribuſque elapſis horis in delirium incidit riſu, cantu, ac geſticulatione continua conjunctum. Theriaca, lacte calido, ſoluta propinata copioſus apparuit ſudor, ſomnoque xxjv. horarum ſubſecuto, puerulus ſanatus fuit. Acoſta, & Garet referunt, a furibus, ac meretricibus ſeminis prædicti p. ʒ ß. in liquore aliquo grato iis exhiberi, qui forte in impias earum manus cadunt, ut delirio correptis, impune bona prædari poſſint. Idem Acoſta præterea teſtatur, Indiæ mulieres ad hocce ſemen peculiari arte parandum adeo excellere; ut vim habeant proprio nutu homines in mentis errorem inducere.

Quibus exemplis plane conſtat, quam nocuus ſit hujuſce plantæ uſus internus, & quamvis a nonnullis Medicis quædam ejus præparationes approbentur, iis tamen fidendum non eſt.

Exerne folia Stramonii Cataplaſmatis forma apponuntur, aut una cum axungia recenti contunduntur, Unguentumque conficitur adverſus aduſtiones, hæmorrhoideſque aptiſſimum: ſic autem temperantem, anodynam, ac reſolventem energiam habet. Acetum quoque, in quo, noctis ſpatio, ejus ſemina infuſa fuerint, mira præſtare dicitur adverſus exulceratam impetiginem, ac ulcera vaga.

Stramonii folia uſurpantur in Balſamo tranquillo, cujus virtus ad omnes dolorum ſpecies ſedandas, ſi parti affectæ applicetur, jam notiſſima eſt.

## S U B E R.

SUBER *Offic.* Suber latifolium perpetuo virens, C. B. P. 424. *Inſt.* R. H. 584. Suber latifolium, J. B. 1. 103. *Ger. Park. Raii Hiſt.* 1393. Phellos, ſive Suber, *Dod. Pempt.* 830. Suber latifolia, *Lob. Icon.* 159. Suber, *Lac. Lonic. Cord. Cæſalp.* Suber folio breviore & latiore, *Lugd. Hiſt.* Suberiferata latifolia ilex glande echinato, Suberella, Suber ſylveſtre vel agreſte, Suber ſpontaneum, Arbor Corticoſa, *Nonnull.* vulgo *Liège*.

Ei radix eſt longa, craſſa, dura, arboremque progignit mediocris altitudinis, Quercui viridi proximam, caudice tamen craſſiori, exiguum ramorum numerum emittente, cortice magis denſo, leviſſimo, ſpongioſo, coloris cinerei ad luteum accedentis, qui ſponte finditur, ac ab arbore ſegregatur, niſi prius avellatur, alio enim ſubtus enaſcente depellitur cortice rubri coloris, adeo rutillantis, ut e longe etiam oculos feriat. Folia quoque viridis Quercus folia æmulantur, nonnihil tamen majora ſunt, longiora, ſuperne viridiora, ambitu quandoque crenato, ac pungentia. Glandes quoque, earumque receptacula Quercus glandes ſimilantur, in longum tamen magis extenduntur, obtuſiores ſunt, ſaporeque, in Ilice conſtitutis, magis ingrato; calyx quoque major eſt, magiſque hirſutus. Quo magis veteraſcit eo melior evadit arbor hæc, quæ calidis in regionibus, noſtriſque Meridio-

nalibus Provinciis, Provincia nempe, ac Vasconia prope Pyrenæos, maximaque copia in Comitatu Ruscinonensi occurrit.

Regionum incolæ, in quibus Suber reperitur, quum ejus corticem colligere percommode cupiunt, arboris truncum longitudinaliter findunt, corticemque sublatum super ardentes prunas apponunt; postea, ut planitiem acquirat, lapidibus comprimunt, ac mundatum aliunde transmitunt. Suber hoc est, quo ad vasa obturanda, ac in arte Piscatoria, & Nautica diversimode utimur. In quibusdam Hispaniæ regionibus eo domus conteguntur. Optimæ æquales, vix nodosæ, nec rimas agentes, mediocriter compactæ, leves, minus porosæ, fractu faciles, ex eo veluti tabulæ eligendæ sunt. Tempestate autem calida, ac stabili auferri debet cortex; cortex enim inferiorior primum apparens & adhuc tener facile corrumpi, arborque universa abundantibus supervenientibus pluviis perire posset, quod in regionibus calidis, ac siccis, constanti tempestate, nunquam profecto accidere potest.

Exterior hic cortex proprie Suber, ob ejus levitatem, nuncupatus plurimum continet olei, parumque salis essentialis, adstringit autem, ac detergit, valetque ad hæmorrhagias, ventrisque fluxus sistendos, vel in substantia, pulveris forma, ʒ ß. aut ʒ j. aut in decocto ab ℥ ß. ad ℥ j. pro aquæ ℔. ij. Suber ustum, ac tenuissimo pulvere redactum, oleoque ovorum aut amygdalarum dulcium permixtum, experimento, a D. Chomelio, pluries repetito feliciter hæmorrhoides temperat, ac imminuit.

Ejus quinetiam glans cum glande Quercus communes virtutes habet adversum colicam ʒ ß. in hausto lactis exhibita.

Hispani Suberi corticem in quibusdam coopertis vasis calcinant, ac in levissimum nigrum pulverem reducunt; nuncupatur autem *Nigrum Hispanicum* variisque operibus inservire solet.

℞. Ciner. Suberi q. l. Butyri recentis aut Olei Amygd. dul. s. q. misce pro linimento hæmorrhoidibus hora somni apponendo, ac congruo temporis spatio, repetendo.

℞. Lactis Vaccini ℔. j. cui calefacto adde glandis Suberi p. ʒ ß. pro haustu adversus colicam flatulentam.

## S Y R I N G A.

SYRINGÆ nomine, arbuscula duo, genere diversa, floris causa exculta, 1. scilicet *Syringa* flore cæruleo, magis sub nomine *Liliac* cognita; 2. *Syringa* flore albo, aut proprie dicta, vulgo *Seringa*.

Liliac, *Offic.* Syringa cærulea, C. B. P. 398. *Ger. Raii Hist.* 1763. Syringa flore cæruleo, sive Liliac, J. B. 1. 204. Liliac, *Matth.* 1237. Liliac Matthioli, *Inst.* R. H. 601. Liliac Matthioli sive Syringa flore cæruleo, *Park.* Cauda vulpina Turcarum, *Bellon.* Ligustrum Orientale, forte Jasminum cæruleum Mauritanum, *Cæsalp.* Syringa cærulea Lusitanica, *Lob.* Syringa Lusitanica, *Tabern.* Syringa Belgis cæruleo flore, *Lugd. Hist. Camer. Hort.* Lilach sive hambach Arabum flore cæruleo, Syringa Constantinopolitana, Syringa azurea, Syringa rubra seu purpureo-cærula, *Quorumd.* vulgo *le Liliac ordinaire, ou la Queue de Renard des Jardins.*

E radice delicatula, lignosa, repenti arbuscula exsurgit, quæ ad mediocris arboris altitudinem perducitur; caudices habet exiles, erectos, ramosos, satis

tis firmos, cortice tectos cinereo-virescenti, medulla refertos alba, ac fungosa, foliis invicem oppositis, latis, acuminatis, lævibus, mollibus, viridibus, lucescentibus, Vincetoxico, aut Populo nigræ proximis, longis caudis appensis, sapore acriusculo ac amaro. Flores vero habet exiguos, oblongis racemis dispositos, plerumque subrubros, vel rubro-cæruleos, quandoque albos, aut argenteos, odore satis suavi: conflantur autem singuli tubulo vertice expanso, ac plerumque quadrifido, binis brevissimis staminibus apicibus luteis. Iis autem succedunt fructus plani, oblongi, Sarissæ ferrum plerumque immitantes, per maturitatem rubri, in duas cellulas divisi, seminibus repletas minutis, oblongis, planis, utrinque acuminatis, foliolo membranaceo cinctis, & quodammodo cristatis, ac rubris.

Arbuscula hæc propter sui floris elegantiam in hortis colitur, eumque Aprili promit. Juxta Matthiolum ab urbe Constantinopolitana, & juxta alios ab Indiis Orientalibus nobis advecta fuit.

*Liliac*, sive *Liliach* vox Arabica est: a Nonnullis autem a *Lilio* desumitur, autumaturque sic indigitari, ob figuram floris ad Lilium accedentem: *Cauda Vulpina* præterea nuncupatur, ejusdem enim florum racemi, vulpinam caudam mentiuntur; *Syringa* vero a voce Græca *Sirinx*, quæ *tubulum* sonat, crassioribus enim ejus ramis medulla depletis tubuli conficiuntur a Turcis præcipue pro tabacariis syringis usurpati.

Haud magnum apud Medicos usum habet, semen, tamquam adstringens, aut in pulvere, aut in decocto præscribitur.

Syringa, *Offic.* Syringa alba, sive Philadelphus Athenæi, C. B. P. 398. *Inst.* R. H. 617. Syringa flore albo, J. B. 1. 203. Syringa alba, *Tabern. Ger. Raii Hist.* 1763. Syringa, *Dod. Cæsalp.* Syringa flore albo simplici, *Park.* Frutex coronarius, *Clus. Hist.* 55. Syringa vulgo, *Lugd. Hist.* Syringa italica seu vulgaris, Philadelphus flos, Syringa floribus candidis, vulgo *le Sèringa commun.*

E radice flexibili, repenti, subdivisa, arbuscula progignitur, in longum, latumque sese extendens, cujus stolones, ramique erecti sunt, pluribus nodis articulati, digitum crassitie æquantes, cortice tecti cinereo, medulla fungosa ac alba repleti. Folia oblonga sunt lata, acuta, venosa, nonnihil rugosa, ambitu crenato, Pyri foliis fere similia, rudiora tamen, invicem opposita, sapore amaro, atque acri. Flores brevis spicæ in modum, summis virgultis, ramisque enascuntur, constant autem quatuor petalis acuminatis, rosaceis, albis, gratiose ac penetranter olentibus, adinstar florum Aurantiorum, & Citreorum. Exigui fructus hisce floribus præsto sunt, primum sub-virides, dein per maturitatem nigricantes, ovales, utrinque acuminati, calyci firmiter adhærentes, in quatuor cellulas discriminati, seminibus refertas minutis, ac oblongis. Arbuscula hæc in hortis colitur, Majo, Junioque floret, Autumno, ac Septembri semen maturitatem acquirit. Ejus origo ab omnibus prætermittitur. Nullatenus delicatula est, ubique facile subsistit, quemadmodum, & Liliac, tam in regionibus frigidis, quam in calidis, ac non semine modo, verum etiam taleis multiplicatur. Radices quoque plurimis scatent turionibus; Syringa hæc quoque duplici quandoque flore variare solet.

*Syringa* autem nuncupatur, eo quod ejus ramis medulla destitutis, tubuli aut *Syringæ* uti ex ramis *Liliac* commode confici possint. Cognominatur

deinde *Philadelpus* ejus flos, idemque ſonat, ac *bonus frater*, eique juxta Jonſtonum poſt J. Bauhinum denominatio hæc ſatis convenit, ejus enim rami una connectuntur, ac ita ſimul amplectuntur, ut Syringa apta nata ſit ad vivas ſepes, circum hortos, contra latronum, animaliumque incurſiones, comparandas.

Boerhaavius *in hiſtoria Plantarum Horti Lugduni-Batavi*, nullas Medicas in Syringa proprietates invenire, aſſerit, nihilo minus nos edocet Jonſtonus in *Dedographia*, Auſtriæ Matronas ſuas chirotecas ejus floribus aſperſas ſervare, ut ſuavem odorem exhalent, ac ex iiſdem floribus, odoram aquam elicere.

## TAMARISCUS.

DUæ extant TAMARISCI ſpecies in uſum Medicum venientes, Tamariſcus ſcilicet Germanica, & Tamariſcus Narbonenſis.

Tamariſcus Germanica, *Offic. Lob. Icon.* 218. *Inſt.* R. H. 661. *Ger.* Tamarix fruticoſa folio craſſiore, ſive Germanica, C. B. P. 485. Tamarix Germanica ſive minor, fruticoſa, J. B. 1. 351. Tamariſcus folio latiore, *Park. Raii Hiſt.* 1705. Myrica, *Trag.* 955. Myrica ſylveſtris altera, *Cluſ. Hiſt.* 40. Tamarix humilis, *Cord. Hiſt.* Myrica humilis, *Tab.* Myrica, ſive Tamariſcus altera, *Camer. Hort.* Tamarix ſecunda vulgaris, *Matth.* Myricæ ſpecies altera, Myrica Pannonica, Myrica Fuchſii Tamarix ſylveſtris, Tamariſcus fœmina, *Quorumd.* vulgo *le Tamariſc d'Allemagne*.

Radix pene cruris craſſitiem habet, tunicaque fulcitur ſatis denſa, & amariſſima, magnum fragilium caulium effert numerum, qui pluribus ramis diviſi ſub-rubro cortice conteguntur, innumera emittunt folia Ericæ vulgari ſimilia, Tamariſci Narbonnenſis majora, dilute-viridia, ſapore adſtringenti. Summis caulibus, ramiſque, ſpicæ in morem, flores locantur, quinque conflati petalis ovalibus, albo-purpureis, totidem ſtaminibus, apicibus rotundis, ac luteſcentibus. Hiſce exigui ſuccedunt oblongi fructus acuminati, triangulares, plura ſemina concludentes minuta ac criſtata. In Hungariæ regno, in agro Transburgi, Laudavii, ac Genevæ, alibique juxta excurrentes aquas, aut paludes, in locis humidis, ſaxoſiſque creſcit arbuſcula hæc, Majo, Junioque flores effert, quos una cum ſeminibus per totam Æſtatem neutiquam dimittit, difficile niſi ſecus aquas in hortis coli poteſt, frigoris injurias ſuffert, nunquam tamen ad arboris proceritatem exſurgit.

Tamariſcus, ſive Tamarix, *Offic.* Tamarix altera folio tenuiore, ſive Gallica, C. B. P. 485. Tamarix major, ſive arborea, Narbonenſis, J. B. 1. 350. *Raii Hiſt.* 1704. Tamariſcus Narbonenſis, *Lob. Icon.* 318. *Inſt.* R. H. 661. *Ger.* Tamariſcus folio tenuiore, *Park.* Myrica, ſive Tamarix Gallica & prima, *Matth. Camer. Hort.* Myrica ſylveſtris prima, *Cluſ. Hiſt.* Myrica, *Cæſalp. Dod.* Tamarix Narbonenſis, *Lugd. Hiſt.* Tamarix Gallica aut Hiſpanica, Tamaricis ſylveſtre genus Italiæ notiſſimum, Myrica circa Monſpelium creſcens ſive vulgatiſſima, *Quorumd.* vulgo *le Tamariſc de Narbonne, ou commun.*

E radice craſſa, lignoſa, multifariam diviſa, unus aut plures emergunt caudices plerumque arbuſtæ, aut dumi in morem, ac quandoque arborem ſatis proceram efformantes, adinſtar Mali Cotoneæ, cortice rudi externe cinereo, interne ſubrubro, ligno albo. Folia exigua ſunt longa ac rotunda

ad Cupressi, aut Ericæ vulgaris folia accedentia, dilute-viridia. Flores summo caudice, ramisque enascuntur, oblongis pendunculis, racematim dispositi, exigui, albo-purpurei, quinquepetali, in capsulas tandem, aut acuminatos fructus, abeuntes, pluribus refertos seminibus minutis, ac cristatis, ut in Salice, ac Populo. In regionibus præsertim calidis arbor hæc occurrit, in Italia nempe, Hispania, Occitania, & alibi, secus fluvia, aliaque humida loca, quandoque etiam ab aquis longinqua; tribus per annum vicibus plerumque flores progignit, Vere, Æstate, & Autumno, Hyeme vero foliis exoneratur, novis Vere in eorum locum succedentibus, solo delectatur humido, ac nigro; quum vero altius radices emiserit haudquaquam frigore, dummodo non excedat, læditur; magis tamen calorem amat, taleis, aut turnionibus multiplicatur. Lignum, radix, cortex, ac folia præcipue in usum Medicum revocantur.

Binis Tamarisci speciebus usque adhuc recensitis indiscriminatim utimur, omnesque earum partes plurimo sale, ac oleo scatent, a jure tamquam aperientes, ac idoneæ reputantur ad Lienis, Hepatis, ac Mesenterii obstructiones reserandas, & ad tartareos ac melancholicos humores attenuandos. Ligni ac radicis cortices in apozematibus, ptisanis, jusculisque aperientibus ℥ j. pro singulis liquoris ℔. ij. ad tertiæ partis diminutionem præsertim usurpantur. Hujusce præterea corticis Extractum Vino albo aut Sp. Vini elicitum potenter aperit a ʒ j. ad ʒ ij. Sal vero fixum calcinationis ope eductum, familiarissimum in jusculis usum habet a gr. xij. ad gr. xx. pro unaquaque dosi. De Tamarisci facultate, Lienem consumendi, plurimas fabulas veteres Medici venditarunt. Qua de causa a Dioscoride foliorum decoctio præscribebatur, a Plinio autem succus cum Vino permixtus; experientia autem compertum est, vim prædictam in Tamarisco neutiquam adesse, valere tamen sale proprio incidenti ad sanguinem condensatum in Liene stabulantem, viscerisque hujus inflationem, ac obstructionem quandoque progignentem, attenuandum, magisque fluidum efficiendum. Ejus quinetiam ligno pocula, cadique conficiuntur, a quibus aquæ aut vino contento incidendi vis communicari dicitur, eorumque usu Splenetici, ac Hypochondriaci solantur. Matthiolus, & Amatus Lusitanus asserunt, corticis, aut ligni Tamarisci decoctionem excellere adversus omnes cutaneos morbos, pruriginem scilicet, impetiginem, scabiem, ac lepram usque, salinas serositates prædictis vitiis pabulum ministrantes abunde expellendo. Idem quoque lignum in morbis Veneris Guajaco, optimo quidem successu, substituitur.

Ejus cortex cum Capparis cortice tusus, Cataplasmatis forma Lieni duro applicatur. A Tinctoribus autem ejusdem fructus usurpantur pro Gallis ad nigrum eliciendum.

Cortex, radices & folia Tamarisci in oleo Capparum *Pharmac. Paris.* adhibentur

℞. Rad. Graminis, Asparagi, Eringii vulgaris ana ℥ j. Corticis Tamarisci ℥ ß. Coque in aquæ ℔. iij. ad ij. Adde Nitri depurati ʒ j. Fiat colatura pro ptisana aperiente in Hydrope, imique ventris viscerum obstructione.

℞. Extracti Cichorii sylvestr. Fumariæ, & Rhabarbari ana ℥ ß. Extracti Colocynthidis gr. vj. Extracti Cucumis sylvestris ℈ j. Croci Martis aperientis, ℥ ß. Sennæ & Mercurii dulcis p. ana. ʒ ij. Jalapæ ac Diagridii p. ana.

ana. ℈ jv. Salis Absinthii, & Tamarisci ana. ʒ j. Croci Orientalis ʒ ß. Macis gr. xij. M. f. Opiata cum s. q. Oxymellis simplicis, mane, jejuno stomacho a ʒ j. ß. ad ʒ ij. exhibenda, una cum jusculo aperienti, aut cum cyatho ptisanæ superius modo descriptæ in Lienis, Hepatis, ac Mesenterii obstructionibus.

## TANACETUM.

PLurimæ TANACETI species distinguuntur, inter quas binas sequentes Officinales tantummodo describemus.

Tanacetum, *Offic.* Tanacetum vulgare luteum, C. B. P. 132. *Inst.* R. H. 461. Tanacetum vulgare flore luteo, J. B. 3. 131. Tanacetum Millefolii foliis, *Lob. icon.* 749. Tanacetum, *Matth. Dod. Cæsalp. Ger. Brunf. Gesn. Hort. Lonic. Cast. Turn. Raii Hist.* 365. Tanacetum vulgare, *Trag. Park. Eyst.* Artemisia tenuifolia, *Fuchs.* Athanasia vulgaris, *Lac.* Athanasia seu Tanacetum, *Lugd. Hist.* 955. Artemisia Dioscoridis, *Tabern. icon.* 10. Tanacetum foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis incisis serratis, *Linn. Hort. Cliff.* 398. Tanacetum majus, Tanacetum citrinum, Artemisia Letophyllos & monoclonos, Herba immortalis, Herba Mariæ, Parthenium mas, Parthenium microphyllon Hippocratis, *Nonnull.* vulgo *la Tanaisie ordinaire, l'Herbe aux Vers.*

Radice est longa, lignosa, pluribus fibris discriminata hinc, atque illinc reptantibus, vivaci, caulibus ad duorum vel trium pedum altitudinem, rotundis, striatis, nonnihil villosis, ac medullosis, foliis magnis, longis, alatis, incisis, incisionibus pari ordine quodammodo dispositis, ambitu denticulato, e viridi lutescentibus, odore penetranti, sapore amaro, floribus, summis caulibus, magnis fasciculis rotundis, umbellæ in morem locatis, enascentibus, qui scilicet pluribus expansis flosculis conflantur, vertice crenato, aurei sunt, lucentes, raro albi, squammoso calyce suffulti. Semina minuta, plerumque oblonga, maturescendo nigricantia, prædictis succedunt. Ubique fere occurrit planta hæc secus vias ac prata, in arvis, ad fossarum margines, locisque humidis; Julio autem, & Augusto flores ostendit. Quandoque quædam Tanaceti species reperitur foliis minutissime incisis, ac quodammodo cincinnatis, vocaturque *Tanacetum Anglicum*; a Casparo Bauhino ex eo species diversa constituitur sub nomine *Tanaceti crispi*, nihil vero aliud est, nisi præcedentis species in hortis sata. Foliis quoque planta eadem variare solet, hinc *Tanacetum versicolor* Parkinsoni, a quo varietas alia albo, ac viridi distincta colore instituitur.

Tanacetum acre, amarum, & aromaticum est, nec rubro colore chartam cærulam afficere solet, sale scatet volatili-aromatico-oleoso, plurimo sulphure, saturato, Analyseos enim Chymicæ ope ex eo plurimum olei, ac terræ, nihilque derivat salis volatilis concreti. Tamquam stomachale, febrifugum, sudorificum, antihelminthicum, ac deobstruens, tam interne, quam externe usurpatur. Cæsalpinus asserit, foliorum decoctione ex Vino, menses cieri, ac ʒ ij. eorumdem foliorum succi cum Aquæ Plantaginis ℥ jv. propinatis, intermittentes febres sanari. Hic idem succus ℥ iij. aut jv. utiliter præscribitur in Cakexia, Chlorosi, ac Hydrope; deque morbo, postremo loco enunciato, singularis occurrit observatio *in Ephemeridibus Germanicis, decuria* 2. *anno* 2. qua D. Peyerus narrat, militem quemdam Monspellii commoran-

morantem Hydrope affectum, post plura remedia incassum usurpata, quum Absinthii decoctionem in usum revocare cuperet, deceptum, loco Absinthii, Tanacetum sumpsisse, tribusque horis post bina pocula primum sumpta, adeo magnam urinæ copiam excrevisse, ut inflatio statim evanuerit, ac omnino sanatum deinde fuisse, eodem remedio, convenienti temporis spatio. In infimi ventris morbis, malignisque febribus verminosis summitatum Tanaceti Man. ij. recipiuntur, folia, scilicet, flores ac semina; ℔ iij. ebullientis aquæ affunduntur, cooperto vase omnia relinquendo, magnis deinde calidis cyathis infusum ægris propinatur, quo sane haustu, urinæ viæ optime mundantur, sanguis depuratur, obstructiones reserantur, vermesque enecantur. Aqua pariter stillatitia ejusdem plantæ semper in Officinis prostans in usum revocari potest ab ℥ ij. ad ℥ jv. in potionibus vermifugis. Conserva autem florum Tanaceti adversum Epilepsiam, ac Vertiginem ab ℥ ß. ad ℥ j. plurimum commendatur. In quibusdam septentrionalibus regionibus, tempore Paschatis, placentæ conficiuntur, in quibus foliorum ejusdem plantæ recentium succus admiscetur; placentæ prædictæ saporem habent gratissimum, stomachum roborant, ac flatus a Quadragesimalibus alimentis plerumque inductos discutiunt. Tanaceti semen, semini Sancto substitui potest, quamvis autem optimum sit, non adeo tamen excellit, parem enim odorem, ac amaritiem, in quibus vis vermifuga consistit, neutiquam habet.

Quoad externum ejusdem usum ab Hercule Saxonia cum successu ejus succus præscribebatur adversum manuum perniones; adversum impetiginem quoque ac porriginem commendatur. Contra vero rheumaticas affectiones Tanaceti summitates post nonnullorum dierum in Sp. Vini macerationem distillandæ sunt; spiritus autem postea elicitus, penetrans admodum est, eoque sæpius partes morbo affectæ illiniuntur, linteis calidis cooperiuntur, ac duo aut tria de die ejusdem cochlearia ægris exhibentur. Universæ præterea plantæ decoctio cum Vini fæce, ac Sambuci succo permixta excellit ad Hydropicorum crura fovenda.

Tanacetum quoque utile deprehenditur in distorsionibus, oblisionibusque; ejus folia tusa butyro recenti sociata, Cataplasmatis forma, iis applicantur: demum ejusdem foliorum, ac summitatum Cataplasma umbilico appositum excellit adversum vermes, præsertim si cum eo Bovinum fel conjugatur.

Si autem circum lectulos, ac inter culcitras apponatur, pulices, ac cimices depellendi vim habere, Parisiis creditur.

Plantæ ejusdem folia in aqua Generali, flores in pulvere Vermifugo & Orvietano, *Pharm. Paris.* usurpantur.

℞. Summitatum Tanaceti ʒ ij. Æthiopis mineralis ʒ j. ß. Corallinæ & Rhabarbari ana. ʒ j. F. P. ac M. cum q. s. Syrupi de Absinthio pro Opiata vermifuga, cujus dosis a ℈ j. ad ℈ ij. nebula excepta, purgationem sequentem quarta quaque die præscribendo.

℞. Mercurii dulcis, Rhabarbari, & pulv. Cornach. ana. gr. xv. M. cum s. q. Syrupi Flor. Persicor. pro bolo purgante, cujus dosis juxta ætatum diversitatem comminuetur.

℞. Fol. Flor. ac Sem. Tanaceti Man. ij. Superaffunde aquæ ebullientis ℔ iij. Frigefactis, fiat colatura, magnisque cyathis tepida ingurgitetur in Cakexia, Ictero, Hydrope, ac Renum, & infimi Ventris infarctubus.

℞. Summit. floridar. Tanaceti q. l. Infundantur in lagena vitrea Sp. Vini

adim-

adimplenda, adeo ut saltem duobus digitis spiritus supernatet, Mensis spatio, omnia infusa relinquantur, vase probe cooperto. Postea infusum hocce usurpetur in Rheumaticis affectionibus partes dolentes eo fovendo, linteoloque quadruplicato, eoque madido superapposito, quod convenienti temporis spatio repetetur.

℞. Fol. ac Summit. Tanaceti Man. j. Fellis Bovini ℥ ij. Unguenti Althææ ℥ j. M. pro Cataplasmate vermifugo, umbillico apponendo.

Costus hortorum, *Offic.* Mentha hortensis corymbifera, C. B. P. 226. Mentha corymbifera, sive Costus hortensis, J. B. 3. 144. Balsamina major. *Dod. Pempt.* 295. Menta Græca, *Camer. Epit.* 480. Tanacetum hortense flore, & odore Mentha, *L. Bat. App. Inst.* R. H. 461. Costus hortorum dictus, seu Balsamita mas, *Raii Hist.* 363. Costus hortorum major, *Park.* Balsamina mas, *Ger.* Herba Sanctæ Mariæ vulgo, *Cæsalp* 483. Alisma Germanorum, *Trag.* 163. Mentha Romana, *Lac.* Mentha Saracenica, *Cord. Hist.* Balsamita, *Brunf.* Ovaria, *Gesn. Hort.* Mentha lassulata Hetruscis, Salvia Romana, Costus herba, Pseudo-Costus, Balsamum hortorum, Costus vulgaris, Menthæ folio, Mentha Sacerdotalis, Coquus hortulanus, Herba divæ Mariæ, *Nonnull.* vulgo *la Menthe-Coq*, *la Menthe notre-Dame*, *le gran Baume*, *le Pastè*.

Radicem habet Menthæ simillimam, obliquam, rotundam, pluribus fibris stipatam, caules fere bipedales, striatos, hirsutos, ramosos, pallidos, foliis oblongis, Lepidii maj. foliis, æqualibus, ambitu crenato, ejusdem cum caule coloris, raro incisis, odoris penetrantis ac grati, saporis amari & aromatici, floribus uti in Tanaceto fasciculatim enascentibus in caulium ac ramorum vertice, pluribus, una simul globulaliter conjunctis, & aureis. Hi tandem in semina abeunt minuta, neutiquam cristata, oblonga, plana in floris calycis basi conclusa. In omnibus fere hortis occurrit planta hæc, de ejus enim cultura plures delectantur, ac facile multiplicatur; Æstate fere exeunte flores propellit, ac toto plerumque Autumno detinet.

Analysi Chymica Costus hortorum plurimum olei exaltati, salisque ministrat. Ad cerebrum, nervosque roborandos aptus recensetur, nec non ad menses ciendos, vermesque enecandos, Absinthii in modum usurpatur, ac ex eo pariter extractum, conserva, aqua stillatitia, ac infusione oleum paratur; postrema autem præparatio maximum Lutetiæ Parisiorum adversus omnes vulnerum ac contusionum species usum habet, ac *huile de Baume* nuncupatur. Tam simplex, quam compositum parari potest, simplex vero conficitur infundendo in crassioribus lagenis, aut hydriis folia ejusdem plantæ, aut ejus summitates in optimo Olivar. oleo, vasque mensis fere spatio per Æstatem radiis Solaribus exponendo; compositum autem varimode a variis paratur. Sequens ratio optima quidem videtur.

℞. Olei Olivar. ℔ x. Infunde in magno vase e silice ad medietatem usque repleto, Superaffunde Costi hortorum, Salviæ min. ac maj. Hyperici, Nicotianæ foliis viridibus, Bugulæ, Saniculæ, Betonicæ, Chamomillæ, Artemisiæ ac Rosar. Provincialium ana. Man. j. Omnia minutim dissecentur, ac caulibus costisque duris mundentur, antequam autem Oleo admisceantur optimo Vino rubro irrorentur; postea adde Aristolochiæ tusæ ℔ quadrantem, Vas Junio exeunte ad medietatem usque Augusti Soli expositum relinquatur, herbas quotidie commiscendo; ebulliat deinde oleum in lebete horæ fere spatio, usque dum saturate virescat, her-

herbæque decoctæ omnino sint, eas baculo, ne comburantur, commiscendo. Linteolo novo omnia deinde exprimantur fortiter, ut herbarum succus eliciatur, in altero deinde lebete mundato oleum reponendo, adde deinde optimi Vini rubri cyathum j. Mastich. & Olibani p. ana ʒ ij. Coque denuo per horæ dimidium, baculo oleum agitando, deinde auferatur, vaseque idoneo pro usu servetur.

Commode Tanaceto planta hæc substitui potest. Parkinsonus puerulis, lumbricis, vexatis Vini ℥ ij. exhibebat, in quo ejusdem folia ac semina infusa fuerint. Vi autem ejus balsamaca, *Balsamitæ* nomine indigitatur.

Quandoque farinaceæ massæ subactæ ad gratiam admiscebatur, hinc Gallice vulgo *Pastè* nuncupatur: hisce vero temporibus, in quibus, sensoriis nostris depravatis, alliciendis, ne exotici quidem pulveres sufficere videntur, penitus mos hic obsolevit. In Italicis vero regionibus acetariis, ovorumque intritis sociatur.

Planta in Unguento *Martiato* Nicolai Alexandrini usurpatur.

℞. Flor. Absinthii recentium, Costi hortensis, Marrubii albi, & Tanaceti ana. Man. ij. Ex iis incisis, ac tritis succus torculari eliciatur; postea lento igni apponatur ad fœces abigendas: succus deinde optime depuratur, ac ad Mellis densi, aut Extracti consistentiam evaporatur; præscribitur autem ʒ ß. in parvo Vini cyatho, mane, jejuno ventriculo, adversum glareas, & viscositates stomachi, & contra vermes.

## TAXUS.

TAXUS, *Offic.* C. B. P. 505. J. B. 1. 241. *Dod. Pempt.* 859. *Inst.* R. H. 589. *Raii Hist.* 1416. *Ger. Park. Matth. Anguill. Gesn. Hort. Lac. Turn. Lon. Lob. Thal. Port. Lugd. Hist. Linn. Hort. Cliff.* 464. Milax arbor, *Cord. in Dioscor.* Taxus vulgo Nassus flosculos amentaceos ferens, *Cæsalp.* 134. Smilax arbor, *Camer.* Smilax Dioscoridis, Milas Theophrasti, Arbor mortis, *Quorumd.* vulgo *Yf ou If.*

Radice est crassa, dura, profunda, quæ truncum erectum emittit, arborem constituentem semper virentem, Abieti piceæ persimilem, ligno durissimo, sub-rubro, venoso, incorruptibili, ad bacula, mensas, pateras, aliasque plures suppellectiles conficiendas apto; folia vero, Abietis foliis æqualia, minus tamen erecta, & magis acuta, in pectinis dentium morem distributa, superne lucescentia, atro-viridia, sapore amariusculo; flores exiguis constantes fasciculis, dilute-viridies, ac nonnullis apicibus subtilissimo confertis pulvere, fungi more incisos, quatuor aut quinque denticulis iterum incisos, nullum post se relinquentes semen. Fructus vero eadem in planta segregati progignuntur, baccisque mollibus, succo refertis, cavis, antica in facie crotalum mentientibus, læte purpureis, ovale semen occludentibus, Piperis grano exilius, tunica satis dura obductum, atrum, medulla saporis gratissimi. Montanis, saxosis, præruptisque in locis, in regionibus calidis, Italia nempe, Provincia, & Occitania crescit arbor prædicta, frequenter etiam frigidis in plagis occurrit, in Anglia scilicet, ac Helvetia, & alibi, in montibus, sylvisque umbrosis; flores Vere propellit, baccæ vero haudquaquam ingratæ, insipidæ, & amariusculæ Autumno maturescunt. Una tantum Taxi species nota est, a Nonnullis tamen variare dicitur foliis variegatis. In Cœmete-

meteriis a veteribus locabatur, ejusque perpetuum virorem, tamquam immortalitatis symbolum respicientes, ad eam tandem generali resurrectione, sepulta corpora pervenire posse, confidebant. Capsæ apud ipsos veteres magis in pretio habitæ e Taxus ligno conficiebantur, nostrisque etiam diebus plurimum a nostris lignariis fabris, ac tornatoribus existimatur. Evelynus vero asserit, lignum hocce præstare ad dentes pro rotis frumentariis, ad plaustrorum axes, & ad musicalia quoque instrumenta paranda. Eo præterea Germani hypocausta sua exornant. Taxus aut vivi-radice, aut semine propagatur, melius tamen semine, quamvis ad annum, & ultra e solo non elongetur; juxta Gesneri sententiam facillime expanditur, si exilis adhuc transferatur, & ad seculum, & ultra perdurat. Ad magnam proceritatem Taxum excrescere, haudquaquam permittimus, nisi magnis in viis, pratisque, ad pyramides enim tripedales, aut quadripedales in hortensibus areis majoris ornatus causa reduci debet.

Quamvis Taxus agri Parisiensis vulgatissimus incola, nullis usque adhuc notis, Medicis facultatibus excellat, verba tamen de eo facere, idoneum reputavimus, ut de ejus venefica vi, falsa opinio destruatur, qua, non ejus foliis, ac fructibus tantum comestis, venenum inferri dicitur, verum etiam si forte sub umbrosis ejusdem ramis somnus capiatur. A Dioscoride, Galeno, ac Plinio, universa Antiquorum pedissequa schola, inter venena rescribitur. Julius Cæsar *in sexto Commentariorum libro* narrat, Cativulcum Eburoniensium Regem, Taxus succo, venenum sumpsisse. Matthiolus vero, & Jo. Bauhinus pravas prædictas qualitates experimentis confirmant. P. Scottus e S. J. asserit, Taxus in stagnantem aquam immissum, stupefacientem vim acquirere, vimque hance narcoticam in brutis quoque exerere Jo. Bauhinus observavit, quæ qualitas ex eo etiam firmari videtur, quod a Rajo de Taxo valde umbroso, in horto Pisano exculto refertur, ad quem tondendum, quum hortulani accederent, ultra horæ dimidium ad hocce opus perficiendum, absque violento dolore capitis perdurare neutiquam poterant. Quibus omnibus perpensis, satis evinci videtur, Taxum inter venena locum habere, fere nihil enim in re Medica pendet Svetonii testimonium, quo asseritur, succum fructuum ejusdem arboris, Viperarum morsui antidotum esse, tamen si Lobellium quoque, Camerarium, aliosque plurimos Medicos, ac præ omnibus experientiam ipsam audiamus, statim apparebit, nullum ex hac arbore periculum imminere posse. Primus enim testatur, puerulos Anglos fructibus Taxus quotidie vesci, absque ullo metu, eosdemque pro alimento porcis ministrari. Gerardus vero præclarus Botanicus Anglus ait, pluries, simul cum aliis pluribus, fructus hosce absque ulla turbatione comedisse, pluriesque, absque ullo capitis, aut alio morbo ad ejusdem arboris umbram obdormivisse: præterea, ne alienis utamur experimentis, nos ipsi pluries puerulos vidimus in Horto Regio Parisiensi, Taxus baccas innoxie esitare, quibus sane ocularibus etiam experimentis statuimus, Taxum nulla ex se venefica facultate scatere, ac si forte aliis in regionibus periculo non caret, climati potius prava qualitas tribuenda sit. Idem quoque est Raii placitum juxta Dioscoridis observationem, a quo Rajo edocemur, Taxum in Italia, ac Gallia Narbonensi enascentem veneficum esse, non vero aliis in regionibus excultum. Eamdem diversitatem nonnullis in plantis quoque superius descriptis observavimus, ac in Napello præcipue, quibusdam in re-

in regionibus infenſiſſimo, in aliis vero nequaquam. Quare exoptandum eſt, ut in iis præſertim locis, in quibus nulla venefica vis ſuſpicatur, Phyſici de eo experimenta inſtituant, tuto enim id fieri poteſt, maximamque veritati viam explanaſſe credimus, ſi percæpta de Taxo præjudicia omnino a nobis fuerint diſſipata.

## TERTIANARIA.

TERTIANARIA, *Offic.* Lyſimachia cærulea galericulata, vel Gratiola cærulea, C. B. P. 246. *Raii Hiſt.* 572. Tertianaria, aliis Lyſimachia galericulata, J. B. 3. 435. Caſſida paluſtris vulgatior, flore cæruleo, *Inſt.* R. H. 182. Lyſimachia galericulata, *Lob. Icon.* 344. *Ger.* Lyſimachia cærulea, ſive latifolia major, *Park.* Herba Judaica altera, *Dod. Lugd. Hiſt.* Tertianaria, *Tabern.* Scutellaria, foliis cordato-lanceolatis, crenatis, *Linn. Hort. Cliff.* 316. Lyſimachia galericulata cæruleo-purpurea, Terſolla, ſeu Terzolla, Caſſida cærulea major, *Nonnull.* vulgo *herbe aux fievres tierces*, *Centaurée bleue*.

Radice eſt gracili, nodoſa, alba, repenti, fibroſa, vivaci, quæ caules ad pedis cum dimidio, aut duorum pedum altitudinem producit, quadratos, ſatis rudes, glabros, ramoſos, debiles, ſolum verſus propendentes, in quo denuo intermediis fibris ex eorum nodis diſcedentibus implantantur. Folia vero habet longa, anguſta, acuta, denticulata, brevibus appenſa caudis, rudia, atro-viridia, ſapore amaro. Ex foliorum alis flores prodeunt invícem oppoſiti, exigui, labiati, vertice bifariam diviſo, quorum labium ſuperius galerum binis auriculis ſociatum efformat, inferius vero plerumque cavum eſt, externe villoſi ſunt, ac violaceo-cærulei, exiguis referti punctis ſaturate-cæruleis: abeunt tandem in quatuor ſemina ſemirotunda, capſula, concluſa, quondam floris calycem conſtituente, caputque mentiente, pileolo contectum. In paludibus, ſecus aquas ſtagnantes, foſſas, rivuloſque, aliiſque in locis humidis creſcit planta hæc, Junio, Julio, ac Auguſto floribus veſtitur, hortulanorumque odium meretur, ſi forte in hortis irrepſerit, ob ſuum reptandi morem, vix enim deſtrui poteſt; flore albo quandoque variare ſolet.

Tertianaria odorem habet ſatis gratum, plurimumque olei, ſaliſque eſſentialis Analyſi Chymica elargitur, ac tamquam febrifuga, ac vulnerario-adſtringens reputatur. Sic autem de facto vocatur, ob febres tertianas ſanandi facultatem; vix tamen familiarem in re Medica uſum habet. China China enim detecta (quæ certe præ omnibus aliis plantis ad intermittentes febres expellendas prælationem meretur) cæteræ omnes febrifuga vi præditæ pene oblitæ ſunt: quum tamen quædam febrium ſpecies Chinæ Chinæ virtuti reluctantes exiſtant, aliarumque plantarum ope profugentur; perutile ideo recenſetur ea quæ Peruviano cortici-ſubſtituenda ſint probe pernoſcere; hæc inter vero Tertianaria enumeratur. Decoctionis forma Man. j. pro ſingulis aquæ ℔. ij. ad tertiæ partis diminutionem, perque cyathos tepide præſcribitur. Camerarius vero decoctionem prædictam in angina optimam deprædicat, ſanguiniſque maſſam depurare aſſerit.

# TETRAGONIA.

EVonyms, *Offic.* Evonymus vulgaris granis rubentibus, C. B. P. 428. *Inſt.* R. H. 617. Evonymus multis, aliis TETRAGONIA, J. B. 1. 201. Evonymus, *Dod. Pempt.* 783. Evonymus vulgaris, *Park. Raii Hiſt.* 1621. Evonymus Theophraſti, *Ger.* Tetragonia Theophraſti, *Lugd. Hiſt.* 272. Fuſanus, *Creſcent.* Anonymus, filiis Evonimus, *Cord. Hiſt.* Evonymos Græcorum, *Cluſ. Hiſt.* Evonymus foliis oblongo-ovatis, *Linn. Hort. Cliff.* 38. Quadratoria, *Gaz.* Evonymos, ſive Anonymos, Fuſanus, Fuſanum, Fuſago, Fuſaria vel Fuſoria, Pileus ſacerdotis, *Quorumd.* vulgo *Fuſain, Bonnet de Pretre, bois à faire des Lardoires.*

Radice nititur longa, forti, lignoſa, arbuſculam emittente ad quatuor, aut quinque cubitos, & ultra, ramoſam, ligno ſatis duro, fractu tamen facili, luteo, ad albedinem accedente, viridi cortice, ramuſculis adhuc teneris, ac viridibus, quadrangularibus apparentibus, ob quaſdam eorum corticis eminentias; foliis oblongis acutis, crenatis, molliuſculis; floribus exiguis, pallidis, aut herbaceis, conſtantibus, quatuor petalis ovalibus, ac rotundiformibus in conjunctione, qua roſulæ in centro quadrifidi calycis, locatæ adhereſcunt. Deciduis floribus roſula hæc in fructum abit membranaceum, quadrilatetum, rubrum, raro album, quatuor conflatum capſulis, quarum unaquæque ſemen occludit ovale, ſolidum, externe croceum, medulla alba refertum, adinſtar ſeminis Cannabis, ſapore amaro, ac ingrato. Arbuſcula hæc, forti, ac moleſto odore ſcatet, fere ubique creſcit in ſepibus, ſylvulis, nemoribus, in rudibus, incultiſque locis; Majo flores profert, ac Semptembri, & Octobri fructus ad maturitatem perducuntur: tunc autem fructus prædicti, quum præcipue perfecte maturi ſunt, juxta J. Bauhinum, aſpectum elegantiſſimum habent.

Folia ejus, fructuſque Analyſi Chymica plurimum olei, ſaliſque eſſentialis ac fixi largiuntur, experientia autem comprobari dicitur, tres, aut quatuor ex hiſce fructibus non minus per ſuperiora, quam per inferiora evacuandi vim habere. A ruſticis vero pulverantur, iiſque infantum caput inſpergitur de pediculos enecandos, aut eorumdem fructuum decoctione capilli abſterguuntur. Tinctoria in arte uſurpantur, treſque colores ſuppeditant, luteum, nempe viridem, ac rubrum, pro primo eliciendo, ſemina adhuc viridia pauco Alumine ſociata decoquuntur, quæ præterea in lixivio ebullita, flavo colore capillos inficere ſolent.

Matthiolus poſt Theophraſtum aſſerit, Tetragoniam Brutis nauſeam conciliare, & Ruelius memoriæ prodidit, oves, & capras ab ea cavere: Cluſius e contra ſcribit, in Auſtria obſervaſſe, capras ea plurimum delectari, ac ab iis folia tuto devorari, quod inveriſimile nobis videtur, ingrati odoris, viſque hujuſce arbuſculæ purgantis cauſa.

Ex ligno denique fuſa, dentiſcalpia, lardaria verucula, aliaque inſtrumenta quamplurima, & pulvis pyrius parari ſolet.

THA-

## T H A L I C T R U M.

THALICTRUM ſeu Thalietrum, *Offic.* Thalictrum majus ſiliqua anguloſa aut ſtriata, C. B. P. *336. Inſt.* R. H. 270. Thalictrum nigrius, caule, & ſemine ſtriato, J. B. *3. 486.* Thalictrum magnum, *Dod. Pempt.* 58. Thalictrum ſive Talicctrum majus, *Ger. Raii Hiſt.* 403. Thalictrum majus vulgare, *Park.* Ruta pratenſis, *Genſ. Hort.* Ruta pratenſis Herbariorum, *Lob. Icon.* 56. Thalietrum nigrum, *Thal.* Ruta ſylveſtris, *Cæſalp.* Thalictrum verum, *Cord. in Dioſcor.* Thalietrum ſecundum ſive latifolium Germanicum, *Camer.* Thalietrum pratanſe elatius, longioribus & magis atris foliis & quodammodo ſplendentibus, *Cluſ. Hiſt.* Thalictrum caule folioſo ſulcato, panicula multiplici erecta. *Linn. Hort. Cliff.* 226. Thalictrum luteum, ſaxifraga lutea, Barba Caprina minor, ſaxifragia pratenſis, Ruta fœtida ſive lutea, Ruta pratenſis major & vulgatior, Rhabarbarum Spurium ſive adulterinum, Pſeudo-Rhabarbarum, Piganum, Peganum, vel Peganon pratenſe majus, *Nonnull.* vulgo *Thalitron commun*, *Rue des Prez.*

Radicem habet ſubflavam, fibroſam, repentem, amaram & ingratam. Caules ad humanam ſtaturam propellit erectos, ſtriatos, ramoſos, interne cavos, plerumque ſubrubros, ac quandoque ſub-virides, foliis amplis, ſatis latis ſubdiviſionibus, e viridi luceſcentibus. In caulium, ramorumque vertice flores locantur exigui, quatuor conſtantes petalis roſaceis, ſtaminum herbaceorum congerie in centro poſita, calyce deſtituti, facileque decidui, abeuntes tandem in capſulas triangulares, ſemen occludentes oblongum, flavum, ſtriatum, minutiſſimum, amarum. In pratis, aliiſque humidis paludoſiſque locis ac ſecus rivulos occurrit.

Plurimum olei, ſaliſque eſſentialis ex eo elicitur, vulnerarium eſt, ac aperiens, tam interne, quam externe uſurpatur. Foliorum decotio ex aqua leniter alvum ſubducit adinſtar Lapathi, & Mercurialis, in juſculis quoque laxantibus & emollientibus Man. j. in uſum revocatur. Non ſecus ac, Rhabarbarum ejus radix vi purgante donatur, hinc a Germanis *Rhabarbarum Pauperum* nuncupatur; croceas urinas, ſalivamque efficit, bilem exonerat, ac ſtomachum & inteſtina corroborat, quemadmodum & Rhabarbarum, triplicata tamen doſi pro bono effectu ea utimur, ejus enim efficacia, quamvis ejuſdem caracteris, demiſſior admodum tamen eſt. Felici itaque exitu præſcribi poteſt in Ictero, Cakexia, Hepatiſque anfarctubus. Foliorum ac florum ſuccus ab ℥ j. ad ℥ ij. exhibendus, in ſputo ſanguineo, albis fluoribus, ac immoderato menſium, hæmorrhoidumque fluxu aptiſſimus eſt; idem a ſemine præſtatur ʒ j. in aquæ Plantaginis ℥ iij. vel jv.

Extrinſecus, ſeminum tuſorum pulvis in naribus intruditur ad earum hæmorrhagiam ſiſtendum, ulcera quoque eodem met pulvere, conſperſa mundantur, exſiccanturque.

## T H A L A S P I.

TRes ſequentes tantum, inter diverſas THALASPI ſpecies, utpote Officinales a nobis perſequentur.

Thalaſpi, *Offic.* Thalaſpi arvenſe Vaccariæ incano folio majus, C. B. P. 106.

Thalaſpi vulgativus, J. B. 2. *921. Inſt.* R. H. 212. *Raii Hiſt.* 830. Talaſpi alterum, *Dod. Pempt.* 712. Thalaſpi vulgatiſſimum, *Ger.* Thalaſpi vaccariæ folio, *Park.* Thalaſpi verum, cujus ſemine in Theriaca utimur, *Camer.* Thalaſpi ſiliculis ſubrotundis foliis ſagittatis incanis, *Linn. Hort. Cliff.* 330. Thalaſpi legitimum, Thalaſpi vulgare in Officinis receptum, Thalaſpi folio pinnato ſive acuto, Naſturtium tectorum vel erraticum, Sinapi ruſticum, *Nonnull.* vulgo *le Thalaſpi ou Tharſpic ordinaire, dit par quelques-uns Senevè ſauvage.*

Radix eſt ſatis craſſa, fibroſa, lignoſa, alba, acriuſcula, caulibus fere pedalibus rotundis, foliis, veſtitis, cauda deſtitutis, ſimplicibus, ac integris, minimum digitum longis, baſi lata ſenſim in acumen decreſcenti, ambitu crenato, dilute-viridibus, ſapore acri, ac penetranti, floribus exilibus, albis, numeroſis, in florum Burſæ Paſtoris morem diſpoſitis, cruciformibus, ſeu e quatuor petalis, cum ſtaminibus acutos apices geſtantibus; Hiſce ſuccedunt fructus rotundi, aut ovales, in burſam complanati, foliolo plerumque ſtipati, baſi anguſtiori, vertice latiore, ac excavato, binis conflati cellulis tranverſo ſepto diviſis, ſeminaque occludentes ſemirotunda, ac plana, atro-rubra, veteraſcendo nigricantia, ſapore acri, ac urenti, ut Sinapi, aut Naſturtii hortenſis ſemen. Incultis in locis, rudibus, ſaxoſis, ſabuloſis, ac Soli expoſitis, inter ſegetes, in tectis, ac parietibus creſcit planta hæc, Majo floribus decoratur, ſemen autem Junio matureſcit. Ab Occitania, ac Provincia nobis advehitur, quibus in regionibus, præ noſtris temperatioribus excellit, recens, mundum, probe enutritum, ſaporeque acri ac penetranti eligendum eſt.

Thalaſpi latius, *Offic.* Thalaſpi arvenſe ſiliquis latis, C. B. P. 105. *Inſt.* R. H. 212. Thalaſpi cum ſiliquis latis, J. B. 2. *923.* Thalaſpi latius, *Dod. Pempt.* 712. Thalaſpi Dioſcoridis, *Ger. Raii Hiſt.* 831. Thalaſpi Drabæ folio, *Park.* Thalaſpi latifolium, *Fuchſ.* Thalaſpi ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis dentatis glabris, *Linn. Hort. Cliff.* 330. Thalaſpi alterum, *Trag.* Thalaſpi ſecundum foliis & ſiliquis latis, Scandulacea, Naſturtium ſylveſtræ Scandulaceum, Capſella, Pes Gallinaceus, *Quorumd.* vulgo *le Thalaſpi des champs a large ſilique.*

Radix eſt exigua, obliqua, alba, lignoſa, fibris ſtipata, ſapore leguminoſo ad amarorem accedente. Caules ad pedis fere altitudinem expellit anguloſos, ſtriatos, ac alatos, foliis ſtipatos cauda deſtitutis, integris, longis ac latis, lævibus, ac dentatis, atro-viridibus, ſapore acri, odore Allio proximo. Flores in morem fere Spicæ enaſcuntur in caulium vertice exigui, albi, Burſæ Paſtoris floribus proximi, quadripetali, cruciformes, in ſiliquas abeuntes latas, rotundas, planas, læves, vertice cavo in centro reſiliente, ſemina continentes ſemi-rotunda, plana, atro-rubra, ſapore acri, calido, mordicanti. Majo flores emittit, quandoque etiam citius, ſemen vero Junio maturitatem acquirit; ubique fere in arvis, vinetis, cultiſque in locis inter ſegetes excreſcit, ac Vere ineunte ad exitum uſque Autumni perdurat.

Scorodothalaſpi, *Offic.* Thalaſpi Allium redolens, *Mor. Hiſt. Oxon.* 297. *Inſt.* R. H. 212. Scorodothalaſpi Ulyſſis Aldrovandi, J. B. 2. 932. *Raii Hiſt.* 834. Thalaſpi Alliariam olens, *Nonnull.* vulgo *le Tharaſpic a odeur d'Ail.*

Ra-

Radice est simplici, alba, quibusdam stipata fibris, magno foliorum fulcitur numero, folia Bellidis quodammodo referentium, nonnullis leviter laciniatis, aliis denticulatis, aliis, denticulis laciniisque, omnino destitutis, longis plerumque caudis nervosis, viridibusque elatis. Ea inter exigui caules foliis vestiti alternatim eos amplexantibus eriguntur, in quorum vertice flores locantur quatuor exiguis petalis albis, uti Bursæ pastoris flores, crucis forma conflati, ac in fructus abeuntes planos, ovalis bursæ in morem, semina occludentes semirotunda ac plana: Universa planta manifesto Allii odore intacta etiam scatet, sapore autem leguminoso, ac grato, quamdam in ore acrimoniam linquente; Curiosorum in hortis colitur, in quibus flores, ac Siliquas Julio producit: J. Bauhinus nos edocet, ab Ulysse Aldrovando Naturalis Historiæ sagacissimo sectatore, ac in Bononiensi Lyceo Physico celeberrimo elegantissime *Scordothalaspi* vocari, *Thalaspi* scilicet *Allium* redolens; a nullo enim ante laudatum Auctorem de hoc verba facta sunt, & nomen non minus, quam planta, novum est.

Tres Thalaspi species usque adhuc recensitæ æqua ratione in re Medica usurpari possunt, id tamen perraro, excepto semine, quod frequentius usurpatur, & sapore gaudet acri, & penetranti; Allii aut Cepæ sapore os adimplet, ac tamquam incisivum, detergens, ac aperiens respicitur. Ad urinas, mensesque ciendos, nec non ad coagulatum sanguinem solvendum, & ad internos abscessus detergendos, ac dissipandos a ℈ j. ad ℈ ij. liquore appropriato præscribitur. Cavendum vero est, ne gravidis propinetur, acrimonia enim sua sanguinem exagitando, abortum causare posset, solumque frigidis temperamentis pituita, atque acido prædominantibus, convenit. Externe ad Masticatorii modum usurpari potest ad cerebrum redundanti pituita exonerandum, a Scordero item asseritur, ulcera externa, ejus pulvere, perfusa cito detergi, ac mundificari.

Semen quoque prædictum in usum revocatur in Theriaca & Mithridato *Pharm. Paris.*

## T H Y M E L Æ A.

ALio in loco de THYMELÆA regionum frigidarum, de Laureola scilicet nostrate mare, ac fœmina, modo de Thymelæa regionum calidarum sermonem instituemus.

Thymelæa, *Offic.* Thymelæa foliis Lini, C. B. P. *463. Inst.* R. H. *594.* Thymelæa Monspeliaca, J. B. 1. 591. Thymelæa, *Clus. Hist.* 87. *Dod. Ger. Park. Raii Hist.* 1588. Thymelæa vera, *Gesn. Hort.* Thymelæa granis Gnidii, *Adv. Lob.* Thymelæa foliis parvis, Thymelæa Monspessulana seu Monspeliensis, Coccognidium, Coccum seu Granum Gnidium, Mazereon seu Mazerion Linum sylvestre frutescens, *Nonnull.* vulgo *Thymelèe de Montpellier, Garou, Lin sauvage, Trentanel.*

Radice nititur longa, crassa, dura, lignosa, externe cinerea, aut rufescente, intus alba, denso, forti, ac tenaci cortice tecta, sapore primum dulci, ac deinde acri, urenti, ac caustico. Ex ea arbuscula exsurgit exilis, virgulto pollicis crassitiem plerumque adæquante, pedem cum dimidio, vel pedes duos alto, pluribus ramis cubitum fere longis, minutis, venustis, erectis, foliis continuo virescentibus, vestitis, Lini foliis satis proximis,

majoribus tamen, latioribus, acuminatis, tactu nonnihil viscosis, denticulis, destitutis. Flores e ramorum fastigio enascuntur, veluti racematim congesti, exigui, albi, cylindraceum tubum, basi conclusa, vertice expanso, quadrifido, & cruciformi, mentientes, octo staminibus rotundos apices gestantibus. Fructus in horum locum apparent myrtiformes, oblongi, ovales, carnosi, succo fœti, primo virides, dein Coralli instar rubri, unicum tantum semen condentes oblongum, nigra pellicula tectum, lucescens, fragile, substantia refertum alba, sapore penetranti. In Italia, Hispania, Provincia, ac Occitania abunde in locis demissioribus, rudibus, incultis, præruptis, & dumetis mari proximis occurrit planta hæc; Flores Julio, ac quandoque etiam toto Augusto excurrente propellit, postea fructu oneratur, ac semen ad maturitatem perducitur; in Curiosorum hortis quoque colitur. E regionibus calidis Thymelææ radix exsiccata vulgo *bois d'Oreilles*, ob usum quem habet, nuncupata advehitur. Amatus vero, ac Clusius nos edocent, aviculas ejus baccis plurimum delectari, iisque rusticos Hispanos uti, ad eas, aut aviario decipulo, aut visco aucupandos.

Analysi Chymica Thymeleæa plurimum salis acris, ac caustici, exiguo phlegmate, irretiti largitur. A Veteribus ejus folia, ac fructus ad serositates violentur purgandas in usum revocabantur, mitioribus tamen adinventis catharticis jamdiu ratio prædicta obsolevit; eorum enim acrimonia superpugationes excitabantur, intestina excoriantes, dysenteriisque inflammatoriis pertinacibus ansam præbentes. Jure igitur exilium subiit, & nisi peraudacter ab imperitis præscribi potest, nec valet, utrum aceto ad correctionem folia ac, fructus prædicti macerati sint, aut stomachicis permixti, remedium enim periculo nunquam vacare potest. Mirum profecto est, Perdices, aliasque aves fructu hocce sese avide enutrientes nullo incommodo laborare: Rajus idcirco concludit, ab iis pulpam tantum digeri, semen vero deglutitum, integrum reddi. Ceterum Analogia semper in re Medica locum non habet, ac sola experientia huic facem præbere debet. Fructus hic idem a Veteribus nomine *Grani Cnidii* cognitum fuit, & ab iis ob benigniorum remediorum deffectum ad alvum subducendam præscibebatur. Camerarius vero asserit, ejusdem met plantæ radicem interne sumptam, venenum esse lethiferum; exsiccata autem nobis e Monspelio advehitur, ac vesicatorii more ad serositates expurgandas in hemicrania, oculorumque violentis fluxionibus usurpatur; aure perforata hujusce radicis aut Hellebori frustulum per foramen trahijcitur; caustica vero remedia hæc morbum quandoque ac inflammationem augent, quare Emplastrum Cantharidum est anteponendum, quod tuto idem præstare solet. A tinctoribus ad pannos laneos viridi colore inficiendos decotio Thymelææ usurpatur, a qua primum luteus apparet color, qui postea Indici ope in cærulum commutatur, ac postremo in viridem.

## THYMUS.

THYMI plures extant species, quibus indiscriminatim, urgente necessitate, uti possemus, tres tamen solummodo subsequentes describemus præcipue a Medicis adhibitas.

Thymum creticum seu verum, *Offic.* Thymus capitatus, qui Dioscoridis,

ridis C. B. P. 219. *Inst.* R. H. 196. *Raii Hist.* 519. Thymum Creticum, sive Antiquorum, J. B. 3. 262. Thymum Cephaloton, *Dod. Pempt.* 276. Thymum Creticum, *Ger.* Thymum legitimum capitatum, *Park.* Thymum legitimum, *Clus. Hist.* Thymus verus Capitatus, sive Creticus, *Camer.* Thymus Cephalotos Creticus, Thymum Græcum, Thymum capitatum annuum, Thymum e Creta insula laudatissimum, *Quorumd.* vulgo *Thym de Crète*, *le Thym de Dioscoride ou des Anciens*.

Radice donatur dura, nonnihil lignosa, fibris suffulta, quæ sub-arbusculam emittit quandoque ad pedis altitudinem excrescentem, pluribus divisam, gracilibus ramis, albo-ligneis, vestitis oppositis foliis, exilibus, angustis, sub-albidis, quibusdam in locis Hyeme deciduis, juxta Clusium, saporis acris. Flores capitati, exiles, purpurei, labiati, tubulum efformantes, bifido vertice, staminibus quatuor, apicibus tenuissimis, summis ramis emergunt, abeuntque in semina quatuor semi-rotunda, capsula, conclusa, floris calycem quondam efformante. Planta hæc odore gratissimo Cretæ, Corcyræ, universa in Græcia, Hispania, Sicilia, maritimisque in regionibus Meridiem versus locatis, in montibus, aliisque locis, radiis Solaribus, obviis familiarissima est, & in hortis Curiosorum colitur: Parisiensi autem in agro raro admodum occurrit, ac difficile colitur; ejus autem flos juxta soli diversitatem colore variat.

Thymum vulgare, *Offic.* Thymus vulgaris folio latiore, C. B. P. 219. *Inst.* R. H. 196. *Raii Hist.* 521. Thymum durius, *Dod. Pempt.* 276. *Clus. Hisp.* Thymus niger, *Tabern.* Thymus alter durior, *Camer.* Thymum vulgatius folio latiore, Serpyllum hortense vulgo, *Nonnull.* vulgo *le Thym commun a large feville*.

Radice nititur dura, lignosa, vivaci, pluribus fibris suffulta, caulemque emittit brevem, firmum, ramosum, exilibus ornatum foliis, angustis, plerumque atro-viridibus, raro sub-albidis. In ramorum culmine flores progignuntur exigui, purpurei, labiati, fistulaque conflati, superne binis labiis dissecta, quorum inferius trifidum est, quatuor brevissimis staminibus. Quatuor semina succedunt rotunda capsula, conclusa, quondam, floris calycem efformante. Sponte calidis in regionibus crescit planta hæc, in hortis quoque colitur, in quibus adinstar cæterarum Thymi specierum flores propellit, Majo, ac per totam Æstatem. Rajus diversam esse a Thymo minore speciem hance suspicatnr, qua de re a Jo: Bauhino altum silentium servatur. Quomodocumque res sese habeat, omnes ejus partes in usum revocantur, iisdemque cum Serpyllo potitur facultatibus.

Thymum minus, *Offic.* Thymus vulgaris folio tenuiore, C. B. P. 219. *Inst.* R. H. 196. Thymum vulgare rigidius folio cinereo, J. B. 3. 263. Thymum durius, *Ger. Raii Hist.* 521. Thymum durius vulgare, *Park.* Thymus nostras, *Cord. in Diosc.* Thymum vulgatissimum in hortis cultum, Thymum Narbonense seu Mediteraneum, Thymum Monspeliense, Thymum seu Thymon vulgatum pusillum folio, & flore Serpylli rigidiore, Serpyllum Romanum sive Italicum Zygis dictum, *Nonnull.* vulgo *le petit Thym des jardins, ou le Thym a feville etroite*.

Radice nititur exili, lignosa, fibris circumfusa, vivaci, quæ sub-arbusculæ in morem magnum exiguorum ramorum numerum profert, hi autem rotundi sunt, nonnihil lignosi, ac hirsuti, exilibus ornati foliis, Serpylli foliis, angustiori-

bus, subalbidis, aut cinereis, sapore acri. Summis ramis flores enascuntur spicæ in modum exigui, purpurei aut sub-albidi, præcedentibus speciebus cum semine æqualibus. In Italia, Hispania, Provincia, & Occitania abunde occurrit planta hæc; ubique etiam in hortis colitur, quos fragrantissimo aromatico odore beat; quibusdam in regionibus facile Hyemi resistit; in agro Parisiensi, Majo, Junioque flores emittit, in Monspessulano autem eosdem a Martio ad Autumnum usque servare solet.

Tres usque adhuc recensitæ Thymi species promiscue Medicum in usum veniunt, suavi odore, sapore penetranti calido, ac aromatico scatent. Analysi autem Chymica ex iis plurimum olei exaltati, salisque essentialis elicitur; tam interne, quam externe Thymum usurpatur: interne vero cerebrum roborat, viscosos humores attenuat, & rarefacit, Asthmati adversatur, & ventriculi viscositates incidendo, ac attenuando digestioni favet. Familiariter in culinis adhibetur, non solum ad alimentorum saporem excitandum, verum etiam, tamquam senibus, phlegmaticis, stomachoque imbecilli, ac relaxato utilissimum.

A biliosis tamen, siccisque vitetur, nimium enim humores exagitat. De Cretensi Thymo tantum a Veteribus verba facta sunt, nam in Provincia excrescens iis omnino ignotum erat. A Dioscoride asseritur, ejus decoctionem adversum Asthma, & ad menses, ac lochia cienda valere. Plinius vero ait, odore potiri adeo penetranti, ut paroxismum epilepticum sedare possit. Externe præterea discutit, solaturque arthritidem ischiaticam, Cataplasmatis more, parti affectæ admotum, quod paratur Melle, Hordeique farina, ac Thymo pulverato. Antiquis Confectionibus, si earum adhuc viget usus, hæc præcipue postrema species admiscetur, in Confectionibus nempe *Hamech*, *Aurea Alexandrina*, *Pulvereque cordiali Nicolai Salernitani &c.* Binæ autem aliæ Thymi species nostris olitoriis in hortis communes usurpantur in decoctionibus, infusionibusque aromaticis, ac cephalicis, quibus nervosæ partes debilitatæ, ac inflatæ foventur. Oleum essentiale ex iis elicitum in pretio habetur ad colicam flatulentam compescendam, stomachum roborandum, & menses, urinasque ciendas: gut. v. aut vj. in ℥ ij. aut iij. liquoris appropriati ex eo præscribuntur, aut saccharo pulv. instillantur pro Oleosaccharo; in Balsamo Tranquillo etiam usurpatur. Ad dentium dolorem quoque a carie oriundum sedandum, aptissimum recensetur, gossypio ex eo saturato, & in foramen intruso, ac quotidie renovato, in violentiori dolore. Garidelius vel propria experientia hoc confirmat.

Thymi folia adhibentur in aqua Generali; flores autem in Syrupo de Stœchade; summitates floridæ in decoctione aromatica, in Pulvere cordiali, ac Oleo vulpino *Pharm. Paris.* Oleum denique stillatitium in Balsamis, Nervino, & Apoplectico, & aqua distillata in aqua Milleflorum *ejusdem Pharm.*

℞. Thymi Man. j. leviter coque horæ quadrante in sextariis tribus Vini albi, aut aquæ Melleæ. Coletur, exhibeaturque ex ea quotidie, mane cyathus unus parvus in asthmate humido, tussique glareosa.

℞. Fol. Thymi Man. j. Infundatur xxiv. horarum spatio in ℔ j. optimi Vini rubri frigidi. Fiat deinde colatura, cyathusque, mane, jejuno stomacho propinetur adversum animalium veneficorum, canisque rabidi morsum.

℞. Fol. Thymi, Lauri, Roris marini, Rutæ ana. Man. j. Flor. Chamomill. & Sam-

& Sambuci ana. Man. ß. Coque cum æ. p. vini, & aquæ usque dum emolliantur. Adde deinde Farinæ Fabar. & Furfuris ana. ℥ iij. Mellis ℥ jv. M. pro Cataplasmate discutienti, in Ischiade, OEdemate, partiumque debilitate.

℞. Rad. Imperatoriæ, Pyrethri, & Galangæ min. ana. ℥ j. Fol. recent. Origani, Rutæ, Thymi ana. Man. j. Flor. Lavendul. & Matricariæ ana. ℥ j. Corticis Winterani ʒ vj. Superaffunde ebullientis aquæ ℔ jv. ac vase perfecte clauso omina infusa relinquantur per xij. horarum spatium in cinerario calido. Adde deinde Sp. Salis Ammoniaci ℥ ß. Fiat colatura pro Gargarismate, quo pluries de die utemur in Apoplexia, Paralysi linguæ, partiumque oris distorsione.

## THYSSELINUM.

THYSSELINUM, *Offic.* Seseli palustre lactescens, C. B. P. 162. *Park.* Seseli palustre lactescens acre, foliis ferulaceis, flore albo, semine lato, J. B. 3. 188. *Raii Hist.* 414. Thysselinum palustre, *Inst.* R. H. 319. Selinum palustre levissime lactescens, *Linn. Hort. Cliff.* 92. Selinum leviter lactescens radice unica, *Hall. Helvet.* 443. Carum aquaticum, *Till. icon.* 10. Hydroselinum, Apium palustre sive aquaticum, Selinum pratense, Cuminum agreste, Daucus palustris lactescens. *Nonnul.* vulgo *Persil des marais ou sauvage.*

Radicem habet longam, vivacem, atro-rubram, lactiginoso succo fœtam, sapore calido, acri, ac admodum ingrato. Caulem quadripedalem emittit striatum, cavum, ramosum. Folia ferulacea sunt, Ferulæ scilicet foliis similia, non secus, ac radix lactiginoso succo referta, sapore ingrato, inter amarum, atque acre. In ramorum summitatibus umbellæ exiguis ornatæ floribus locantur, qui scilicet quinque constant petalis albo-lutescentibus, rosaceis, totidem staminibus capillaribus, apicibus rotundis. Evanescentibus floribus semina succedunt bina simul juncta, ovalia, lata, plana, striato dorso. Humidis in locis palustribus, secus stagnantes aquas, rivulosque, depressioribus in pratis & aquaticis, ac in fossis aqua refertis occurrit planta hæc, Junio, Julioque flores propellit, ac semina Æstate exeunte aut Autumno ineunte maturitatem acquirunt.

Thysselinum Analyseos Chymicæ ope plurimum olei, phlegmatis, salisque essentialis elargitur. Radix ejus tantum usurpatur, quæ incidit, penetrat, ac aperit; decoctionis forma ad urinas, mensesque excitandos adhibetur, caute tamen, cum enim acerrima sit, humores maximum ciet in motum, ac facillime nocere potest. Hæc eadem radix mansa catharros provocare solet, dentiumque morbis opitulari. Boerhaavius *in Historia Plantarum Horti Lugduno-Batavi* asserit, lactiginosum humorem ex ea prodeuntem eadem cum Scammonio cathartica vi pallore, eique facile substitui posse.

## TILIA.

TILIA, *Offic.* Tilia fœmina folio majore, C. B. P. 426. *Inst.* R. H. 611. Tilia vulgaris Platyphyllos, J. B. 1. 133. *Raii Hist.* 1694. Tilia *Dod. Pempt.* 838. *Linn. Hort. Cliff.* 204. Tilia fœmina, *Ger. Lob.* Tilia fœmina major, *Park.* Phylira Græcis, Tilia Latinis, *Guil.* Phyllirea, *Cæs.* Tilia major

ſeu latifolia, *Quorumd.* vulgo *Tilleul ou Tilieul*, *Tilliau*, *Tillot ou Tiliot d' Hollande*.

Radicem habet profunde in terram dehiſcentem, lateque ſeſe expandentem, quæ truncum propellit ingentis arboris, craſſæ, ramoſæ, in latum ſeſe expandentis, magnamque umbram effundentis, cortice tectæ compacto, extus cinereo aut ſub-nigro, intus ſub-luteo, aut ſub-albido, tanta flexibilitate donato, ut ex eo cordæ pro puteis, funeſque confici poſſint. Lignum tenerum eſt, nodis deſtitutum, ſub-albidum, ac eo ſagittæ, carboneſque pro pyrio pulvere parantur. Folia lata, rotunda, acuminata, utrinque nonnihil villoſa, luceſcentia, ambitu denticulato, ex eorum vero alis exiliſſimæ exeunt linguæ, vel foliola, longa, ſub-albida, quibus pedunculi implantantur in quatuor aut quinque ramos ſeſe dividentes, quorum ſinguli florem ſuſtinent quinquepetalum, roſaceum, colore albo ad luteum accedente, maximo ſtaminum numero apicibus luteis ſtipatum, odore grato, calyceque ſuffultum quinquifido, albo, ac pingui, cui bacca ſuccedit, craſſioris piſi magnitudine, ovalis, lignoſa, anguloſa, hirſuta, unum, aut bina ſemina, occludens, rotunda, ſub-nigra, ſapore dulci. Perquiſitiſſima arbor fere ubique colitur, ſoloque delectatur pingui, umbram late ſpargit, ac quamlibet figuram facile recipit, quare ea, ductis arboribus, aditus ad lineam conſiti, hortorumque penetralia illuſtrantur: diutius tamen haudquaquam perdurat, Majo, Junioque floribus veſtitur, fructus vero Auguſto matureſcens, ac ſeſe Septembri reſerando ſponte cadit.

Inter arbores a nobis cognitas Tilia plurimum reputatur, non ſolum enim eleganti aſpectu, grato florum odore, umbraque ſua, delicioſorum hortorum, nemorumque maximum ornamentum conſtituit, verum etiam omnes ejus partes utiliſſimæ ſunt tam pro re Medica, quam pro Artibus, hinc magno in pretio ſemper habita fuit.

Analyſi autem Chymica plurimum olei, ſaliſque eſſentialis largitur Tilia, quæ internum, externumque in uſum revocatur. Flores cephalica vi pollent, Epilepſiæ, Vertigini, & Apoplexiæ conveniunt; ex iis pug. j. recipitur, infunditurque in binis ebullientis aquæ cyathis ad modum Theæ, pauco addito ſaccharo: infuſum prædictum, cerebrum exhilarat, ac roborat, ſtupores mitigat, cordiſque palpitationes debellatur. Florum Tiliæ in Officinis aqua ſtillatitia, ac conſerva proſtat: prima ab ℥ jv. ad ℥. vj. in potionibus cephalicis, & anti-Epilepticis, altera vero ab ℥ ß. ad ℥ j. iiſdem in morbis præſcribitur. Remedia quoque prædicta conveniunt in calculo renum, affectionibus hyſtericis, & ad concretum ſanguinem in magnis contuſionibus reſolvendum. Arte Chymica, fermentationis ope ex iiſdem floribus ſpiritus elicitur gut. xij. aut xv. exhibendus, ac ad tincturam e cephalicis plantis eliciendam, tamquam Menſtruum mirabiliter inſervit. *In Ephemeridibus Germanicis*, *Decuria prima*, *anno VI. ac VII.* veluti excellens anti-epilepticum decantatur Tiliæ aqua, inciſionis ope ex arboris trunco radicem verſus Februario, ac Martio, emanata, ℥ iij. vel jv. doſi, ter de die, congruo temporis ſpatio, perſeverando. Baccæ adſtringentem facultatem habent, omneſque hæmorrhagiæ, fluxuumque Ventris ſpecies ſiſtunt, uſurpanturque pulveratæ ʒ j. in juſculo, aut aqua Plantaginis, aut cum pauca pulpæ Cydoniorum conditor. quantitate, permixtæ. D. Chomelius *in Tractatu de Plantis uſitatioribus* adverſum Hydropem ligni, ac præſertim luteorum ramorum fere bien-

re biennalium decoctionem commendat, qua de causa ejusdem ligni minutatim secti Man. j. in aquæ bullientis ℔ jv. injicitur, ad ℔ j. post colaturam ptisana hæc ab ægro tribus haustibus sumi debet: folia pariter aperientia, & ad urinas, mensesque pellendos dicata sunt.

Extrinsecus, testatur S. Paulli, mucilaginem ex medio sui cortice elicitam, & cum aqua Plantaginis sociatam adversum adustiones excellere. Baccæ præterea pulveratæ, pauco aceto permixtæ, & in nares introductæ, earum hæmorrhagiam sistunt, earumdem præcipue interno usu addito, uti innuimus. A Boerhaavio etiam tamquam efficacissimum in Tenesmo, Cataplasma, tusis floribus paratum prædicatur. Asseritur deinde, foliis tusis, & pauca aqua madefactis tumores pedum resolvi, ac dissipari. Si autem eorum succo Vino admixto linteola inficiantur, applicenturque partibus affectis convulsione flatulenta vulgo *Granchio*, ex eo salamen statim percipietur.

A Sculptoribus Tiliæ lignum cæteris præfertur, eo quod tenerum satis sit, facile scalpro cedat, nec disiliat, nec, ut Acer, carie infestetur. Medius cortex, recens adhuc, scriptorium in usum a Veteribus revocabatur, idemque secundus cortex *Phylira* a Græcis proprie nuncupabatur.

Flores Tiliæ usurpantur in aquis, Generali, & Anti-Epileptica *Pharm. Paris.* aqua vero stillatitia in aqua Hirundinum *ejusdem Pharm.*

℞. Aquar. Flor. Tiliæ, Pæoniæ, & Cerasor. nigror. ana. ℥ ij. Pulveris de Gutteta, & radicis Valerianæ sylvestris ana. ℈ j. Syrupi Pæoniæ simip. ℥ j. M. pro potione cochleatim sumenda in Epilepsia, & Convulsionibus.

℞. Aquar. Flor. Tiliæ, & Melissæ simplicis ana. ℥ iij. Rad. Pæoniæ maris p. ʒ ß. Syrupi flor. Lilior. Convall. ʒ vj. M. pro potione anti-Eleptica, ante paroxisinum propinanda.

℞. Visci Quercini ℥ ij. Radicis Pæoniæ maris ℥ j. Coque in ℔ vj. aquæ ad tertiæ partis diminutionem. Adde in fine Rad. Valerianæ maj. contusæ ℥ ß. Flor. Lilior. Convall., Tiliæ, & Gallii lutei ana. pug. j. Fiat deinde expressio, cui adde Syrupi Pæoniæ simplicis ℥ ij. pro decoctione Antispasmodica tepide trium, quatuorve cyathorum dosi de die exhibenda.

## TINCTORIUS FLOS.

LUTEOLA, *Offic.* Luteola herba salicis folio, C. B. P. 100. *Inst.* R. H. 423. Lutea Plinii quibusdam, J. B. 3. 465. Lutum herba, *Dod. Pempt.* 80. Luteola, *Ger. Raii Hist.* 1054. *Adv. Lob.* Luteola vulgaris, *Park.* Lutea vel Luteum Vitruvii, *Gesn. Hort.* Reseda foliis simplicibus lanceolatis integris, *Linn. Hort. Cliff.* 212 Herba lutea, Lutum croceum Virgilii, Lanaria, Pseudo-struthium, flos Tinctorius, Theriacaria, Unguimilva sive Unguis milvinus, Jovis Radius, *Quorumd.* vulgo *Gaude*, *Herbe a jaunir*.

Radice donatur minimum digitum utplurimum, quandoque pollicem crassa, simplici, lignosa, alba, exiguo fibrarum numero stipata, sapore acri, Nasturtio hortensi, proximo. Folia emittit oblonga, angusta, lævia, non crenata, quandoque nonnihil crispata. Hæc inter caules eriguntur tripedales, rotundi, duri, læves, sub-virides, ramosi, foliis, in basi locatis, angustioribus circumvestiti, vertice ornato exiguis floribus, tribus, conflatis, petalis inæqualibus, colore luteo-viridi satis eleganti. Marcescentibus floribus præsto sunt capsulæ semi-rotundæ, tricuspidales, plura occludentes semina

minu-

minuta, rotunda, ſub-nigra. Incultis in locis, ſecus vias, in arvorum marginibus, in muris, interque ædificiorum rudera creſcit, Majo floret, Junio, Julioque ſemen maturitatem acquirit. Pingui in ſolo Occitaniæ, Normanniæ, Picardiæ, plurimarumque aliarum regionum colitur, e quibus exſiccata nobis pro Tinctorum uſu advehitur: in aqua autem cum alumine decoquitur ad pannos laneos, aliaque luteo, aut viridi colore inficienda: albi ſcilicet in luteum immutat, ac cærulo prius ſaturata in viridem. Obſervatione autem conſtat, quod ſi in ſolo levi, ac ſicco excreſcat, luteum magis ſaturatio rem largitur.

Analyſeos vero Chymicæ ope plurimum olei, ſaliſque eſſentialis miniſtrat; majorem in re Tinctoria quam Medica uſum habet, hinc ob facultatem luteum elegantem colorem impertiendi, denominationem mutuatur. Authores omnes conſentiunt, radicis ejus decoctionem aperientem eſſe; & a Boerhaavio viribus cum Rubia communibus prædicatur, menſes nempe pellit, obſtructiones reſerat, Icterum, & Cakexiam ſanat: quare in ptiſanis, juſculiſque aperientibus prædictæ ſubſtitui poteſt. Contuſa quoque febricitantium pulſibus admovetur, ad febrem profugandam, felici quandoque ſucceſſu.

## TITHYMALUS.

Sub nomine *Eſulæ min.* jam ſuo loco de TITHYMALO foliis Cupreſſi a Geoffroejo verba facta ſunt. Tithymali ſpecies tres nobis adhuc reſtant, primo ſcilicet Tithymalus paluſtris, 2. Cataputia minor, 3. Tithymalus Amygdaloides.

Eſula major, *Offic.* Tithymalus paluſtris fruticoſus, C. B. P. 292. *Inſt.* R. H. 87. Tithymalus magnus multicaulis, ſive Eſula major, J. B. *3. 671. Raii Hiſt.* 864. Eſula major, *Dod. Pempt.* 374. *Dal. Pharm.* 231. Eſula major Germanica, *Ger. Park.* Tithymalus fruticoſus Germanicus, *Camer. Hort.* Eſula major recentiorum, *Lob. icon.* 358. Euphorbia foliis lanceolatis, umbella univerſali multifida polyphylla, partialibus trifidis triphyllis, propriis dichotomis, *Linn. Hort. Cliff.* 200. Eſula paluſtris, *Rupp. Jen.* 219. Tithymalus maximus Oelandicus, *Rudb. Hort.* 109. Eſula magna, Eſula dendrodes, ſive arboreſcens, Pityuſa grandis ſeu major, Lactaria vel Lactucaria, fruticoſa, Turbith nigrum & adulterinum, *Quorumd.* vulgo *le Tithymale des marais, ou la grande Eſule, le Turbith noir ou batard.*

Radice eſt craſſiſſima, alba, lignoſa, vivaci, repenti. Caules plurimi, duos, treſve pedes alti, minimi digiti craſſitie, ſub-rubri, ramoſi, alternis circumfuſi foliis unitis, oblongis, viridibus, Lathyris foliis proximis, minoribus tamen, una cum caulibus Hyeme pereuntibus. Flores ſummis caulibus, ramiſque enaſcuntur exigui, flavi, veluti umbellati, binis ſpeciebus diſtincti, juxta Linnæum; alii enim mares ſive ſteriles quinquepetali ſunt, alii hermaphroditi quadripetali. Hiſce ſuccedunt fructus trigoni, verrucæ forma, tricapſulares, tria continentes ſemina ſub-rotunda, medulla alba, repleta. In ſabuloſis fluviorum marginibus, aliiſque paluſtribus locis planta hæc reperitur, in Germania ſecus Rhenum vulgatiſſima, non minus, quam noſtris hiſce in regionibus ſecus Lupiam, in hortis quoque nonnunquam excolitur, Majo, Junioque flores edit. Planta univerſa lactiginoſa, acri, & cauſtica

mate-

materie redundat, uti cæteræ Tithymali ſpecies; ori, ac gingivis pertinacem inflammationem inducit. Radicis tantummodo cotex in uſum Medicum venit.

Lathyris, ſive Cataputia minor, *Offic.* Lathyris major, C. B. P. 293. *Raii Hiſt.* 866. Lathyris, ſive Cataputia minor, J. B. 3. *App.* 880. *Lob. Icon.* 362. Lathyris, *Matth.* 1259. *Brunf. Fuchſ. Dod. Turn. Lac. Lonic. Camer. Caſt. Gen. Hort. Lugd. Hiſt.* Tithymalus latifolius Cataputia dictus, *Hort. Lugd. Bat. Inſt.* R. H. 86. Lathyris ſive Cataputia major & minor, *Ger.* Cataputia minor Lathyris major hortenſis, *Park.* Eſula major, Rivin, Euphorbia inermis, foliis oppoſitis lanceolatis, umbella univerſali trifida polyphyllas partialibus triphyllis, reliquis diphyllis, *Linn. Hort. Cliff.* 198. Lathyris Dioſcoridis, *Schvvenckf* Tartago Hiſpanorum, *Eyſt.* Cataputia, *Cæſalp.* Granum Regium minus, *Meſue.* Cataputia vulgaris, *Quorumd.* vulgo *l'Epurge, ou la Catapuce ordinaire.*

Radix ſimplex nonnullis capillaribus ſtipata fibris fere bipedalem propellit caulem, pollicem craſſum, rotundum, ſolidum, ſub-rubrum, ſuperne ramoſum, pluribus veſtitum foliis tres digitos longis, Salici foliis, ſimilibus, crucis in modum diſpoſitis, e viridi-ſub-cæruleis, tactu læviſſimis. Summo caule, ramiſque flores ſatis conſpicui progignuntur quatuor conſtantes petalis ſatis denſis, pluribus delicatulis ſtaminibus, apicibus rotundis, cinctis, binis acuminatis foliis ſub-luteis, calycis fere locum occupantibus. Floribus fructus præſto ſunt præ aliis Tithymali ſpeciebus craſſiores, trigoni, tricapſulares, tria adinſtar piperis craſſa ſemina fere-rotunda, medulla alba, referta continentes. Copioſum lacteum ſuccum, uti aliæ Tithymali ſpecies, univerſa planta hæc pariter largitur, quæ in omnibus fere regionibus invenitur, frequentiſſime autem in hortis, in quibus ſingulis annis adeo ſemine multiplicatur, ut incommodum ſane non leve afferre ſoleat. Julio floret, Auguſto, ac Septembri ejus ſemina matureſcunt; juxta variam ætatem magnitudine quoque, foliiſque latioribus, aut anguſtioribus variare ſolet, Hyeme quandoque perſiſtit, maturoque ſemine poſtea perit; lactiginoſus ejuſdem ſuccus a mendicis ut plurimum in uſum revocatur ad cutem deformandam, ſimilique pacto tranſeuntium pietatem excitandam. Si autem ejus folia, aut fructus in ſtagnantem aquam affuſa a piſcibus comedantur, ſtatim in aquæ ſuperficie tamquam mortui apparent, ut facile manibus comprehendi poſſint, ſi vero aliam in aquam inijciantur ſtatim reviviſcunt.

Tithymalus Amygdaloides, *Offic.* Tithymalo maritimo affinis Linariæ folio, C. B. P. 291. *Raii Hiſt.* 866. Alypum Matthioli Tithymalis affine, J. B. 3. 676. Alypum, *Camer. Epiſt.* 985. Tithymalus Amygdaloides anguſtifolius, *Tabern. icon.* 591. *Inſt.* R. H. 86. Tithymalus linifolius Paralio congener, *Park.* Tithymalus linariæ affinis, Eſula minor altera, *Nonnull.* vulgo *le petit Tithymale a feville d'Amandier.*

Minuta, fibroſa, vivax, lignoſa, externe atro-rubra, interne alba, amara, acriſque radix plures propellit caules fere ſemipedales, quandoque pedales, graciles, plurimis ornatos foliis longiuſculis, anguſtis, dilute-viridibus, ſaporis ſtyptici acris, & amari. In caulium, ramorumque ſummitate flores umbellati apparent, quatuor conflati petalis flavis, tandem abeuntes in ſubviridem fructum, lævem, tricapſularem, tribuſque donatum ſeminibus ſub-rubris, gibbis, qua vero parte capſulæ ſepta pertingunt, planis. Univerſa plan-

planta lacte scatet. C. Bauhinus observat, quod ante floris eruptionem, vix a Linaria, nisi lactiginoso succo, distingui potest; agri Parisiensis incola est, ac præsertim in Bononiensis saltus aditu, in Campaniæ quoque sabulosis planitiebus ac præcipue Remim inter, ac Catalaunum abunde reperitur, Majo, Junio, Julioque floribus ornatur, pauloque post fructus ad maturitatem, perducit.

Tres usque adhuc recensitæ Tithymali species, lacteo succo omnes turgent, nec æquali causticitate, ac mordacitate donantur. Analysi autem Chymica plurimum olei, salisque acerrimi impertiuntur; quibus principiis adeo violentam catharsim movent, ut internus earum usus periculo neutiquam vacet; gutturis enim inflammationes, colicæ violentiores, ac intestinorum quandoque exulcerationes ex eo derivant. A Rusticis tantum, robustissimo temperamento præditis perraro Lathyris sive Cataputiæ minoris semen a gr. x. ad gr. xx. pro Purgante usurpatur, a quo magna serositatum copia, exonerantur; ab aliis vero ad intermittentes febres expellendas Tithymali Amygdaloidis folia pulverata, jusculoque excepta, tribus subsequentibus diebus adhibentur, a ʒ ß. ad ʒ j. pro quaque dosi juxta ægrotantis vires: quo remedio violenta, tam per superiora, quam per inferiora purgatio concitatur; hinc facile evincitur cur febres prædictæ sanentur, hæ enim ut plurimum a pravo primarum viarum fermento dependent: cavendum tamen est, ne mulieribus gravidis, delicatuloque temperamento ditatis præscribatur. Purgantibus autem prædictis violentissimis, indistincte, & absque ulla præparatione a circulatoribus in usum revocatis, magnus ægrotantium numerus quotidie jugulatur.

Lacteus omnium Tithymali specierum succus digestioni cum sale Tartari commissus, postea condensatus, materiam suppeditat, quæ a D. Chomelio *in Tractatu Plantarum usitatiorum*, non solum Scammonio Smyrnensi viribus æquiparatur, verum etiam anteponi videtur, a Boerhaavio tamen majori, Scammonio, acrimonia, & causticitate pollere, periculosioremque esse asseritur. Plantas hasce corrigi posse, Nonnulli credunt, si aceto macerentur; temperatiores revera efficiuntur, hebetiorem tamen adversum Hydropem, aliosque rebelles morbos, in quibus plerumque usurpantur efficaciam habent. Itaque omnino sunt, proscribendæ, quum præcipue Jalapæ pulvis in promptu sit, qua eædem indicationes adimplentur, quæque talibus a natura principiis modificata fuit, ut absque ulla irritatione catharsim moveat.

Extrinsecus lactiginosus harumce plantarum succus usurpatur ad verrucas, impetiginemque consumendam, depilatoria quoque facultate pollet, si pilosæ partes eo humectentur.

## TORDYLIUM.

Seseli Creticum, *Offic.* Seseli Creticum minus, C. B. P. 161. *Camer. Ger.* Caucali minor pulcro semine, sive Belloni, J. B. 3. 84. Seseli Creticum, *Dod. Pempt.* 314. Tordylium Narbonense minus, *Inst.* R. H. 320. Tordylium, sive Seseli Creticum minus, *Park. Raii Hist.* 412. Tordylium Creticum, *Eyst.* Caucalis, *Gesn. Hort.* Tordylion Dioscoridis, *Anguill.* Pimpinella Romana vulgo, *Cæsalp.* Seseli Candiæ, Caucalis, Cretica, Seseli Cretici species Elaphobosco

boſco ſimilis, Tordylium verum ſeu genuinum, Tordylion vulgare, *Nonnull.* vulgo *Seſeli de Candie*.

Minuta, ſimplex, & alba radix caulem emittit ad pedis cum dimidio, aut ad duorum pedum altitudinem, ſtriatum, hirſutum, ramoſum. Folia oblonga ſunt, rotunda, ambitu denticulato, hirſuta, rudia, pluribus conjugationibus juxta coſtam diſpoſita, longiſque caudis appenſa. Flores in caulium, ramorumque extermitatibus umbellis quibuſdam enaſcuntur, quinque conflantur petalis albis liliaceis, ſtaminibus totidem capillaribus. Hiſce præſto ſunt ſemina bina ſimul juncta, plana, margine relevato, adinſtar coronæ globularis inciſa, odora, nonnihil acria ad Paſtinacæ ſylveſtris aut Myrrhis ſemen accedentia. In agro Monſpeſſulano abunde occurrit planta hæc ſecus vias, in vinetis, ac inter ſegetes; in Curioſorum hortis quoque colitur; Junio, Julioque flores edit, ſemenque ad maturitatem citius, ſeriuſve juxta regionum diverſitatem perducitur.

Analyſi Chymica plurimum ſalis, atque olei largitur. Radix ac ſemen, quamvis uſum Medicum habere poſſent, haud raro tamen uſurpantur. Prima, radix ſcilicet, decotionis aut pulveris forma, incidendi vim habet, Aſthmati humido adverſatur, expectorationemque ciet. Semen vero ad excitandas urinas, menſeſque, & contra Colicam flatulentam commendatur. Cæſalpinus vero aſſerit, in Italicis regionibus ejus herbam adhuc teneram, crudamque inter legumina eſitari.

## TORMENTILLA.

TORMENTILLA. *Offic.* Tormentilla ſylveſtris, C. B. P. *326. Inſt.* R. H. 298. Tormentilla, J. B. 2. 598. *Dod. Pempt.* 118. *Ger. Raii Hiſt. 617. Cæſalp. 556. Linn. Hort. Cliff.* 194. Tormentilla vulgaris, *Park.* Conſolida rubra, *Tabern. icon.* 124. Heptaphyllon, *Fuchſ. Turn. Genſ. Hort.* Pentaphyllum, potius Heptaphyllum flore aureæ tetrapetalo Tormentilla dictum, *Mor.* Potentilla foliis quinnatis, flore tetrapetalo, caule erecto, *Hall. Helv.* 341. Septifolium, Sanguinaria, Radix rubra, *Quorumd.* vulgo *la Tormentille*.

Radix tuberculum efformans pollicem, fere craſſum, quandoque etiam craſſius, ſcabrum, inæquale, quandoque erectum, quandoque obliquum, externe obſcurum, interne ſub-rubrum, nonnullis ſtipatum fibris, ſapore ſtyptico, vivax, plures propellit caules graciles, debiles, hirſutos, ſubrubros, fere pedales, ut plurimum curvos ac in terram ſtratos, per intervalla foliis circumfuſos Quinquefolio ſimilibus, hirſutis, pro unaquaque cauda ſeptem plerumque, inſidentibus. Flores quatuor conſtituuntur foliis flavis, roſaceis, calyce ſuffultis pelviformi, octo inciſionibus diſtincto, quatuor majoribus, quatuorque minoribus, alternatim locatis, ſtaminibus ſex in centro poſitis. Iis autem præſto ſunt fructus ſemi-rotundi, plura ſemina minuta, ac oblonga continentes. Sabuloſis in locis, atque humidis, herbaceiſque, in ſylvis, paſcuiſque ſiccis, montanis, ſterilibus, ac umbroſis creſcit, Majo, Junio, Julioque floribus veſtititur. Radix autem præcipue in uſum Medicum venit.

Tormentilla Alpina, a noſtrate, radice craſſiore, magis enutrita, magiſque rubra, ac efficaciori differt. Radix hæc exiccata nobis advehitur; recens autem, probe nutrita, pollicem fere craſſa, munda, integra, filamen-

tis rejectis, compacta, probe exsiccata, externe obscura, interne sub-rubra, saporisque adstringentis seligenda est.

*Tormentilla* nuncupatur *a tormento*, creditur enim ejus radice pulverata, Pyrethri, & Aluminis exigua portione, permixta, ac in os intrusa, tormentum, rabiemque a dentium dolore obortam, sedari; *Heptaphyllon* autem sive *Septifolium* eo quod folia septem eadem in cauda ut plurimum habeat.

Tormentillæ radix styptica est, amarissima, ac saturate rubro colore chartam cæruleam inficit, folia vero glutinoso sapore prædita minus saturate idem præstare solent. Planta hæc præterea, Analyseos Chymicæ ope, exiguam tantum spiritus urinosi portionem, nihil salis volatilis concreti, plurimum acidi, olei, ac terræ suppeditat. Hinc facile conjicere possumus, sal aluminosum plurimo sulphure permixtum, exiguaque salis Ammoniaci portione conjunctum in ea occludi, unde vis emanat vulnerario-adstringens, ac per consequens ad omnes ventris fluxus, hæmorrhagias, fluoresque albos sistendos aptissima. Radix in ptisanis, decoctionibusque adstringentibus ab ℥ ß. ad ℥ j. in ℔. aquæ ij. vel jv. aut in substantia, pulveris forma a ʒ ß. ad ʒ j. Conserva Rosarum, aut adstringenti aliqua Opiata, excepta usurpatur. Ejusdem radicis Extractum paratur, valetque in omnibus Hæmorrhagiæ speciebus ʒ ij. & ultra. Tamquam Alexiterium a nonnullis Auctoribus extractum idem commendatur, asseruntque convenientissimum esse in Febribus malignis, stomachi resolutionibus, hæmorrhagiisque sociatis, ac in Dysenteriis malignis; quod utique verissimum est: tutior tamen in hisce casibus Ipecacuanha esse solet, ejusque deffectu tantum substitui potest.

Externe quoque, ejus radicis pulvere ulceribus conspersa, exsiccantur & ad cicatricem perducuntur. Pulvis idem eadem ratione Paronychiis inspersus, eas statim, juxta Nonnullos, sanat. Gargarisma quoque ex earumdem radicum decoctione dentium morbos plurimum solatur.

Tormentillæ radix usurpatur in Aqua Generali, Decotione adstringenti, Diascordio, Confectione Hycinthina, aliisque *Pharm. Paris.* præparationibus. Extractum vero ejusdem in Theriaca cælesti *ejusdem Pharm.*

℞. Rad. Tormentillæ ℥ ß. Potentillæ Man. j. Pimpinellæ Man. ß. Incisa infunde in ℔. j. ß. ferventis aquæ per horæ dimidium. Ex ea autem ℥ j. tertia quoque hora exhibeatur in nimiis dejectionibus ab intestinorum relaxatione oriundis.

℞. Aquar. Tormentill. ac Plantaginis ana ℥ ij. Aquæ Cinnamomi ℥ j. ß. Aquæ admirabilis ℥ ß. Margaritar. pp. & Coralli rubri pp. ana ℈ j. Boli Armenæ & Sanguinis-Draconis ana gr. xx. Catechu gr. xij. Syrupi Myrtill. ℥ j. Sp. Vitrioli dulcificati q. s. ad gratam aciditatem. M. pro Julapio quatuor dosibus dividendo, binis diebus sero, ac mane exhibendo in sudoribus colliquativis Phthisim utplurimum comitantibus.

℞. Rad. Tormentill. Bistortæ, & Consolidæ maj. ana ℥ j. Cort. Mali punicæ & fructuum Rhus ana ʒ iij. Coque in aquæ ℔. viij. ad tertiæ partis consumptionem. Vas deinde igne abducatur, infundaturque semihoræ spatio Glycyrrhizæ taleolatim incisæ ℥ ß. Fiat colatura pro ptisana adstringenti.

℞. Rad. Tormentill. ℥ j. Fol. Plantag. & Centinodiæ ana Man. ß. Rosar. rubrar. Balaustior. & Rhus ana ʒ ij. Coque in aquæ ℔. ij. ad medias.

Fiat

Fiat colatura, & adde Diascordii ℥ ij. pro Enemate adstringenti & anodyno, in dejectionibus dolorificis aptissimo.

## TRAGOPOGON.

Binas hic loci TRAGOPOGONI species describemus, Sativum nempe, ac Sylvestre.

Tragopogon hortense, *Offic.* Tragopogon purpureo-cæruleum Porri folio, quod Artifi vulgo, C. B. P. 274. *Inst.* R. H. 477. Tragopogon flore purpureo, J. B. 3. 1058. Barbula hirci purpureo-cærulea, *Tabern. icon.* 599. Barbula hirci altera, *Matth. Cast.* Barbula hirci flore purpureo, *Camer. Hort.* Gerontopogon, sive Sassifica Italorum, *Lugd. Hist.* Tragopogon purpureum, *Ger. Park. Raii Hist.* 252. Barbula hirci legitima, Barbula hirci, seu Coma hirci vel hircina purpurea, Gerontopogon hortense seu sativum, *Nonnull.* vulgo *le Sersifi ou Salsifi cultivè, le Sarsific blanc commun des jardins.*

Radice est minimum digitum crassa, longa, erecta, tenera, lactiginosa, sapore dulci, Caule bipedali, rotundo, intus cavo, ramoso, pluribus foliis circumfuso porraceis, quandoque latioribus, quandoque angustioribus longis, acuminatis; extremo autem caule, ramisque flores insident, conflanturque fasciculo semi-flosculorum purpureo-cæruleorum, aut nigrorum, calyce, suffulto satis longo, simplici tamen, ac ad basim usque pluribus in locis inciso, quinque exiguis staminibus in centro locatis. Hisce succedunt plura semina oblonga, rotunda, striata, rudia, cinerea, per maturitatem subnigra, & cristata. Universa planta copioso succo scatet lactiginoso, viscoso, ac dulci, qui dum primo effluit albus est postea flavescit, in hortis colitur, uti Scorsonera, ob culinarium radicis usum, quæ a pluribus avide expetitur, Æstate autem flores producit.

Tragopogon pratense, *Offic.* Tragopogon pratense luteum majus, C. B. P. 264. *Inst.* R. H. 477. Tragopogon flore luteo, J. B. 2. 1058. Barbula hirci, *Trag.* 280. *Matth. Lac. Cast.* Barba hirci, *Cord. in Diosc.* Tragopogon, *Dod. Pempt.* 256. Gerontopogon flore luteo, *Gesn. Col.* Tragopogon luteum, *Lob. Tabern. Ger. Park. Raii Hist.* 252. Tragopogon calicibus florem superantibus, *Linn. Hort. Cliff.* 382. Barba hirci flore luteo, *Camer Hort.* Barbula hirci pratensis seu vulgaris, Sassifica Italorum flore aureo, Barba Senis seu Presbyteri, *Quorumd.* vulgo *le Cercifi ou Salsifi sauvage, ou des prez, la Barbe de Bouc ordinaire.*

Radice est minimum digitum fere crassa, longa, Pastinacam quodammodo referente, extus sub-nigra, intus alba, lacte fœta, dulci; caule altitudinis fere pedis cum dimidio, rotundo, solido, lævi, foliis oblongis, angustis, acutis, Croci foliis pene æqualibus, latioribus tamen circumfuso, nonnullis ramis distincto, in quorum apicibus flores insident semiflosculis constantes luteis, magnis, floribus Hedypnoidis similibus, calyce suffultis satis longo, simplici, & ad basim usque, variis in locis, Balaustiorum fere more, inciso. Hisce autem succedunt plura semina oblonga, striata, rudia, cinerea, ac cristata. In pratis, pascuisque satis humidis, pinguibusque ubique fere crescit planta hæc, flores Majo, Junioque emittit, postea semen cristæ ope in auras evolat, denuoque pullulat, iterumque floribus ornatur Julio,

ac

ac Augusto. Jo: Bauhinus vero observat, omnes ejus flores Orientalem versus plagam converti.

*Tragopogon seu Barba Hirci* nuncupata fuit planta hæc, eo quod e cristis ejusdem seminum a calyce prodeuntibus paniculus efformatur, ad hirci barbam accedens; *Gerontopogon* autem, seu *Barba Senis* eamdem ob causam. Gallorum autem vulgo *Sersifi* aut *Salsifi* corruptis vocibus, a *Sassifica*, *Sassifrica*, aut *Sassefrica*, Italis ejusdem denominationibus, quæ pariter corruptæ voces originem trahunt a *Saxifragia*, radix enim hujusce plantæ censabatur apta adversum Stranguriam, & ad renum ac vesicæ calculum expellendum.

Plurimum salis essentialis, olei, & phlegmatis Analysi Chymica a binis adhuc recensitis speciebus elicitur. Radices aperientes sunt, stomachicæ, & pectorales, & Scorsoneræ radici commode substitui possunt; fere iisdem enim viribus gaudent, nonnihil tamen demissioribus. In alimentis pariter, uti prædicta, usurpantur, alimentumque suppeditant dulce, ac boni succi: peculiarius autem in Pleuritide, Asthmate, ac in renum ac vesicæ calculo commendantur, emolliendi enim, leniterque discutiendi facultate, a densis, glareosisque succis partes hasce omnino liberant.

Externe quoque folia apposita ulcera detergunt, & consolidant.

### *Juscula Aperientia.*

℞. Rad. Scorsoneræ, Tragopogoni, Sisari, Apii, & Cichorii lotar. ac taleolatim incisar. ana. ℥ ij. Coque cum juguli Vervecini ℔ j. in aquæ ℔ iij. ad duos haustus reducendis. Fiat colatura forti expressione, dividaturque in doses binas, quarum una mane, jejuno ventriculo, altera sero per novendium propinabitur.

℞. Cancros viventes N. vj. Coque ad ruborem in aquæ f. q. Contunde postea in mortario marmoreo, & adde jusculo ebullienti Rad. Tragopogoni ℥ ij. Sisari ℥ j. Fol. Borraginis, & Cichorii amari ana. Man. j. Ebulliant iterum per horæ quadrantis dimidium. Fiat deinde expressio per linteum, dividaturque in doses duas, quindecim dierum spatio sumendas mane, jejuno stomacho, & sero.

Juscula hæc aperientia apta sunt ad massam sanguineam depurandam, & obstructionibus, scabiei, impetigini, aliisque cutaneis morbis adversantur.

## T R I B U L U S.

Binas Tribuli species quandoque a Medicis usurpatas agnoscimus, quæ etsi genus diversum sortiantur juxta Tournefortium, tamen utplurimum simul junguntur.

Tribulus terrestris, *Offic.* Tribulus terrestris Ciceris folio, fructu aculeato, C. B. P. 350. Tribulus terrestris, J. B. 2. 352. *Dod. Pempt.* 557. *Ger. Park. Raii Hist.* 1344. Tribulus terrestris, Ciceris folio, seminum integumento aculeato, *Mor. Hist. Oxon.* 202. *Inst.* R. H. 266. Tribulus aculeatus vulgatior, Calcitrapa sive Herba muricata, *Nonnutl.* vulgo *le Tribule commun ou terrestre*, *la Herse*, *la Croix de Malthe*, *Saligot terrestre*.

E radice longa, simplici, alba, fibrosa, plures emergunt exigui caules, fere semipedales, in terram strati, rotundi, nodosi, hirsuti, sub-rubri, pluribus

nibus distincti ramis, foliis alatis, seu pari ordine, simplici in latere, locatis, foliis Ciceris, aut Lentis similibus, villosis. Ex foliorum alis flores exeunt longis elati pedunculis, quinque constantes petalis flavis, rosaceis, denis exiguis staminibus in centro positis, qui tandem in fructus abeunt duros, spiculis pluribus armatos, longis, acuminatisque, Equitis Melitensis crucem quodammodo referentibus, conflanturque quinis cellulis, semina oblonga continentibus. In regionibus calidis Italia, Hispania, Provincia, & Occitania in agro Monspessulano abunde occurrit planta hæc, quæ e solo erumpit, Majo exeunte, Julio autem & Augusto flores, ac semen emittit, asinisque alimentum præbet: hortulanis autem, juxta Clusium, satis incommoda esse solet, ejus enim fructuum facile decidentium spiculis nudi eorum pedes haud raro vexantur.

Analysi Chymica a Tribuli fructu, plurimum olei, salisque essentialis recipitur; detergit autem, aperit, ventrisque fluxus sistit, pulveris forma a ℈ j. ad ʒ j. Conserva Rosar. exceptus. Garidelius autem asserit, universæ plantæ aquam stillatitiam optimam esse ad renum & vesicæ calculum expellendum ab ℥ vj. ad ℥ viij. matutino tempore, ac jejuno ventriculo, pluries repetitam. Clusius vero narrat temporibus suis, ejusdem plantæ decoctionem in clysteribus usuvenisse, ad glareas, materiasque viscidas quandoque in crassis intestinis stabulantes incidendas, atque attenuandas. Fructus præterea decoctione in cubiculo effusa, pulices expelli, quidam asserunt.

Tribulus aquaticus, *Offic.* C. B. P. 194. J. B. 3. 775. *Ger. Raii Hist.* 1321. Tribulus aquatilis, *Dod. Pempt.* 581. Tribulus lacustris, *Cord. Hist.* Tribuloides vulgare, aquis innascens, *Inst.* R. H. 665. Tribulus aquaticus major, *Park.* Butomos Damocratis, *Anguill.* Trapa petiolis foliorum natantium ventricosis, *Linn. Hort. Cliff.* 483. Tribulus marinus, Castanea Ferrariensis seu palustris, Castanea lacustris seu cornuta, Nux aquatica vel lacustris, *Quorumd.* vulgo *le Tribule aquatique, la Macre ou Macle, la Cornovelle, la Chataigne d'eau, ou cornue, le Truffle d'eau, le Salgot ou l'Echarbot.*

E radice satis longa, per intervalla ingenti capillitio stipata, partim aqua innatante, partim profundo limo appensa, crassescendo versus aquæ superficiem, plura exeunt folia lata, Populi, aut Ulmi foliis similia, breviora tamen, ac quodammodo rhomboidalia, pluribus nervosis eminentiis distincta, ambitu nonnihil crenato, superne glabra, inferne vero rugosa, longis, crassisque caudis appensa. Flores exigui sunt, quatuor petalis albis constantes, totidemque staminibus, calyce suffulti quadripartito, pedunculisque elati rotundis, solidis, viridibus, exigua lanugine tectis. Deciduis floribus exigui fructus præsto sunt parvas castaneas æmulantes, quorum quisque quatuor conspicuis, durisque cuspidibus fulcitur, cinereum colorem habet, obtegitur membrana, quæ dein separatur, quæque nigrescit, adinstar fere Achatis, lævis, ac expolita, unicaque cellula quamdam veluti amygdalam occludit cordatam, duram, albam, membrana obtectam exilissima, esu optimam, sapore ad Castaneam accedente. In fluviis, lacubus præsertim, ac stagnis, in fossis, aquis putrescentibus, limosoque fundo præditis luxuriat planta hæc, Junio flores emittit, fructusque Autumno maturitatem acquirit. Matthiolus autem testatur, non modo in aquis dulcibus progigni, verum etiam in mari, cui profecto fidem præstare neutiquam possumus. Autumatur vero ex hocce fructu ortum, denominationemque sumpsisse machinas

quaſdam ferreas acuminatas, vulgo *Chauſſetrapes*, quæ belli tempore poſt hoſtium cladem protenduntur, ad eorum fugam impediendam.

Tribuli aquatici fructus, quo ſolo utimur, plurimum olei, parumque ſalis largitur, adſtringens eſt, refrigerans, reſolvens, aptuſque ad ventris fluxus, hæmorrhagiaſque ſiſtendas: tam internum quam externum in uſum revocatur, & a Veteribus, ac Neotericis tamquam alimentum perutile reputatum fuit. Plinius refert, Thraces, marginumque Nili incolas eo veſci, eoque panem conficere ſaporis ſatis grati. Idem quoque Author addit, ab hiſce populis equos hujuſce plantæ foliis ſaginari. Diverſimode autem pro eſu fructus paratur, aut enim ſub cineribus ad inſtar Caſtanearum, aut ebullienti aqua; ejus autem ſapor iis dulcior eſt, inſipidiorque. Panis quoque ex eo, pultiſque ſpecies in agro Lemovicino componitur: qua de cauſa fructum in aqua ſemicoctum, corticeque denudatum recipitur, mortarioque ligneo contunditur, & abſque ulla aut lactis, aut aquæ additione puls paratur a puerulis magnopere perquiſita: a Nonnullis quoque crudus nucum avellanarum more eſitatur.

Externe quoque planta hæc contuſa Cataplaſmatis forma, inflammationibus admovetur, quas refrigerat, ac temperat. Ejus autem decoctio cum Melle, pro Gargariſmate, exulceratas gingivas detergit, ejuſque ſuccus in oculorum morbis commendatur.

## TRIFOLIUM.

MAgnus profecto extat TRIFOLIORUM numerus, nos tamen quinas tantum ſpecies a Medicis uſitatas deſcribemus, quarum tres primæ inter genuina Trifolia recenſentur, binæ autem poſtremæ inter Lotos veros.

Trifolium, *Offic.* Trifolium pratenſe purpureum, C. B. P. 327. *Raii Hiſt.* 943. Trifolium purpureum vulgare, J. B. 2. 374. Trifolium pratenſe, *Tabern. icon.* 523. *Matth. Dod. Ger. Fuchſ. Trag. Lob.* Trifolium pratenſe flore monopetalo, *Inſt.* R. H. 404. Trifolium pratenſe purpureum vulgare, *Park.* Trifolium majus, *Brunf.* Triphylloides pratenſis flore purpureo, *Pont. Anth.* 241. Trifolium pratenſe capitulis florum purpureis, *Geſn. Hort.* Trifolium ſpicis villoſis, foliis inſidentibus, Vaginarum caudis capillaribus, *Hall. Helv.* 584. Trifolium ſpicis villoſis, caule diffuſo, foliolis integerrimis, *Linn. Hort. Cliff.* 375. Trifolium pratenſe vulgare; Trifolium pratenſe flore purpuraſcente ſeu vulgatiſſimum, *Quorumd.* vulgo *le Trefle vulgaire ou commun des Prez, le Triolet ordinaire.*

Radicem habet minimi fere digiti craſſitie longam, rotundam, lignoſam, repentem, fibroſam. Caules ad pedis cum dimidio fere altitudinem emittit graciles, ſtriatos, nonnihil quandoque hirſutos partim erectos, partim in terram ſtratos. Folia alia rotunda ſunt, alia oblonga, tria ſimul, eadem in cauda, appenſa, macula alba aut nigra, Lunam quodammodo referente, obſignata. In caulium apice flores progignuntur monopetali, leguminoſis floribus perſimiles, capitati, aut ſpicati, breves, craſſique, purpurei, ſucco melleo, dulci, ac grato in centro fœti, odore neutiquam ingrato, ſapore leviter adſtringenti. Floribus præſto ſunt exiguæ capſulæ rotundæ, calyce obvolutæ, longaque cauda terminatæ, in quibus ſingulis exiguum reniforme ſemen occluditur. Ubique in pratis, paſcuis, lociſque humidis, ac paludo-

ſis

ſis creſcit planta hæc, Aprili, Majo, ac Junio, flores propellit, quos Apes vehementer appetunt, totaque planta ad armenta ſaginanda optimum alimentum ſuppeditat.

Plurimum phlegmatis, atque olei, parumque ſalis eſſentialis continet, tamquam detergens, refrigerans, ac temperans reputatur, inflammationibuſque interne, ac externe admota adverſatur; Tragus autem flores, ac ſemina in Vino ebullita præſcribit ad tormina ſedanda, materiaſque viſcidas in inteſtinis hærentes incidendas. Univerſæ autem plantæ decoctio ex aqua utillima eſt mulieribus fluori albo deditis.

Quoad ejus externum uſum, Trifolii ſpecies hæc in aqua, aut oleo decoquitur, & Cataplaſmatis forma tumoribus, inflammatione neutiquam ſociatis applicatur. Sola foliorum in oleo infuſio a Riolano plurimum exiſtimatur, ad membrorum tremorem ſedandum; D. Chomelius *in Hiſtoria Plantarum uſitatiorum* aſſerit, quemdam agnoviſſe, a quo aqua diſtillata ex Trifolio, foliis macula alba, & cordata obſignatis, in oculorum morbis, inflammatione præſertim, ac rubore, pluries cum ſucceſſu in uſum revocata fuit.

Lagopus, *Offic.* Trifolium arvenſe humile ſpicatum, ſive Lagopus, C. B. P. 328. *Inſt.* R. H. 405. Lagopus Trifolius quorumdam, J. B. 2. 377. Lagopus, *Dod. Pempt.* 577. Lagopus vulgaris, *Park. Lugd. Hiſt. Raii Hiſt.* 948. Lagopodium, ſive Pes Leporis, *Ger.* Lagopus, ſive Pes Leporinus, *Matth. Fuchſ.* Trifolium ſpicis villoſis ovalibus, dentibus Calycinis ſetaceis æqualibus, *Linn. Hort. Cliff.* 375. Lagopus & Lotus Campeſtris, *Trag.* Trifolium Leporinum, Lagopus genuinus Antiquorum, Trinitas herbariorum, Lagopyros ſeu Lagopyrus Hippocratis, Lagopyron Galeni, Leporis Cuminum, Lotus campeſtris alba, Lagopus vulgatior ſeu Campeſtris, *Nonnull.* vulgo *le petit Trèfle des champs, ou le Pied de Lièvre.*

Radicem habet minutam, lignoſam, fibroſam, tortuoſam, albam, annuam, quæ plures exiles caules emittit, ad fere pedis ſemiſſe altitudinem, ramoſos, erectos, ſub-albida lanugine tectos. Folia terna pro unaquaque cauda locantur, fere-rotunda, acuminata, foliis Trifolii vulgaris anguſtiora, lanuginoſa, ſub-albida, præcipue in parte poſtica. Flores leguminoſi ſunt exigui, albi, lanuginoſis, tenelliſque inſidentes ſpicis, leporinum pedem referentibus, colore cinereo ad purpureum accedente. Deciduis floribus capſulæ ſuccedunt calyce obvolutæ, ſemenque occludentes reniforme, ac ſubrubrum. In arvis ſegetes inter, elatior, aut depreſſior juxta Soli fertilitatem, abunde creſcit planta hæc, ſero, ac Æſtate ad exitum properante flores propellit, eoſque ad Octobrim uſque detinet.

Plurimum habet olei, ac phlegmatis, parumque ſalis eſſentialis. Sapore, ſcatet univerſa planta, adſtringenti, ac exſiccante.

Secundum vero S. Paulli teſtimonium, optima eſt ad immodicas dejectiones, dyſenteriamque ſiſtendam; ex ea Man. j. in aquæ ℔ iij. ad tertiæ partis diminutionem immititur, uſurpaturque pro potu communi. Lemeryus vero nos edocet, ejuſdem ſemine Tritico, ſociato, molaque contuſo, ſub-rubrum colorem in pane apparere, hinc, addit ille, a ruſticis omnino exploditur, flocique penditur Triticum, cum quo ſemen hocce admiſcetur. D. vero Antonius de Juſſieu celebris Præceptor noſter, ſuis prælectionibus aſſerebat, plantam hance quondam ſatis raram, vulgatiſſimam adeo fuiſſe effectam, centum & quinquaginta ab hinc annis ſolummodo, quum autem ejuſ-

dem ſeminis farina una cum triticea conjuncta reſeum colorem pani conciliaret, ſanguinem in eo permiſceri cogitans Pariſienſis plebs adverſum Piſtores pene conjuravit.

Trifolium bituminoſum, *Offic.* Trifolium Bitumen redolens, C. B. P. 327. *Inſt.* R. H. 404. Trifolium aſphaltites, ſive bituminoſum odoratum, J. B. 2. *366.* Trifolium bituminoſum, *Dod. Pempt.* 566. *Ger. Raii Hiſt.* 943. Trifolium aſphaltites, ſive bituminoſum, *Park.* Trifolium aſphaltitium Monachorum, Trifolium acutum ſive odoratum, Aſphaltion ſive Oxytriphyllon Dioſcoridis, Trifolium aſphalteum ſeu fœtidum, *Nonnull.* vulgo *le Trèfle odorant ou bitumineux.*

Radicem habet duram, lignoſam, fibroſam, quæ ſub-arbuſculæ ſpeciem quamdam ad duorum pedum fere altitudinem emittit, pluribus diviſam ramis erectis, ſtriatis, ſubalbidis, aut ſubnigris. Terna folia eadem in cauda locantur, primo rotunda, demum ſeſe elongantia, ac in acumen deſinentia, ſub-albida, hirſuta, tactu viſcida, odore bituminoſo ſatis penetrante. Flores ſummo caule, ramiſque enaſcuntur capitati, oblongi, ſtriati, villoſi, abeuntque in capſulas calyce obvolutas, ſemen continentes, rude, acuminatum, ſub-nigum, ejuſdem cum planta odoris, ſaporiſque aromatici juxta Cæſalpinum. In regionibus calidis, Creta, Sicilia, Occitania, in agris Monſpeſulano, & Narbonenſi, in collibus ſaxoſis mari proximis creſcit planta hæc; in hortis quoque Curioſorum colitur, in quibus Junio, Julio, & Auguſto floribus exornatur, frigorique, dummodo non excedat, reſiſtendi vim habet. Jo: Bauhimus aſſerit, ſemine ejuſdem Italico, in Germania ſato, bituminoſo odore ſcatentem plantam progigni, ſemine vero Germanico iterum ſato, plantam ullo nec odore, nec ſapore præditam produci.

Trifolium prædictum adverſus Cancrum, remedium internum nobis ſuppeditat ſatis optimum, edocemur enim a Fabricio ab Aquapendente, ejuſdem ſuccum a cochleari j. ad coch. ij. in duobus, aut tribus aquæ cyathis, humorem, cancroſum virus, progignentem corrigere; a Sylvio autem de le Boe oleum e ſeminibus expreſſis ejuſdem plantæ plurimum exiſtimatur adverſum Paralyſim, ſi eo affectæ partes obliniantur.

Trifolium Hæmorrhoidale, *Offic.* Lotus pentaphyllos ſiliquoſus villoſus, C. B. P. 332. *Inſt.* R. H. 403. Trifolium album rectum, hirſutum valde, J. B. 2. 360. Oxytriphyllum alterum Scribonii Herbariorum, *Lob. icon.* 31. Lotus incana, ſive Oxytriphyllum Scribonii Largi, *Ger.* Lotus Hæmorroidalis major, ſive Trifolium Hæmorrhoidale majus, *Park.* Oxytriphyllon Scribonii Largi, *Valer. Dourez.* Lotus ſylveſtris Matthioli, *Lugd. Hiſt.* Trifolium Candidum, Trifolium ſiliquoſum villoſum vel incanum, Lotus ſiliquoſa, *Nonnull.* vulgo *le Trèfle ou Lotier Hèmorrhoidal.*

Radicem habet longam, duram, lignoſam, plures autem emittit caules ad duorum, vel trium pedum altitudinem, graciles, rotundos, hirſutos, lignoſos, ramoſos ſub-arbuſculæ in morem, foliis circumfuſos lanuginoſis, ſub-albdis, rotundis, ternis eadem in cauda locatis, binis ad baſim appendicibus, ſapore admodum adſtringenti. Flores extremis caulibus, ramiſque enaſcuntur leguminoſi, plures ſimul congeſti, ſub-albidi, calyce admodum hirſuto ſuffulti, quibus ſuccedunt ſiliquæ breves, craſſiuſculæ, muris fimo ſatis ſimiles, atro-rubræ, ſemen continentes rotundum, exile, interne ſubflavum. In Occitania, agroque Monſpeſſulano creſcit planta hæc, Æſtate autem flores popellit.

A plu-

A pluribus ad hæmorrhoidum dolores sedandos Trifolium hocce plurimum existimatur. Garidelius *in Historia Plantarum agri Aquisxetiensis* asserit, nonnullos agnovisse, qui ejusdem folior. p. ℥ j. aut ℥ ij. in jusculo, aut vino propinabant magno ægrorum emolumento. Pulvis hic Lutetiæ Parisiorum privilegio divenditur.

Trifolium corniculatum, *Offic.* Lotus sive Melilotus pentaphyllos minor, glabra, C. B. P. 332. *Inst.* R.H. 402. Lotus corniculata glabra minor, J. B. 2. 356. *Raii Hist.* 967. Trifolium corniculatum primum, *Dod. Pempt.* 573. Trifolium siliquosum minus, *Ger. Tabern.* Melilotus Germanica, *Fuchs. Lonic.* Pseudo-Melilotus *Camer.* Lotus Pentaphyllus, *Gesn. Hort.* Lotus caule herbaceo, florum capitulo depresso, leguminibus decumbentibus teretibus, *Linn. Hort. Cliff.* 372. Lotus sylvestris, Lotus herba, Lotus urbana, Melilotus coronata seu nobilis, Herba Leporina, Leporaria, Herba flava *Nonnull.* vulgo *le petit Lotier ou Trèfle sauvage jaune.*

Radicem habet lignosam, longam, nigram, pluribus divisionibus distinctam, fibris stipatam, repentem, sapore sub-dulci, & adstringenti; ex ea plures emergunt caules minuti, fere in terram strati, ramosi, foliis circumfusi, eadem in cauda, ternis una locatis, Trifolio proximis, sapore adstringenti, binis foliolis inferne positis, satis pinguibus, acutis, plerumque glabris, nonnihil quandoque hirsutis. Flores leguminosi sunt, in morem umbellæ plurimi una simul congesti, flavi, quandoque sub-virides, Genistæ floribus persimiles, calyce suffulti denticulato, ac corniformi. Horum autem locum subeunt capsulæ cylindraceæ, plura occludentes semina semi-rotunda, ac reniformia. Ubique fere in pratis, pascuisque humidis aut siccis, in collibus, nemoribus, secusque vias occurrit planta hæc; Æstate ad Autumnum usque flores emittit; a Jo: Bauhino mas, quæ hirsuta, fœmina vero quæ glabra est, nuncupatur. Maximum armentis præ aliis nutrimentum suppeditare solet.

Plurimum habet olei, & phlegmatis, mediocrem vero salis portionem. Juxta Lemeryum detegens est, aperiens, ac vulneraria: raro admodum tamen in usum Medicum venit, quamvis a Nonnullis, adinstar Meliloti, ac ad easdem indicationes adimplendas usurpetur.

## T R I T I C U M.

Triticum, *Offic.* Triticum Hybernum aristis carens, C. B. P. 21. *Inst.* R. H. 512. Triticum vulgare, glumas triturando deponens, J. B. 2. 407. Siligo spica mutica, *Lob. icon.* 25. Triticum spica mutica, *Ger. Park. Raii Hist.* 1236. *Lugd. Hist.* Triticum, *Brunf. Gesn. Hort. Cord. Hist.* Triticum aristis carens, *Cæsalp.* Tritici primum genus, *Trag. Fuchs. Lonic.* Triticum semestre, *Dod. Tabern.* Siligo veterum, Tritici deliciæ Plinii, Triticum genuinum seu vulgare, *Nonnll.* vulgo *Froment, Bled franc ou mutet.*

Huic radix est minuta, & filamentosa, quæ plures emittit culmos ad quatuor, aut quinque pedum altitudinem, satis crassos, erectos, nodis per intervalla stipatos, intus cavos, nonnullis suffultos foliis longis, ac angustis, adinstar foliorum Graminis, extremis autem culmis spicæ locantur longæ, barba carentes, in quibus flores insident exiguis fasciculis, tribus constantes staminibus capillaribus, apicibus oblongis, ac furcatis, e calyce pluribus squam-

ſquammis compoſito, exeuntibus. Deciduis floribus grana ſuccedunt ovalia, fere oblonga, obtuſis extremitatibus, dorſo convexo, facieque oppoſita ſulcata; externe flava, interne alba, farinacea, ac ad panem conficiendum aptiſſima, ſquammis obvoluta, quondam floris calycem efformantibus, Tritici bullis, nuncupatis. In omnibus fere totius Orbis plagis creſcit planta hæc, quæ ſolo delectatur pingui, ac fertili, radiiſque Solaribus expoſito, magiſque ſicco, quam humido, optimo enim ſolo ſata, diligenterque exculta mirum in modum multiplicatur. Autumno ineunte ſeritur; germinat, apparet, & arva cooperire ſolet ante Hyemis adventum; Aprili excreſcit, dein ſenſim ſine ſenſu tubulis ſuis nodis roboratis ſpicam emittit, Majoque floret; demum quadraginta diebus poſt floris eruptionem ejus ſemina maturitatem acquirunt, quæ numero, ac craſſitie variare ſolent juxta aeris temperiem, & ventorum, ac culturæ indolem. Mirum profecto eſt, ſimulque maxima, ac inconcuſſa Divinæ erga homines Bonitatis demonſtratio, Triticum binis extremitatibus, frigoris ſcilicet, ac caloris nunquam lædi; æque enim optime creſcit in Scotia, & Dania, ac in Ægypto, & Mauritania. Ejus uſus univerſalis, inter grana uſque adhuc cognita, vulgatior, meliorque eſt. Præcipui autem ejus excellentiæ caracteres ſunt, quod recens ſit, probe maturum, compactum, ponderoſum, ac facile, plurimumque infletur aqua maceratum, magnam albiſſimæ farinæ copiam ſuppeditet, ab omnibus aliis ſeminum ſpeciebus ſejunctum, nec rubigine, aut alia labe ſit inquinatum.

Grana Tritici Analyſeos Chymicæ ope plurimum olei, ſaliſque eſſentialis largiuntur. A nemine vero communis ejus uſus ignoratur, ad nutrimentum tam utile, quam gratiſſimum comparandum; ex omnibus enim granorum ſpeciebus pro pane conficiendo uſurpatis, Milio nempe, Oryza, Panico, Zea, aliiſque quamplurimis, nulla, ſaporem panis noſtratis vulgaris adæquat, nec adeo facile concoquitur.

Verumenimvero pro prædicto alimento adeo neceſſario rite conficiendo, Mola Triticum primo loco conteritur, ac in farinam reducitur, cui, ſecreto furfure, ſufficiens deinde fermenti quantitas adjungitur: fermentum autem prædictum plerumque conſtat maſſa farinacea, alias ſubacta & aceſcente, quæ cum, ſalibus volatilibus acidis, conſtituatur, minimas farinæ partes, fermentatione, ejus ope, oborta, agitat, atque attenuat, panemque efficit leviorem, magis poroſum, faciliorifque digeſtionis.

Secundo loco aquæ, farinæ ſuperaffundendæ, calor probe perpendendus eſt, ſi enim frigiditate peccet, fermentatio imperfecta tantum ſuccedet; ſi e contra nimio peccet calore, maſſa nimis cito ac nimis violenter in fermentationem accerſita corrumpi, ac aceſcere facile poteſt.

Tertio loco maſſa rite eſt ſubigenda, ut exacte fermento admiſceatur, atque ut inteſtinus inſenſibilium ejuſdem particularum motus adjuvetur.

Quarto loco congruo temporis ſpatio, in loco moderate calido probe cooperta eſt linquenda, ut ſufficienter infletur, ac fermentationem ſubeat: ſi autem plus juſto in hoc ſtatu permaneat, ſales farinæ acidi, præ aliis ejuſdem principiis ſuſcitantur, particuliſque oleoſis, quibus irretiebantur, liberati, pani acorem deinde communicant.

Demum caloris gradus pro panis coctura neceſſarii rite ſunt attendendi, nimio enim calore induratur, debili autem mollis, ponderoſuſque remanet, difficilemque digeſtionem procreat.

Pro

Pro massa, qua panis conficitur, exquisitiore, gratioreque reddenda, aliis rebus sane diversis admiscetur, eaque plures dulciarii panis species conficiuntur, de quibus hic verba facere nimis profecto longum esset: solum autem indicabimus, raro admodum quamcumque panis prædicti speciem usurpandam esse, non solum quia stomachum gravat, difficilemque digestionem reddit, verum etiam quia semper simpliciora alimenta magis compositis sunt anteponenda.

Quo minor furfuracearum particularum copia in farina relinquitur, panis ex ea elaboratus, majorem nutriendi energiam, gratiamque saporis acquirit; difficilioris tamen est digestionis, magisque ventriculum gravat; tenuissimæ enim farinæ particulæ arcte adeo invicem uniuntur, ut poros omnes respuant, hinc panis compactior efficitur; si autem e contra tenuioris furfuris moderata dosis cum pane conjungitur, crassis ejus particulis, intima farinæ partium unio impeditur, panis porosior, faciliusque fermento stomachi subigendus emanat.

Notum est, furfurem esse Tritici tunicam mola contritam, familiarissimumque in re Medica usum habere, tamquam detergentem ac refrigerantem. Ejus decoctione ex aqua Clyster paratur temperans, emolliens, leviterque detergens; in dejectionibus, dysenteriisque cum Lini semine ut plurimum præscribitur. Aqua eadem furfuris interne sumpta iis alvum subducit, qui invincibili odio cætera purgantia prosequuntur. Ex eo quoque ptisana paratur adversum antiquas reheumaticas affectiones, tussesque pertinaces, qua de causa cochleare unum cumulatum in aquæ ℔. ij. decoquitur, spumaque abjecta ab igne retrahitur, ac posteaquam liquor quieverit, inclinatione versatur, sacchari que in eo ℥ j. exsolvitur; calidiuscula autem ptisana hæc ingurgitatur. Furfur præter emolliendi vim, æque etiam resolvit; in vino, cerevisia, aut urina decoquitur, & Cataplasmatis forma applicatus dolores arthriticos sedat, tumoresque articulationum discutit. Eo præterea satis calefacto Hydropicorum crura œdematosa obvolvuntur, ad perspirationem adjuvandam, cumulatamque aquam dissipandam.

Amylum est alia quædam præparatio subtilioris farinæ Tritici, absque molæ adjumento, obtegentis furfuris, aquæ ope, segregatione; exsiccatum autem, ac in frustula divisum variis usibus inservit. Quoad rem Medicam attinet, Amylum pectoris morbis dicatur, refrigerandi, & incrassandi vi pollet, sputum sanguineum sistit, ejusdemque acrimoniam temperat. Jure itaque, meritoque in pulvere Diatragacantho frigido, pluribusque aliis pectoralibus compositionibus ac refrigerantibus usurpatur. S. Paulli vero nobis testatur, sanguineos narium copiosos fluxus pluries stagnasse, Amyli Cataplasmate, additis Bolo Armena, albumineque ovi; ab eo autem apponebatur suturæ coronali ad extremam usque frontis partem. Liquor autem ex Tritico elicitus, si inter duo lamina ferrea calida reponatur, excellit, juxta Rajum, ad impetiginem, cutisque pruritus sanandos, nec non ad rimas, fissurasque, Rhagades nuncupatas, a nimio frigrore in manibus, pedibusque obortas, sanandas. Fermento præterea, oleoque Rosato, aut Chamomillino Cataplasma conficitur ad abscessus maturandos, suppurationemque adjuvandam satis utile. Ab Etmullero autem in usum revocabatur fermentum aceto rosato subactum, cum Menthæ exsiccatæ pulvere, aut aromatibus mitioribus ad stomachum in vomitu, alvique fluxu roborandum,

Mica vero panis lacte, vitello ovorum, ac croco soluta, quotidie nobis Cataplasma suppeditare potest familiarissimum, ad dolentes tumores resolvendos, inflammationemque sedandam.

Tritico pariter, adinstar Hordei, Cerevisia paratur, ex eo etiam Spiritus sive Aqua Vitæ elicitur, Sp. Vini fortiorem, intensioremque ebrietatem conciliians.

℞. Micæ panis recent. albi ℥ iij. Clara puls cum vaccini lactis ℔. j. ex ea ad ignem conficiatur. Super linteum extendatur, calideque applicetur, Cataplasmatis forma, tumoribus dolorificis ad inflammationem dissipandam.

℞. Furfuris loti Man. ß. Folior. Malvæ aut Parietariæ Man. j. Coque in aquæ q. s. ad ℔. j. Adde collaturæ Mellis violati ℥ ij. pro clystere emollienti.

℞. Panis Triticei pauco furfure permixti, probe fermentati, ac recocti ℥ viij. Aquæ purissimæ ac levissimæ ℔. iij. Coque in vase terreo optime cooperto horæ spatio, opportune aquam addendo; Decotio deinde per linteum, aut cribrum setaceum coletur, postea:

℞. Decoctionis prædictæ ℔. j. Adde succi Citri ℥ ß. Aquæ Cinnamomi distillatæ ʒ ij. Vini Rhenani ℥ iiij. Sacchari q. l. ad gratiam. ℥ j. dosi calide quaque hora exhibeatur. Decotio autem hæc gratissima, levis, & enutriens debilibus, languentibusque convenit, quum ægri quodcumque nutrimenti genus respuere videntur.

## TUSSILAGO.

Tussilago. *Offic.* Tussilago vulgaris, C. B. P. 197. *Inst.* R. H. 487. Tussilago J. B. 3. 563. *Ger. Park. Raii Hist.* 259. Bechium, sive Farfara, *Dod. Pempt.* 596. Ungula Caballina, *Brunf. Trag.* 418. Ungula Asinina, & Lactuca ustularia Germanorum, *Cord. Hist.* Farfarella, *Lac. Gesn. Hort. Lonic. Lob. Cast. Lugd. Hist.* Tussilago, vulgo Farfara aliis ungula Caballina, *Cæsalp.* 490. Tussilago scapo imbricato, unifloro, foliis subcordatis angulatis denticulatis, *Linn. Hort. Cliff.* 411. Chamæleuce, *Plin.* Bechion seu Bechicon, Farfugium, Farfarus, Farfarum, Farsaria, Farranum, Populago Pata equina vulgo ungula equina, Aphyllanthes, Filius ante Patrem, *Nonnulli* vulgo *Tussilage ou Pas d'Asne.*

Radice est longa, minuta, sub-albida, tenera, repenti, quæ plures propellit exiguos caules fere pedales, intus cavos, lanuginosos, foliolis circumfusos cauda destitutis, longis, acuminatis, alternatim locatis, in eorum autem extremitate elegans locatur flos rotundus, radiatus, flavus, Hedypnoidis flori proximus, cum quinis capillaribus ac brevissimis staminibus, apices cylindraceos gestantibus, cui plura semina præsto sunt oblonga, plana, cristata. Post florum eruptionem folia exeunt magna, lata, angulosa, semi-rotunda, superne viridia, inferne sub-albida, ac lanuginosa. Humidis in locis, secus fluvia, rivulosque, prope fontes, fossasque in terris pinguibus, parumque aquaticis occurrit planta hæc, Febrario exeunte, aut Martio ineunte flores emittit, quos diutius haudquaquam servat; hinc Nonnulli crediderunt, eamdem flores nunquam progignere: falsum præterea est ejusdem flores per biduum tantum perdurare. Si vero in hortis, umbroso,

atque

atque humido, ejusque naturæ apto loco collocetur, multiplicatur, ac adeo serpit, ut non leve incommodum quandoque afferat. Quamvis autem omnes ejusmodi plantæ partes in usum Medicum venire possent, ejus flores præcipue usurpantur.

Tussilago folliis donatur, amaris, viscidis, ac nonnihil stypticis, saporem Cinaræ habent, vixque chartam cæruleam rubore inficiunt. In ea autem stabulari videtur sal, sali Corallor. persimile, sulphure, plurimoque phlegmate viscido permixtum, quibus principiis adversum rheumaticas affectiones, ad acrimonias temperandas, thoracis ulcera detergenda, expectorationemque coadjuvandam apta merito recensetur. Tam interne, quam externe usurpatur. Ejus folia, ac flores temperantes admodum sunt, modice aperientes, morbisque pulmonum dicati, a sero acri, ac salso in iis detento productis. Asthamatici ejusdem foliorum fumum syringa tabacaria excipere solent: Boyleus autem eumdem in usum mixturam præscribit ex hisce foliis, una cum floribus sulphuris, succinoque pul., asseritque hocce remedio Phthisicos plures sanatos fuisse. A Dioscoridis, aliorumque veterum Medicorum usque temporibus curabatur, ut ægri prædicti vaporem ex foliorum ejusdem plantæ dectione exciperent. Hodie quoque folia, ac flores Man. ij. vel iij. pro singulis liquoris ℔. ij. in decoctionibus pectoralibus præscribuntur. In Officinis præterea syrupus simplex, ac compositus ex iisdem floribus parantur, eorumque dosis ℥ j. definitur: compositus autem ex ejusdem plantæ radicibus, foliis, floribusque, Capillo Veneris, & Glycyrrhiza additis conficitur. Aqua vero Florum Tussilaginis stillatitia ad ℥ vj. usque propinatur, Conserva vero ad ℥ ß. in Looch, potionibusque pectoralibus. Rajus narrat, Hillerum Medicum Marchionis Brandeburgensis, puerulos plures tabidos sanasse, eos nempe foliis Tussilaginis cum butyro, ac farina, aliorum leguminum instar, coctis enutriendo. A Nonnullis radix quoque non secus ac folia, & flores in pretio habetur, & decoctionis, ac ptisanæ forma exsiccata etiam adhibetur. Sequens ptisana optima est contra Tussim siccam: ebullientis aquæ ℔. viij. super folior. Tussilaginis Man. iij. flor. ejusdem pug. iij. summitatum Hyssopi pug. ij. Passul. ℥ j. Mellisque Narbonensis cochlear. iij. affunduntur; Ebullitione vix incoacta, vas ab igne retrahitur, cooperiturque, omnibus infusis remanentibus, usquedum ptisana frigefiat, colatur postea pro usu. A Nonnullis quoque ejusdem plantæ succus commendatur ad quartanas febres exterminandas, si convenienti temporis spatio, mane, jejuno stomacho ℥ iij. aut jv. hauriatur.

Externe denique Tussilaginis folia tusa, & Cataplasmatis more inflammationibus apposita, eas temperant, ac resolvunt. S. Pauli autem post Sennertum nos edocet, florum decotionem ex Vino, pauca Myrrha, Mastiche, & Lithargiro, additis, ad ulcera, Hydropicorum crura, infestantia, gangrænamque minitantia excellere.

Tussilaginis vero radix usurpatur in syrupo de Erysimo *Pharm. Paris.* folia in syrupis Consolidæ maj. & Testudinis, & flores in decoctione pectorali, & syrupo Roris Solis *ejusdem. Pharm.*

℞. Flor. Tussilaginis, Malvæ, Papaveris erratici, & Gnaphali ana Pug. j. superaffunde bullientis aquæ ℔. iij. & semihoræ spatio infusa relinque. Adde colaturæ syrupi Capilli Veneris aut Sacchari ℥ j. ß. Pro infuso pectorali in rheumaticis affectionibus, tussi, pectorisque calore sociatis convenientissimo.

℞. Fol.

℞. Fol. Portulacæ, & Lactucæ ana. Man. j. Flor. Tussilag. Verbasci, & Ninphææ ana. Pug. j. Coque in aquæ ℔ jv. ad quartæ partis diminutionem, colaturæ adde syrupi Tussilaginis ℥ j. ß. pro decoctione temperanti, ex qua magnus cyathus tepidus, tertia quaque hora, propinabitur in pectoris, abdominisque inflammationibus.

℞. Olei Amygd. dulcium ℥ ij. Syrupi Tussilaginis Althææ, & Gnaphalii ana. ℥ j. M. pro Eclegmate temperanti, cochleatim sumendo in pectoris fluxionibus, Pleuritide, Tussique violenta.

*Looch sive Eclegma alterum magis compositum.*

℞. Olei Amygdalar. dulcium ℥ ij. Syrupi Tussilaginis, Capilli Veneris, & Papaveris rubri ana. ℥ j. Pulveris Diatragacanthi frigidi ʒ iij. M. pro Linctu, ex quo sumetur quantum Glycyrrhizæ baculo capi potest.

## VALERIANA.

INter diversas VALERIANÆ species præcipue a Medicis usurpatas, tres usitatiores enumerantur, primo nempe Valeriana hortensis; 2. Valeriana sylvestris, 3. Valeriana palustris.

Valeriana hortensis, *Offic.* Valeriana hortensis, Phu folio Olusatri Dioscoridis, C. B. P. 164. *Inst.* R. H. 132. Valeriana major, odorata radice, J. B. 3. 209. *Raii Hist.* 388. Valeriana hortensis, *Dod. Pempt.* 349. *Ger.* Phu majus, sive Valeriana major, *Park.* Valeriana vera, seu Nardus agrestis, *Trag.* 60. Phu magnum, *Matth. Lugd. Hist.* 927. Valeriana major, *Lob. icon.* 714. Phu verum, *Cord. in Dioscor. Fuchs.* Phu primum, majus ac nobilissimum, Nardus sylvestris seu rustica, Phu hortense vel latifolium, Phu vulgatius, Phu Ponticum sive Valeriana Pontica, Nardus Cretica Plinio, Nardus seu spica Celtica, Marinella, Herba genicularis vel benedicta, Valentiana, Theriacaria, Valeriana domestica, Herba Cattorum, *Nonnull.* vulgo *Valèriane des jardins, la Valeriane franche ou la grande Valeriane.*

E radice pollicem crassa, rugosa, transversim in terræ superficie locata, pluribus crassis, ac sese decussantibus fibris inferne suffulta, sub-lutea, aut obscura, odoris penetrantis, ac ingrati, adinstar fere radicis Asari, præsertim exsiccata, saporis vero aromatici, caules exsurgunt fere tripedales, graciles, rotundi, læves, cavi, ramosi, binis oppositis foliis, per intervalla, vestiti, quæ lævia sunt, integra alia, alia vero profunde ex unoquoque latere, ad foliorum Scabiosæ modum, incisa, longa, cuspideque obtusa, plerumque desinentia, præsertim inferne locata. Summis caulibus, ramisque flores umbellati quodammodo enascuntur, ac quamdam turbinis speciem efformant, exigui sunt, albi, ad purpureum accedentes, odore suavi, Jasmino, proximo. Singuli autem tubulo constant, vertice rosæ more expanso, & quinquifido, nonnullis staminibus, apicibus rotundis. Deciduis floribus succedunt semina plana, oblonga, cristata. In hortis colitur planta hæc, in quibus facile multiplicatur, in Alpibus, aliisque montibus ac sylvis sponte crescit, satis raro tamen, Aprili, Majo, Junioque flores propellit. Inter Valerianæ species melior, exquisitiorque est. Radix præsertim in usum venit, fere sola plantæ hujusce pars in usum Medicum revocata, quamvis a

Non-

Nonnullis & folia, & flores utilissimi recenseantur. In ea autem feles, uti de Nepeta observavimus, summa delectatione obvolvuntur.

Valerianæ hortensis radix plurimum habet olei, salisque essentialis. Tam a veteribus, quam a neotericis Medicis majoribus, quam par est encomiis extollitur planta hæc adeo, ut cum Valeriana sylvestri modo recensenda confundi videatur. Certo tantum scimus, ejus radicem aperientem, & diureticam esse, vique modica alexiteria, ac sudorifica pollere. Feliciter in Asthmate, Hepatisque obstructionibus usurpatur a ℨ ij. ad ℥ ß. in jusculo, aut ptisana hisce morbis appropriata, aut in substantia, & pulvere in Vino albo a ℨ j. ad ℨ ij. A pluribus extrinsecus ad visum roborandum præscribitur, decoctione in Vino parata, ejusque guttulis aliquot in oculis immissis, a quibus roborantur, corneæque maculæ dissipantur. Rajus vero asserit, in Anglia foliis tusis, & Cataplasmatis forma appositis exilia vulnera vulgariter sanari.

Usurpatur præterea radix prædicta in Theriaca, Mithridato, *Laurea Alexandrina*, atque aliis bene multis Confectionibus.

Valeriana sylvestris, *Offic.* Valeriana sylvestris major, C.B.P. 164. *Inst.*R.H.132. *Ger.Park.Raii Hist.* 388. Valeriana sylvestris magna aquatica, J.B. 3.210. Valeriana sylvestris, *Dod.Pempt.*349. *Lob.icon.*175. *Camer.Eyst.* Valeriana sylvestris major Dodonæi, *Lugd.Hist.*1044. Phu parvum, *Matth.* Phu Dioscoridis, *Brunf.C lumn.* Valeriana vulgaris, *Trag.Cord. in Dioscor.* Phu Germanicum, *Fuchs.* Valeriana foliis omnibus pinnatis, *Linn. Hort. Cliff.* 15. Valeriana sylvestris prima, *Clus. Hist.* Valeriana aquatica major, Phu minus vulgare vel sylvestre, *Nonnull.* vulgo *la Valèriane sauvage ou de bois, ou la petite Valèriane.*

E radice fibrosa, sub-albida, repenti, odoris satis penetrantis, exsiccata præsertim, saporis aromatici, caules ad humanam proceritatem emergunt erecti, graciles, fistulosi, striati, per intervalla nodis intersiti, nonnihil hirsuti. Folia Valerianæ hortensi proxima sunt, magis tamen divisa, ac viridiora, ambitu denticulato, nonnihil inferne hirsuta, crassisque venis distincta. Summis caulibus, ramisque flores progignuntur, umbellati ex albo purpurei, ad præcedentis speciei modum efformati, quibus semina succedunt cristata, facile, ventorum vi, dispergenda. Cæduis in sylvis, nemoribusque crescit planta hæc; quæ vero humidis in locis, umbrosis, ac secus aquas reperitur varietatem suppeditat foliis latioribus, lævioribus, e viridi-lucescentibus, caulibus crassioribus, fortioribus, elatioribusque. Utraque autem Majo, Junioque floribus decoratur, ac indiscriminatim usurpatur. Semina vero Julio maturescunt.

Valerianæ sylvestris folia odore carent, saporemque habent salsum, amarum, chartamque cæruleam saturate rubro colore imbuunt, languide autem a radicibus idem præstatur, quæ amaræ sunt, stypticæ, odore aromatico-penetranti, nonnihil ingrato. Planta igitur hæc sale scatet volatili, aromatico-oleoso, acidi salis Ammoniaci portione sociato, dum e contra in sale volatili oleoso artificiali acidum hocce sale Tartari irretitur. Quibus principiis Valeriana sylvestris anti-epileptica, sudorifica, hysterica, & ad menstrua excitanda aptissima efficitur: Asthmaticos, vaporibus, ac convulsivis motibns divexatos plurimum solatur. Radices in decoctionibus, jusculisque a ℨ ij. ad ℥ ß. in substantia vero & pulvere ex liquore appropriato a ℨ j. ad ℨ ij. præscribuntur. E floribus quoque radicibusque aqua stillatitia elicitur,

citur, quæ ad ℥ vj. uſque exhibetur pro iiſdem indicationibus. Narrat autem Fabius Columna, ſeipſum Epilepſia hujuſce radicis uſu ſanatum fuiſſe, quod de aliis bene multis teſtatur. Tutiſſimum nos quoque remedium adverſum eumdem morbum reputamus. Colligenda autem Vere eſt antequam caules emittat, ad umbram exſiccanda, ac pulveranda. Exhibetur autem puerulis a ʒ ß. ad ʒ j. ß. in cochleari vini albi, aut lactis: adultiores autem, humoribuſque ſaginati prius purgantur, Tartaro etiam Emetico, ſi opus eſt: Valerianæ pulvis deinde tribus ſubſequentibus diebus, iis, jejuno ventriculo propinatur; denuo repurgantur, treſque aliæ doſes eodem intervallo præſcribuntur. Si autem ſudores appareant, aut alvus aperiatur, aut vermes expellantur, ſanatio in promptu eſt. A D. Chomelio *in Hiſtoria Plantarum uſitatiorum* aſſeritur, plures diverſæ ætatis, ac ſexus, hac methodo ſanatos fuiſſe, quemdam vero præ aliis xii. ætatis annum agentem, qui quatuor annorum ſpatio, binis, aut tribus per menſem vicibus, convulſivis motibus corripiebatur, tremore continuo, ac univerſali, ſubſequutis, Grugeri plures extant Obſervationes *in Ephemeridibus Germanicis Decuria II. anno VII. pag.* 140. *& ſequentibus*, quibus aſſerit, ingentem Epilepticornm numerum, radicis Valerianæ ſylveſtris p. ʒ j. ex vehiculo ſudorifico exhibita, pluriesque repetita, a ſe fuiſſe omnino ſanatum. Remedium autem hocce copioſos ſudores excitat, quibus ſtatim paroxiſmi imminuuntur, morbuſque poſtea omnino tollitur. D. Lentilius in prædictis *Ephemeridibus* aſſerit, eumdem pulverem miros effectus præſtaſſe in Epilepſia uterina a menſium retentione oborta. Omnium denique Auctororum unanimi conſenſu planta hæc, tamquam validius anti-Epilepticum uſque adhuc cognitum, reputatur. Sylvius vero Valerianam Pæoniæ anteponit, in morbis Convulſione ſociatis. Tournefortius præterea mirandos ſane eamdem effectus præſtaſſe aſſerit in violentioribus Aſthmatis paroxiſmis: præcipit autem, ut aquæ ferventis ℔ j. radicis Valerianæ ℥ j. ſuperaffundatur, ut vas ab igne retrahatur, eoque probe cooperto, infuſum poſtea cyathis, ægris propinetur.

Radicis Extractum eadem vi pollet; ex eo ℈ j. cum Laudani gr. j. exhibetur, vel Laudanum cum ℈. ß. radicis p. ſociatur.

Valerianæ radix uſurpatur in aquis Generali, Theriacali, Hirundinum, & Epileptica, in Mithridato, & Orvietano., Pulvere de Gutteta, & Unguento *Martiato Pharmac. Pariſ.*

Radix vero ac folia uſurpantur in Emplaſtro *Diabotano*, & Extractum in Theriaca cæleſti *ejuſdem Pharm.*

℞. Aquar. Valerianæ ſylveſtris, ac Flor. Tiliæ ana. ℥ iij. Sp. volatilis Salis Ammoniaci, & Tincturæ Caſtorei ana. gut. xv. Syrupi de Stœchados ℥ j. M. pro potione anti-Epileptica mane, ac veſperi convenienti temporis ſpatio ab ægris haurienda.

*Boli Anti-Epileptici.*

℞. Conſervæ Pæoniæ maris & pul. de Gutteta ana ℈ j. Radicis Valerianæ p. gr. xv. Caſtorei Camphoræ & Myrrhæ ana. gr. v. Salis volatilis C. C. gr. jv. Tincturæ Antiſpaſmodicæ gut. viij. M. f. b. pluries, mane, jejuno ſtomacho repetendi.

*Opiata*

*Opiata Anti-Epileptica.*

℞. Fimi Pavonis exſiccati, & radicis Pæoniæ maris ana. ℥ ij. radicis Valerianæ ſylveſtris ℥ j. Seminum Pæoniæ ℥ iij. Sem. Carvi ℥ ß. M. cum ſ. q. Mellis pp. cum Rore Marino. Doſis autem ℥ ij. præſcribetur.

℞. Caſtorei optimi ℥ ß. Ambari citrini ſ. p. & Croci ana. ʒ ij. Flor. recentium Lilior. Convall. ℥ j. Superaffunde ſp. vini camphor. Sp. Lavendulæ comp. & Sp. Salis Ammoniaci ana. ℥ jv. Digerantur omnia frigida ſex dierum ſpatio, in vaſe vitreo probe clauſo. Filtretur poſtea Tinctura, aut a fæcibus per inclinationem ſeparetur, ſimulque coletur. Exhibetur autem a ℈ j. ad ʒ j. in aqua Ceraſorum nigror., aut Flor. Tiliæ, aut Flor. Valerianæ, vel denique in Julapio cephalico. Tinctura vero hæc in Epilepſia, vaporibuſque excellit.

Valeriana paluſtris, *Offic.* Valeriana paluſtris minor, C. B. P. 164. *Inſt.* R. H. 132. Valeriana minor pratenſis vel aquatica, J. B. 3. 211. Valeriana minima, *Dod. Pempt.* 350. Valeriana minor. *Ger. Raii Hiſt.* 388. Valeriana ſylveſtris minor, *Park.* Valeriana foliis caulinis pinnatis, ſexu diſtincta, *Linn. Hort. Cliff.* 16. Phu minimum paluſtre ſive aquaticum, *Nonnull.* vulgo *la petite Valeriane aquatique.*

E radice tenui, repenti, ſub-albida, pluribus capillaribus fibris ſtipata, odoris aromatici, ac grati, ſaporis amariuſculi, caulis fere pedalis exſurgit anguloſus, gracilis, radiatus, cavus, per intervalla nodis interſitus, in quibus folia enaſcuntur bina invicem oppoſita, & ad coſtam uſque inciſa, caudi deſtituta, inferne autem locata rotunda ſunt, fere integra, longiſque caudis appenſa. Flores in caulis apice umbellam veluti quamdam efformant, ut in Valeriana ſylveſtri, longe tamen minorem, ex albo ſub-rubram; pro ſingulis autem ſemina præſto ſunt criſtata. In pratis, lociſque humidis, ac paludoſis, & ſecus rivulos creſcit planta hæc, in qua Aprili, ac Majo flores apparent, ſemenque Junio maturatur. In agro quoque Pariſienſi frequens occurrit, quemadmodum & præcedens.

Iiſdem dicitur cum binis aliis ſpeciebus viribus pollere, longe tamen demiſſioribus, quare minorem in re Medica uſum habet.

## VALERIANELLA.

VALERIANELLA, *Offic.* Valerianella Campeſtris, inodora, major, C. B. P. 165. *Raii Hiſt.* 392. Locuſta herba prior, J. B. 3. 323. Valerianella arvenſis præcox humilis ſemine compreſſo, *Mor. umb. Inſt.* R. H. 132. Lactuca angina, *Ger. Park.* Phu minimum alterum, *Lob. icon.* 717. Locuſta herba, foliis fere Oleæ, *Geſn. Hort.* Locuſta major & minor, *Riv. Mon.* 8. Valeriana caule dichotomo, foliis lanceolatis integris, fructu ſimplici, *Linn. Hort. Cliff.* 16. Bupleuron Hippocratis, *Plin.* Lactuca campeſtris, Herba Sanctæ Clare Monſpelienſium, Olus album, Auricula Leporis, Pinguicula, *Quorumd.* vulgo *Mache, Blanchette, Poule graſſe, Clairette, Doucette, Accroupie, Salade de Chanoine.*

E radice minuta, fibroſa, alba, annua, ſaporis fere dulcis, & inſipidi, caulis emanat ſemipedalis, debilis, rotundus, ſolum verſus utplurimum inclina-

clinatus, ſtriatus, cavus, nodoſus, ramoſus, binis plerumque ramis pro unoquoque nodo ſubdiviſus, qui deinde in alios plures pariter diſcriminantur. Folia oblonga ſunt, ſatis denſa, mollia, tenera, delicata, conjugata, herbacea, alia integra, alia crenata, cauda, deſtituta, ſapore ſub-dulci. Summis ramis flores implantantur exigui, ſub-albidi ad purpureum colorem accedentes, faſciculatim umbellæ in morem ſociati, ex iis autem ſinguli fiſtulam efformant, eleganter expanſam, & quinquifidam, odoreque carent. Deciduis floribus rotundi fructus, nonnihil plani, rugoſi, ſub-albidi ſuccedunt, exciduntque antequam ad maturitatem perveniant. Ubique fere creſcit planta hæc in arvis inter ſegetes, ac in vinetis; in hortis quoque colitur, ſeriturque Septembri, totaque Hyeme, ac Quadrageſimali præſertim tempore uſurpatur, ejus enim folia teneriora in acetariis aut ſola, aut cum Rapunculis, & Hipnoide admixta, ad exitum uſque Aprilis perdurare ſolet, tunc autem caules, floreſque emittit; ſolo pingui delectatur.

Valerianella refrigerat, ac detergit, facultateſque habet Lactucæ proximas: A S. Paulli commendatur ad febrilem ardorem, doloreſque nephriticos compeſcendos, ac in juſculo vitulino in hiſce morbis apto uſurpatur: cum ſucceſſu etiam adhibetur adverſum rheumaticos, & hypochondriacos affectus, ſcorbutum, & arthritidem, uno verbo, quum vi polleat temperandi, aptiſſima eſt ad humorum acrimoniam, ſanguiniſque maſſam corrigendam. Ab agnis ſummopere in deliciis habetur.

## V E R A T R U M.

SUperius ſectione prima, una cum vegetabilibus exoticis de Helleboro albo, & nigro verba facta ſunt, de HELLEBORASTRO autem, in arte Medica ad bruta potius, quam ad homines ſanandos quandoque uſurpato, pauca adhuc nobis remanent dicenda.

Helleboraſtrum, *Offic.* Helleborus niger fœtidus, C. B. P. 185. *Inſt.* R. H. 272. Elleborus niger ſylveſtris adulterinus, etiam hyeme virens, J. B. 3. *App.* 880. Veratrum nigrum tertium, *Dod. Pempt.* 386. Helleborus maximus, *Ger. Raii Hiſt.* 698. Helleborus maximus, ſive Conſiglio, *Park.* Conſiglio, *Ruell. Geſn. Hort. Lonic.* Conſiglio ſylveſtris, *Turn.* Seſamoides magnum Cordi, *Lob. icon.* 680. Helleboraſtrum magnum, *Tabern.* Pedicularia fœtida tertia, *Trag.* Enneaphyllon Plinii, *Cæſalp.* Helleborus caule inferne anguſtato multifolio, multifloro, foliis caule brevioribus, *Linn. Hort. Cliff.* 227. Helleboraſter maximus flore & ſemine prægrandibus, Conſiglio aconito propior, Lycoctonum primum, Pulmonaria Vegetii, *Nonnull.* vulgo *Ellebore noir commun*, *Pied de Griffon*, *Pommelée*, *ou Herbe de Cru.*

Ex radice fibroſa, obliqua, lignoſa, cortice tecta ſub-nigro, intus albida, amariuſcula, ac leviter acri, caulis exſurgit cubitum altus, rotundus, durus, ramoſus, e viridi ſub-rufus, odore virulento, plurimis veſtitus foliis, longis caudis appenſis, ad manus apertæ modum diſpoſitis, oblongis, firmis, ambitu plerumque denticulato, venoſis, e viridi nigricantibus. Summis caulibus, ramiſque flores enaſcuntur ſatis conſpicui, ſub-virides, pluribus conſtantes petalis roſaceis, numeroſis ſtaminibus, apicibus planis, diutiſſime perdurantes. Horum autem locum fructus ſubeunt pluribus conſtantes corniculis membranaceis, in capitulum collectis, ſemina continentes fere

rotun-

rotunda, ac nigra. Rudibus, incultiſque montanis locis, juxta ſepes, atque arva creſcit planta hæc; Februario flores prodit, & quandoque etiam Januario, Hyeme temperatiore, ſemen vero ad maturitatem Junio perducitur. In agro Pariſienſi quoque luxuriare ſolet.

Helleboraſtrum, non minorem habet, præ aliis Hellebori ſpeciebus, cauſticitatem, in violentis oculorum fluxionibus uſurpatur, quæ quandoque cedunt, aurium lobo perforato, ac ejuſdem radicum fruſtulo in eo transfixo, peccantium ſeroſitatum diverſione procurata: vulgatior autem ejus uſus eſſe ſolet, ægrotantium Boum cutem ſubtus fauces pendentem magno ejuſdem fruſtulo, ſetacei more, transfodiendi, hinc morbificæ ſeroſitatis profluvium excitatur, eorumque morbi profligantur.

A ruſticis etiam ad catharſim quandoque uſurpatur, non ſine manifeſto periculo; a Trago enim & Dodonæo venefica vis Helleboraſtro tribuitur, ac jure, meritoque ejus internus uſus prohibetur.

## VERBASCUM.

Quamvis urgente neceſſitate omnes Verbasci diverſæ ſpecies in uſum revocari poſſent; nos tamen binas tantum uſitatiores hic loci deſcribemus.

Thapſus barbatus, *Offic.* Verbaſcum mas latifolium luteum, C. B. P. 239. *Inſt.* R. H. 146. *Raii Hiſt.* 1094. Verbaſcum vulgare, flore luteo magno, folio maximo, J. B. 3. *App.* 871. Thapſus barbatus, *Ger.* Verbaſcum latius *Dod. Pempt.* 143. Verbaſcum mas, & Candela regia, *Lob. Obſ.* 303. Verbaſcum primum, *Matth. Cord. in Dioſcor. Lugd. Hiſt. Cæſalp.* Verbaſcum candidum mas, *Lac. Lonic.* Verbaſcum album mas, *Thal.* Verbaſcum latifolium mas, *Eyſt.* Verbaſcum majus maſculum Leucophyllon, *Trag.* Verbaſcum album vulgare, ſive Thapſus barbatus communis, *Park.* Verbaſcum caule ſimplici floribus ſeſſilibus calvato, foliis utrinque lanigeris, *Linn. Hort. Cliff.* 55. Verbaſcum mas latifolium flore luteo, Phlomos vulgaris mas Dioſcoridis, Candela regis, Candelaria, Lanaria, Cauda Lupi vel Lupina, *Quorumd.* vulgo *le Bovillon-blanc male, la Molene ou le Bon-Homme.*

Radice eſt ſimplici, oblonga, ſatis craſſa, lignoſa, alba, fibris fulta, biennali, quæ caulem ad quatuor, aut quinque pedum altitudinem propellit, craſſum, rotundum, durum, lignoſum, quandoque ramoſum, lanugine quadam obtectum. Folia magna ſunt, longa, lata, mollia, hirſuta, lanuginoſa, utrinque alba, alia in terram ſtrata, alia cauli alternatim appenſa, appendicibus alas quodammodo in caule efformantibus. Flores ſimul congeſti exiguas æmulantur roſas quinque partitas, lutei ſunt, elatioremque caulis, & ramorum partem circumdant atque ornant; iis autem fructus ovales, ac turbinati præſto ſunt, qui in duas cellulas diſcriminantur, plurimaque minuta, anguloſa, & ſub-nigra occludunt ſemina. Sabuloſis in locis, in arvis, ſecus vias, in aggeribus, ac quandoque etiam in parietibus, ædificiorumque ruderibus creſcit planta hæc; Junio, Julio, & Auguſto flores emittit. Ejuſque foliis, & floribus utplurimum utimur.

Thapſus barbatus alter ſeu fœmina, *Offic.* Verbaſcum fœmina flore luteo magno, C. B. P. 239. *Inſt.* R. H. 147. Verbaſcum maximum Meridionalium odoratum luteum, J. B. 3. *App.* 871. *Raii Hiſt.* 1094. Verbaſcum maximum album,

album, *Ger.* Verbafcum fœmina flore albo vel pallido, *Park.* Candela regis vel candelaria altera, Verbafcum feu Thapfus barbatus foliis longioribus, & anguftioribus, *Quorumd.* vulgo *le Bouillon-blanc femelle.*

Radice eft fatis longa, craffa, lignofa, fimplici, alba biennali, fpeciei præcedentis fimili. Caulem ad quatuor aut quinque pedum altitudinem & ultra producit, craffum, rotundum, durum, parumper ramofum, lanuginofum. Folia rotunda funt longa, mollia, villofa, lanuginofa, alba. Flores autem habet Thapfo barbato mari perfimiles, plerumque luteos, quandoque albos, aut pallidos, ftaminibus quinque in centro locatis, apicibus purpureis, exiguis lineis fub-rubris diftinctos, odore fuavi. Floribus deciduis capfulæ fuccedunt fere rotundæ, turbinatæ, binis cellulis diftinctæ, pluribus, refertis, feminibus angulofis, & fub-fufcis. Iifdem fere in locis cum præcedenti occurrit, altero tantum anno flores Æftate exeunte, aut Autuno emittit. Ejus folia, ac flores in Thapfi barbati maris locum ufurpantur.

Verbafci folia faporem habent nonnihil falfum, ac ftypticum; Sambucum redolent, rubroque colore fatis confpicuo chartam cæruleam inficiunt, quod faturatius a floribus præftatur, qui ftyptici pariter funt, ac dulces. Verifimilius autem videtur, hujufce plantæ falem, ad Corallorum falem quoquomodo accedere: conftituitur vero plurimo acido, & exigua Ammoniaci falis portione, fociatur autem una cum maxima fulphuris, terræque quantitate. Hinc vim habet planta hæc temperandi, refolvendi, ac confolidandi. Indifcriminatim, ut innuimus, binæ ufque adhuc recenfitæ Verbafci fpecies adhibentur tam interne, quam externe. A Matthiolo foliorum, florumque decoctio Gargarifmatis forma in faucium morbis præfcribebatur, nec non tuffientibus, dyfentericis, tenefmo, colica, tenfionibufque dolorificis, ac inflammationibus infimi ventris correptis. Verbafci decotio revera, utillima eft, ac familiariffima, huic tamen in prædictis morbis anteponitur ptifana temperans, in qua dum proxime ab igne eft retrahenda Verbafci florum pugilli aliquot injecti fuerint; bechici enim & pectorales funt, ad fanguinis acrimoniam, cutis pruritam, hæmorrhidefque internas, & externas leniendas dicati. Afferitur, Aloes in Verbafci fucco folutam ac deinde ad extracti confiftentiam infpiffatam, nullam irritationem, aut hæmorrhagiam progignere; tutius tamen corrigitur, fi aqua folvatur, filtrationis ope refinofas particulas fegregando, quæ fuper chartam bibulam remantes, nullas, aut irritationes, aut hæmorrhagias progignere amplius poffunt, portione jam filtrata ad extracti confiftentiam evaporata. Tragus vero radices Verbafci in Vino rofato decoctas adverfus colicam ufurpabat, quæ etiam adverfum Tenefmum in lacte, & ad ventris fluxum, dyfenteriamque fiftendam in aqua fabrorum ferrariorum decoquuntur. Ex prædictis vero decoctionibus cyathi bini de die ægris funt exhibendi; enematis præterea forma eædem funt ufurpandæ, iifque anus fovendus.

Quod vero ad externum hujufce plantæ ufum attinet, D. Chomelius in *Hiftoria Plantarum ufitatiorum* afferit, pluries cum fucceffu præfcripfiffe contra hæmorrhoides dolorificas, ac inflammatas foliorum Verbafci & Althææ ex lacte decoctionem, aut herbas decoctione madidas applicando, aut fumo, & vapore fimpliciter excepto, quod utique commodius eft. Ejufdem etiam fumigationis fubfidio leniter aperiuntur, ac fuppurantur furuncula, exiguique abfceffus in ani orificio, hæmorrhoidibus utplurimum fupervenientes,

nientes, ſicque partes hæ a Fiſtula, quandoque imminenti liberantur.

Verbaſci quoque ſuccus paratur adverſum hæmorrhoidum inflammationem, & Arthritidem: folia ejus, floreſque contunduntur; in parvis cupis ligneis probe coopertis, ac lutatis ad putreſcendum infunduntur: poſt trium menſium digeſtionem, forti expreſſione ſuccus elicitur, qui in vaſis vitreis optime clauſis ſervatur. Ut Soli deinde ſuccus idem exponatur a Trago præcipitur, ab aliis vero, ut in fimo ſepelliatur.

Tragus pariter, & Matthiolus aſſerunt, aquam ſtillatitiam florum Verbaſci optimam eſſe adverſum aduſtiones, arthritidem, & eryſipelata, alioſque cutaneos morbos. Poſtremus vero contra hæmorroides Cataplaſma præſcribit, foliis ejuſdem plantæ ac porri, cum mica panis & vitellis ovorum, malaxatum, ac tuſum. In *Obſervationibus* Borelli *Centuria prima Obſerv. XXVII.* narratur, ruſticum a ſerpente demorſum, ſtatim ſanatum fuiſſe Verbaſci foliorum contuſorum applicatione: Rajus autem teſtatur, foliis iiſdem ſubtus nudam pedis plantam appoſitis, ac in calceamentis congruo temporis ſpatio delatis, menſium fluxum accelerari. Denique miram ſane Obſervationem de radicis Verbaſci vi anti-apoplectica *Ephemerides Germanicæ* nobis ſuppeditant; *Decuria III. anno IX. & X. pag.* 246. a D. Matthæo Blavv narratur, radicem hance die 28. Julii ante Solis ortum, quum potiſſimum Leonis ſignum ſubit, e terra evulſam, ſingulari energia adverſum Apoplexiam pollere, qua de cauſa in ſericeo ſacculo collo appenſa deferri debet; nominatim autem bene multi in medium adducuntur vertigini dediti, ac quandoque apoplecticum inſultum perpeſſi, qui nullo amplius incommodo fuerunt divexati, poſtquam Amuletum prædictum in uſum revocarunt. De experimenti hujuſce certitudine fidem jubere haudquaquam volumus, quum vero facile, ac ſine noxa exequi poſſit, lubenti animo commendamus; nec enim adeo ingenti impenſa radix hæcce comparatur, uti Saccula Domini Arnoult; ſique nihil proficiet, ſaltem aurum e crumena non abripietur.

Verbaſci folia in Unguento *Populeo* uſurpantur.

℞. Rad. Althææ lotæ ℥ ij. Sem. Lini nodulo concluſor. pug. j. Florum Thapſi barbati pug. ij. Superaffunde ebullientis aquæ ℔. ij. ac infuſa relinquantur per ſemihoræ ſpatium, Colaturæ adde Syrupi Althææ, aut Tuſſilaginis ℥ j. pro ptiſana convenienti in rheumatico affectu, tuſſi violenta, teneſmo, & colica pertinaci.

℞. Flor. Thapſi barbati exſic. ℥ j. Pulverentur; ac in cyatho parvo vini albi, aut in juſculi poculo in ictero per triduum, mane, jejuno ſtomacho hauriantur.

℞. Fol. Thapſi barbati recent. q. l. Contundantur, exprimanturque eorum ſucci ℥ ij. qui linteolo percolatus brevi ebullitione depuretur. Succus in cochleari Juſculi pinguis miſceatur, biſque de die dyſentericis propinabitur, nec non ventris fluxibus dolorificis, ac teneſmo vexatis.

℞. Fol. Thapſi barbati, & Cynogloſſi ana Man. j. Contundantur, & Cataplaſmatis ritu gagrænæ apponantur, iterumque de die innoventur.

℞. Folior. Thapſi barbati, Malvæ, Parietariæ, & Senec. ana Man. j. Coque in lactis ℔. iij. cum aquæ com. æ. q. ad tertiæ partis diminutionem. Fruſtulum panni lanei immerſum, deinde fortiter expreſſum, ſatiſque calidum per totam abdominis peripheriam applicetur, in dolorificis ejuſdem viſcerum inflammationibus.

## VERBENA.

Verbena, *Offic.* Verbena communis cæruleo flore, C. B. P. 269. *Inst.* R. H. 200. Verbena vulgaris, J. B. 3. 443. *Raii Hist.* 535. *Cæsalp.* Verbenaca recta, *Dod. Pempt.* 150. Verbenaca recta, *Dod. Pempt.* 150. Verbenaca recta Dodonei, *Lugd. Hist.* 1336. Verbenaca recta, & Verbenaca mas, *Tabern.* Verbenaca, *Matth. Lac. Cast.* Herba sacra, *Anguil'. Turn.* Hierobotane mas, *Brunf.* Columbaris, *Hermol. Barb.* Verbena communis, *Ger.* Verbena mas, seu recta & vulgaris, *Park.* Verbena communis, sive sacra procerior recta, *Lob. Adv.* Verbenaca recta, sive Peristereon Dioscoridis, & Verbenaca mas Plinii, *Corn.* Herba Cephalalgica, *Hoffman. Alt.* Verbena foliis multifido-laciniatis, spcis filiformibus, *Linn. Hort. Cliff.* 11. Verbena mascula sive inalba in locis umbrosis proveniens, Verbena vulgatior, Peristerium, Herba sagminalis vel ferraria, Columbina, *Quorumd.* vulgo *Vervene ou Verveine commune.*

Radice est oblonga, pene minimi digiti crassitie, nonnullis fibris stipata, alba, sapore ad amarum accedente. Caules ad pedis cum dimidio altitudinem exsurgunt angulosi, duri, nonnihil hirsuti, quandoque sub rubri, ac ramosi, foliis oblongis, binis invicem oppositis, profunde incisis, rugosis, colore viridi magis superne, quam inferne saturato, sapore amaro, ac ingrato. Flores in longa, gracilique spica enascuntur, exigui sunt, labiati, plerumque cærulei, quandoque sub albidi: singuli autem fistulam efformant vertice expansam, & quinquifidam, quatuor exiguis staminibus, apicibus recurvis in centro locatis. Deciduo flore calyx cornicularis in capsulam immutatur quatuor seminibus simul junctis, gracilibus, ac oblongis repletam. Secus vias, in agris, prope sepes, ac parietes, locisque incultis crescit planta hæc, quæ Junio, Julio, ac Augusto floribus stipatur, & quandoque Autumno. Planta universa in usum venit.

Verbena Analysi Chymicæ commissa plures acidos liquores, plurimum olei, satisque salis volatilis concreti, ac terræ impertitur. Hinc deduci potest in ea Ammoniacum sal una cum plurimo sulphure contineri. Planta autem hæc ab Auctoribus tamquam vulneraria, detergens, hysterica, ac febrifuga reputatur tam interne, quam externe usurpanda. Vinum in quo noctis spatio Verbena infusa fuerit optimum est adversum icterum, ac chlorosim, si ex eo ℥ jv. mane jejnno stomacho, convenienti dierum spatio sumantur. Ejus vero pulvis a Cæsalpino pro Hydropicis commendatur. Vaporibus vexati nonnihil utilitatis recipiunt Verbenæ usu ad modum Theæ, qua de causa ex ea pug. j. pro binis ebullientis aquæ cyathis usurpatur. Verbenæ succo, aut ejus extracto periodicarum febrium paroxismi moderantur, ac quandoque omnino tolluntur: ejusdem extracti ʒ j. bis de die, ante paroxismum, ac febri declinante accessus die, die vero intermissionis, mane, post meridiem propinatur. Plantæ quoque succus ab ℥ ij. ad ℥ jv. præscribitur, in febribns autem nullo præcedenti rigore invadentibus observatum fuit, Chinam Chinam cum succo, aut extracto Verbenæ sociatam efficaciorem reddi, quam solitarie usurpatam. Creditur præterea, aqua ejusdem stillatitia, aut decoctione, in qua cancri fluvitales ebullierint, abortum præcaveri, ac plantæ universæ decoctione ex lacte, nutricum lac mirabiliter augeri.

Extrin-

Extrinſecus quoque Verbenæ Cataplaſma fronti, capitique in pileoli modum appoſitum, utiliſſimum deprehenditur in Emicrania, quum præcipue inſigne frigus, ægri in capite perſentiunt. Verbenæ foliis tuſis, ac deinde farina Secale, albumineque ovorum conjunctis, Cataplaſma efformantur maxima diſcutiendi vi præditum, utillimumque in Lienis infarctubus. Sola autem folia cum pauco aceto in ſartagine frixa, aut calida patella macerata, coſtiſque applicata, in pleuritide, coſtarumque dolore magnum ſolatium afferre ſolent: ſeroſa autem materies efluens per cutis poros, herbæ hujuſce ſucco, conjuncta, lintea partem cooperientia ſub-rubro colore inficit, hinc ignarus vulgus, ſanguinem in Pleura extra vaſa ſtagnantem a Verbena extrinſecus attractum fuiſſe, putat. Ejuſdem decoctio Gargariſmatis forma faucium morbis, oris ulceribus, dentiumque tremoribus dicatur. Succus vero ejuſdem met plantæ, aut ejus oleum infuſione paratum vulnera ſanat. In Officinis etiam aqua ſtillatitia Verbenæ proſtat in oculorum morbis, ac præcipue inflammatione efficaciſſima, ſi ſplenia in ea madida iis applicentur, exſiccata deinde aſſidue renovando.

Verbenæ folia uſurpantur in Aqua vulneraria, in Pulvere adverſus rabiem, in Unguento mundificativo de Apio dicto, & in Emplaſtro Betonicæ *Pharm. Pariſ.* Ejus vero ſummitates in Oleo Scorpionum compoſito.

℞. Fol. recent. Verbenæ Man. ij. Sartagine frixentur ſ. q. Aceti. Cataplaſmatis forma dolenti lateri in Pleuritide calide applicentur.

℞. Verbenæ Man. j. Contunde, & M. cum pauco Fermento, atque Oleo roſato pro Cataplaſmate capiti poſt ebrietatem gravato apponendo. A Nonnullis vero ex ea recenti Man. j. ſub auricula tantum applicatur.

℞. Fol. Verbenæ Man. j. Contundantur, ac Cataplaſmatis more carbunculis admoveantur ad eorum progreſſum cohibendum.

## VERBESINA.

VERBESINA, *Offic.* Cannabina aquatica folio Tripartito diviſo, C. B. P. 321. Verbeſina ſive Cannabina aquatica flore minus pulchro, elatior ac magis frequens, J. B. 2. 1073. Hepatorium aquatile, *Dod. Pempt.* 595. Bidens foliis tripartito diviſis, *Cæſalp.* 488. *Inſt.* R. H. 462. Eupatorium Cannabinum fœmina, *Ger. Raii Hiſt.* 360. Eupatorium aquaticum duorum generum, *Park.* Pſeudo-Hepatorium alterum, ſeu fœmina, *Thal.* Verbena tertia, ſive ſupina, *Trag.* Eupatorium cannabinum fœmina Septentrionalium ſtellato, & odoro flore Lobellio, *Schvvenckf.* Ceratocephalus vulgaris tripteris, & pentaperris folio, caule rubente, *Vaill. act. Ac.* 1720. *p.*423. Verbeſina foliis tripartito diviſis, *Rupp. Jen.* 155. Bidens corona ſeminum retrorſum aculeata, foliis trifidis, *Linn. Hort. Cliff.* 399. Bidens folio diſſecto, Hepatorium vulgare & adulterinum, Eupatorium conyzoides, Virga aurea aquatica, Terzolla ſeu Tertianaria lutea, Chryſanthemum aquaticum, vel Pſeudo-Eupatorium Chyranthemum, *Nonnull.* vulgo *Eupatoire femelle batarde ou Chanvre aquatique.*

Radice eſt fibroſa, alba, aromatica, caules autem ad pedis cum dimidio, aut ad duorum pedum altitudinem emittit rotundos, duros nonnihil villoſos, ſub-rubros, ramoſos. Folia, ſingula bina juxta caulem invicem opponuntur, acuta ſunt, ambitu denticulato, lævia, in tres aut quinque portiones

plerumque divisa, basi satis lata, caulem amplectentia, sapore acriusculo. Summis caulibus, ramisque flores enascuntur, qui scilicet pluribus flosculis constant, vertice expanso, stelliformibus, e luteo viridescentibus, radiis nigris, quinque staminibus capillaribus, apicibus cylindraceis in centro locatis; his autem præsto sunt semina oblonga, plana, angulosa, subrubra, retrorsum aculeata, facile transeuntium vestibus adhærentia. Humidis, paludosisque in locis crescit planta hæc, in fossis etiam aqua corrupta refertis, ac secus rivulos, Augusto ac Semptembri floribus vestitur.

*Verbesina* ab Auctoribus nuncupata fuit, veluti quis diceret *Pseudo-Verbena*, ejus enim folia Verbenæ foliis ratione aliqua æquiparari possunt. Cannabina autem idem valet ac pseudo-Cannabis, sicque foliorum causa pariter vocatur.

Plurimum habet olei, salisque essentialis, exiguum in re Medica usum habet, tamen tamquam vulneraria, & aperiens reputatur; ac quandoque in potionibus & apozematibus vulnerariis adversum ulcera interna, præcipue pulmonum usurpatur: urinas quoque mensesque ciet, ac juxta Linnæum ad lanas flavo colore inficiendas inservit.

## VERONICA.

MAximus profecto extat ejusdem specierum numerus, tamen quatuor sequentibus tantum Medici utuntur.

VERONICA mas, *Offic.* Veronica mas supina & vulgatissima, C. B. P. 246. *Inst.* R. H. 143. *Raii Hist.* 851. Veronica vulgatior folio rotundiore, J. B. 3. 282. Veronica mas serpens, *Dod. Pempt.* 40. Veronica vera & major, *Ger.* Veronica mas vulgaris supina, *Park.* Veronica mas, *Fuchs. Lob. Lon. Thal. Anguill. Gens. Hort. Lugd. Hist.* Betonica Pauli Æginetæ seu Teucrium, *Trag.* 207. Auricula muris, tertia, *Cæsalp.* 336. Teucrii quarta species, *Clus. Hist.* 349. Veronica *Tabern.* Betonica altera Dioscoridis, *Corn.* Veronica floribus spicatis, foliis oppositis, caule procumbente, *Linn. Flor. Svec.* 4. 8. Veronica Germanorum, Veronica Herbariorum vulgi; Veronica major septentrionalis, Veronica præstantior, Theæ Europeum vulgo, *Quorumd.* vulgo *Veronique male ou le Thè de l'Europe.*

Radicem habet delicatulam, fibrosam, utrinque in solo dispersam, vivacem, plures vero caules minutos, longos, rotundos, nodosos, hirsutos, in terræ superficie plerumque procumbentes, foliis oppositis, Pruni foliis fere similibus, villosis, denticulatis, sapore amaro, atque acri, floribus spicatis ad modum Scordii, exiguis, sub-cæruleis, quandoque albis, binis staminibus ejusdem coloris in centro locatis, apicibusque oblongis; singuli autem exiguam quadripartitam rosam mentiuntur. Deciduis floribus fructus succedunt cordati, duobus cellulis divisi, plurimaque minuta semina rotunda, ac subnigra occludentes. Rudibus, incultis, siccis, sabulosis, saxosisque in locis, in pascuis, juxta sepes in collibus apricis, & umbrosis, in nemoribus, ericæisque crescit planta hæc, quæ Vere, ac Æstate flores propellit. Universa autem in usum revocatur; cæteris vero tamquam præstantior ea anteponitur, quæ in Quercuum basi enascitur. Toto autem anni curriculo virescit.

Veronica pratensis, *Offic.* Chamædrys spuria major augustifolia, C. B. P. 249. Cha-

Chamædrys ſpuria auguſtifolia, J. B. 3. 285. *Raii Hiſt.* 849. Veronica ſupina, facie Teucrii pratenſis, *Lob. Icon.* 473. *Inſt.* R. H. 144. Veronica ſupina, *Ger. Emac.* Veronica Teucrii facie, *Park.* Tucrium primum Matthioli, *Lugd. Hiſt.* 1165. Teucrium ſecundum, *Tabern. icon.* 380. Auricula muris quinta, *Cæſalp.* 336. Teucrii tertia ſpecies, *Cluſ. Hiſt.* 349. Chamædrys vulgaris mas, *Fuchſ.* Chamædrys altera, *Trag.* Chamædrys falſa inſipida floribus cæruleis, *Genſ. Hort.* Veronica floribus racemoſis decuſſatis foliis oblongo-ſagittatis, *Guett. Obſer.* 226. Pſeudo-Chamædrys ſeu Chamædrys ſylveſtris, Teucrium pratenſe alterum, Hierobotane vel Herba Sacra ſeu Verbenaca ſupina fœmina Dodonæi, *Nonnull.* vulgo *la Venorique des prez, ou la Germandrèe batarde.*

Radicem habet minutam, longam, repentem, fibroſam, lignoſam, vivacem, plures emittentem exiguos caules, plerumque in terram ſtratos, quandoque nonnihil elatos, rotundos, hirſutos, lignoſos, vix pedem æquantes, foliis ſuffultos binis per intervalla invicem oppoſitis, oblongis, ambitu denticulato. In caulium extremitatibus ſeſe in binos aut tres ramos dividentium, flores in ſpicam diſpoſiti, elegantique cæruleo colore præditi progignuntur, quibus præſto ſunt capſulæ Veronicæ maris capſulis perſimiles, plurimaque ſemina minuta, ac ſpærica occludentes. In pratis, ac ſecus fluvios abunde occurrit planta hæc, haud raro in ſylvis; flores Majo, ac Junio ſeriuſque propellit, in regionibus præcipue frigidis, uti in Anglia, ibique, referente Rajo, ſponte haudquaquam creſcit.

Veronica rotundifolia, *Offic.* Chamædrys ſpuria minor rotundifolia, C. B. P. 249. Chamædrys ſpuria latifolia, J. B. 3. 286. Veronica minor foliis imis rotundioribus, *Mor. Hiſt. Oxon.* 320. *Inſt.* R. H. 144. Chamædrys ſylveſtris, *Ger. Raii Hiſt.* 850. Chamædrys ſpuria ſylveſtris, *Park.* Teucrium tertium minus, *Tabern. icon.* 380. Chamædrys, *Trag.* 203. Auricula muris ſexta, *Cæſalp.* 336. Teucrium pratenſe & ſupinum Chamædryoides, *Lob. icon.* 490. Hierobotane mas Dodonæi, *Lugd. Hiſt.* 1337. Teucrium pratenſe, *Rudb. Hort.* 109. Pſeudo-Chamædrys, *Till. icon.* 50. Veronica floribus racemoſis lateralibus, foliis ovatis plicatis dentatis, *Linn. Flor. Svec.* 5. Chamædrys vulgaris fœmina latiore folio, Pſeudo-Chemædrys vel Chamædrys ſpuria rotundifolia ſive fœmina & vulgatior, *Nonnull.* vulgo *la Veronique des bois ou des hajes.*

Radicem habet delicatulam, fibroſam, repentem plures ejcientem caules ſpithamam, & quandoque fere cubitum altos, minutos, rotundos, hirſutos, debiles, oppoſitis veſtitos foliis, fere cauda deſtitutis, villoſis, ambitu denticulato, ſaturate viridibus, rugoſis, rotundis, Scordio Vero ſimilibus. Ex foliorum alis flores enaſcuntur monopetali thyrſiformes, læte cærulei, raro albi, brevibus elati pedunculis, quibus capſulæ ſuccedunt ſeminales planæ, in duas cellulas diviſæ, binis præcedentibus ſpeciebus perſimiles, exiguiſque ſeminibus ſphæricis refertæ. In paſcuis, ſylvis, ac prope ſepes abunde luxuriat planta hæc, floret autem Aprili, ac Majo. Univerſa planta ſapore ſcatet amaro, ac odore pene deſtituitur. Folia vero in ſuperiori caulium parte locata extra ordinem caudis donantur longioribus, præ foliis in baſi poſitis.

Veronica ſpicata, *Offic.* Veronica ſpicata minor, C. B. P. 247. *Inſt.* R. H. 144. Veronica ſpicata recta major & minor, J. B. 3. 282. *Rai Hiſt.* 846.

Veronica assurgens sive spicata, *Ger.* Veronica erecta angustifolia, *Park.* Veronica recta minima, *Clus. Hist.* 347. Veronica foliis obtusis, caule non ramoso spica nuda terminato, *Hall. Helv.* 531. Veronica floribus spicatis, foliis oppositis, caule erecto, *Linn. Flor. Svec.* 4. Veronica spicata angustifolia, Veronica minor erecta, *Nonnull.* vulgo *la Veronique a èpi*.

Radicem habet fibrosam, obliquam, vivacem, caulem proferentem plerumque erectum, semipedalem, & quandoque pedalem, & ultra, utplurimum simplicem, per intervalla foliis stipatum, angustioribus, acuminatioribusque, foliis Veronicæ vulgaris, leviter crenatis, hirsutis, radicem versus latioribus; prædictus vero caulis longa terminatur alborum florum spica, qui paulatim, a basi ad verticem efflorescunt, iisque succedunt capsulæ planæ cordiformes, in duas cellulas distinctæ, in quibus plura semina minuta, ac rotunda locantur. Crescit autem in sylvis, pascuisque siccis, arridis, ac sabulosis, floresque Julio, & augusto pellit.

Veronica mas præ aliis usque adhuc recensitis speciebus usitatior inter celebriores artis Medicæ plantas enumeratur. Si ejus autem proprietates singulas in medium adduceremus, hujusce Tractatus limites omnino prætergrederentur, quare præcipuas tantum exponemus, si quis autem de ea plura scire cupiet, legat ejus Historiam Parisiis excussam sub titulo *Thè de l' Europe*.

Veronicæ folia amara sunt, saturatissimeque rubro colore chartam cæruleam imbuunt, hinc suspicari potest, in iis sal latere Sali Corallorum analogum, quod tamen in Veronica majore acidi portione scatet. Abundanti præterea sal prædictum sulphure sociatur, Analyseos enim Chymicæ ope plurimum olei ex hac planta elicitur. Quibus sane principiis, sudorifica, vulneraria, detergens, diuretica, ad pulmones, materia viscida, ac purulenta, infarctos liberandos aptissima efficitur. Et de facto ptisana ex ea, parata, ac syrupus ejus decoctione, ac saccharo confectus excellunt adversum tussim siccam, asthma, pulmonum ulcera, sputumque sanguineum. Hujusce præterea plantæ usus viscera deobstruit, liquorumque commercium restituit: in ictero itaque, morbisque longis, ab hepatis, mesenteriique glandularum obstructionibus, obortis utiliter adhibetur.

Diurna etiam experientia ejus vis confirmatur in glareas, urinæ suppressionem, colicamque nephriticam. Qua de re eximia extat observatio in *Ephemeridibus Germanicis*, qua demonstratur, mulierem colica nephritica, sex annorum spatio, divexatam, decoctionis Veronicæ constanti usu sanatam fuisse, calculumque satis conspicuum excrevisse. Vulgatior eam usurpandi ratio esse solet ad modum Theæ, pug. j. pro aquæ sextario semis, aut Man. ejus parvo, in jusculo omni pinguedine destituto. Infusio hæc pariter convenit in hemicraniis, capitisque gravedine, in stuporibus, soporibusque; caput enim liberat, aptumque reddit ad meditationem, ac studia. In Officinis aqua Veronicæ stillatia servatur, quæ contra calculum, vaporesque excellit, præsertim si in ℥ ij. ß. ejusdem aquæ, ʒ j. ejus folior., æqualisque quantitas corticis medii Solani scandentis sive Dulcamaræ infundatur. Veronicæ Syrupus ab ℥ j. ad ℥ ij. exhibendus, ejusque Extractum a ʒ j. ad ʒ j. ß. sanguinem depurant, morbisque cutaneis adversantur, dummodo eodem tempore, affectæ abluantur partes, aqua ejusdem, in qua ea Vitrioli quantitas, quam continere potest, soluta fuerit. Tragus vero asserit copiosum sudorem

rem in febribus malignis excitari, ℥ ij. Sp. Veronicæ, exigua Theriacæ portione, permixtis. Spiritus autem hic elicitur, Vinum, in quo convenienti temporis ſpatio Veronica digeſta fuerit, diſtillando. In colica autem plurimum prædicantur clyſteres cum ℔ j. decoctionis ejuſdem plantæ, ℥ j. butyri, æqualique ſacchari quantitate, parati: a Nonnullis Veronica una cum Chamomilla in lacte decoquitur, ſaccharumque additur.

Quoad ejus externum uſum, utiliſſima eſt contra ſcabiem, impetiginem, crurum ulcera, vaga, nuncupata, & ad cutis maculas obliterandas, quinimo adverſum Cancrum juxta du Renou: pro hiſce vero morbis univerſæ Plantæ decoctio, aut ejus aqua diſtillata in uſum revocatur; iis autem partes affectæ foventur.

Cæſalpinus, Pena, & Lobellius plurimum alias Veronicæ ſpecies commendant, efficacioreſque Veronica mare dicunt, ad viſcerum obſtructiones reſerandas. A Cæſalpino autem earumdem amaritie hoc comprobatur; Tragus addit, ſecundam ſpeciem, hydropem incipientem, fluores albos, tuſſimque convulſivam profligare; præſcribitur autem *Teucrii* nomine.

Veronicæ maris folia uſurpantur in Aquis, Vulneraria, & Generali, in Balſamis Vulnerario, & Mundificativo de Apio dicto *Pharm. Pariſ.* Plantæ vero ſuccus in Emplaſtro *Oppodeltboc*.

℞. Aquæ Veronicæ ℥ jv. Infunde in ea per noctis ſpatium pulveris ejuſdem plantæ ʒ j. Hauriatur mane potio hæc excellens adverſum ſterilitatem per integrum menſem.

℞. Extracti Veronicæ maris & Juniperi ana ℈ ij. M. pro bolo in viſcerum obſtructionibus, pulmoniſque anfarctibus exhibendo.

℞. Rad. Caryophyllatæ exſicc. & contuſ. ℥ ij. Glycyrrhizæ ℥ j. Veronicæ ac Hederæ terreſtris ana Man. j. Flor. Hyperici, & Centaurii min. ana. pug. iij. Sem. Fœniculi ʒ ij. vel iij. M. f. infuſio, ℥ ß. in ebull. aquæ ℥ x. minutis aliquot vas coopertum remaneat, & dein ſervetur liquor pro uſu, addendo Mellis puriſſimi cochl. j. Infuſio hæcce theiformis convenienti temporis ſpatio repetatur in Phthiſi incipiente.

℞. Agrimoniæ Man. j. Veronicæ, Salviæ, ac Flor. Hyperici ana Man. ß. Superaffunde ferv. aquæ ℥ xx. liquanturque cooperto vaſe per horæ dimidium. Fiat deinde colatura, cui adde Mellis roſat. ℥ ij. pro Gargariſmate in ulceribus oris, fauciumque aptiſſimo.

℞. Sp. Veronicæ ℥ ij. Theriacæ ʒ j. M. pro potione diaphoretica in febri maligna exhibenda, quum mador apparet.

℞. Aquæ Veronicæ ℥ ij. Ea, linteola alba inficiantur, ulceribuſque crurum, aut puerulorum craſſiori ſcabiei applicentur, hæc autem lotio detergit, ac conſolidat.

℞. Sem. Violar. ʒ ij. Contunde in mortario marmoreo, paulatim ſuperaffundendo Aquæ Veronicæ ℥ vj. Fiat deinde colatura, cui adde Cryſtalli miner. gr. xij. Syrupi Violar. ℥ j. pro emulſione utiliſſima in calculo, & colica nephritica.

## VIBURNUM.

VIBURNUM, *Offic.* Viburnum vulgo, C. B. P. 428. Lantana vulgo, aliis Viburnum, J. B. 1. 557. Viburnum, *Matth.* 217. *Inſt.* R. H. 607. *Park.*

*Raii Hist.* 1590. Lantana sive Viburnum, *Ger.* Viurna vulgi Gallorum, *&* Ruelli, *Lob. Cast.* Spiræa Theophrasti forte Dalemchampii, *Lugd. Hist.* Viburnum foliis cordatis acute crenatis venosis subtus tomentosis, *Linn. Virid. Cliff.* 25. Viburnum vulgare, *Nonnull.* vulgo *Viorne*, *Herdeau*, *Bourdaine blanche*.

Radix in terræ superficie errans arbusculam propellit, quandoque ad arboris proceritatem accedens, quæ ut plurimum magis in latum, quam in longum excrescit, ligno prædita fungoso ac medulloso; ramos vero emittit tres aut quatuor pedes fere longos, digitum crassos, satis flexibiles, satisque aptos ad herbarum manipulos, fasciculosque colligandos, cortice subalbido, ac farinaceo. Folia habet Alno, Ulmoque similia, hirsuta tamen; opposita, lata, densa, ambitu crenato, subalbida, in parte præcipue postica, quum adhuc vigent, sub-rubra vero priusquam pereant, sapore adstringenti. Flores in ramorum apicibus umbellati, albi, & odori, adinstar florum Sambuci enascuntur, singuli autem pelvim quinquifidam mentiuntur, quinis staminibus sub-albidis, apicibus rotundis in centro positis. Deciduis floribus baccæ succedunt molles, rotundæ, aut fere ovales, crassiusculæ, primo virides, postea rubræ, ac denique per maturitatem nigræ, sapore subdulci, ac viscido fere ingrato, unicum singulæ continentes semen, eadem figura, donatum, satis tamen complanatum, latum, striatum, ac pene osseum. Frequens arbuscula hæc in sepibus, sylvulis, nemoribusque cæduis, in locis rudibus, incultis, saxosis, argillaceis, & montanis crescit; florescit autem Æstate, citius, seriusve juxta aeris temperiem, solique indolem, ejus vero baccæ utplurimum Julio ruborem, Augusto autem exeunte, & Septembri matutitatem acquirunt.

Parum salis essentialis, plurimumque olei Viburnum continet. Ejus folia, ac baccæ refrigerant, ac adstringunt. A Matthiolo Gargarismatis forma, in oris, fauciumque inflammatione, & ad gingivas roborandas commendantur; decoctione præterea ad ventris hæmorrhoidumque fluxum sistendum utimur. Ejus radicibus in solo maceratis, ac postea tusis Visci species satis optima paratur pro avibus aucupandis. Mayernus vero in suo *de Asthmate Tractatu* corticem Viburni medium, tamquam salutare vesicatorium proponit, & Camerarius asserit, aquam stillatitiam foliorum, efficacissimum collyrium esse adversus oculorum morbos.

## V I C I A.

Biniæ Viciæ species reperiuntur a Medico præscriptæ, Vicia scilicet semine nigro, atque altera semine albo.

Vicia, *Offic.* Vicia sativa vulgaris semine nigro, C. B. P. 344. *Inst.* R. H. 396. Vicia vulgaris sativa, J. B. 2. 310. *Park.* Vicia, *Ger. Anguill. Lonic. Raii Hist.* 900. *Camer. Epitom.* 320. Orobus sativus & Vicia major prima, *Trag.* 624. Ervum, *Brunf.* Vicia major, *Fuchs.* Arachus, seu Craccæ primum genus, *Dod.* Vicia vulgaris sativa Clusio, Apacha vera, *Lugd. Hist.* Vicia nigra, Orobus perperam Officinis, Aphace Græcorum, Os mundi, *Nonnull.* vulgo *Vesce ou Vesse noire ou commune*.

Radice tenui, fibrosa, annua, plures emergunt caules ad pedis cum semisse, aut ad duorum pedum altitudinem, angulosi, striati, hirsuti, cavi,

foliis

foliis oblongis, angustis, vertice latiori, hirsutis, decem, aut duodecim pari ordine eadem in costa locatis, manuque terminatis, quæ facile vicinis corporibus adhærescit. Flores leguminosi sunt, purpurei, aut sub-cærulei; corniculo denticulato suffulti. Deciduis floribus siliquæ præsto sunt villosæ; planæ, binis cellulis conflatæ, seminibusque fere rotundis, & nigris refertæ, sapore ingrato. In arvis ubique fere seritur planta hæc in Europa, aut sejuncta, aut Pisis, & Avena permixta, pro Equorum, aliorumque brutorum alimento, ob herbarum præcipue deffectum: etsi vero vim habeat infestas herbas enecandi, terræque fertilitatem conciliandi, raro tamen in hortis colitur; florescit autem Majo, Junioque, semenque Augusto exeunte, aut Septembri maturitate donatur.

Vicia alba, *Offic.* Vicia sativa alba, C. B. P. 344. *Inst.* R. H. 397. *Park.* Vicia albo semine, J. B. 2. 311. *Raii Hist.* 900. Ervum candidum, vel faba veterum, *Trag.* 626. Vicia major folio cordato, flore rubro, fructu albo, Pisi minoris instar, *Mor. Hist.* 63. Vicia siliquis sessilibus erectis, foliis cordatis, *Hall. Helv.* 598. Vicia leguminibus erectis, petiolis polyphyllis, foliis acumine emarginatis, stipulis dentatis, *Linn. Hort. Cliff.* 368. Vicia albida, seu semine candido, *Nonnull.* vulgo *la Vesce blance.*

Radix minuta, ac fibrosa, plures emittit caules fere bipedales, angulosos, debiles, cavos. Ejus autem folia plurimum variare solent, alia enim semirotunda sunt, alia longa & angusta. Flos autem simplex aut duplex est, pluribus purpureis maculis circumfusus, brevi pedunculo elatus. Siliquæ etiam a Vicia communi differunt, seminibusque adimplentur, quandoque numero novem, albis, aut nonnihil purpureis, aut variegatis, dilute-viridibus, figura ac colore viridia adhuc pisa æmulantibus, diversisque, ex hoc tantum, quod eo latere, quo siliquæ appenduntur, nullam nigredinem habent. Ad præcedentis modum in arvis colitur planta hæc, eademque tempestate floret, ac ad maturitatem semen perducitur.

Analysi autem Chymica plurimum olei, parumque salis largitur. Indiscriminatim harumce specierum semine utimur, eoque farina elicitur qualitatibus farinæ Orobi succedanea. Vicia præterea adstringendi, condensandi, ac consolidandi vi pollet, hinc in ventris fluxibus usurpatur, nec non Cataplasmatis forma ad emolliendum, resolvendum, ac roborandum. In fame quandoque, ut accidit anno 1709. difficilem admodum digestionem, procreantem, stomachumque gravantem panem, Vicia, conficere, coacti sumus. Semen quoque prædictum, ut innuimus, cum Avena seritur, ejusque herba statim scinditur, ad equos, mulosque vescendos, qua celerrime saginantur. Omnes denique norunt, Viciam, nutrimentum esse columbis famigeratissimum, a pullis vero haud facile ingurgitatur, anatibus præcipue infesta.

## VIOLA.

Hic loci sub Violæ nomine, tres diversi generis plantarum species a nobis describentur, 1. Viola communis, 2. Viola Matronalis, sive Damascena, 3. Viola Lunaria.

Viola, *Offic.* Viola Martia purpurea, flore simplici odoro, C. B. P. 199. *Inst.* R. H. 419. Viola Martia purpurea, J. B. 2. 542. *Ger. Raii Hist.* 1049.

Viola

Viola nigra, sive purpurea, *Dod. Pempt.* 156. Viola simplex Martia, *Park. Parad.* Viola sativa, *Brunf.* Viola Martia præcox purpurea, *Lob. icon.* 608. Viola simpliciter dicta, vel nigra cognominata, *Gesn. Hort.* Viola purpurea Matthioli, *Lugd. Hist.* 797. Viola acaulis, stolonibus teretibus reptantibus, pedunculis radicalibus, *Linn. Hort. Cliff.* 427. Viola Græcis simpliciter Jon vocata, Viola Loripes sessilis & clauda vulgo, Viola purpurea odora simplex, Viola Martia florum colore nigricantis purpuræ, Viola quadragesimalis, Herba violaria seu mater violarum, Viola flore simplici coloris in cæruleo subnigro purpurei, Leucojum nigrum Hippocratis, *Quorumd.* vulgo *la Violette de Mars ou de Careme*, *la Violette ordinaire*.

Fibrosa, densa, vivaxque radix, plura emittit folia semi-rotunda, adinstar foliorum Malvæ vulgaris lata, ambitu denticulato, viridia, longis caudis appensa. Hæc inter pedunculi eriguntur graciles, exiguum, elegantissimumque florem læte purpureum, aut atro-cæruleum sustentantes, odore satis grato, ac fragranti, sapore viscoso, nonnihil acri; constat autem foliolis quinis, staminibus totidem, apicies obtusos, gestantibus, papillæque specie quadam, quæ omnia calyce ad basim usque quinquifido fulciuntur. In decidui floris locum capsula ovalis apparet per maturitatem sese quadrifariam aperiens, plurimaque semina præsefert semirotunda, capsulæ parietibus appensa, Coriandro exiliora, & sub-albida. Umbrosis in locis, soloque pingui, in fossis, juxta sepes, prope muros, ruri & in hortis luxuriat planta hæc, facileque propagatur filamentis longis, ac reptantibus hac illac radicem emittentibus; Vere, primum ineunte Martio, florescit, nec folia, aut virorem Hyeme amittit. Elegantissime floribus albis quandoque variare solet, & duplici cæruleo, aut duplici albo flore diligenter in Curiosorum hortis excolitur: in hacce vero postrema satis incommodæ profecto esse solent exilissimæ ejus caudæ, quæ quum ad ejus florem sustinendum non sufficiant, solo procumbens, terra, ut plurimum, tempore præsertim pluvio, sordescere flos idem solet.

Salsa nonnihil, glutinosa, ac detergens est ejus radix, neque rubro colore, chartam cæruleam inficit, non secus ac folia, quæ insipida sunt, magisque glutinosa, semina autem recentia ruborem aliquem in ea inducunt, radicibusque salsedine prævalent. Occluditur autem in Viola succus glareosus, alia principia obvolvens, eorumque activitatem comprimens: Analysi enim Chymica ex hasce planta plures acidi liquores, plurimum olei, salisque volatilis concreti, magnaque copia salis fixi lixivialis elicitur, hinc mirum non est, eamdem phlegmate suo, atque oleo temperantem, aliorumque constituentium mixtura, diureticam, ac laxantem esse. Violæ autem sal cum sale Ammoniaco affinitatem habet, portione enim urinosa constituitur. Plerumque folia ac flores ejusdem in usum revocantur, & quandoque etiam radices, e quibus, trium aut quatuor unciarum infusio per superiora simul, ac per inferiora purgat; a Nonnullis vero adduntur salis Absinthii gr. xx. ad saturatiorem tincturam ex iis eliciendam. Folia in omnibus fere decoctionibus emollientibus, ac laxativis usurpantur, nec non in clysteribus communibus, ac fomentis temperantibus. Flores cathartici nonnihil sunt, refrigerantes, interque quatuor cordiales flores recensentur. Poterius asserit, eorumdem p. ℥ j. in jusculo omni pinguedine destituto, optime alvum subducere. Iisdem pariter, tres syrupi species parantur; Simplex nempe, cujus co-

lor

lor elegantissimus sane est, dummodo non ferveat; Compositus a Mesue Arabo Medico adinventus, in quo Jujubæ, Sebesten, ac semina Malvæ, & Cotoneæ mali; admiscentur binæ hæ syrupi species aptissimæ sunt in morbis Thoracis ab acribus, salsisque humoribus ortum ducentibus; incrassantes enim sunt, ac refrigerantes; tertius vero Solutivus nuncupatur, prædictisque in morbis convenit, quum purgandi adsit indicatio; semina enim, florumque calyces, quibus syrupus conflatur, alvum potenter movent: huic autem radices quoque addi possunt; Ejus etiam descriptio a D. Lemeryo *in Pharmacopœa* evulgata fuit, modo una cum aliis formulis a nobis recensenda.

Etmullerus narrat, a Timæo excellentem Conservam laxantem paratam fuisse, cum Violis, & Manna in earum succo ad Conservæ consistentiam fusa: hæc vero, alvum inertem ciendi, vim habet, fere ℥ ß. Species quoque aromatitis Violis componitur, eadem virtute, prædita, cujus hæc est descriptio: cum Violarum calyce nequaquam carentium ℔ vj. igne claro, ac dulci Mannæ ℔ j. ß. funde. Colaturæ adde Sp. Vini ℔ ij. Cochl. j. aut ij. mane, ac vesperi etiam, si opus fuerit, binis a pastu horis ex ea exhiberi possunt. Purgatio quoque excitatur integræ Violarum plantæ decoctione pro haustu. Mel vero Violatum in Officinis prostans, Violis ac Melle ad syrupi consistentiam cocto conficitur; cujus dosis esse solet ℥ j. aut ℥ ij. in clysteribus refrigerantibus, ac emollientibus. Violæ semina purgantia, ac diuretica sunt, præscribuntur vero in colica Nephritica, urinæ detentione, aliisque morbis, in quibus tantum lenissime solvendum est: iis ℥ j. aut ℥ j. ß. in mortario tusis, paulatim superaffunditur ℥ vj. aquæ Graminis, colatur deinde liquor, addita syrupi Violar. ℥ j.

Violarum folia usurpantur in unguento *Populeo*, & clystere emollienti *Pharm. Paris.* Flores vero in syrupis de Jujubis, de *Erysimo*, & de Testudine, *in Requie Nicolai Myrepsij* in pulvere *Diamargarito frigido*, aliisque præparationibus. Flores vero ac semina in Electuariis, Lenitivo, & Diapruno; semen in Electuariis, de Psyllio, Catholico, & Diaphænico, in Confectione *Hamech*, & in Pilulis *sine quibus* ejusdem *Pharm.*

℞. Furfur. loti Man. j. Coque in aquæ ℔ ij. ad medias. Fiat colatura, in qua dissolve Mellis Violati ℥ ij. pro clystere refrigerante, & emolliente.

℞. Sem. Violar. probe maturor. ℥ j. Contunde in mortario marmoreo, paulatim superaffundendo, aquæ Graminis, aut Veronicæ, aut Rosar. ℥ vj. Fiat colatura raro linteolo pro emulsione, tribus a cœna horis, sumenda in colica nephritica, ac urinæ retentione.

### *Emulsio altera adversum Urinæ ardorem.*

℞. Sem. Violar. ʒ iij. Sem. Lithospermi ʒ ß. Contunde in mortario marmoreo paulatim affundendo aquæ Fragariæ ℥ jv. Colaturæ adde Aquæ Cinnamomi simplicis ʒ ij. Ocul. Cancror. pp. ℈ j. pro dosi hora somni propinanda.

℞. Flor. Violar. integrorum recentium ℔ ij. Seminum Violar. contusor. ℔ ß. Infundantur horis xij. in vase fictili cooperto cum aquæ ferventis ℔ vj. deinde bulliant leviter; colentur, & exprimantur, eædem colaturæ recalefactæ infunde secundo, itemque tertio, ac quarto, imo si libeat

novies,

novies, tantumdem Violarum recentium, & ſeminis Violarum, per idem temporis ſpatium, ac prima vice, uſque dum liquor violarum ſubſtantia ſaturatus omnino ſit, quod a floribus liquore infectis probe cognoſcetur; denique ultima colatura cum Sacchari albi ℔ iij. clarificetur, & coquatur in ſyrupum. S. A. Doſis ab ℥ ß. ad ℥ ij. ad bilem, & feroſitates exterminandas.

℞. Fol. Malvæ, Verbaſci, Tuſſilaginis, Papaveris erratici, & Gnaphalii ana. pug. j. Affunde aquæ ferventis ℔ iij. Infuſa per horæ ſemiſſe relinquantur. Fiat deinde colatura, cui adde Syrupi Violar. ℥ ij. pro infuſo pectorali in dolore thoracis, raucedine, tuſſi, ac phthiſi convenientiſſimo.

Viola Matronalis, ſive Damaſcena, *Offic.* Heſperis hortenſis flore purpureo, C. B. P. 202. *Inſt.* R. H. 222. *Raii Hiſt.* 790. Heſperides flore purpureo, albo & vario, J. B. 2. 877. Viola Matronalis, *Dod. Pempt. Lob. Geſn. Hort.* Viola Matronalis purpurea, *Ger.* Viola hyemalis purpurea, *Tabern. icon.* 308. Eruca alba & purpurea, *Lugd. Hiſt.* Leucojum & Viola purpurea, *Fuchſ.* Heſperis noſtras flore ſimplici purpureo, Viola Moſchatella, Leucojum Moſchatum, *Quorumd.* vulgo *la Julianne ou Julienne*, *la Violette Giroflée des Dames*, *la Giroflée muſquée*.

Radice eſt exigua, lignoſa, alba, caules emittente fere bipedales, rotundos, hirſutos, medulla refertos, foliis alternatim ſitis, juxta caulem, Erucæ folio ſatis ſimilibus, minus tamen inciſis, eorum ambitu denticulato, acuminatis, hirſutis, oblongis, brevibus caudis appenſis, e viridi ſub-nigris, ſapore acriuſculo. Ex foliorum alis ramuſculi prodeunt, flores, efferentes Keiri floribus figura proximos, quatuor conſtantes foliis cruciformibus, quandoque albis, quandoque purpureis, quandoque ex albo, maculiſque purpureis, variantibus, longis elatos pedunculis, ſuaviſſimoſque. Hiſce ſuccedunt ſiliquæ longæ ac graciles, bivalvæ, intermedio ſepto diſtinctæ, ac plurima continentes ſemina ovalia, plana, ſub-rubra, acria. In nemoribus, ſepibuſque quandoque occurrit planta hæc, in hortis præterea colitur, facilique negotio multiplicatur, delitiaſque Curioſorum conſtituit, floreſcit autem Majo, Junioque, ſemper vireſcit, frigorique fortiter, uti Viola communis, reſiſtit.

*Julienne* ab hortulano quodam Juliano qui primus eam excoluit vulgo Gallorum nuncupatur, *Heſperis* vero, fragrantiori enim odore, ejus flores poſt Solis Occaſum, quam per diem ſcatere videntur, *Viola Matronalis* denique, quia flavæ Violæ quoquomodo ſimilatur, & a Matronis optimi odoris cauſa excolitur.

Raro admodum in uſum Medicum venit planta hæc, continet autem plurimum ſalis, atque olei, incidit, atque aperit, Scorbuto, Aſthmati, Tuſſi inveteratæ, Convulſionibuſque adverſatur, ſudoremque, juxta Lemeryum excitare ſolet.

Viola Lunaria, *Offic.* Viola Lunaria major ſiliqua rotunda, C. B. P. 203. *Raii Hiſt.* 787. Lunaria major ſiliqua rotundiore, J. B. 2. 881. *Inſt.* R. H. 218. Viola latifolia, *Dod. Pempt.* 161. Viola Lunaris prima, *Tabern. icon.* 313. Viola Lunaria, ſive Bulbonach, *Ger. Park.* Lunaria Græca rotunda Olingeri, *Geſn. Hort.* Lunaria major, aliis Bulbonac, *Camer. Hort.* Lunaria bulboſa ſeu Raphanitis, Lunaria odorata ſive Regia, Thlaſpi montanum vel Lunare majus, *Quo-*

*Quorumd.* vulgo *la grande Lunaire*, *le Bulbonach*, *Mèdaille*, *la Satinèe*, *le Satin blanc ou Passe-satin*.

Radice est glandulosa, & biennali, quæ caulem, ad duorum, aut trium pedum altitudinem effert, quandoque ad minimi digiti crassitiem, hirsutum, ramosum, dilute-viridem, aut sub-rubrum. Folia Urticam æmulantur, duplo, ac triplo nonnunquam majora, villosa, denticulata, quandoque opposita, quandoque alternatim secus caulem disposita, sapore herbæ olitoriæ. Summo caule, ramisque flores progignuntur, ad modum fere florum Brassicæ dispositi, quatuor constantes petalis cruciformibus, purpureis, aut roseis, staminibus senis sub-viridibus, apicibus flavis ac radiatis in centro locatis, odore demisso. Horum autem locum subeunt siliquæ oblongæ, planæ, rotundæ, magnæ, bivalves, medio intersepto discriminatæ, argenteo lucescentes, seminibus refertæ binis earum lateribus appensis, latis, reniformibus, Lentis more in centro elevatis, ac foliolo membranaceo stipatis, atrorubris, sapore acri, ac nonnihil amariusculo. Excelsis in montibus frigidarum regionum crescit planta hæc, quæ in hortis etiam colitur, florescit autem Majo, ac Junio, ac Aprili quandoque, facileque ope seminis multiplicatur. Folia Hyeme perdurante virescunt; altero tantum, anno postquam sata fuit, caulem producit, semineque ad maturitatem perducto perit.

*Lunaria* nuncupata fuit, eo quod ejus siliqua integram Lunam mentiatur, *Bulbonac* aut *Bulbonach* ob radicem bulbosam. Hinc facile aliarum denominationum ratio percipietur.

Plurimum habet salis atque olei. Semina ejus tantum, aliquem in re Medica usum habent. Tamquam incidentia, detergentia, aperientia, ac vulneraria reputantur, urinas cient, & Epilepsiæ ac Rabiei pulveris forma ex aqua Tiliæ adversantur a ℈ j. ad ʒ j. Quondam maxime ab Alchymistis exquirebatur planta hæc ad Opus magnum. Radices vero Rapunculi more commode acetariis sociantur.

## V I O R N A.

Clematitis, *Offic.* Clematitis sylvestris latifolia, C. B. P. 300. *Inst.* R. H. 293. Clematis latifolia sive Athragene quibusdam, J. B. 2. 125. *Raii Hist.* 620. Vitalba, *Dod. Pempt.* 404. *Cæsalp.* Clematis sylvestris latifolia, sive Viorna, *Park.* Viorna, *Ger. Lob. icon.* 626. Athragene Theophrasti, *Anguill. Clus. Hist.* 122. Vitis sylvestris, *Trag.* 818. Vitis nigra, *Fuchs. Turn.* Clematis tertia Matthioli *Lugd. Hist.* Clematitis sive Viorna vulgi, *Eyst.* Viburnum Gallorum, *Bellon.* Clematitis foliis pinnatis, foliis cordatis, inæqualiter inciso crenatis, *Linn. Hort. Cliff.* 225. Vitis alba Italorum, Clematis altera Dioscoridis, Ampelosagria, seu vitis sylvestris exulceratoria, uva taminea, vel taminia Celsi & Latinorum, Sarmentaria, Salictarium, Vitis Chironia, Bucranium, *Quorumd.* vulgo *Clematite*, *Herbe aux Gueux*, *Barbe a Dieu*, *Fiorne des gens de la Campagne*.

Radice est nonnihil crassa, fibrosa, subrubra, vivaci, quæ Vitis more sarmenta propellit crassa, rudia, flexibilia, angulosa, ramosa, serpentia, prima ætate, nonnihil hirsuta, dein sub-rubra, plantis, arbusculisque proximis adhærentia. Folia habet Campanulæ arvensis erectæ, sive Viti Judaicæ æqualia, quandoque integra, quandoque crenata, quina ut plurimum pro

una-

unaquaque costa, sapore acri. Flores racematim aut umbellæ more enascuntur, quatuorque constant petalis rosaceis, calyce destitutis, pluribus in centro, suffultis, staminibus brevibus, & pallidiusculis, albi; & odori sunt subalbidis elati pedunculis. Floribus præsto sunt fructus criniti, capitati, pluribus conflati seminibus lanuginosis. Ubique fere secus vias, in sepibus, quas summopere exornat, inter spinas, ac in nemoribus luxuriat planta hæc, Julio florescit, & ad Hyemem usque ejus fructus perdurat. Caules ramique adeo flexibiles sunt, ut viminum, cordarumque loco, ad manipulos, fasciculosque herbarum, aliaque devincienda usurpentur.

Analysi vero Chymica, plurimum olei & salis acerrimi, ad Euphorbii salem accedentis, Clematitis largitur. Ab omnibus tam veteribus, quam recentioribus caustica reputatur, quum præcipue externe antiquis ulceribus applicatur, quas abstergit, carneque putrescenti omnino liberat. Dioscorides asserit, ejusdem foliis tusis, & appositis, Lepram sanari, ejusque semine trito, ac ex Hydromele propinato, bilem, ac pituitam solvi. Tragus vero addit, radicem in aqua Vini poculis binis, aqua salsa, permixta, purgantem esse, ac Hydropi adversari. Quibus non obstantibus testimoniis, nos tamen plantam adeo acrem, etsi Vino, & aqua marina corrigatur, internum in usum commendare haudquaquam possumus. Tabernæ Montanus, ex ea tusa atque oleo, Cataplasma parabat, ab pertinaciorum tumorum suppurationem ciendam. *Herbe aux Gueux* vulgo Gallorum nuncupatur, eadem enim mendici cutim suam fricant ad ulcera, excoriationesque excitandas, quas magnis ululatibus transeuntibus ostentatas, ac copiosa ex iis collecta eleemosina, facili negotio Verbasci foliis sanant. Verum enim vero nos ipsi vidimus a quibusdam periculosa ulcera, profundas cicatrices, linquentia fuisse contracta, eo quod ad intermittentes febres debellandas, eorum pulsibus medius Clematitis cortex appositus fuerit.

## V I P E R I N A.

Echium, *Offic.* Echium vulgare C. B. P. 254. J. B. 3. 586. *Inst.* R. H. 135. *Park. Ger. emac. Raii Hist.* 498. Echion, *Cæsalp.* 436. Buglossum sylvestre, *Lob. icon.* 579. *Lonic.* Echium, *Dod. Pempt.* 631. Lycopsis, *Cord. in Dioscor.* Buglossa sylvestris, *Brunf.* Onosma, *Matth. Lac. Cast. Tabern. Lugd. Hist.* 1107. Lycopsis Germanica purpurea, *Fuchs.* Anchusa prima Dioscoridis, *Guilland.* Echium caule simplici, foliis caulinis lanceolatis hispidis, floribus spicatis lateralibus, *Linn. Hor. Cliff.* 43. Echium sive Echion colore floris ex purpura rubente, Buglossum agreste, Anchusa major, lingua hircina vulgi, Alcibion sive Alcibiadion vel Alcibiacum, Viperina sive Serpentaria, Herba Viperaria, *Quorumd.* vulgo *Viperine ou Herbe aux Vipères.*

Radice nititur longa; pollicem crassa, lignosa, biennali; caulem vero emittit binos pedes superantem, hirsutum, rotundum, firmum, viridem, rudibus, nigrisque punctis ad pellis serpentinæ modum obsignatum, vertice plerumque, caudæ Scorpionis more, reflexo. Folia habet oblonga, angusta, hirsuta, tactu aspera, inordinate locata, insipida. Ab ima fere ad extremam usque sui partem caulis, floribus exornatur, infundibuli more efformatis, inclinatis, ambitu, quinis inæqualibus divisionibus, distincto, læte cæruleis, ad purpureum quandoque, quandoque ad cinereum colorem accedentibus; stami-

mini-

minibus quinis purpureis, apicibus oblongis, ac pistillo albo in centro locato, quæ omnia calyce ad basim usque quinquifido, longo, angusto, acuto, ac striato fulciuntur. Marcescentibus floribus quatuor semina simul juncta, rugosa, Viperinum caput æquantia succedunt. In arvis, in solo inculto, inter segetes, apricis in locis, ac fere ubique juxta vias, & in parietibus luxuriare solet planta hæc, Junio, Julioque efflorescit, Hyeme perdurante virorem servat, altero vero anno post caulis eruptionem, seminisque maturitatem perit; flore autem albo variare etiam solet.

Plurimum olei, parumque salis largitur planta hæc, quæ quamvis a Cæsalpino post Dioscoridem, aliosque veteres, viperarum, aliorumque veneficorum animalium morsui adversari dicatur, fidem nostram nihilominus præstare haudquaqnam possumus, ac *Viperinam* potius, figura seminis viperinum caput mentientis, non vero earumdem morsus sanandi efficacia, vocatam credimus. Hacce autem methodo a Cæsalpino commendatur: recipiantur Fol. man. j. ac radicis fere ℥ ß. quibus tusis ac in Vini poculis iij. infusis, jus ægris exibetur, vulnerique magma applicatur. A J. Bauhino ejus radix tamquam anti-epleptica prædicatur, ac pulverata ʒ ß. in Vini aut Cerevisiæ cyatho præscribitur, quæ profecto vis eodem cum præcedenti vitio laborat. Frequentissime Viperina Buglosso minus vulgari substituitur, eadem enim emolliente, humectante, ac pectorali efficacia pene donatur.

## VIRGA AUREA.

INnumeras inter VIRGÆ AUREÆ species, binas sequentes a Medicis usurpatas tantnm agnoscimus.

Virga Aurea minor, *Offic.* Virga aurea, angustifolia, minus serrata, C. B. P. 268. Virga Aurea vulgaris latifolia, J. B. 2. 1062. *Inst.* R. H. 484. Virga Aurea vulgaris, *Dod. Pempt.* 142. *Ger. Raii Hist.* 278. *Gens. Hort.* Virga Aurea vulgaris, *Park.* Virga Aurea Matthioli, *Lugd. Hist.* 1272. Solidago serracenica, *Thal. Eyst.* Consolida aurea, *Tabern.* Virga Aurea serracenica, Herba Doria, Herba Judaica & Pagana, *Quorumd.* vulgo *la Vierge d'Or a fevilles ètroites.*

Huic radix est geniculata, serpens, fusca, capillitio stipata subalbido, aromatica, quæ unum, aut plures profert caules tripedales, erectos, firmos, rotundos, striatos, nonnihil villosos, medullaque fungosa repletos. Folia oblonga sunt, alterna, acuminata, hirsuta, ambitu denticulato, e viridi nigrescentia. Flores vero radiati sunt, secus caulem spicæ in morem disposi. ti, e luteo aurei, calyce suffulti pluribus conflati squammosis foliis, staminibus quinis capillaribus, apicibns cylindraceis. Hisce vero succedunt oblonga, cristata semina. In sylvis, nemoribus, montanis, obscurisque in locis, humidis, rudibus, ac incultis frequens occurrit planta hæc, Julio autem & Augusto florescit. C. Bauhinus apte observavit, ejus folia modo crenata modo non, crenæ vero, si adsint, longe minus, quam in sequenti conspicuæ sunt.

Virga Auera major, *Offic.* Virga Aurea latifolia serrata, C. B. P. 268. *Inst.* R. H. 484. *Raii Hist.* 279. Virga Aurea, sive solidago Sarracenica, latifolia, serrata, J. B. 2. 1063. Virga Aurea margine crenato, *Dod. Pempt.* 142. Virga Aurea Arnold. Villanovani, *Ger.* Virga Aurea serratis foliis, *Park.* Solidago floribus per caulem simplicem undique sparsis, *Linn. Flor.*

*Lapp.*

*Lapp.* 306. Confolida ferracenica major, *Lugd. Hift.* 1271. Virga Aurea altera, *Lob.* Virga Aurea folio latiore ferrato, *Quorumd.* vulgo *la Verge d'Or a larges fevilles.*

Huic radix eft longa, obliqua, fibrofa, vivax, caulem vero tripedalem, & ultra emittit erectum, rotundum, firmum, ftriatum, fungofa medulla refertum. Folia præcedenti latiora, longiora, magifque denticulata funt. Flores radiati, ac luteo-aurei fummo caule enafcuntur non fpicati, fed umbellati, fquammofo calyce fuffulti, quibus femina criftata præfto funt. Montanis in locis, in nemoribus umbrofis, & humidis crefcit planta hæc, flores vero Augufto, Septembri, ac Octobri propellit.

Virga Aurea ftyptica eft, & amara, vixque chartam cæruleam rubore imbuit. Verifimile eft, falem in ea contentum ad falem terræ connaturalem plurimum accedere, magna tamen olei, partiumque terreftrium portione admifceri, hinc detergens, vulneraria, ac diuretica efficitur planta hæc. Harumce autem fpecierum ufque adhuc defcriptarum folia, florefque in Vulnerariis Helveticorum abunde reperiuntur. Infufione ad Theæ modum ufurpantur, pug. j. pro binis aquæ ferventis cyathis, aut in ptifanis, & decoctionibus vulnerariis, & aperientibus. Omnium autem Auctorum confenfu opem maximam afferre folet, in urinæ difficultate, calculo, colica nephritica, vifcerum obftructionibus, & hydrope incipienti. In hifce autem affectibus felici fucceffu præfcripta fuit quotidie ab Hoffmanno, & Boerhaavio, mirum enim in modum detergit, vifcerumque tonum roborat. Ab Arnoldo Villanovano adverfum calculum plurimum exiftimatur ʒ ij. pulveris forma fingulo, mane in Vino albo exhibita. D. autem Chomelius *in Hiftoria Plantarum ufitatiorum* afferit, fimplicem ejus infufionem in veficæ morbis mira præftare. In jufculis quoque, ac ptifanis adverfum Dyfenteriam, aliafque hæmorrhagiæ fpecies ufurpatur, magnopere enim temperat, renefque copiofo urinæ fluxu referare folet. Ejus fummitatum aqua ftillatitia, ab ℥ jv. ad ℥ vj. propinanda in potionibus vulnerariis, ac diureticis, & Extractum a ʒ j. ad ʒ ij. iifdem viribus pollent.

Virga Aurea ufurpatur in aqua Generali *Pharm. Parif.*

℞. Rad. Althææ ℥ j. ß. Glycyrrhizæ ℥ ß. Folior. Virgæ Aureæ Man. ij. Althææ ac Parietariæ ana. Man. j. Ficus N. jv. Baccar. Juniperi, Sem. Petrofelini Macedonici, Bardanæ, & Lythofpermi (femen autem hocce poftremum ad cocturæ medietatem additur) ana. ʒ j. Coque in feri lactis ℔ iij. in quo infufæ fuerint Vini albi ℥ jv. ad tertiæ partis confumptionem, Colaturæ adde Syrupi Althææ ℥ jv. pro decoctione, tepide, quaque hora, propinanda, in colica Nephritica, paroxifmo declinante.

## VISCUM.

VISCUM, *Offic.* Vifcum baccis albis, C. B. P. 423. *Inft.* R. H. 610. Vifcus Quercus, & cæterarum arborum, J. B. 1. *Part.* 2. 89. Vifcum, *Dod. Pempt.* 826. *Ger. Raii Hift.* 1583. *Matth. Trag. Fuchf. Linn. Hort. Cliff.* 441. Vifcum vulgare, *Park.* Vifcus, *Brunf.* Vifcum Quernum, Querceum vel Quercinum, Vifcum Corylinum feu Colurnum, Vifcum tiliaceum, vifcus vulgaris, Lignum Sanctæ Crucis Monachorum, omnia fanans Druidarum, Hyphear

phear Arabum, Ramus Aureus Virgilii, *Nonnull.* vulgo *Gui commun*, *ou Gui de Chene*.

E radice viridi, primum tenera, granisque distincta, postea in centro lignosa, & vivaci, arbuscula veluti quædam progignitur ad duorum fere pedum altitudinem excrescens, globumque satis regularem efformans, caulibus minimum digitum fere crassis, lignosis, compactis, ponderosis, nodosis, externe saturate-viridibus, interne albo-lutescentibus, qui plures emittunt ramos lignosos, flexibiles, invicem plerumque implicatos, binis extremitatibus crassiores, diametri, pene ossis cruris, ac quodammodo una simul articulatos, cortice viridi, inæquali, granisque distincto, tectos. Folia bina invicem opposita sunt, oblonga, densa ac carnosa, succo destituta, dura, Buxo majori, aut Portulacæ foliis similia, longiora tamen, extremo rotundo, viridia, sub-lutea, aut pallescentia, sapore subdulci, amariusculo, aut acri, & adstringenti, odore demisso, & ingrato. Quamvis autem a Tournefortio, Boerhaavio, & Linnæo asseratur, sexum utrumque in iisdem individuis, sejunctis tamen in locis reperiri, experientia tamen nos edocuit, Viscum marem adesse, nunquam fructum deferens, Viscumque fœminam, toto anni fere spatio, fructibus onustum, uti a Plinio memoriæ proditum fuit, hoc discrimine, quod scilicet Viscum mas ab eo fructus deferens, fuerit nuncupatum, fœmina vero iis destitutum. Flores in ramorum nodis enascuntur, fasciculatim conjuncti ad septem usque quandoque, unico regulari constantes petalo, campanulamque satis patulam crenis quatuor mentientes, staminibus totidem, apicibus oblongis, pulvere subtilissimo, onustis, hi autem florum fasciculi steriles sunt. Fertiles autem in ramorum alis, fœmineis individuis locantur, tresque aut quatuor tantum plerumque flores continent sese Februario exeunte, aut ineunte Martio aperientes. Postremis hisce floribus fructus præsto sunt, qui paulatim excrescendo, in exiguas abeunt baccas ovales, fere rotundas, molles, Pisis crassiores, brevi pedunculo, carnosi calycis fundo appensas, albas, læves, lucentes, fere adinstar Margaritæ translucidas, satis Uvæ spinæ acinis persimiles, glutinoso succo, refertas, quo gluten a veteribus parabatur: in fructus centro, exiguum semen occurrit sub-viride, satis compressum, plerumque triangulare, aut cordiforme. Planta hæc revera parasita in solo neutiquam crescit, sed arboreorum ramorum ex cortice tantum, in quo radices implantantur; hinc facile colligi potest quantum detrimenti arboribus ipsis afferre soleat, magnam earumdem nutritionis partem abripiendo, quare a diligentioribus hortorum cultoribus exterminanda omnino est, Vere primum apparente, ut innuimus, flores emittit, Septembri, ac Octobri ejus fructus ad maturitatem perducuntur, seritur autem Februario, Martiove.

Vulgatissima recentiorum Botanicorum opinione evincitur, unam eamdemque esse Visci speciem in adeo diversarum arborum numero excrescentem, uti hoc ipsum serendo colligi potest. Si autem Auctoribus fides præstanda est in omnibus fere arboribus enascitur. Alii enim asserunt adinventum fuisse in Abiete, Larice, Pistacia, Nuce, Cotonea Malo, Pyro tam vera, quam sylvestri, Malo sylvestri, ac domestica, Mespilo, Oxiacantha, Sorbo, Pruno, Amygdalo, ac Rosa: alii præterea, in Quercu tam viridi, quam vulgari, Subero, Castanea, Corylo, Tilia, Betula, Acero, Fraxino, Olea, Salice, Populo tam nigra, quam alba, Ulmo, Rhamno cathartico,

Buxo, ac Vite etiam, & Junipero; denique in Pseudo-Acacia reperitur. Ab Aristotele autem neutiquam a semine progigni traditur, ab eo enim tamquam spontanea productio, aut ab humoris arborum nutritii eruptione, aut earum transpiratione, ortum habens respiciebatur. Omnes autem qui de Visco scripserunt, exceptis quibusdam Neotericis, Aristotelis sententiam prosequti sunt; nihilominus a Theophrasto & Plinio traditum fuit, Viscum produci e semine, cui prius, ut frigida qualitate, ejus germitionem impediente exoneraretur, per avium stomachum transeundum erat. Quum vero Visci semina non adeo dura sint, facile in avium ventriculis concoqui posse putavissemus, nisi Bocconus asseruisset, omnino integra ab avibus una cum excrementis restitui. Contrarium igitur probari haudquaquam potest. Neotericorum tamen observationibus evincitur, Viscum semine multiplicari absque ulla in avium stomacho permansione.

Observatu quidem dignum est, Visci ramos quandoque cælum versus, ad omnium fere plantarum, ac præsertim arborum & arbuscularum morem elevari. Si enim arbuscula hæcce in superna rami parte implantetur, aliarum more ejus rami eriguntur, sin autem ex inferna exeat solum versus absque ullo detrimento, via prorsus contraria vegetare solet. Viscum segniter incrementum capit, Hyemeque folia conservat, hinc allucinatur Theophrastus, quum asserit, Viscum neutiquam foliis spoliari, si arbori adhærescat folia non dimittenti, ea vero depellere si arbori insideat, iis, ea tempestate, destitutæ.

Nostris in sylvis quandoque Quercus occurrunt Viscum deferentes, majori tamen copia in Italicis regionibus reperitur, ac præcipue Romam inter, ac Lauretum, quo tractu una tantum Quercus, ad plaustrum onerandum ex eo redundantem quantitatem, suppeditare potest; Clusius quoque nos edocet, Quercum foliis latioribus Visco feracissimam esse in pene omnibus Hungariæ sylvis. Ethnicorum Sacerdotes sub Quercubus Visco onustis simul collecti suas preces effundebant, ac veluti sacratam plantam respiciebant. Ex Plinio colligi potest quantis superstitiosis ceremoniis a Druidis Sacerdotibus Gallis Viscum Quercinum colligebatur: species vero hæc apud Medicos usitatior est; eligendum vero est crassum, probe enutritum, durum, ponderosum, ac si possibile est Quercus frustulo adhuc appensum, ut ejus originis major adsit certitudo; sæpenumero enim a mercatoribus Viscum vulgare pro Quercino divenditur. Viscum autem ex aliis arboribus elicitum facultates habet Visco Quercino satis proximas, demissiores tamen, quamvis a Nonnullis huic postremo Viscum Coryli, aut Tiliæ anteponatur.

D. Du Hamelius, præcipuum Regiæ Scientiarum Academiæ ornamentum, qui Physicam facultatem utilissimis experimentis adaugere, ac exornare non cessat, *plurimas de Visco observationes* nobis exhibuit in ejusdem Academiæ Commentariis, publici juris factas, *anno* 1740. *pag.* 483. quas summa voluptate, ac emolumento Lector noster assequi potest.

Viscum plurimum habet olei, salisque essentialis. A Medicis autem ejus lignum, ejusque fructus usurpantur, primumque locum apud eos meretur Quercinum. Lignum tamquam excellens anti-epilepticum reputatur; pulveratur, sicque a ℈ j. ad ʒ ij.; aut taleolatim incisum, & in Vino albo infusum ab ℥ ß. ad ℥ vj. ejus liquor exhibetur: ad præcavendam præterea Apoplexiam, & adversum Vertigines usurpatur. A S. Paulli plurimum in Pleuritide

tide existimatur, ac ex eo pulverato, ʒj. in aquæ Hordei, aut Cardui Benedicti ℥ jv. præscribitur, quo copiosi sudores excitantur. Jo: Bauhinus contra vermes, eumdem pulverem commendat, Rajusque asserit in Vino albo epotum quartanas febres depellere.

Visci baccæ acres sunt, & amaræ, nec usquam internum in usum revocandæ sunt, quum tamquam veneni species reputentur: violenter admodum per inferiora purgare solent, facilique negotio infimum ventrem inflammatione afficere possunt. Succo viscido scatent, ad abscessus maturandos, eorumque suppurationem accelerandam aptissimo, si iis linimenti forma applicentur. Ex iis vero a Veteribus Gluten conficiebatur hoc pacto, fructus prædicti in aqua prius decoquebantur, deinde iis tusis, colatura, ad semina, tunicamque segregandam instituebatur. Nostris autem diebus Gluten e cortice Aquifolii paratur, medius vero, tamquam tenerior, ac viridior seligi debet, in subterraneis cavis ad putrefactionem usque relinquendus, in mortariis deinde quassatur, ac in pastam reducitur, quæ abstergitur, & in aqua contrectatur. Productum hocce externe appositum potenter resolvendi, ac emolliendi vim habet. D. Chomelius in *Historia Plantarum usitatiorum* testatur, ex eo Arthriticos plurimum solari; stupis eo infectis, pars vexata obvolvitur. Cataplasma autem prædictum dolorem temperat, ac inflammationem minuit.

Viscum Quercinum usurpatur in aquis Generali, & Hirundinum, in pulveribus Antispasmodico, & de Gutteta *Pharm. Paris.*

℞. Ligni Visci Quercini dissecti ℥ ij. Radicis Pæoniæ maris ℥ j. Coque in aquæ ℔ vj. ad tertiæ partis diminutionem. Adde versus finem Radicis Valerianæ maj. dissectæ ℥ ß. Flor. Lilior. Convall., Tiliæ, & Gallii lutei ana. pug. j. Fiat colatura levi expressione, cui adde Syrupi Pæoniæ simplicis ℥ iij. pro decoctione anti-epileptica, tribus, aut quatuor cyathis tepidis de die in accessuum intervallis, exhibenda.

℞. Aquæ Flor. Tiliæ ℥ vj. Boracis Venetæ & Salis Ammoniaci ana. gr. xv. Visci Quercini p. ʒ j. Radicis Valerianæ maj. ʒ ij. Kermes mineral. gr. ij. Syrupi Pæoniæ simplicis ℥ j. M. pro potione anti-epileptica.

℞. Visci Quercini ℥ j. ß. Rad. Pæoniæ maris, & Valerianæ sylvestris ana. ℥ ß. Flor. Lilior. convall. & Tiliæ ana ℈ jv. Kermes mineralis ℈ j. Salis Ammoniaci, & Boracis Venetæ ana ʒ vj. Cinnabris nativæ & Salis sedativi ana ℥ ß. M. pro pulvere anti-epileptico, cujus dosis, ʒ ß. cum q. s. Syrupi de Stœchados sociata, definietur.

℞. Corticis medii Visci Quercini q. l. Contunde in mortario marmoreo, ac M. cum q. s. Butyri mense Majo confecti, pro Unguento anti-phthisico, quod, pro linimento regioni Thoracis admovendo, inserviet.

## VISNAGA.

VISNAGA, *Offic.* Gingidium umbella oblonga, C. B. P. 151. Visnaga, J. B. 3. 31. *Matth. Lob. Raii Hist.* 456. Gingidium alterum, *Dod. Pempt.* 702. Gingidium Hispanicum, *Ger.* Visnaga Gingidium appellatum, *Park.* Fœniculum annuum, umbella contracta oblonga, *Inst.* R. H. 311. Gingidion, *Cord. in Dioscor.* Gingidium, *Anguill. Clus. Hist.* Seseli Massiliense, *Fuchs.* Cumini sativi alterum genus, *Cæsalp.* Gingidium seu Gingidion verum vel legiti-

gitimum Dioscoridis, Bisnaga seu Visnaga Hispanorum, Cheræfolium Hispanicum Herbariorum, Dentiscalpium Hispanicum, Olus Syriacum, *Nonnull.* vulgo *Visnage*, *Fenovil annuel*, *Cure-dent d'Espagne*.

Fibrosa & annua radix caulem fere bipedalem propellit striatum, erectum, glabrum, Anethi cauli persimilem, foliis profunde incisis, lævibus, ac adinstar foliorum Pastinacæ sylvestris compactis. Summo caule umbellati flores progignuntur sub-albidi, oblongi, duri, erecti, basi foliolis, Fragorum more, ornata, quæ sese contrahendo in centro cavum relinquunt, ex iis autem singuli, quinque, constant cordatis petalis, totidem capillaribus staminibus, simplicibus apicibus, ac tandem abeunt in fructus ovales bifariam divisos, bina occludentes semina, ex uno latere convexa, ex altero vero plana, villosa, Apii seminibus æqualia, & acria. Calidis in regionibus, Italia nempe, Hispania & Occitania sponte crescit planta hæc, in hortis quoque colitur, floribusque vestitur Æstate, ejusque semen Autumno accedente maturitate donatur.

*Visnaga*, denominatio, revera est Hispanica. Quum umbellarum ejus pedunculi exsiccati sunt, firmi fiunt, ac a plurimis, in Hispania præcipue, dentiscalpii more usurpantur; seligendi autem sunt, crassiores, integri, læves, sub-lutei, sapore, ac odore grato.

Plurimo oleo, saleque essentiali scatet planta hæc, quæ a J. Bauhino iisdem cum Fœniculo facultatibus prædita recensetur, quare aperiendi, urinas, mensesque ciendi vi pollet, nihilominus satis raro in usum Medicum revocatur.

## VITIS.

VITIS, *Offic.* Vitis Vinifera, C. B. P. 299. J. B. 2. 67. *Raii Hist.* 1613. Vitis Vinifera, ex cujus uvis acerbis immaturis Omphacium exprimitur, *Boerh. Ind. Alt.* 2. 232. Vitis sativa, magna, media & parva Vinea, Mater Vini seu Nectaris, Lignum tortuosum & princeps Vegetabilium, *Quorumd.* vulgo *la Vigne cultivèe haute, moyenne, & basse*.

Radix longa, parum in solo demersa, lignosa, vivax arbusculam emittit, ad arboris proceritatem, sese quandoque elevantem, trunco ineleganti; tortuoso, cortice atro-subrubro, rimisque abundanti, pluribus longis sarmentis, capreolis, munitis, quibus proximioribus arboribus, & pedaminum fasciculis, aut pedamentis adnectuntur. Folia ejus vero ampla sunt, venusta, lata, semirotunda, incisa, viridia, lucentia, tactu nonnihil rudia, sapore styptico. E foliorum alis flores progignuntur exigui, quinis constantes petalis, in sphæram dispositis, cuspide collectis, sub-luteis, odoris, staminibus totidem erectis, apicibus simplicissimis. Deciduis floribus baccæ rotundæ, aut ovales succedunt simul congestæ satis crassis racemis, primo virides, & acerbæ, maturescendo autem colore præditæ albo, aut rubro, aut nigro, carnosæ, dulci, gratoque succo refertæ, unica cellula quinque semina, aut acinos occludentes osseos, & cordiformes. In regionibus calidis, temperatisque colitur planta hæc, ac brevissime ad magnam proceritatem elevatur, nisi citissimus ejus cursus diligenti amputatione sistatur; indesinenter quoque excrescere solet, adeo ut elatiores Ulmos superet; Æstate florescit, fructusque sive Uvæ, Autumno, maturitatem acquirunt. Nulla alia plan-

planta in ævum adeo longum, uti Vitis, perdurat, quæ ad prodigium usque dilatatur, adeo ut domus integræ, unius ſtipitis ſarmentis, cooperiri poſſint. Jure, inquit Columella, Vitis cæteris omnibus arboribus, & arbuſculis anteponitur, non fructus dulcedine modo, verum etiam ob facilitatem, qua propagatur, ut hominum cultura, ac diligentia, in omnibus fere regionibus, ſatis, ſuperque compenſetur, dummodo a nimio frigore, aut a nimio calore immunis ſit, creſcit enim in planitiebus, in collibus, in ſolo forti, levi, ac mobili, pingui, aut ſterili, ſicco, aut humido, ac nonnihil paludoſo. Juxta Plinii ſententiam, non adeo inter ſe differunt terræ, in quibus progignitur, quam Vitis, ac Uvæ innumeræ ſpecies; produci enim poſſunt, & de facto quotidie novæ producuntur, ac inter infinitum pene diverſarum ſpecierum numerum difficile profecto eſſet, ne dicamus impoſſibile, antiquam, propriamque denominationem cuicumque aptare, hinc perquiſitionem hance intactam relinquemus, quum potiſſimum nec tempus, nec media adſint, quibus methodo, Lectori, non injucunda ad exitum perduci poſſet.

Cum Vitis, ejuſque productiones diverſos habeant uſus, ſucceſſive de hiſce ſermonem inſtituemus, deque eorum, cum re Medica, relatione tantum, paulo fuſius pertractabimus.

Ex omnibus Vitis partibus, Analyſeos Chymicæ ope, plurimum olei, ſaliſque elicitur. Quum Vere, Vitis, humore vernante, turgidæ ſummitates amputantur, ſponte liquor, lacrymæ forma, extillat, qui aperiens eſt, ac calculo, interne ſumptus adverſatur, eo pariter oculi abluuntur, ad ſaniem detergendam, viſumque acuendum; a Nonnullis etiam ad impetiginem, cutaneoſque pruritus ſanandos uſurpatur. Vitis germina, ac folia ſtyptica ſunt, & a Veteribus eorum ſuccus præſcribebatur, ad ventris fluxus, & dyſenteriam ſiſtendam, a recentioribus Medicis autem eorumdem uſus reſtitutus fuit, hiſce poſtremis temporibus, foliorum viridium ad umbram exſiccatorum pulvere, ʒ j. in juſculo, præſcripto. Vitis lignum, aut ejuſdem ſarmenta decocta, aperientia admodum ſunt; qua de cauſa in loco mundo Vitis ſarmenta concremantur, cineres colliguntur, cribroque e craſſioribus ſecernuntur, eorumque ℥ j. in aquæ ℔ ij. injicitur, ac iis ad fundum poſtea jam delapſis, leniter ſupernatans aqua limpida affunditur, ac pro potu communi uſurpatur, ventriculoque ea jam aſſueto, cinerum augetur doſis. Ptiſana hæc utiliſſima eſt in OEdemate, Leucophlegmatia, & Hydrope aſcite. Cinis hic idem, juxta Rajum, aceto junctus, & Cataplaſmatis forma appoſitus condylomata ſanat, ſique Ruta addatur, valet adverſus Lienis inflammationes.

A nemine vero ignoratur Uvarum uſus, aut pro alimento, aut pro Vino parando. Uvæ adhuc viridis ſuccus, Omphacium, vulgo *Verjux* nuncupatur, adſtringit autem nonnihil, uſurpaturque ad ſtomachi ardorem compeſcendum, bilioſos ventris fluxus ſiſtendos, appetitumque ciendum: ad alimenta quoque condienda, aut ad condimentorum ſaporem excitandum in uſum revocatur, aut etiam ad majorem gratiam, diuturnioremque durationem conditur. Æſtate, Omphacino ſucco, aqua, & ſaccharo, gratiſſimus, ac refrigerans hauſtus paratur, magno in æſtu aptiſſimus, ac præcipue bilioſis. Uvæ maturæ appetitum excitant, alvum ſolvunt, thoraciſque acrimoniam demulcent; probe enutritæ, maturæ, ſucculentæ, tunica tenui, & delicatula, ſapore dulci ac grato eligendæ ſunt, utpote hiſce notis omnino ſalutares, ſi modus ſervetur, aliter, flatulentas Colicas excitare poſſunt. Cuicumque ætati, ac tempera-

peramento conveniunt, senes tamen sese abstineant, iis enim debilitantur, fluxusque augentur, quibus ætas hæc nimum quandoque vexatur.

Uvæ Solaribus radiis aut furno exsicantur, ut diutissime servari possint, tunc autem Uvæ passæ nuncupantur; de hisce autem jam superius verba facta sunt *Tomo I.* atque illic Lectorem ablegamus.

Uvarum succus, communiter Mustus, nuncupatus adhibetur ad Sapam seu Rob, & Vinum coctum conficiendum. Sapa autem paratur mustum percolando, ac postea ad ignem evaporando ad tertiæ partis permansionem. Adstringendi, ac styptica vi gaudet, & a vulgaribus ad Cotonea Mala, aliosque fructus condiendos usurpatur; Cotonea vero Mala, Sapa, condita ad ventris fluxus sistendos, stomachumque roborandum excellunt. Jure, hæc, præparationi alteræ, anteponitur, Melle ac Saccharo confectæ, Mel enim, & Saccharum alvum laxant; Sapa præterea ad Sinapi condiendum usurpatur, Sinapi semine tuso, ac prædicta diluto. A Nonnullis confectio prædicta *Resinè* nuncupatur, juxta autem du Renau, *Resinè* paratur Uvis probe maturis in lebete ebullitis, e quibus succus exprimitur, ac ad ignem ad melleam usque consistentiam evaporatur. Testatur præterea idem Auctor, Sapam efficacissimam esse adversum oris morbos; stypticitate sua, fluxiones sistit, digerit, & abstergit. Secundo, Vinum coctum paratur, Uvarum probe maturarum ac dulcium succo, qui ad ignem ad tertiæ partis consumptionem evaporatur: curatur autem, postquam jam igne abductus fuerit, ut in vase terreo, aut ligneo affundatur, eum cochleari, usque dum frigescat, agitando. Ab Uvarum adhibitarum qualitate, optima, aut mala ejusdem præparationis qualitas quoque pendet. Magna vero terrestrium, viscosarumque partium portione scatet, hinc pectus demulcet, excreatumque sollicitat in temperamentis humidis frigidisque; biliosis autem, melancholicis, obstructionibusque deditis haudquaquam convenit.

Omnes norunt, Uvarum succo in cupa fermentato, Vinum elici; liquor hic exquisitissimus, plurimorum morborum Panacea jure, ac merito nuncupari posset, si eo moderate uteremur; Vinum enim prestantius Cordiale, a naturæ Parente D. O. M. nobis exhibitum, est reputandum, stomachica vi pollet, viscera corroborat, concoctionesque juvat: ejus abusus autem egregias hasce qualitates pervertit; Vinum enim immoderate sumptum, maximum caloreminduicit, liquores corrumpit, ebrietatem procreat, pluribusque pertinacibus morbis ansam præbet, Febribus videlicet, Apoplexiæ, Paralysi, Lethargo, & similibus.

Si ex eo exacta Analysis instituatur, statim plurimum spiritus recipietur, qui nihil aliud est, quam oleum exaltatum volatilibus salibus sociatum: distillationem deinde prossequendo plurimum phlegmatis; postea spiritus acidi, qui nihil aliud sunt, nisi sales essentiales, aut volatiles Vini phlegmate soluti, demum nonnihil elicietur olei nigri, ac fœtidi, a spiritibus acidis, ope chartæ bibulæ facile separabilis, spiritus enim traijcientur, oleo, utpote densiore superius relicto: remanebit autem in fundo vasis massa quædam constans ex Sale Alkali, ac terra; lixivio autem sal hocce Alkali separatum, sali Tartari omnino similatur.

Vina plurimum variare solent colore, odore, sapore, & consistentia, juxta Uvarum diversitatem, quibus parantur, ac juxta diversa clymata, in quibus Uvæ progenitæ, & diversimode radiis Solaribus percitæ ferunt, ac

demum,

demum, juxta diversa fermentationis genera, quæ mustus subivit. Vina in mensis usitatiora sunt, album, helvum, ac rubrum. Eligenda vero sunt clara, diaphana, optime colorata, non recentissima, sapore dulci, ac penetranti, odore grato. *Schola* autem *Salernitana* pluribus in locis, optimi ac salustaris Vini signa tradit, uti in sequenti versu:

*Vina probantur odore, sapore, nitore, colore,*

binisque hisce aliis:

*Si bona Vina cupis, quinque hæc laudantur in illis:*
*Fortia, formosa, & fragrantia, frigida, frisca;*

denique hisce postremis:

*Vinum sit clarum, antiquum, subtile, maturum,*
*Ac bene dilutum, saliens, moderamine sumptum.*

Etsi Vinum generatim inter præstantiora roborantia remedia locum habeat, nihilominus certum est, in ejusdem diversis speciebus ingentem virtutum, vitiorumque varietatem adesse. Vinum album exempli causa diureticum est, urinæque vias celerrime transigit; in biliosis, sanguineisque, sanguinis acrimoniam temperat, rubro minus enutrit, doloremque capitis quandoque suscitat. Helvum spirituosius est præcedenti, aptiusque phlegmaticis temperamentis, senibusque accomodatur. Verum enim vero merito asseri potest, Rubrum præ aliis cuicumque temperamento idoneum esse, sufficientem enim tartarearum particularum quantitatem complectitur, quibus Albo minus fumosus, magisque stomacho amicus efficitur. Nonnulla utplurimum Vinum nigrum stypticitate donatur, optimumque recensetur pro facile vomentibus, ventrisque fluxu vexatis, contrarium autem omnino est melancholicis, obstructionibusque correptis. Vina asperiora, ac austeriora adstringentia sunt, nec conferre possunt, nisi alvi profluvio, fibrisque ventriculi relaxatis, laborantibus. Quæ vero acerba ac styptica nuncupantur eamdem naturam habent. Acida vero, aut sub-acida biliosis conveniunt, vimque habent, sanguinis effervescentiam compescendi: nihil autem prosunt contrario temperamento præditis; flatus enim, ac tormina quandoque excitant, melancholicisque perniciosissima sunt. Fortiora, ac spirituosiora Vina, magis apta sunt ad debiliorum spiritus recreandos, quam pro usu communi; minorem præ cæteris nutrimentum præbent, sanguinisque motum plus justo concitare solent: hinc in hisce modum non servare, præ aliis periculosius est, si autem moderate ad exitum mensæ usurpentur, satis salutaria esse possunt, stomachumque satis roborare solent, quum enim, natura sua, glutinosa sint, diutius in hoc viscere immorantia optimos effectus procreare solent.

Vino, medicata Vina conficuntur, quorum alia simplicia, uti Vinum Absinthii, Juniperi, Alkekengi; alia composita sunt, solventibusque permixta. Infra, nonnullas, de melioribus, usitatioribusque, formulas exhibebimus.

Magma residuum post uvarum expressionem, e quibus mustum elicitum

 fuit,

fuit, in cabo reponitur: aqua superaffunditur, quæ adhuc nonnullis vuarum principiis imbuitur, vinosa efficitur, rusticisque pro potu ordinario inservit: facile autem acescit, stomachisque debilioribus aptari non potest; tormina excitat, obstructionesque progignit, uno verbo, eodem, quo Vina acida, pacto nocet; longe minus tamen noxia esse solet, quo minori aquæ, majorique magmatis Uvarum probe maturarum portione conficitur. Magma hoc idem Vinacea dictum in cumulum congeritur, ut fermentationem subeat, ac calefiat, in eo deinde aut membra, aut universum corpus obvolvitur Rheumatismo, Paralysi, Arthritideque ischiatica affectum, ad sudorem conciliandum, nervosumque genus firmandum; spiritu autem sulphureo caput tentante, vertigines quandoque concitare solet, quare a pluribus ne vix quidem sufferri potest.

Distillationis ope e Vino Aqua Vitæ ac Spiritus Vini eliciuntur; hi liquores ab omnibus Vini speciebus colligi possunt, majorem eorum tamen quantitatitatem una potius, quam altera largitur. Vina fortiora neutiquam liquoris prædicti majorem copiam impertiuntur; melius autem res procedet, si Vina fere vapida potius, quam perfecto sapore prædita distillationi committantur, non solum causa expensæ longe minoris, verum etiam quia in Vino ad acescendum proximo spiritus magis, quam in quocumque alio, solutus est, ac ad sese elevandum aptior. Sp. Vini moderate sumptus, ac necessitate potius cogente, quam ob deliciam ad salutem plurimum conducere potest, & de facto digestioni favet, alimentorum crassiores partes terendo, ac attenuando, quæcumque in loca, summa levitate sua, facile distribuitur, vires restituit, novumque robur sanguini conciliat, volatilibus, ac elatis particulis spirituum dissipationem protinus reparando, si forte aut magno labore, aut continuis vigiliis, aut alia de causa eorum insignis jactura præcesserit. Hinc aptissimus recensetur pro senibus, pro debilibus, ac in frigidis, phlegmaticisque temperamentis.

Diligenter curatur, ut militibus ante pugnam Aqua Vitæ exhibeatur, quæ consuetudo optimum sane effectum progignit, Vini enim spiritu, sanguinis, spirituumque motu adaucto, major iis vis, vigor, & audacia ad omnem imminentium periculorum timorem superandum conciliatur.

Aquæ Vitæ, Spiritusque Vini Pharmaceuticus, & Chirurgicus usus nimis innotescit, ut in eo longius, quam par est, immoremur. Perspicuum enim est, liquores hosce fere omnium spirituosorum, ac stimulantium remediorum menstrua, ac vehicula esse; hinc in Apoplexia, Paralysi, Lethargo aliisque ejusdem naturæ morbis in usum revocantur. Cum enim in iis animales spiritus, lentis crassisque humoribus, obruantur, volatilibus, exaltatisque particulis opus est ad eos incidendos, atque dissipandos. Extrinsecus etiam hi inflammabiles liquores usurpantur, ad poros reserandos, dissolvunt enim, atque attenuant quidquid humorum transitum impedire potest, quare convenient in doloribus, ut ajunt, frigidis, in œdemate, contusionibus, aliisque morbis, in quibus aperiendi, ac resolvendi necessitas adest.

Iidem inflamabiles spiritus immoderate, nimisque frequenter adhibiti, effectus, prædictis, satis oppositos, ac saluti perniciosos producunt. De facto in adeo vehementem agitationem, ob immodicum motum iis comnicatum, humores inducunt, ut eorum unctuosæ, & balsamicæ particulæ ad partes solidas enutriendas, ac sustinendas dicatæ, ob magnam

gnam rarefactionem in iis inductam, ineptæ fiant huic muneri satisfaciendo: hinc subsequitur prava totius corporis dispositio, quum enim ejus partes Balsamo hoc, tam necessario nec humectentur, nec irorerentur, aridæ siccæ & ad functiones rite obeundas ineptæ fiunt. Ab ardentibus hisce præterea spiritibus & alia quoque incommoda originem ducunt, in cerebro enim magna copia excepti, præter ebrietatem, Vini more, inductam adeo excedenter pituitam exolvunt, ut deinde per cerebri canales expansa, eos debilitet, animalesque spiritus irretiatur. His autem canalibus, sive nervis, qui cum omnibus corporis partibus commercium habent, continuo inflammabilium liquorum usu imbutis, spiritibusque animalibus per consequens magis, magisque aggravatis, corporis hebetudo, & ad catarrhos, arthritidem, aut etiam ad morbos magis periculosos Apoplexiam scilicet, Paralysim, plurimosque alios inclinatio subsequitur.

Ex quibus omnibus facile evinci potest, quantum intereat, sese a liquorum ardentium usu abdicare. Vetres hac in re exemplar optimum nobis suppeditant, ab iis enim aut fere semper Aqua tantum hauriebatur, aut Vinum eadem temperatum, hinc maximo vigore pollentes diutissimam vitam ducebant. Nos e contra ætatis limites acceleramus non Vinum meracius modo compotando, verum etiam, aquam naturaliter in eo mixtam, quæque plurimum ad nimium ejus calorem moderandum conducit, quoad per nos licet, arte extrahendam. Quare merito in dubium revocari potest, utrum, Vini, liquorumque ardentium adinventio humano generi utilior fuerit vel perniciosior; etsi enim hi liquores vim habeant spiritus excitantem, cordialem, ventriculumque roborantem, ingentem tamen morborum numerum, ut innuimus, producere solent, & quod magni refert, homines brutis persimiles reddunt.

Spiritus inflammabiles, saporem habent nonnihil acrem, ac plerumque empyreumaticum, Nonnullis infestum. Ad saporem vero hunce ingratum evitandum plures adinventæ fuerunt compositiones, quibus *Aromatitis*, vulgo *Ratafia* nomen inditum fuit, nihilque aliud sunt nisi Sp. Vini diversis rebus permixtus. Aromatites vario sapore, & odore, ac diversis gaudet propietatibus, juxta materiam in ejus compositione usurpatam. In Gallia diversæ ejus species admodum exquisitæ componuntur, Aromatites videlicet Cerasorum, Mali Persicæ, Prunorum, Uvæ apianæ, Corticum Aurantiorum, & Citreæ Mali, Nucum Avellanarum, aliæque quamplurimæ.

De diversis aliis liquoribus e longinquis regionibus nobis advectis sermonem neutiquam instituere cupimus, indicantes solummodo, liquores hosce, quamvis Sp. Vini, præstantiori sapore, scateant, tamen sanitati, si immoderate ingurgitentur, minus noxios non esse.

Alteratione in veterascente Vino oborta, nova prorsus fermentatione, in Acetum convertitur, generosiore Vino rei Medicæ non minus utile. Et revera liquor hicce acidus plura nobis remedia suppeditat, excepto usu ejus vulgatissimo ad alimenta in culinis condienda. Acetum plurimo scatet acido ab exaltato sulphure semi-volatili reddito, nonnihil olei, ac terræ, magnamque phlegmatis portionem. Sapore penetranti, grato, satis acido, optimoque e Vino confectum Acetum eligatur; adstringens autem est, ac refrigerans, dummodo moderata dosi in usum revocetur, appetitum prostratum excitat, alimentorum concoctioni favet, bilis ardorem compescit,

aeris

aeris vitia corrigit, singultum ac vomitum quandoque sedat, aptissimumque est in angina, hæmorrhagiisque, si eo parce utamur, e contra enim, stomachum & intestina valde stimulat, norvosoque generi adversatur, nocet præterea gracilioribus, & extenuatis, debili thorace præditis, plurimum tussientibus, difficili respiratione, obnoxiis, & hystericis. Senes quoque, & melancholici ab eo sese abstineant, aut admodum parce eo utantur.

Quoad ejus Medicum usum, optimum præservativum nobis suppeditat, adversum Febres malignas pestilentiales, & contra Pestem. Usurpatur aut simplex, aut alexiteriis compositum, Ruta nempe, Scordio, Zedoaria, Carlina, Imperatoria, Theriaca &c. uti ex Dimerbroeckio, & Sylvio de le Boe colligi potest, qui Pestis tempore ad sese præservandos feliciter usi sunt, spongia aceto imbuta, sæpius odorata, & cochleari j. ejusdem, mane, jejuno stomacho, deglutito. Notissima est historia *Aceti quatuor Latronum*, cujus infra formulam trademus. Nebulones quatuor simulantes peste affectis opem afferre, magnas furtis suis divitias congesserant, quum autem unus ex iis captus furcæque damnatus fuisset, arcanum suum ad sese liberandum obtulit, liberatusque fuit, tradita Remedii methodo, a quo non solum vice hac, verum etiam pluribus aliis antecedentibus incolumis servatus fuerat. Parte j. Aceti cum aquæ xij. aut xv. æqualibus portionibus mixtura conficitur *Oxycratum* nuncupata, in fomentis Gargarismatis, ac Clysteris forma, usurpanda.

Aceto plura servantur; folia nempe, flores, ac fructus; ejus autem agendi ratio consistit, in spiculis acidis poros corporum, quibus conjunctus est, obstruentibus, aerisque liberum ingressum coercentibus, ac fermentationem, quæ cito ea corrumperet impedientibus.

Vinum præterea sese in doliis depurando, materias utilissimas, ac pernecessarias tam rei Medicæ, quam Chymicæ nobis suppeditat, sunt autem Tartarum, & Fæx Vini. De Tartaro jam superius verba facta sunt *Tomo primo Materiæ Medicæ*. Fæx vero Vini nihil aliud pariter est, nisi Tartarus vasorum vinariorum fundo subsidens, liquidus, viscidioribus Vini particulis permixtus, a quo Acetarii propolæ expressione partem liquidam separant, eamque ad acetum parandum usurpant, magma exsiccatur, postea comburitur, & calcinatur loco aperto in magnis foveis in solo excavatis: substantia hæc, prædicta ratione, calcinata, vocatur Fæx Vini calcinata *Cendre gravelèe*; exiguis constat frustulis sub-viridibus, Tartaro vulgari calcinato proximis, parique ratione fixo alkalino acerrimo turget, majori tamen terræ copia, scatet. A Tinctoribus, & Purgatoribus usurpatur. Magnopere detergit, urit, ac resolvit; ex eo autem & calce, Lapis pro Cauteriis conficitur, cujus descriptionem habemus in *Cursu Chymicæ D. Lemeryi*. In Deplatoriis quoque, fomentisque resolventibus adhibetur. Interne quoque præscribi potest uberiori aquæ copia, soluta, ad obstructiones reserandas glareososque humores dissolvendos a gr. vj. ad gr. xx. Gablier Clauderus in suo Tractatu *De Ratione Corpora aromatibus condiendi* Genevæ impresso, asserit, Cadavera a corruptione servari posse, si liquore inbuantur, in quo Fæx Vini calcinata, Salque Ammoniacum simul solutum fuerit. Fæx Vini hæc calcinata loco satis sicco servanda est; facile enim humectatur, liquaturque ob salem Alkalinum in ea stabulantem.

℞. Rad. Alni lotar. ac taleolatim incisar. ℥ ij. Macerentur frigide xv. dierum

rum ſpatio in Vini rubri optimi ℔ ij. vaſe clauſo. Doſis cochler. j. aut ij. poſt prandium exibenda in ſtomachi, relaxatione, ac gravedine.

℞. Cadum q. l. capacitatis. Infunde Baccas Juniperi probe maturas fere ad medietatem. Optimo Vino albo dein adimple, ac infuſa omnia relinque, uſque dum Vinum clareſcat, doſis a poculo j. ad poc. ij. mane, jejuno ſtomacho, ſemihoræ intervallo, aut menſæ tempore propinanda. Vinum autem prædictum adverſus Colicam Nephriticam, Calculum, ac Veſicæ glareas conveniet.

*Vinum Emmenagogum.*

℞. Fol. Roris Marini, & Pulegii. ana Man. ij. Sabinæ Man. j. Croci, & Boracis ana ʒ ij. Limaturæ Martis ℥ j. Macerentur omnia frigide per octiduum in optimi Vini rubri ℔ xij. Coletur deinde Vinum pro uſu. Cyathus ex eo j. frigidus præſcribetur mane, jejuno ſtomacho, novem dierum ſpatio.

℞. Rad. Sigill. Salomonis mund. & taleolatim inciſ. ʒ vj. Infunde xxiv. horarum ſpatio in Vini albi ſextario ſemis. Fiat deinde colatura, exhibeaturque binis aut tribus exiguis cyathis de die per menſis ſpatium. Vinum hocce utiliſſimum deprehenditur in infantum Herniis. Præterquamquod radices ex infuſione remanentes contundendæ ſunt, ac ſingulis diebus ſuper Herniam jam refuſam apponendæ, eaque, faſcia, coercenda.

℞. Radicum Iris noſtratis, & Enulæ Campanæ lotar. & taleolatim inciſar. ana ℥ j. Rad. Eringii vulgaris, & Anonidis ſpinoſæ ana ℥ ß. Fol. Sennæ mund. ʒ vj. Julapæ p. ʒ j. ß. Cinnamomi ʒ j. Affunde Optimi Vini albi ℔ iij. & macerentur omnia frigide per octiduum vaſe clauſo. Bini cyathi mane jejuno ſtomacho, horæ intervallo, juſculumque alterius horæ ſpatio poſt extremi poculi ſumptionem propinetur. Vinum hocce valet adverſum Leucophlegmatiam, & Hydropem Aſcitem.

℞. Fol. Sennæ mund. ℔ ß. Rad. Polipodii, Quercus, & Rubiæ ana ℥ ij. Fol. Scolopendrii Man. jv. Abſtinthii min. Man. ij. Corticis mali Citreæ ℥ j. In ſacculo ex tela rara omnia concludantur, qui in Cado cum uvarum albarum muſti ℔ xxiv. immergetur, fermentatione inde incoacta cooperiatur, relictis ſic omnibus, binis menſibus. Extrahatur poſtea Vinum, ſerveturque in vaſis vitreis probe obturatis. Congruo temporis ſpatio ejus cyathus unus ſumetur jejuno ventriculo, vimque habet aperiendi, ac laxandi, excellitque adverſus infimi ventris obſtructiones.

℞. Summit. Geniſtæ Man. ij. craſſiuſcule contuſas infunde per biduum in Vini albi ℔ ij. pro infuſione Anti-peſtilentiali, cujus cyathum parvum mane jejuno ſtomacho, antequam e domo egrediamur, ſumemus.

*Acetum quatuor Latronum.*

℞. Aceti albi ℔. jv. Infunde Allii talleolatim inciſi ℥ jv. Adde Aſſæ Fœtidæ ℥ j. Radicum Gentianæ ℥ ij. Mithridati ℥ j. Sem. Juniperi Pug. j. Omnia ſimul juncta ſuper cinerarium calidum, aut Solaribus radiis vaſe

probe

probe clauſo xxiv. horarum ſpatio relinquantur. Vaſis vitreis deinde occludantur poſt colaturam, ac expreſſionem. Cochlear unum, mane, jejuno ventriculo ex eo haurietur.

℞. Vitrioli ℨ ij. Rutæ Man. j. Aceti ſtillat. ℔ j. Maceretur Ruta in Aceto, diei ſpatio. Coletur deinde liquor infundaturque Vitriolum p. Liquor hicce ſuper candentes tegulas affundetur pro fumigatione ad pravas aeris exhalationes, Peſtis tempore, depellendas.

℞. Rad. Zedoariæ & Angelicæ ana. ℥ j. Baccar. Juniperi ℥ ij. Fol. Rutæ Man. iij. Aceti optimi ℔ iij. Macerentur omnia, exprimaturque liquor, pro Suffumigio, ac Gargariſmate; Peſtis tempore uſurpari poteſt.

℞. Piper. & Fol. Pulegii p. ana. ℈ j. Aceti optimi coch. ij. M. pro potione iis exhibenda, qui contractione, aut alia de cauſa pene ſuffocari videntur.

℞. Zingiberis p. ℥ iij Aceti optimi ac butyri, ana. ℔ j. ß. Coque uſque ad aceti conſumptionem. Reſſiduum contundatur, ac Unguentum conficiatur, e quo caput quinque aut ſex vicibus, mane, ac ſero oblinietur adverſus achores, ac ſcabiem.

℞. Pul. Fol. Vitis poſt vindemiam rubeſcentium ℨ j. Infunde per noctem in Vini albi cyatho, hauriaturque, mane, jejuno ventriculo in mictu ſanguineo.

℞. Vini Rhenani ℥ viij. Infunde xii. horarum ſpatio Rad. Raphani ruſticani ℨ ij. Fiat deinde colatura forti expreſſione, pro potione decem ſubſequentibus diebus exhibenda, mane, jejuno ſtomacho in Cancris, ejuſdemque naturæ tumoribus.

## VITIS IDÆA.

MYrtillus, *Offic.* VITIS IDÆA foliis oblongis crenatis, fructu nigricante, C. B. P. 470. *Inſt.* R. H. 608. Vitis Idæa anguloſa, J. B. 1. 520. *Raii Hiſt.* 1488. Vaccinia nigra, *Dod. Pempt.* 768. *Lob. Ger.* Vitis Idæa, ſive Myrtillus primus, *Tabern. icon.* 1078. Myrtillus, *Matth. Lonic. Caſt.* Vaccinia nigra vulgaria, *Park.* Vitis Idæa vulgaris baccis nigris, *Cluſ. Hiſt.* Radix Idæa fructu nigro, *Anguill.* Bagolæ primum genus, *Cæſalp.* 210. Vaccinia nigra majora, *Frank. Spec.* 38. Myrtillus niger minor, *Rubd. Hort.* 77. Myrtillus minor baccis nigris, *Till. ab.* 47. Vaccinium caule angulato, foliis ovatis ſerratis deciduis, *Linn. Hort. Cliff.* 148. Vitis Idæa nigra ſeu Vaccinium nigrum, Myrtus nemoralis ſive montana, Myrtus terreſtris ſeu puſilla vel humilis, Chamæmyrſine, Myrtillus vulgaris Germanorum fructu nigro, Uva Urſi vel Urſina ſeu Vulpina, *Quorumd.* vulgo *Airelle*, *Myrtille*, *Raiſin de bois*, *Bluets ou Morets*.

E radice minuta, lignoſa, dura, plerumque ſub ſolo repenti, frutex exſurgit pedem, aut pedem cum dimidio altus, qui plures emittit ramos graciles, anguloſos, flexibiles, fractuque difficiles viridi cortice tectos. Folia oblonga ſunt, Buxi folia, magnitudine æquantia, minus tamen denſa, viridia, lævia, ambitu leviter crenato, ſapore adſtringenti. Ex foliorum alis flores enaſcuntur monopetali, rotundi cavi, crotali more efformati, brevibus appenſi pedunculis albo-ſubrubris. Hiſce autem baccæ ſphæricæ ſuccedunt, molles, ſucco refertæ, adinſtar Baccarum Juniperi craſſæ, umbilico exca-

cava-

cavatæ, saturate-cæruleæ, aut sub-nigræ, saporis adstringentis ad acidum accedentis, ac neutiquam ingrati, in quibus plura concluduntur semina satis exilia, dilute-rubra. In solo sterili, incultis in locis, ac montanis in sylvis ventorum impetu divexatis, ericæa inter, ac nemora, & in vallibus desertis, humidis, & umbrosis occurrit Planta hæc, Majo florescit, Julioque fructus ad maturitatem perducuntur.

Myrtillus Analysi Chymica plurimum salis essentialis terrestris, atque olei largitur. Ex ejus baccis succus elicitur, inspissaturque in syrupum satis densum, adinstar Sapæ, parum Sacchari addendo. Compositio Rob vocatur, excellit autem adversum ventris fluxum, & ad bilis effervescentiam cohibendam. Fructus etiam prædicti exsiccantur, pulverisque forma a ʒ j. ad ʒ ij. exhibentur, aut decoctione, ad ℥ ß. usque, adversus Dysenteriam. S. Paulli credit Myrtillorum succum, genuini Myrti succo Antiquorum, & Acaciæ ob adstringendi efficaciam substitui posse. Nonnulli Cataplasma hujusce arbusculæ semine, saleque vulgari, confectum, thoraci apponunt, ad lac dissipandum, aut ad ejus secretionem impediendam. Nonnulli caupones Vino albo ruborem fructu prædicto conciliant, baccarumque succo Vini quantitatem adaugent; adulteratio hæc satis reprobanda, minus tamen præ aliis heu nimium usitatis periculosa est. Eodem succo utimur, ad lintea, chartamque cæruleo colore inficiendam. Pastores, ac montanæ gentes, fructu hocce, magna voluptate, vescuntur: ejus enim dulcedo, quadam aciditate permixta, satis grato sapore palatum afficere solet.

## U L M A R I A.

ULMARIA, *Offic.* Barba Capræ floribus compactis, C. B. P. 164. Ulmaria, J. B. 3. 488. *Inst.* R. H. 265. *Raii Hist.* 623. *Clus. Hist.* 198. *Lugd. Hist.* 1081. *Camer. Hort. Tabern.* Regina Prati, *Dod. Pempt.* 57. *Ger.* Ulmaria vulgaris, *Park.* Barbi Capra, & Ulmaria vulgi, *Lob. icon.* 711. Potentilla prima, *Anguill.* Argentilla major. *Thal.* Medesusium, *Cord. Hist.* Regina Prati, & Ulmaria quorumd., *Gesn. Hort.* Barba Capræ prima, *Trag. Lonic.* Filipendula foliis pinnatis, folio impari trifido, *Linn. Flor. Svec.* 147. Barba Capri vulgatior, Barbula Caprina prior, Ægopogon pratense, Flabellum Sancti Johannis, Apum herba, Rhodera forte Plinii, *Nonnull.* vulgo *Reine des Prez, petite Barbe de Chèvre, Vignette.*

Radice est satis crassa, digitum longa, odora, externe sub-nigra, saturate-rubra interne, pluribus sub-rubris stipata fibris. Caulem vero emittit tripedalem, erectum, angulosum, lævem, sub-rubrum, firmum, cavum, ramosum. Ejus folia alterna sunt, pluribus aliis oblongis foliis constata, ad modum fere Filipendulæ, & Agrimoniæ ambitu denticulato, rugosa ac viridia superne ut in Ulmo, sub-albida vero inferne. Flores exigui sunt, racematim dispositi in caulis, ramorumque extremitate, pluribus constantes foliis sub-albidis, rosaceis, odore grato, qui tandem abeunt in fructum pluribus constantem vaginis tortilibus, capitatis, in quarum singulis minutissimum semen occluditur. Aquaticis in locis, in fossis humidis, in pratis depressioribus, in marginibus fluviorum, rivulorumque abunde luxuriat planta hæc, Junio, Julioque florescit, semenque Autumno ad maturitatem perducitur.

*Ulmaria* nuncupatur, *Ulmaire*, aut *Ormaire* vulgo, ejus enim folia aliquam cum foliis Ulmi affinitatem habent, *Barba Capræ* vero, quia ejus flores quoquomodo talem figuram habent; *Vignette* denique, quasi *petite Vigne*, ob suavem floris odorem ad Vitis florem accedentem.

Ulmariæ folia herbæ salitæ, ac viscidæ saporem habent, chartam cæruleam exiguo rubore inficiunt, saturatius autem idem a radice præstatur, quæ styptica est, & amariuscula. Verisimile autem videtur, salem ejusdem plantæ, Salis Ammoniaci naturam attingere, plurimo autem sulphure, ac terra sociatum esse; Analysi autem Chymica liquores acidos, salem volatilem concretum, plurimum Sulphuris ac terræ largitur: hinc vim habet sudorificam, cordialem, & vulnerariam. Ejus radicum decoctio aptissima est in malignis febribus, ac radici Scosoneræ anteponenda. In Officinis quoque aqua stillatitia ejus florum, ac foliorum servatur, quæ ab ℥ jv. ad ℥ vj. exhibetur in potionibus cordialibus, & diaphoreticis. Vinum, in quo Ulmariæ radix decocta fuerit ventris fluxus sanat, dysenteriam, ac plagas internas. S. Paulli vero asserit in postremo hocce morbo, mira expertum fuisse. Hujusce radicis Extracti ʒ j. sudorifica facultate donatur, dummodo in ejus usu binis, aut tribus diebus perseveretur, ut ejusdem effectus sensibilior appareat, alia enim extant sudorifica, e quibus una tantum dosis nihil juvat. Mane itaque Extracti radicis Ulmariæ ʒ j. exhibenda est, eademque dosis, post prandium, ac sero cum Laudani gr. j. repetenda, biduo, aut triduo, si opus sit. Ejusdem radicum decoctio detergens est, & ad vulnera, & ulcera accomodata. Contundi pariter possunt, ac Cataplasmatis forma iis applicari. Folia vero tenera & flores, in Vino, Cerevisia, aut Hydromelle infusi, iis odorem, saporemque gratissimum conciliant adeo, ut quamdam cum Cretensi Vino, sub Vini Arvisii nomine cognito, similitudinem adpiscantur.

Ulmariæ radix usurpatur in Aqua Generali, ejusque folia in Aqua Lactis Alexiteria *Pharm. Paris.*

℞. Aquæ distillatæ Ulmariæ & Cerasor. nigror. ana. ℥ iij. Syrupi Caryophyllor. & Limonum ana. ℥ ß. M. pro Julapio cordiali in animi deliquiis, ac syncope aptissimo.

℞. Aquæ Ulmariæ ℥ iij. Aquæ Epidemicæ, Aquæ Theriacalis, & Syrupi de Diacodio ana. ℥ ß. Antimonii Diaphor. ℈ j. Theriacæ ℈ ij. Sp. Salis Ammoniaci gut. xij. M. pro potione Diaphoretica.

℞. Rad. Ulmariæ & Bardanæ lotar. & taleolatim incisar. ana. ℥ j. Fol. Cardui Benedicti, Ulmariæ, & Scabiosæ ana. Man. j. Coque in ℔ aquæ viij. ad quartæ partis consumptionem. Fiat deinde colatura pro ptisana sudorifica in malignis febribus convenientissima.

℞. Aquar. Ulmariæ & Hederæ terrestris ana ℥ ij. Aquar. Scordii, ac Juniperi ana. ℥ j. Anti-Hectici *Poterii* gr. xij. Theriacæ ʒ ß. Spermat. Ceti in aqua Cinnamomi soluti ʒ j. Syrupi Gnaphalii ℥ j. M. pro potione vulneraria cochleatim sumenda adversum plagas internas.

## ULMUS.

ULMUS, *Offic.* Ulmus campestris & Theophrasti, C. B. P. 426. *Inst.* R. H. 601. Ulmus, J. B. 1. 139. *Dod. Pempt.* 837. *Matth. Trag.* Ulmus vulgatissi-

tiſſimus folio lato ſcabro, *Ger. Emac.* 1480. *Raii Hiſt.* 1425. Ulmus vulgaris cum Samarris, ſive ſeminibus ſuis, *Park. Theat.* 1404. Ulmus in planis proveniens, *Anguill.* Ulmus noſtras ſive Italica, *Plin.* Ulmus fructu membranaceo, *Linn. Hort. Cliff.* 83. Ulmus vulgatior ſeu Ptelea Græcis, Arbor Cimicum ſeu Culicum Serapionis & Arabum, *Quorumd.* vulgo *Orme*, *Ormeau*, *Ormille*, *Arbre ou pauvre Homme*.

Radice eſt craſſa, dura, lignoſa, utrinque late ſeſe in ſolo expandente, quæ magnam emittit arborem ſatis brachiatam, caudice craſſo, cortice, tecto, rimis, hiante, rudi, externe cinereo-ſubrubro, interne ſubalbido, & flexibili, ligno robuſto, duro, ſub flavo, ad rubeum accedente. Folia ſatis lata ſunt, rugoſa, rudia, venoſa, alterna, oblonga, ambitu crenato, acuta, ſaturate-viridia, brevibus appenſa pedunculis, per longum nervo ſtipata, minus in una facie quam in alia ſeſe extendente. Flores qui ſummis in ramis folia præcedunt infundibulum tentorii in modum efformatum mentiuntur, inciſi ſunt, pluribuſque exiguis ſtaminibus obſcuris ornati, hiſque deciduis occurrit fructus membranaceus, in foliolum ſemi-ovale ac fere complanatum efformatus, vertice plerumque excavato, centro elevato, in quo capſula membranacea, ac pyriformis reperitur, minutum, tenerum, planum, ſucculentum, ſaporeque gratum ſemen occludens. Arbor hæc in arvis, pratis, ac ſylvis, in ſolo fertili, & humido, ſecus rivulos, ac fluvia creſcit, floret autem Martio, & Aprili, ſemenque, *Samara*, aut *Samera* nuncupatum, Majo ad maturitatem devenire ſolet; ſegniter admodum incrementum capit, optima tamen eſt ad ſylvulas conficiendas, ſtrata viarum exornanda, atque aditus, *Ormajes*, aut *Ormojes* nuncupatos; majores noſtri vero in poſtica ædificiorum parte frequentes Ulmos plantabant, ad umbram, deambulationemque capiendam, viſumque ornatiſſimo proſpectu delectandum, nec non ad ligna, pro bruma, & carrorum fabrile opus, comparanda. In Italia vero, quum Vites altæ admodum ſint, ad eas fulciendas, atque alligandas Ulmus inſervit, vocaturque *Ulmus marita*, Ulmus ſcilicet cum Vite junctus. Evelynus aſſerit, nullam fortaſſe arborem adeſſe, quæ translationem adeo facile ſubeat, nam, poſt viginti annorum curſum hoc fieri poſſe, feliciter expertus eſt in Ulmo, cujus truncus humano corpore duplo craſſior erat.

Analyſi Chymica plurimum olei, ſaliſque eſſentialis Ulmus largitur. Ejus cortex ac folia ſucco turgent, mucilaginoſo, ac viſcido, quo ad vulnera conglutinanda apta fiunt, ejuſque radicum decoctio uſurpatur adverſum omnes ſanguinei effluxus ſpecies, ac præſertim contra Pulmonis, ac Uteri Hæmorrhagias. *In Ephemeridibus Germanicis anno* 1727. *pag.* 429. extat Obſervatio D. Erneſti Gothod Struvii, qui aſſerit, quamplurimos ſanaſſe Hydrope Aſcite affectos decoctione corticis Ulmi pro potu ordinario exhibita, quinque aut ſex hebdomadarum ſpatio; admonet autem, ne prima die a remedio mutationem ullam attendamus, quinimo quandoque inflationem augeri, paucis vero elapſis diebus urinæ vias aperiri, fluxumque copioſum, ac conſtantem, ſollicitam ſanationem prænunciare.

In Ulmi foliis plerumque veſicæ reperiuntur ſeſe ad pugni uſque craſſitiem inflantes, figura ſua, tubera æquantes, liquore turgidæ, in quo ſubvirides culices natantes perſpiciuntur, linteo, Balſamum hoc naturale colatur, ad culices ſeparandos, magnoque emolumento uſurpatur ad recentia vulnera,

nera, ac contusiones : cum eo ab Italis, Provincialibusque rusticis Hyperici summitates infunduntur; liquor rubescit, & adinstar Olei Olivarum diutissime servatur, quo magis enim veterascit, eo melior efficitur. Matthiolus vero asserit, liquorem hunce, absque ulla summitatum Hyperici miscella, infantum hernias sanare, dummodo eo obliniantur; & Fallopius testatur, nihil utilius ad vulnera conglutinanda invenisse. Rajus denique asserit, corticis Ulmi decoctionem ad syrupi consistentiam redactam, tertia Sp. Vini parte addita, optimam esse ad Ischiaticum dolorem sedandum, si linimento hoc calido pars affecta foveatur. Ulmi lignum usitatissimum est apud carrorum fabros, adhibeturque ad axes, modiolas, aliaque plurima fabrefacienda.

Mucilago corticis medii Ulmi usurpatur in Emplatro de mucilagine *Pharm. Paris.*

℞. Corticis medii Ulmi junioris ℥ jv. Coque in aquæ ℔ iij. ad medias; Colaturæ adde Syrupi Rubi idæi, & Moror. ana ℥ j. ß. pro Gargarismate, adversus aphthas, linguæ asperitates, & oris, fauciumque ulcera.

℞. Cort. Ulmi ʒ vj. Glycyrrhizæ ℥ ß. Uvæ colatura mundatæ gr. xx. Rosar. rubrar. Pug. ij. Coque in aquæ s. q. ad ℔ ß. Fiat colatura, in qua dissolve Oxymellis simplicis, & Mellis Rosati ana ʒ ij. pro Gargarismate in Variolis aptissimo.

## UMBILICUS VENERIS.

INter diversas ejusdem species a nobis cognitas, duæ præcipue in usum Medicum venientes a nobis describentur.

Umbilicus Veneris, *Offic.* Cotyledon major, C. B. P. 285. *Inst.* R. H. 90. Cotyledon vera, radice tuberosa, J. B. 3. 683. *Raii Hist.* 1878. Umbilicus Veneris, *Ger. Matth. Lac. Turn. Cæsalp. Cast. Lugd. Hist. Tabern.* Umbilicus Veneris vulgaris, *Park.* Cotyledon, Umbilicus Veneris, *Clus. Hist.* 63. Cotyledon prima seu major, Umbilicus Veneris major, Umbilici Veneris species prima, Umbilicus terræ, Hortus Veneris, Acetabulum, Scytalium, Cymbalium majus, Herba Coxendicum Plinio, Scatum Cæli & Scatellum vel Scatuncellus Manlio, *Nonnull.* vulgo *le grand Cotyledon ou Nombril de Venus, les Escudes ou Escuelles communes.*

Redice est tuberosa, carnosa, alba, inferne exilibus fibris stipata. Folia emittit rotunda, densa, pinguia, succo referta, tenera, pelviformia, longis caudis appensa, dilute-viridia, sapore viscoso, ac insipido: hæc inter gracilis erigitur caulis, fere semipedalis, quandoque simplex, quandoque in plures ramos divisus, pluribus exiguis ornatos floribus campaniformibus, in fistulam elongatis, pluribusqus cuspidalibus incisionibus donatis, albis, aut purpurascentibus, staminibus denis, apicibus rectis. In eorum locum numerosi fructus succedunt pluribus membranaceis vaginis constantes, capitati, longitudinaliter sese aperientes, ac minutissima semina occludentes. In scopulis, vetustis parietibus, locisque saxosis, & calidis crescit planta hæc, Aprili, ac Majo floribus decoratur, tunc autem folia marcescunt, in plurimis Galliæ provinciis haud raro occurrit, in hortis autem difficile colitur; apparet autem Autumno exeunte, ac Hyme folia conservat.

Observatur autem, bina, aut tria prima inferna folia, neutiquam rotunda

da esse, eorumque caudam non in centro, sed aliquantulum lateraliter intrudi. *Cotyledon*, sive *Umbilicus Veneris* nuncupata fuit planta hæc, eo quod ejus folia inferne utplurimum concava sunt, aut cava adinstar infundibuli, aut umbilici.

Umbilicus Veneris alter, *Offic.* Cotyledon radice tuberosa longa repente, *Mor. Hort. Reg. Bles. Inst.* R. H. 90. *Raii Hist.* 1878. Cotyledon flore luteo, radice tuberosa longa repente, *Act. Ac. R. Par.* 73. Cotyledon flore luteo maxima, *Herman. Cat. Leyd.* Cotyledon altera, Umbilici Veneris species secunda, *Nonnull.* vulgo *le Cotyledon ou Nombril de Venus à fleur jaune.*

Radice est longa, repenti, & vivaci, folia speciei præcedenti proxima, propellente, nonnihil tamen latiora, compactiora, caudam versus adaperta, ambitu crenato, quæ inter caulis elevatur rotundus, firmus, sub-ruber, nonnullis exilioribus vestitus foliis, in plures divisus ramos, luteis floribus onustos, qui scilicet spicæ in morem locantur, monopetali sunt, campaniformes, quinis cuspidibus distincti, calyceque suffulti longo, ac subviridi. Hisce vero evanescentibus capsulæ quinæ oblongæ, acuminatæ, subvirides, seminibus minutissimis, ac rufescentibus scatentes succedunt. E Lusitanico Regno plerumque nobis advehitur planta hæc, in curiosorum hortis colitur, in quibus facile servatur, Junioque florescit. Hyeme etiam perdurante folia virescunt, Majo autem marcescunt, ut vestigia eorum tantum vix remaneant.

Prima Umbilici Veneris species usitatior est apud Medicos, postrema quoque huic substitui potest. Ejus folia sapore gaudent viscido, & aquoso. A Dioscoride, & Galeno maxime refrigerans censebatur. Certum est, optimos in externis inflammationibus effectus progignere, ac facile Sedo maj. substitui posse, iisdem enim viribus pollet; usurpatur autem in Unguenti Populei confectione, quod mirifice temperat aut in adustionibus, aut in hæmorrhoidali dolore. Quamvis autem planta hæc plurimo phlegmate, ac oleo oneretur, nonnihil tamen habet salis volatilis. Ejusdem inter duos scilices contusæ ad hæmorrhoides sane utilissima admotione evincitur, eamdem partibus suis mucilaginosis, fibras nimis tensas relaxare, saleque volatili stagnantem, ac densum sanguinem excutere atque resolvere. Dioscorides demum & Galenus testantur, ejus succo interne sumpto, calculum, sabulumque e renibus detrudi; similibus vero in morbis recentiores Medicos ab hac sese penitus abstinentes videmus.

Umbilici Veneris folia usurpantur in Unguento Populeo *Pharm. Paris.*

## UNEDO.

UNEDO, sive Arbutus, *Offic.* Arbutus folio serrato, C. B. P. 460. *Inst.* R. H. 598. Arbustus, Comarus Theophrasti, J. B. 1. 83. Arbustus *Dod. Pempt.* 804. *Ger. Park. Raii Hist.* 1576. *Matth.* Arbutus sive Unedo *Lob. Adv.* Comarus, seu Comarum, Arbutum Memæcylum seu Memæcylon Græcis, Cerasus marina Calabris, Fragorum Arbor vel Fragum Arboreum, Fraga montana Poetarum, *Quorumd.* vulgo *Arbousier, ou Fraisier en Arbre.*

Radix satis crassa, dura, lignosa arbusculam effert, trunco, cortice, tecto, rudi, rimisque hiante, pluresque sub-rubros ramos, in vertice, propellente. Folia oblonga sunt, satis lata, Laurinis fere similia, densa, lævia,

perpetuo viridia, ambitu elegantiſſime crenato. Flores monopetali ſunt, crotalumque mentiuntur quinis diſtinctum ſpiculis albis, venuſtis, Liliis Convallibus, proximis, racematim diſtributis, odore grato, ſtaminibuſque denis capillaribus, apicibus inclinatis. Flores ſubſequuntur fructus Fragis quodammodo ſimiles, craſſiores tamen, ſphærici, carnoſi, primum flavi, dein per maturitatem læte-purpurei, ſapore auſteriuſculo. Fructus autem prædictus *Unedo*, aut *Arbutum* nuncupatur, Græce vero *Comarum*, aut *Memæcylon*, Gallice autem *Arboux*; quinque diſcriminatur cellulis, in quibus plura conduntur ſemina minuta, oblonga, oſſea. Abunde creſcit arbuſcula hæc in Italia, Hiſpania, Occitania, & Provincia in locis montanis, in ſylvis inter dumeta; juxta Cluſium, ſemper aut floribus, aut fructubus onuſta apparet, ac quandoque etiam floribus, fructubuſque una ſimul veſtita; præcipue vero Julio, ac Auguſto floreſcit; alteroque anno fructus ad maturitatem perducitur. Merulæ ac Turdi non minus, quam mulierculæ, puerulique Arbutis delectantur. Virgilius vero teſtatur, flores ab Apibus in deliciis haberi, folia vero a Capreolis. Belonus autem nos edocet, Cretæ, & in vallibus, Athos monti, proximis, ad tantam proceritatem aſcendere, ut altiores arbores adæquet, fructumque pariter Malum craſſitie æquare, colore inſtrui rubro, nigreſcente, majorique mollitie, ſaporiſque gratia, Arbuti vulgaris fructu, præditum eſſe.

Quamvis adſtringendi facultas, tam in foliis, quam in cortice, fructuque manifeſta ſit, Unedo tamen vix in re Medica uſum habet; quare ejus decoctione, ad ventris fluxus ſiſtendos, uti merito poſſumus. Amatus Luſitanus aſſerit, aquam diſtillatam ex floribus, foliiſque ejuſdem adverſum Peſtem excellere, & ad humorum malignitatem debellandam, quum præcipue morbi initio exhibeatur. A Matthiolo autem C. C. pp. additur. Sebizius cum aliis credit, ejuſdem fructum ſtomacho noxium eſſe, caputque lædere poſſe: hinc ab eo *Unedo*, *quaſi unum edo* nuncupatus fuit, ultra enim, pernicioſus pronunciatur: quod nobis adhuc comprobandum videtur, Cluſius enim ait, pluries a ſe ipſo fructus prædictos abſque ullo incommodo comeſtos fuiſſe; quod etiam a Garidelio confirmatur, qui teſtatur, eoſdem in Provincia vulgatiſſime ac tuto pro eſu uſurpari.

Arbutæ lignum album eſt, peculiaribuſque operibus dicatum, nec non ad optimos carbones parandos inſeruit.

## URTICA.

De tribus ejuſdem ſpeciebus in Officinis uſitatis verba faciemus.

Urtica major, *Offic.* Urtica urens maxima, C. B. P. 232. *Inſt.* R. H. 534. Urtica vulgaris major, J. B. 3. 445. *Raii Hiſt.* 160. Urtica urens altera, *Dod. Pempt.* 151. Urtica major, *Brunf. Fuchſ.* Urtica major, ſive ſylveſtris aſperior, *Tabern. icon.* 534. Urtica major vulgaris & remedia ſylveſtris, *Park.* Urtica urens maxima ſterilis vel fertilis, *Ponted. Anth.* 210. Urtica foliis cordatis, amentis cylindraceis, ſexu diſtincta, *Linn. Flor. Lapp.* 374. Urtica urens vulgatior, Urtica perennis mas & fœmina, Urtica communis major, *Quorumd.* vulgo *la grande Ortie piquante*, *l'Ortie vivace l'Ortie commune*.

Ei radix eſt minuta, fibroſa, in longum ſerpens, ſub-flava; caules vero emittit

tit tripedales, quadratos, ſtriatos, rigidos, urenti lanugine tectos, cavos, ramoſos, binis invicem oppoſitis veſtitos foliis, oblongis, latis, acuminatis, ambitu dentitulato, pilis penetrantiſſimis, ac urentibus, ſtipatis, longiuſculis caudis, appenſis. Summis caulibus, ramiſque e folioum alis flores prodeunt, ramoſis racemis diſpoſiti, pluribuſque conflati ſtaminibus, calyce ſuffulti quadripetalo, herbido; hi autem flores nullum poſt ſe ſemen relinquunt. Hinc Urticæ *maris*, ac Urticæ *fœminæ*, ut in Cannabi diſtinctio oboritur: Urtica mas e caulibus numquam floreſcentibus acutas emittit capſulas, ſariſſæ ferrum mentientes, tactu pungentes, ſemenque ovale, planum, ſplendidumque continentes. Urtica vero fœmina flores tantum progignit, nulloſque fructus, ut vulgari ratione loquamur; Botanici enim proprie *flores mares* eos potiſſimum eſſe pronunciant, quos nulla ſemina ſubſequuntur, *flores* deinde *fœminas*, quos revera ſubſequuntur. Ubique fere abunde luxuriat planta hæc in locis præcipue incultis, & ſabuloſis, in ſepibus, foſſiſque, prope muros, in ſylvis præterea, atque hortis; Junio floreſcit, ejuſque ſemen Julio, & Auguſto maturitatem acquirit; folia vero, utplurimum, ſingulis annis, Hyeme marceſcunt, radix autem neutiquam perit, ac Vere primum accedente recentia folia producit. Radices, folia, ac ſemina in uſum Medicum veniunt. Tela quoque ex ejus caulibus, uti ex Cannabi parari poteſt. Linnæus aſſerit, ejus juniora ſurcula una cum leguminibus eſſe decoquenda. Urtica vulgaris, radicum, caulium ac foliorum colore, quandoque variare ſolet: tunc autem Urtica rubra, aut Urtica lutea, aut ſemicana vocitatur.

Urtica minor, *Offic.* Urtica urens minor, C. B. P. 232. *Inſt.* R. H. 535. Urtica minor annua, J. B. 3. 446. Urtica urens minima, *Dod. Pempt.* 152. Urtica minor, *Ger. Raii Hiſt.* 161. *Brunſ. Fuchſ. Cord. Lob. Tabern.* Urtica tertia Matthioli, *Lugd. Hiſt.* 1244. Urticoides urens, *Ponted. Anth.* 210. Urtica minor urens, foliis eleganter variegatis, caule intorto rubente, *Rudb. Lapp.* 100. Urtica foliis ovatis, amentis cylindraceis, Androgyna, *Linn. Flor. Lappon.* 375. *Hall. Helv.* 178. Urtica vulgaris minor, Urtica minor & acrior, Cania Plinii acrior, *Quorumd.* vulgo *le petite Ortie, ou l'Ortie grieſche.*

Huic radix eſt ſimplex, ſatis craſſa, alba, exiguis ſtipata fibris, annua. Caules profert ſemipedales, aut pedem nuſquam ſuperantes, ſatis craſſos, quadratos, duros, ſtriatos, ramoſos, urentes, minus, quam in præcedenti elatos. Folia bina invicem oppoſita ſunt, breviora, ac obtuſiora Urticæ maj. foliis, marginibus profunde inciſis, adurentia, ſaturate-viridia, longis caudis appenſa. Flores ſtaminibus ſuis, racematim, ad modum crucis in foliorum alis locantur, coloremque herbidum habent; alii mares, ſeu ſteriles, alii vero fœminæ, ſive fœcundi eodem e caule prodeunt; hiſce vero fecundis decidentibus exiguæ capſulæ præſto ſunt, quæ binis foliolis ſimul junctis conſtant, occluduntque ſemen minutum, oblongum, planum, luceſcens, ſub-rubrum. Secus ædificia, in locis incultis, inter rudera, ac in hortis olitoriis creſcit planta hæc, in quibus ſemine ſingulis annis innovatur, frigoris enim rigorem ſuffere haudquaquam poteſt. Herba præſertim a Medicis uſurpatur.

Urtica Romana, *Offic.* Urtica urens, pilulas ferens, prima Dioſcoridis, ſemine Lini, C. B. P. 232. *Inſt.* R. H. 535. Urtica Romana, ſive mas cum

globulis, J. B. 3. 445. Urtica urens prior, *Dod. Pempt.* 151. Urtica Romana, *Ger. Park. Raii Hist.* 161. Urtica sylvestris, sive Romana Officinarum semine Lini, *Lob. Adv.* Urtica prima, *Matth. Lac. Cæsalp. Cast. Tabern.* Urtica prima Matthioli, *Lugd. Hist.* 1243. Urtica Græca sive Romana, & aspera Dioscoridis, *Fuchs.* Urtica Romana seu peregrina, & elegantissima, *Trag.* Urtica Dioscoridis, aliis Cnide dicta, Urtica urens major & prima, Urtica mascula sive mas, Urtica sylvestris asperior, Urtica pilulifera seu pilulas rotundas ferens, Urtica Italica sive hortensis, *Nonnull.* vulgo *l'Ortie Romaine*, *l'Ortie Grecque, ou Ortie male.*

Radicem habet fibrosam, sub-luteam, annuam, caulem vero quatuor, vel quinque pedum altitudinis, rotundum, debilem, ramosum, exiguis rigidis, pungentibusque spinis stipatum, foliisque oppositis, latis, acuminatis, ambitu profunde inciso, rudi, urenti, & lucenti lanugine tectis. E foliorum alis ad ramorum fere, cauliumque extremitatem flores enascuntur, binis præcedentibus speciebus, similes. Marcescentibus vero floribus, globuli virides præsto sunt, totidem scilicet exigui fructus, rotundi, pisiformes, exiguis spiculis horrescentes, longis appensi pedunculis, pluribus constantes capsulis, bifariam sese aperientes, semenque condentes ovale, acutum, planum, glabrum, lubricum, tactu læve, adinstar seminis Lini. Tam in frigidis, quam in calidis regionibus, in sepibus, pratis, sylvis cæduis, & umbrosis crescit planta hæc, rarius tamen præ binis aliis occurrit, ac ad ornatum in hortis seritur. Æstate floret, ac Julio, & Augusto semen ad maturationem perducitur; frigori vero neutiquam resistit, atque singulis annis perit. Semen præcipue in usum revocatur.

*Urtica* ab *urendo* nuncupata fuit, rigida enim, acuta, & exilissima lanugine obtegitur, qua tangentium cuti adhærens, eam penetrat, nervisque eumdem doloris sensum communicat, ac si pars ignem tetigisset, urentem calorem, pustulas, pertinacesque pruritus excitando, quibus, omnibus occurrere possumus, Oleo Olivarum, Oleo rosato, Nicotianæ succo, ejusdem Urticæ folio superapposito, aut ejusdem plantæ succo expresso juxta Parkinsonum. Hoock vero Microscopio detexit, Urticam acutissimis spiculis contectam esse, quorum basis, vesicula constat liquore acri, mordicanti, ac venefico referta, cuspis vero substantia durissima, foramine instructa, quo liquor per puncturam in cutem intruditur, doloremque excitat. Langius e contra id omne pernegat, asserendo, nec vesiculas, nec cavitates, nec foramina Urticæ, de quibus celebris Observator Hook verba fecit, Microscopio quantumvis exquisitissimo, nunquam potuisse percipere.

Ex tribus Urticæ usque adhuc recentis speciebus folia saporem habent insipidum, glutinosum, nec chartam cæruleam rubro colore inficiunt: radices vero hoc admodum infirme præstare solent, quæ insipidæ pariter sunt, ac stypticæ: hinc conjectari licet, omnes Urticæ species sale scatere ad terræ naturalem salem accedente, conflato scilicet, Nitro, Saleque marino: sal vero hoc in plantis prædictis, plurimo viscoso plegmate irretitur, magnaque sulphuris, partiumque terrestrium copia, sociatur: Analyseos enim Chymicæ ope ex Urticis sal volatile concretum, plurimum sulphuris terræque, pluresque liquores, sal acre, & acidum manifesto indicantes eliciuntur. Hinc verisimile videtur harumce plantarum phlegma a particulis terrestribus potius, quam ab acido condensari: phlegma autem hoc condensatum, quod profecto adest in

ma-

magna copia, omnino ab igne destruitur: Nil inde mirum, Urticas detergentes esse, diureticas, & ad liquorum circulum restituendum aptas, phlegmate enim hocce glareoso, magna salis acris, & sulphuris energia moderatur.

Tam interne, quam externe usurpatur planta hæc. Urticæ succus depuratus, vel simplex, vel post levem ebullitionem sanguineum sputum, narium hæmorrhagiam, fluxumque hæmorrhidalem sistendi vim habet, & dysenteriæ, fluoribusque albis adversatur ab ℥ ij. ad ℥ jv. aut solitarie tepidus, aut æ. q. jusculi permixtus. Foliis vero ejusdem ad modum Theæ infusis utimur contra arthritidem, rehumaticos affectus, calculum, glareasque in renibus, & vesica stabulantes: eadem præterea infusio optima quoque est pro Gargarismate in faucium morbis. Ejus etiam surculi in jusculo decocti sanguinem depurant; ejusdemque plantæ ptisana plurimum reputatur in Febribus malignis, Variolis, & Morbillis. Emulsiones quoque eadem aqua, ac ejus seminibus parari possunt. Syrupus, racemorum Conserva, & Extractum iisdem viribus insigniuntur: Urticæ quoque radices Saccharo condiuntur, usurpanturque magno emolumento adversum icterum, antiqua in tussi, asthmate humido, ac pleuritide ad expectorationem procurandam, præsertim si folia tusa Cataplasmatis more parti affectæ apponantur. Succus quoque prædictis in morbis exhiberi debet. Remedium modo describendum Parisiis usitatissimum est, & in Pleuritide utplurimum mira præstat.

℞. Urticæ Romanæ recentiss. Man. ij. vel iij. Contunde leviter, & coque in ℥ jv. optimi Olei Olivar. & Vini cyatho. Fiat colatura, exhibeaturque ægro probe cooperto ad sudorem provocandum. Magma vero parti affectæ, quam possibile est calide, applicetur. Aptius vero tempus est pro eo usurpando, post secundam, aut tertiam sanguinis missionem, tertia scilicet morbi die nondum præterlapsa.

Extrinsecus vero Urticæ Cataplasma emolliens est, ac resolvens, aptumque ad tumores, inflammatione sociatos, reserandos, arthriticos solatur, ac tumores quandoque, & ganglia dissipat. Plures etiam tam veteres, quam recentiores Medici, tamquam optimum adversum Ischiadem, & Paralysim commendant, si affectæ partes fasciculo Urticæ ad ruborem usque plectantur, Vinoque calido deinde abstergantur. Plures extant Observationes sanationum hacce methodo peractarum, qua debilioribus, extenuatisque in partibus sanguis, spiritusque revocantur, eorumque circulatio restituitur.

Urticæ semen usurpatur in Syrupo Composito Althææ, & Unguento Martiato *Pharm. Paris.*

℞. Succi Urticæ Rom. depur. ℥ ij. Vini albi ℥ jv. M. exhibeaturque mane jejuno stomacho novem dierum spatio in calculo, ac mejendi difficultate.

℞. Rad. Urticæ, & Consolidæ maj. ana ℥ j. ß. Fol. Millefolii, & Plantaginis ana Man. j. Cort. Malor. Punicor. & Gummi Arabici ana ʒ ij. Sem. Papapaveris albi ℥ ß. Coque in aquæ ℔ iij. ad medias. Colaturæ adde Syrupi de Rosis siccis ℥ jv. Sacchar. Saturni ℈ j. Croci Martis adstringentis ℈ jv. Pro decotione, cujus ℥ jv. bis de die exhibebuntur in sputo sanguineo, narium hæmorrhagia, hæmmorrhoidumque immoderato fluxu.

# U S N E A.

USNEA Humana, *Offic.* Muſcus ex Cranio, J. B. 3. 764. Muſcus ex Cranio humano, *Tabern. icon. & Hiſt.* Muſcus Cranio humano innatus, *Raii Hiſt.* 117. Uſnea ſeu Muſcus Cranii humani, Uſnea Microcoſmi, Muſcus de Calvaria humana, ſeu Cranio hominis ſuſpenſi, & ſtrangulati, vel rota necati innaſcens, Muſcus ex Craniis hominum violenta morte peremptorum, Flos Cranii, *Quorumd.* vulgo *Uſnée Humaine*, *ou Mouſſe de Crane humain.*

Juxta Lemeryum, Uſnea Humana nihil aliud eſt, quam Muſcus vulgaris, ſub-viridis, binis, aut tribus lineis altus, inodorus, ſapore ſalſo, in craniis cadaverum utriuſque ſexus diutius aeri eſpoſitis innaſcens: plantula hæc in Anglia, & Hibernia præcipue occurrit, in craniis hominum ſuſpenſorum, & ſtrangulatorum, eorum enim membra adeo firmiter, ære textili, patibulo alligantur, ut plurium annorum ſpatio, poſt carnis, pututredine, ac aere, conſumptionem, integra oſſa remaneant. In oſſibus quoque humanorum cadaverum dudum aeri aperto objectis Uſnea reperitur, non adeo tamen in pretio habetur, quemadmodum Uſnea Cranio innata.

Juxta alios, duæ Uſneæ humanæ extant ſpecies; Prima Officinalis ex Hibernia advecta, eſtque ſpecies Muſci vulgaris terreſtris, Adianti aurei capitulis, nihilque differt a Muſco ſuper Tiliam, ſaxos, arboreſque enaſcente; hinc non adeo facile diſtingui poteſt. D. Doody Pharmacopola Londinenſis, celeberrimuſque Botanicus obſervavit, Uſneam quoque progigni in equorum & boum divulſorum oſſibus. In craniis autem præcipue occurrit in ſolo humido ſtratis.

Altera vero cruſtacea eſt, e craniis humanis ad cruſtæ modum producta, more Lichen ſaxatilis, ſive Lichen petræi; ab Auctoribus autem hæc poſtrema antecedenti præfertur, tamquam, peculiari ad plures morbos energia, utiliſſima. Referente Rajo ſpecies eſt Lichen, ſuperne cinerei, inferne nigri coloris, ambitu fimbriato, pene inciſo, abſque caule, arborum expanſa corticibus, aliiſque corporibus, quibus adhæret.

De *Uſnea vulgari*, Muſcus arboreus villoſus a *Jo. Bauhino*, nuncupata, hic neutiquam verba faciemus, nihil enim aliud eſt, niſi Muſci arborei, aut potius Lichen ſpecies ſub-albida, & filamentoſa, quæ in regionibus calidis, in vetuſtiſſimis arboribus frequentiſſime occurrit, in Quercu ſcilicet, Populo, Ulmo, Betula, Malo, Pyro, Pinu, Abiete, Larice, & Citro, cujus pulvis baſis eſt Pulveris Cyprii, vulgo *Corps de Cypre gris.*

*Uſnea* denominatio eſt ab Alchymiſtis Paracelſi ſectatoribus provenięns, apparenter vero deducta fuit a *Axnech*, ſic enim Arabi Uſneam arboream vocitabant.

Uſnea Humana, Analyſi Chymica, plurimum ſalis volatilis, atque olei largitur. Raro admodum hiſce in regionibus occurrit, cadavera enim hominum violenta morte peremptorum, non adeo frequenter exponuntur, uti in regionibus Septemtrionalibus, & Germania, ubi uſitatiſſima eſt. Tamquam adſtringens, narium hæmorrhagias in iis appoſita ſiſtit: ad Epilepſiam præterea uſurpari poteſt: huic autem noſtris in regionibus cranium ipſum ſubſtituitur; uſurpatur autem in pulvere ſympathico, in Petra *Butler*, in Unguento *Armario* ſive *d'Arquebuſade*, aliter etiam *Martiali & Magnetico*

nun-

nuncupato, aliisque compositionibus ad sanguinem sistendum aptis. *In Ephemeridibus Germanicis Decuria prima, anno secundo pag. 96.* & sequentibus extat elegans Dissertatio D. Martini Bernardi a Berniz, in qua fuse de hujusce plantæ viribus disserit; ad eam itaque Lectores ablegamus, in ea, enim præ aliis scitu dignis, modus edocetur, quo facilius in craniis humanis excrescat.

Grube præterea affirmat, haud multum quidem in re Medica Usneam existimari, eo quod supponatur, cadaverum vitales, & animales spiritus in ea contentos ad viventium partes quadam efficacia communicari, quum autem omnibus notum sit, cadavera iis omnino esse destituta, haud inficiuntur ii qui de specifica ad plures morbos ejusdem energia satis dubitant. Junkerus asserit; nullas alias in ea, nisi, ab hominum credulitate falso tributas, vires adesse. Mark vero celebris Aromatarius Norimbergensis constanter tradit, Usneam Cranii Humani sola raritate excellere, & Bœclerus testatur, Usneam, una cum cadaverum ossibus, pluribus tam superstitiosis, quam impiis usibus inservire. Nos tamen credimus cum doctissimo D. James, Muscum hunce natura sua utilem esse posse in hæmorrhagiis, in quibus turundis, & pessariis stypticis uti opus est, dummodo aptis aliis admisceatur.

In morbis, itaque in quibus remediis dissecantibus, & adstringentibus cum internis, tum externis necessitas adest, usurpari commode potest.

## V U L N E R A R I A.

VULNERARIA, *Offic.* Loto affinis Vulneraria pratensis, C. B. P. 332. Vulneraria rustica, J. B. 2. 362. *Inst.* R. H. 591. Anthyllis Lenti similis, *Dod. Pempt.* 552. Anthyllis leguminosa, *Ger. Raii Hist.* 922. Anthyllis leguminosa vulgaris, *Park.* Vulneraria Consolida, *Gesn. Hort.* Glaux quorumdam, *Lob. adv.* Lotus latifolia Dalemchampii, *Lugd. Hist.* Lagopodium flore luteo, *Tabern. icon.* 925. Anthyllis foliis pinnatis, foliolis pluribus, terminatrice majore, *Linn. Hort. Cliff.* 371. Vulneraria rustica flore ferrugineo, *Act. Stoch.* 1741. 202. Anthyllis leguminosa Belgarum, Anthyllis prior seu magna, sive Anthyllis Dioscoridis, Anthyllis major vel leguminosa flore luteo, Anthylion sive Anthyllion, & Anthyeellon Plinii, sideritis cognomine rustica, Glauciola, Panaces Chironium læve denominatum, *Nonnull.* vulgo *Vulneraire des Paysans*.

E radice simplici, longa, erecta, lignosa, sub-nigra, saporis leguminosi, caules exeunt fere pedales, graciles, rotundi, hirsuti, nonnihil subrubri, curvi, aut in solo strati. Folia pari ordine, juxta simplicem costam, folio unico terminatrice locantur, æmulanturque folia Galangæ, aut Rutæ Capraria, nonnihil tamen succulentiora, inferne villosa, ac ad albedinem accedentia, superne vero, e viridi lutescentia, sapore sub-dulci, fere acriusculo, ea vero, quibus in ramorum summitate flores fulciuntur, præ aliis latiora sunt, oblonga, membranacea. Summis ramis fasciculatim flores enascuntur leguminosi, lutei calyce elati fistuloso, crasso, lanuginoso, argenteo, absque ullo odore statim sensibili. Deciduis floribus calyx ulterius quoque inflatur, vesiculamque efformat, membranaceam capsulam, occludentem, uno, aut binis plerumque seminibus sub luteis refertam. Montanis in locis, siccis, sabulo-

bulosis, ac in apricis collibus, in pratis, solo sterili, ac cretaceo, ac secus arva luxuriat planta hæc, florum causa quandoque etiam in hortis colitur; Majo, Junioque flores propellit, Julio, & Augusto autem semen ad maturitatem perducitur; flore albo quandoque variare solet.

Vulneraria rustica, plurimum olei, parumque continet salis essentialis, inter vulnerarias, & consolidantes locum habet, quemadmodum etiam ejus nomine indicatur, ad recentia ulcera, & vulnera sananda apta est, tusa, Cataplasmatis forma apposita: nihilominus raro admodum usurpatam cernimus.

## U V U L A R I A.

Trachelium, *Offic.* Campanula vulgatior, foliis Urticæ vel major & asperior, C. B. P. 94. *Inst.* R. H. 109. Campanula major & asperior folio Urticæ, J. B. 2. 805. Cervicaria major, *Dod. Pempt.* 164. Trachelium vulgare, *Clus. Hist.* 170. Trachelium majus, *Ger. Raii Hist.* 732. Trachelium majus flore purpureo, *Park. Parad.* Campanula major, *Fuchs.* Uvularia major, *Trag.* Cervicaria maxima foliis Urticæ majoris, caule sæpe tricubitali, floribus magnis cæruleis, quandoque etiam albis, *Thal.* Cervicaria, Uvularia, Campanula major prima, *Tabern. icon.* 412. Trachelium majus purpureo-violaceum, *Scavvenck.* Campanula foliis radicalibus cordatis, calycibus ciliatis, *Linn. Hort. Cliff.* 64. Campanula quibusdam Herbariis vocata Archangelica, Trachelium foliis urticæ flore subcæruleo, Campanula Fuchsii flore dilute-purpureo vel ad cæruleum inclinante, Rapum sylvestre majus, *Quorumd.* vulgo *Campanule a fevilles d'Ortie, Gantelèe ou Gands de Notre-Dame.*

E radice satis crassa, longa, ramosa, alba, vivaci, sapore adinstar Rapunculi grato, plures emergunt caules duos, aut tres pedes, alti, quandoque minimum digitum crassi, angulosi, striati, cavi, sub-rubri, hirsuti, foliis alternatim juxta caules dispositis, Urticæ majori similibus, acuminatioribus tamen, hirsutis, infernis præcipue, longis caudis, appensis, superioribus e contra brevibus. Ex foliorum alis flores prodeunt campanulam mentientes expansam, ambitu quinquifido, cærulei sunt, quandoque albi, interne villosi, exiguo calyce suffulti pariter quinquifido, staminibus quinis capillaribus, brevissimis, apices longos, ac planos gestantibus, in centro locatis. Deciduo flore calyx abit in fructum membranaceum, rotundum, angulosum, in plures divisum cellulas lateraliter perforatas, plurima semina occludentes minuta, lucentia, sub-rubra. In sylvis cæduis, elatis nemoribus, in sepibus, ac pratis, secusque valles, obscuris, umbrosisque in locis frequens occurrit planta hæc; Æstate flores emittit, semen vero Autumno maturatur. In Hortis Curiosorum quoque colitur; ac varietates producit satis gratas, flore dilute-purpureo, flore duplici albo, & duplici cærulæo, triplici etiam quandoque, ac quadruplici.

Campanula nostras succo lactiginoso scatet, ejusque radix Rapunculi locum occupare potest in acetariis, Quadragesimali præsertim tempestate. Si autem, postquam ejus radix e solo evulsa fuerit, in frustula, aut taleolas, tres, aut quatuor lineas, crassas incidatur, eæque separatim solo committantur, ab unaquaque, ejusdem speciei planta progignetur; experimentum hocce institutum fuit a D. Marchand, Regiæque Scientiarum Academiæ relatum.

latum. Jamque ex ſuperioribus conſtat, experimentum hoc idem pari cum ſucceſſu in radice Raphani ruſticani parari poſſe.

Cauſa floris, *Campanula* nuncupata fuit, *Trachelium* vero, non ſolum quia nonnihil rudis, tactuque aſpera deprehenditur, verum etiam quia *Tracheæ* inflammationibus dicatur, *Uvularia*, quod *Uvulæ* morbos ſolatur, *Cervicaria* demum, quod adverſus colli, fauciumque ægritudines commendatur.

Plurimum habet olei, & phlegmatis, mediocrem vero ſalis portionem. Adſtringens eſt, detergens, ac vulneraria. Ejus decoctio pro Gargariſmate in uſum revocatur, ad oris, faucium, amygdalarumque inflammationem, initio tamen morbi ſolummodo, quum ſcilicet adſtringentia tuto uſurpari poſſunt, in progreſſu autem potius noceret.

## XANTIUM.

XANTIUM, *Offic.* Lappa minor, Xantium Dioſcoridis, C. B. P. 198. Xantium, ſive Lappa minor, J. B. 3. 572. *Raii Hſt.* 165. Xantium, *Dod. Pempt.* 39. *Inſt.* R. H. 439. *Matth. Anguill. Fuchſ. Turn. Cord. in Dioſcor. Lac. Lonic. Thal. Cæſalp. Caſt. Tabern. Geſn. Hort. Lob. icon.* 588. *Lugd. Hiſt.* 1056. Xantium ſive Strumaria, *Lob. Adv.* 254. Bardana minor, *Ger.* Lappa minor, *Brunſ. Trag. Eric. Cord.* Lappa Strumaria foliis anguloſis, diſpermos, echinis bicornibus ſurſum rigentibus ad foliorum alas confertis, *Pluk. Alm.* 205. Xantium caule inermi, *Linn. Hort. Cliff.* 443. Lappa inverſa, Aretion minus, Philantropon, Chæradoltheron, Phaſagonon ſeu Phaſagonion, *Quorumd.* vulgo *Petite Bardane*, *petit Glouteron ou Gletteron*, *Grappelles*.

E radice exigua, alba, fibris ſatis craſſis ſtipata, annua, caulis exſurgit ad duorum fere pedum altitudinem, anguloſus, hirſutus, rubris diſtinctus punctis, ramoſus, late ſeſe expandens, foliis Bardanæ maj. longe exilioribus, alternis, Tuſſilaginem quodammodo referentibus, e viridi luteſcentibus, hirſutis, ambitu leviter crenato, longiuſculis caudis appenſis, ſapore acriuſculo ad aromaticum accedente. Ex foliorum alis flores apparent, conſtantque faſciculis floſculorum veſicularium, quinis ſtaminibus e fundo exeuntibus, facile cadunt, nec ullum poſt ſe ſemen relinquunt: in eadem vero planta floribus hiſce maribus, ſive ſterilibus, & alii flores fœminæ ſive fœcundi ſubnaſcuntur, fructus poſt ſe relinquentes oblongos, olivares, ſpiculis armatos, veſtibus facile adhæreſcentibus, per longum in binas cellulas diviſos, ſemina oblonga, ſub-rubra, ex uno latere convexa, ex altero plana continentes. Pingui in ſolo, prope muros, ac ſecus fluvios, in ædificiorum ruderibus, & in foſſis aqua deſtitutis luxuriat planta hæc, Julio, & Auguſto flores propellit, ſemina autem Autumno maturantur.

Bardana hæc minor *Xanthium* nuncupata fuit, quaſi *Planta flava*, aut ad res *flavo* colore fucandas apta; ea enim apud Veteres ad capillos flavedine inficiendos uſurpabatur; colore hocce tunc temporis præ aliis in pretio habito.

Ejus folia amara ſunt, & adſtringentia, nec ullo rubro colore chartam cæruleam imbuunt, plurimumque ex planta univerſa ſalis, atque olei elici poteſt. Ejuſdem uſus commendatur ad ſtrumas, impetiginemque ſanandam, ac ad ſanguinem depurandum, ſi ægris, aut ejus ſucci ℥ vj. aut ejus extracti ʒ j. exhibeatur. Folia tuſa, uti Bardanæ folia reſolvendi vim habent, tumoreſ-

moreſque ſtrumoſos diſcutiunt, ac diſſipant. Konig vero aſſerit, ſemen in ſp. Vini infuſum potenter arenulas ciere. Præſtantior tamen, calculoſis miniſtrandi, ratio nobis videtur, ſi pulveratum ʒ ß. ex Vino albo propinetur.

## XYRIS.

XYRIS, *Offic.* Gladiolus fœtidus, C. B. P. 30. Spatula fœtida, pleriſque Xyris, J. B. 2. 731. *Dod. Pempt.* 247. Iris fœtidiſſima ſeu Xyris, *Inſt.* R. H. 360. Xyris, *Matth. Lob. Caſt. Camer. Ger. Raii Hiſt.* 1190. Xyris, ſive Spatula fœtida, *Park.* Iris foliis enſiformibus, Corollulis imberbibus, petalis interioribus longitudine Stigmatis, *Linn. Hort. Cliff.* 19. Iris agria Theophraſti, Xyris ſive Iris ſylveſtris Dioſcoridis, Iris agreſtis Spatula fœtida vulgo dicta, *Nonnull.* vulgo *Glayeul puant, Spatule ou Eſpatule, Iris qui ſent le Gigot.*

Radice eſt globoſa ad modum Cepæ, dum adhuc adoleſcit, deinde curva, geniculata, craſſiuſculis fibris circumfuſa, longis, implicatis, ſapore acerrimo, adinſtar Iris vulgaris. Plura emittit folia, pedem cum dimidio, aut pedes duos longa, Iris vulgaris foliis anguſtiora, gladii more acuminata, atro-viridia, ac luceſcentia, odore fœtido, cimicis, aut vervecini femoris aſſi, præſertim tuſa, aut fracta. Ea inter plures caules eriguntur mediocris craſſitudinis, erecti, læves, in quorum extremo flos locatur, Iridis flori proximus, exilior tamen, ſeniſque conflatus petalis atro-rubris, ac pene cæruleis. Fructus, hujus in locum, ſuccedit oblongus, anguloſus, per maturitatem ſeſe aperiens, adinſtar fructus Pæoniæ maris, ac ſemina præſeferens rotunda, piſiformia, rubra, & urentia. Humidis in locis prope ſepes, cæduis in ſylvis, dumetis, vallibuſque umbroſis occurrit, Julio, & Auguſto floreſcit, ac Autumno ſemen ad maturitatem perducitur. Quandoque etiam in hortis colitur, facile ubique creſcit, agri Pariſienſis incola eſt, in Anglia vero juxta Rajum raro reperitur.

A Majoribus noſtris *Xyris* aut *Xiris* nuncupata fuit, quaſi *Gladius*, ejus enim folia ſimili figura prædicta ſunt. *Spatula* vel *Spathula* idem ſibi vult.

Plurimum olei, ſaliſque largitur. Non minus radix quam ſemen decoctum, aperiens, hydragogum, & adverſum rheumaticas affectiones, obſtructiones, ac hydropem aptum cenſetur. A Nonnullis contra Strumas, & Aſthma humidum plurimum commendatur; ad aquas tamen potenter evacuandas, materiamque tenacem, ac viſcidam, viſcera quandoque infarcientem ſolvendam, vis ejus maxima prædicatur.

*Alterius Partis, Tomi Secundi Finis.*

ERRA-

| | ERRATA | CORRIGE. |
|---|---|---|
| pagina 1 lin. 8 | *Cavver* | *Camer*. |
| p. 2 l. 12 | fætido | fœtido |
| p. ead. l. 21 | præſcribendam | præſcribenda |
| p. ead. l. 26 | familiariis | familiarius |
| p. ead. l. 31 | Borrhaginis | Borraginis |
| p. ead. l. 33 | propinata | propinanda |
| p. ead. l. 38 | ſtamno | ſtanno |
| p. 3 l. 2 | Letargum | Lethargum |
| p. ead. l. 12 | rapidius | vapidius |
| p. ead. l. 25 | ſincope | ſyncope |
| p. ead. l. 28 | Vulnerarie | Vulneraria |
| p. ead. l. 34 | Pannomicum | Pannonicum |
| p. 3 l. 36 | *quante* | *puante* |
| p. ead. l. 42 | viloſis | villoſis |
| p. ead. l. 44 | purpureſcentibus | purpuraſcentibus |
| p. ead. l. 46 | malleum | melleum |
| p. ead. l. ead | fætet | fœtet |
| p. 4 l. 15 | paratum | paratur |
| p. ead. l. 26 | Melorum | Melonum |
| p. ead. l. 33 | cute | lutei |
| p. ead. l. 35 | *deſiderantur* | primum vil'oſi, |
| p. 5 l. 8 | pulpo | pulpa |
| p. ead. l. 29 | deffinitur | definitur |
| p. ead. l. 33 | indicationis | indicationes |
| p. ead. l. 43 | Eththiſi | Phthiſi |
| p. 6 l. 1 | MEDICINÆ | MEDICÆ. |
| p. ead. l. 6 | *Hubergine* | *Aubergine* |
| p. ead. l. 13 | feta | fœta |
| p. ead. l. 22 | delitiam | deliciam |
| p. ead. l. 34 | hocce | hacce |
| p. ead. l. ead. | onodino | anodyno |
| p. 7 l. 1 | Solami | Solani |
| p. ead. l. 11 | Luppon. | Lappon |
| p. 8 l. 26 | *l' Herte* | *l' Herbe* |
| p. ead. l. ead. | accuminatiora | acuminatiora |
| p. ead. l. 32 | feta | fœta |
| p. ead. l. 34 | anuli. Florum | anuli florum |
| p. 9 l. 5 | ææedem | eædem |
| p. ead. l. 6 | cococtionem | concoctionem |
| p. ead. l. 15 | *friſoè* | *friſèe*. |
| p. ead. l. 19 | aliis | alis |
| p. ead. l. 21 | analiſque | anuliſque |
| p. ead. l. 38 | hiſce | hac |
| p. ead. l. 47 | producta | productus |
| p. 10 l. 1 | MEDICINÆ | MEDICÆ. |
| p. ead. l. 6 | Parck | Park |
| p. ead. l. 12 | Radix | Radice |
| p. ead. l. 47 | vere | Vere |
| p. 12 l. 13 | phlematis | phlegmatis |
| p. ead. l. 25 | *Charos* | Charas |
| p. ead. l. 28 | repetendo | repetenda |
| p. ead. l. 37 | quoque | quaque |
| p. 13 l. 7 | *Linozoſtotis* | *Linozoſtis*. |
| p. ead. l. 18 | olitonis | olitoriis |
| p. 14 l. 32 | pug. j. | Man. j |
| p. 15 l. 12 | Meſpillum | Meſpilum |
| p. ead. l. 26 | circumfuſas | circumfuſus |
| p. ead. l. 41 | Diarræas | Diarrhœas |
| p. 16 l. 11 | boccis | baccis |
| p. ead. l. 19 | unam | unum |
| p. ead. l. 34 | conficiendos | conficiendas |
| p. 17 l. 5 | 652 | 642. |
| p. ead. l. 39 | *Caner*. | *Camer*. |
| p. 18 l. 29 | eruptione | eruptionem |
| p. ead. l. 38 | Fæniculi | Fœniculi |
| p. 20 l. 20 | acliuſculo | acriuſculo |
| p. ead. l. 22 | purpureſcens | purpuraſcens |
| p. 21 l. 28 | Balſaminas | Balſamina |
| p. 22 l. 14 | Menſium | Menſis |
| p. ead. l. 41 | Caudes | Caudex |
| p. 22 l. 40 | Pſombyces | Bombyces |
| p. 24 l. 30 | læduntur | lædantur |
| p. 25 l. 26 | Radicis | Radici |
| p. 26 l. 8 | Luppinus | Lupinus |
| p. ead. l. 21 | candellæ | candelæ |
| p. 27 l. 16 | plurias | pluvias |
| p. ead. l. 28 | ſabularum | fabularum |

| | ERRATA | CORRIGE. |
|---|---|---|
| p. ead. l. 35 | exalantem | exhalantem |
| p. ead. l. 46 | Hælveticum | Helveticum |
| p. 28 l. 13 | *deſiderantur* | *J R.H. 227. Myagrum* |
| p. ead. l. 27 | penne | pene |
| p. 29 l. 25 | vere | Vere |
| p. 31 l. 14 | ſatira | ſativa |
| p. ead. l. 30 | Ætruria | Hetruria |
| p. 32 l. 7 | nuncupantur | nuncupatum |
| p. ead. l. 13 | pillulis | pilulis |
| p. ead. l. 19 | Fabor | Fabror. |
| p. ead. l. 27 | Clamœleagnus | Chamæleagnus |
| p. ead. l. 40 | quinque | quique |
| p. ead. l. 43 | prædicti | præditi |
| p. 33 l. 5 | ſoliis | foliis |
| p. ead. l. 22 | ipſi | ipſis |
| p. 35 l. 25 | Pyrenſis | Pyrenæis |
| p. ead. l. 30 | Hermani | Hermanni |
| p. 36 l. 14 | Emethico | Emetico |
| p. ead. l. 23 | Altheæ | Althææ |
| p. ead. l. 36 | œſtus | extus |
| p. 37 l. 20 | morbi | morbis |
| p. ead. l. 29 | ſciens | ciens |
| p. ead. l. 31 | exantematicis | exanthematicis |
| p. ead. l. 35 | anfartubus | anfarctubus |
| p. ead. l. ead | propinandas | propinanda |
| p. ead. l. 36 | Capas | Cepas |
| p. ead. l. 37 | excorticatos | excorticatas |
| p. ead. l. 42 | Bunios | Bunias |
| p. 38 l. 8 | ageribus | aggeribus |
| p. ead. l. 28 | valriolarum | variolarum |
| p. ead. l. 44 | alba ; indutus | alba indutus |
| p. 39 l. 3 | Viole | Violæ |
| p. 40 l. 14 | Emulſione | Emulſiones |
| p. ead. l. 15 | Phænigmis | Phœnigmis |
| p. ead. l. 27 | Pharmacopææ | Pharmacopœæ, *& ſic de ſing.* |
| p. 41 l. 30 | limpuidioribus | limpidioribus |
| p. ead. l. ead. | quod | quum |
| p. ead. l. 38 | Accademiæ | Academiæ |
| p. ead. l. 43 | regioni | regionis |
| p. 42 l. 4 | magna | magma |
| p. ead. l. 5 | proſtant | præſtant |
| p. ead. l. 14 | vini | vim |
| p. ead. l. 40 | vitullinum | vitulinum |
| p. 43 l. 8 | Lata | Lota |
| p. ead. l. 14 | *deſideratur* | vaſe |
| p. ead. l. ead. | ter | tere |
| p. ead. l. 27 | ad media | ad medias |
| p. 44 l. 26 | cuculum | cucullum |
| p. ead. l. 30 | quam | quarum |
| p. ead. l. 40 | exquiſitur | exquiritur |
| p. ead. l. 44 | alatum | allatum |
| p. ead. l. 47 | adverſus | adverſo |
| p. 45 l. 7 | admiſceretur | admiſcentur |
| p. ead. l. 11 | reperiantur | reperientur |
| p. ead. l. 15 | ferunt | feranr |
| p. ead. l. ead. | vinum | virum |
| p. ead. l. 24 | Catania | Cataria |
| p. ead. l. 36 | mucroſtata | mucronata |
| p. 46 l. 16 | Trochiſſis | Trochiſcis |
| p. ead. l. 24 | Rododophene | Rododaphne |
| p. 47 l. 9 | univerſalis | univerſali |
| p. ead. l. 12 | Fiacum | Ficuum |
| p. ead. l. 30 | Prebecente | Prebécenue |
| p. ead. l. 32 | Tereti | Teveti |
| p. ead. l. 38 | pollicem | pollice |
| p. ead. l. 39 | Emulæ | Enulæ |
| p. 48 l. 6 | dura | dum |
| p. ead. l. 11 | auguſtifolium | anguſtifolium *& ſic de ſing.* |
| p. ead. l. 47 | gelo | gelu, |
| p. 49 l. 39 | dictaſſe | ditaſſe |
| p. 51 l. 20 | poſtum | paſtum |
| p. ead. l. 29 | chatarſim | catharſim |
| p. ead. l. 39 | alatum | allatum |
| p. ead. l. 46 | abbundans | abundans |
| p. 52 l. 4 | chocleari | cochleari |
| p. ead. l. 12 | abbundantem | abundantem |

p. ead.

| ERRATA | | CORRIGE. |
|---|---|---|
| p. ead. l. 13 | in aſſuetis | inaſſuetis |
| p. 53 l. 15 | Elleborus | Helleborus |
| p. ead. l. 22 | paræcavendos | præcavendos |
| p. 54 l. 21 | quoſdam | quaſdam |
| p. 58 l. 28 | Nymphœa | Nymphæa *& ſic de ſing.* |
| p. ead. l. 44 | duobus | duabus |
| p. 59 l. 46 | proſtant | præſtant |
| p. 60 l. 11 | choitum | coitum |
| p. 61 l. 3 | *Gonorrhœa* | *Gonorhæa* |
| p. ead. l. 31 | incifis | inciſis |
| p. 62 l. 45 | abdictos | abditos |
| p. 63 l. 26 | pedunculllatis | pedunculatis |
| p. ead. l. 33 | fætida | fœtida |
| p. ead. l 37 | *Camomilæ* | *Camomile* |
| p. ead. l. 42 | Camomillino | Chamomillino |
| p. 65 l. 3 | tradita fuit | tradiderimus |
| p. ead. l. 26 | earum | eorum |
| p. ead. l. 36 | pyriforme | pyriformem |
| p. ead. l. 45 | expoſuit | expoſcit |
| p. 68 l. 17 | molioris | melioris |
| p. ead. l. 20 | Hypocondriaci | Hypochondriaci |
| p. 69 l. 24 | Prunus | Prunum |
| p. 71 l. 21 | duobus | duabus |
| p. 73 l 12 | Serpentatia | Serpentaria |
| p. ead. l. 16 | Eleboro | Helleboro |
| p. 74 l. 31 | Cataplama | Cataplaſma |
| p. 75 l. 22 | contenendum | contemnendum |
| p. ead. l. 28 | Abſintii | Abſinthii |
| p. 76 l. 3 | Teſticulis | Teſticulus |
| p. 77 l. 22 | *Aphodriſiaca* | *Aphrodiſiaca* |
| p. 80 l. 36 | fætam | fœtam |
| p. ead. l. 58 | irretitus | irretitum |
| p. 81 l. 2 | Satureæ | Saturejæ |
| p. ead. l. 14 | Stechados | Stæchados |
| p. ead. l. 45 | arridis | aridis |
| p. 84 l. 21 | pugillum | pugillus |
| p. 85 l. 12 | Orizæ | Oryzæ |
| p. ead. l. 33 | Serpillo | Serpyllo |
| p. 86 l. 1 | Sphericæ | Sphæricæ |
| p. 87 l. 9 | introſum | introrſum |
| p. ead. l. 10 | ſemibus | ſeminibus |
| p. 89 l. 26 | ſphericum | ſphæricum |
| p. ead. l. 34 | capitis | capiti |
| p. 91 l. 30 | marritimiſque | maritimiſque |
| p. 92 l. 42 | duobus | duabus |
| p. 95 l. 41 | Amigd. | Amygd. |
| p. 96 l. 25 | Camomillæ | Chamomillæ |
| p. 101 l. 8 | conſpicitut | conſpicitur |
| p. ead. l. 10. | rammis | ramis |
| p. 102 l. 5 | duobus | duabus |
| p. 104 l. 36 | aliiſque | aliique |
| p. 105 l. 36 | duobus | duabus |
| p. ead. l. 38 | multiplicetur | multiplicatur |
| p. 109 l. 40 | prortio | portio |
| p. ead. l. 41 | vitreus | vitreum |
| p. ead l. ead. | poculus | poculum |
| p. 112 l. 38 | aptior | aptius |
| p. 122. l. 24 | alive | aliove |
| p. 128 l. 10 | Sodi | Sedi |
| p. 134 l. 17 | ſphericæ | ſphæricæ |
| p. 136 l. 17 | perticioribus | pertinacioribus |
| p. ead. l. 31 | plubeo | plumbeo |
| p. ead. l. 38 | Poqulei | Populei |
| p. 140 l. 27 | fumigeratiſſimus | famigeratiſſimus |
| p. 143 l. 22 | cujus | quorum |
| p. ead. l. 23 | ſere | fere |
| p. 145 l. 2 | fructum | fructu |
| p. ead. l. 26 | merum | numerum |
| p. 156 l. 4 | ſæculis | ſeculis |
| p. 157 l. 32 | æmuli | æmulis |
| p. 159 l. 34 | Pſylli | Pſyllii |
| p. 160 l. 42 | Pyreneis | Pyrenæis |
| p. 160 l. 12 | haud | ſatis |
| p. 169 l. 42 | intollerabili | intolerabili |
| p. 170 l. 36 | ſolet | ſolent |
| p. 176 l. 32 | Duas | Duæ |
| p. 180 l. 4 | Ceraſæ | Ceraſa |
| p. 195 l. 45 | aperientibu | aperientibus |
| p. 197 l. 47 | Morarum | Mororum |
| p. 199 l. 16 | Fragorem | Fragorum |
| p. ead. l 26 | dætergens | detergens |
| p. 200 l. 46 | Fæniculo | Fœniculo |
| p. 203 l. 46 | prædictam | prædictum |
| p. 206 l. 20 | Matiato | Martiato |
| p. 210 l. 1 | rotouuda | rotunda |
| p. 214 l. 10 | lingno | ligno |
| p. 219 l. 39 | Cæti | Ceti |
| p. ead. l. 12 | *Saniculę* | *Sanicle* |
| p. 223 l. 35 | Saxifragia | Saxifraga *& ſic de ſing.* |
| p. 231. l. 44 | maſculla | maſcula |
| p. 232 l. 31 | plegmate | phlegmate |
| p. 239 l. 5 | duobus | duabus |
| p. ead. l. 29 | ægri | ægris |
| p. 242 l. 5 | Hemi micraniæ | Hemicraniæ |
| p. ead. l. 14 | Cataplama | Cataplaſma |
| p. 243 l. 5 | prædicta | prædita |
| p. 247 l. 23 | Soliis | foliis |
| p. 248 l. 18 | recipitur | recipiuntur |
| p. 252 l. 16 | Eriſipelata | Eryſipelata |
| p. 257 l. 19 | brevioes | breviores |
| p. 262 l. 46 | conſervato | conſervata |
| p 271 l. 4 | tardi | turdi |
| p. ead. l. 5 | ſaginandas | aucupandas |
| p. 280 l. 8 | *Dedographia* | *Dendographia* |
| p. 286 l. 25 | Taxus | Taxum |
| p. 288 l 20 | quadrilatetum | quadrilaterum |
| p. ead. l. 32 | de | ad |
| p. 292 l. 16 | aucupandos | aucupandas |
| p. 306 l. 6 | reputatum | reputatus |
| p. 312 l 12 | collaturæ | colaturæ |
| p. 317 l. 40 | Clare | Claræ |
| p. 318 l. 12 | Hipnoide | Hedypnoide |
| p. 320 l. 30 | pruritam | pruritum |
| p. 322 l. 5 | Dodonei | Dodonæi |
| p. 323 l. 36 | pentaperris | pentapteris |
| p. ead. l. 41 | Chyranthemum | Chryſanthemum |
| p. 332 l. 21 | Eurucæ | Erucæ |
| p. 352 l. 12 | Emplatro | Emplaſtro |
| p. 360 l. 39. | cærulæo | cæruleo |
| p. 362 l. 28 | prædicta | prædita |